6
7-C
28

6
9 0
17

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

69.7.13.

~~G. G. G. 41~~
6-7.G.28

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

HISTORIA VNIVERSITATIS PARISIENSIS.

Digitized by Google

HISTORIA VNIVERSITATIS PARISIENSIS

IPSIVS FVNDATIONEM,

NATIONES, FACVLTATES, MAGISTRATVS, DECRETA, Cenſuras & Iudicia in negotiis fidei, Priuilegia, Comitia, Legationes, Reformationes. Item Antiquiſſimas Gallorum Academias, aliarum quoque Vniuerſitatum & Religioſorum Ordinum, qui ex eadem communi matre exierunt, Inſtitutiones & Fundationes, aliáque id genus cum inſtrumentis publicis & authenticis à Carolo M. ad noſtra tempora ordine Chronologico complectens.

Authore CÆSARE EGASSIO BVLÆO, *Eloquentiæ emerito Profeſſore, antiquo Rectore & Scriba eiuſdem Vniuerſitatis.*

TOMVS PRIMVS.

AB ANNO CIRCITER 800. AD ANNVM 1100.

Bibliotheca Coll. Rom. Soc. Jesu



PARISIIS,

Apud FRANCISCVM NOEL, viâ Iacobæâ, ad Imaginem Diui Franciſci Seraphici, prope Fontem Sancti Seuerini.

M. DC. LXV.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

Digitized by Google

LVDOVICO XIV.
FRANCIÆ
ET NAVARRÆ
REGI CHRISTIANISSIMO.

PAtere, REX AVGVSTISSIME, prodire ſub auſpiciis tuis Vniuerſitatem Pariſienſem. Regium ipſa cùm opus ſit, non alium debuit quàm Regem Patronum deligere. Commodè verò & peropportunè contingit, vt quo tempore Orbem Vniuerſum imples nominis tui famâ, omniumque animos venturæ laudis expectatione ſuſpendis, effundere ſe incipiat in lucem. Sic enim ſperat faciles ſe aditus habituram vbique, & loca plurima, vbi magnificè recumbat, reperturam: donec numeris ſuis anniſque pariter abſoluta, eius gloriæ quæ ſibi à te acceſſerit, commemoratione, ſeculi tui felicitatem illuſtret. Cùm verò ipſa ſe tibi offert, vouet dedicatque, non extollit muneris dignitatem: talis eſt qualem fecerunt Maiores tui, talemque ſucceſſum oſtentat, qualem ſibi dum eam conderet inuictus Carolus M. pollicitus eſt habituram. Non enim ille Studiorum æternitatem quam Barbaræ Gentes in Galliam irrumpentes interruperant, reſtituendo, nominis duntaxat ſui gloriam quæſiuit, aut Regni Gallicani ſplendorem, ſed id maximè, vt apertâ publicâ litterarum Officinâ, pro-

poſitiſque Priuilegiis & Beneficiis, ex omnibus Orbis Chriſtiani partibus ſtudioſos alliceret, allectos Gallicanis fontibus ſimul & animis imbueret, imbutos ad amorem Regni, & ad Religionis Chriſtianæ defenſionem veræque fidei propagationem vnanimiter adunaret. Nec id contigit præter quàm ſperabat. Poſtquam enim vniuerſos populos ſibi ſubditos ſolenni diplomate certos fecit de conſilio quod conceperat, ecce Italia, Saxonia, Germania, totumque Imperium Occidentale vltro ſe ſubmittit, miratuſque eſt vniuerſus pene orbis Chriſtianus factum ſe momento Gallicum; adeò numeroſo examine Græci, Latini, Itali, Hiſpani, Saxones, Germani, Angli Scoti & Hiberni in Galliam ſeſe effuderunt: qui deinde in Patriam remeantes, cæterorum Popularium animos, ſæpe etiam aduerſos ad amorem Caroli Gallorumque conuerterunt. Quam tam facilem promptamque de animis victoriam agnoſcentes Monarchæ Exteri, veritíque ne vlterius progrederetur, eiuſdem exemplo Caroli ſapientiores facti, inſtituerunt ipſi, quanquam non tam felicibus auſpiciis, Academias apud ſe, vt propoſitâ ſimiliter opportunitate ſtudiorum ſubditos ſuos aliquatenus retinerent & à peregrinandi deſiderio auerterent. Hinc Bardas Imperator Conſtantinopolitanam inſtaurauit; Alfredus Anglorum Rex, & ipſe quoque Magnus appellatus, Oxonienſem, euocatis ad id opus Magiſtris Gallicanis inſtituit & plantauit. Eodemque exemplo Carolus Caluus Ludouici Pij ex Iuditha filius, litterarum ruinis, quas regnante Patre turbæ Ciuiles fecerant, reparatis, paterni auitíque Imperij habenas quæ Patruelibus debebantur, recepit, feliciſſiméque tractauit: conſpirantibus in id ſcilicet Italis Romaniſque, qui ſtudij Pariſienſis frequentatione & Gallicano commercio iam diu frui conſueuerant. Quid quòd cùm in imbelles Succeſſorum manus ſceptra Francica deueniſſent, ipſis tractandis Hugo Capetus ſuffectus, eique ob id maximè aſſertum firmatumque ſolium vnanimi Proce-

rum conſenſu, quod Robertus filius litteratus adoleſcens Athenes Francicæ inſtaurandæ ſpem daret, quæ bellis inteſtinis & Normanicis attrita pene conciderat?

Et quid aliud Henricum I. Philippum I. Ludouicum Craſſum, Ludouicum Iuniorem & Philippum Auguſtum contra tot hoſtes à quibus laceſſiti & impetiti ſunt, defendit, immò triumphatores effecit, niſi quia Muſarum Pariſienſium beneficio habebant vbique terrarum amicos, non armis territos, non ambitione conquiſitos, non largitione corruptos, ſed amoris & patrocinij, quod liberis eorum in Muſæo Regio commorantibus præſtabant, vinculis deuinctos & alligatos? Hinc non dubitarunt Guido Manfredi filius & Manfredus filius Pizi, tunc cùm Fridericus Ænobarbus Imperator frendebat aduerſus Gallos qui Alexandro III. ſummo Pontifici patrocinabantur, Ludouico VII. Alb. nepotem ſuum, quem ad Pariſienſe ſtudium tanquam Ad Catholicæ fidei arcem, *mittebant, commendare, & ſtudium in ſuis partibus opemque polliceri. Similiterque Lantgrauius miſſis liberis duobus, eidem Regi non aliunde notus; hoc vno voluit innoteſcere, datâque occaſione ſe ſuaque omnia illi addicere. Adeò certum & potens amicitiæ ſocietatiſque pignus eſt dare liberos obſides. Nec potentius reperit Iulius Sacrouir, vt Galliam à Romanis triumphatam in priſtinam vindicaret libertatem, quàm Æduenſem vrbem occupando, vbi nobiliſſima Galliarum ſoboles, teſte Tacito, ſtudijs operabatur.* Quo facto ſi quid ab eo peccatum eſt, admiſſaque tamen eſt excuſatio neceſſitatis, quantò certius eſt amoris pignus, non vi, non terrore, non carcere, non armis, ſed patrocinio, liberalitate, gratia, priuilegijs obſides liberos detinere?*

Neque verò ad debellandos hoſtes exteros armaque de manibus eorum excutienda ſolummodo contulit Academia Pariſienſis, Eccleſia quoq; Statuſque Gallicani libertates & auita iura, doctrinæ nunquam fatiſcentis clypeo, omni æuo,

omni ſeculo, omni tempore propugnauit; Inuaſores aut inuadere volentes repreſſit, ſchiſmata extinxit, hæreſes debellauit. Non commemoro quid Imperio, quid aliis quibuſdam Regnis acciderit: quid Henricis III. IV. V. Lothario, Conrado & Friderico Ænobarbo Imperatoribus: nihil ſimile contra Galliam attentatum eſt, aut effectum, immò nec contra eos attentatum fuiſſet, ſi ab eis Gallia ſtetiſſet. Etenim nemo eſt tam parum in hiſtoria verſatus, qui neſciat partem in quam ipſa inclinauit, ſemper fuiſſe potiorem. Senſerunt ipſi quos commemorauimus Imperatores, experti ſunt & Pontifices Romani nullum præſentius in ſchiſmatis & tumultibus Italicis ac Romanis comprimendis præſidium patrociniumque eſſe, quàm Gallicanum: nec agnitos ab Eccleſia fuiſſe pro Pontificibus, quos Gallia pro Pontificibus non agnouiſſet. Quo argumento Theobaldus Cantuarienſis Archiepiſcopus Henricum II. Anglorum Regem à partibus Octauianis & à Friderico Auguſto ad Alexandrum III. cui Galliâ fauebat, auocauit & tranſtulit. Eos, *inquit*, in humili caſu præualuiſſe crebra recolimus lectione, quos Gallicana recepit & fouit Eccleſia, & infelicem exitum eorum, quos tentationis impetus introduxit. Sic obtinuerunt temporibus noſtris Innocentius aduerſùs Petrum, Calixtus aduerſùs Burdinum, Vrbanus aduerſùs Vvibertum, Paſchalis aduerſùs tres, Albertum, Maginulfum, Theodoricum, & multi ſimiliter in diebus Patrum.

Longum eſſet ire per omnia ſecula, & quàm multa ſint ope Francorum extincta ſchiſmata, quàm multi Pontifices recreati, commemorare. Qua in re quantam partem eſſe crediderint Academiæ Pariſ. ſatis indicant priuilegia quæ vltro illi nec rogati conceſſerunt, beneficia quæ Magiſtris ipſius contulerunt, dignitates Eccleſiaſticæ ad quas eos promouerunt, intima Curiæ Rom. conſilia, quorum eos participes eſſe voluerunt, ipſe denique Pontificatus ſupremus quo plurimos noſtrorum ſacer Ordo Cardinalium dignos & decorandos eſſe iudicauit. Id tandem agnouerunt Im-

peratores

peratores Rom. qui vt Pontificum à quibus eos ſæpe diſſidere contigit, poteſtatem reprimerent, Vniuerſitatiſque Pariſ. vires deminuerent, Iuris Ciuilis reſtitutione Bononienſem Academiam, Medicinæ profeſſione Salernitanam inſtaurarunt: vt quemadmodum ex omnibus mundi partibus ad Artium Liberalium Theologiæq; exercitia Pariſienſis Vniuerſitas auditores alliciebat; ſic illæ Iurisprudentiæ & Medicinæ amatores attraherent: atque ita, vt diſciplinarum, ſic doctorum mediâ quaſi parte vindicatâ, aut tabeſceret Pariſienſis, aut certè incelebrior & infrequentior foret, partemque longè maximam amitteret authoritatis. Et forſan eueniſſet quod coniecerant, niſi Maiores noſtri cladem iſtam præcauentes juris quoque Ciuilis & Canonici, nec non & publicam Medicinæ profeſſionem in Lycæo Pariſienſi inſtituiſſent.

Verum vt corporibus humanis, ita & Ciuilibus ſui ſunt morbi ſuæque mutationes. Fatendum eſt hanc Regiam Scholam quæ à prima ſui inſtitutione ſeculum nonum iam prope abſoluit, ab ea ingenti fama & frequentia plurimum decidiſſe. Vnde id vero? Tria ſunt potiſſimum quæ commendant Vniuerſitatem, Magiſtrorum fama, diſciplinæ ſcholaris obſeruatio, Principum priuilegia. Equidem nunquam illa florentior fuit, quàm nunc eſt in omni diſciplinarum genere. Florent adhuc in Artium liberalium cultura nouem Gymnaſia diſcipulorum quidem numero, non merito Magiſtrorum inæqualia. Sacer Theologorum ordo nunc maximè, ſi vnquam aliàs, toto orbe prædicatur. Medicinæ profeſſio nunquam & nuſquam viguit floruitque magis. Decretiſtarum collegium reſumit vires frequentibuſq; ſuorum Auditorum exercitationibus ſatis demonſtrat quid ſit ab eo deinceps exſpectandum. Quid ergo nunc ad ſplendorem Academiæ frequentiamque deſideratur? non opes, non honores, non dignitates quas nec quæſiuit vnquam, nec ambit vllatenus, ſortis quippe ſuæ & inſtituti contenta finibus. Aula quæ Beneficiorum & Munerum captatores tam mul-

tos omnis generis & ordinis quotidie videt, videt ab Vniuerſitate ſemel in anno Regiæ Maieſtati Cerei munus offerri, nihil poſtulari, nihil auferri. Quid igitur deeſt? Priuilegiorum integritas; non eorum modo quibus ſecura conſiſtat quietemque habeat à turbatoribus, ſed eorum maximè quibus ſingulariter dotata eſt: iis quippe modis reſtituitur ſplendor, quibus conſtitutus eſt, & eâ ratione frequentia redditur quâ comparata eſt. Illuſtriſſimi Progenitores tui innumeris illam Priuilegiis decoratam eſſe voluerunt. Carolus M. ex vltimis Britanniæ finibus Alcuinum multoſque alios, multos quoque ex Italia exciuit: Caluus Græcos & Hibernos cum Grege Philoſophorum ad publicam eruditionem *ſua celſitudine conduxit, comitate attraxit, dapſilitate prouocauit. Sic illam Ludouicus Craſſus, Ludouicus VII. & Philippus Auguſtus ipſamet Athenienſi, Alexandrinâ & Romanâ florentiorem effecerunt. Eadem ratione conſecuti Reges & ſecuritatem ei conciliarunt & dignitatem amplificarunt: quorum exempla præ oculis habens inuictiſſimus auus tuus Henricus verè Magnus compoſitis rebus partaque pace nihil antiquius habuit in votis, quàm vt Academiam ſuam bellis ciuilibus deformatam ſtatutis legibuſque in antiquum ſplendorem reuocaret & priuilegiorum confirmatione ſolidaret. Tu quoque Rex Paterni auitique in eam amoris æmulus, Imperio Francico ſuccedens eadem authoritate tuâ confirmari voluiſti; ſperamuſque fore, vt quandoquidem totus in Regni tui reformationem incumbis, oculos tandem ad Academiam quoque tuam conuertas, eamque in antiquum ſplendorem dignitatemque reſtituas.*

Quod ſi veterem quoque frequentiam illam reſtitutam cupis, Ecce quo conſilio Carolus M. eam procurauit. In toto Imperio ſuo ſcholas eſſe voluit duplicis generis, priuatas & publicas. Priuatas *in omnibus paſſim Epiſcopiis & Cœnobiis vbi Grammatica, Arithmetica & Muſica ſeu cantandi methodus, aliaque eiuſmodi artium inferiorum*

primordia commodè & minoribus impenſis traderentur. Publicas *quas vulgo Vniuerſitates appellamus in 3 tantum locis; Pariſiis, Bononiæ & Ticini, ad quas è priuatis & minoribus illis qui vellent iam non rudes accedere poſſent, altioribus diſciplinis imbuendi. Ac de Bononienſi quidem & Ticinenſi nihil hic commemoramus. Pariſienſis verò tanta fuit eo etiam regnante, deinde ſub Caluo celebritas & frequentia, tam purus ſanæ doctrinæ alueus, vt non modo Franciæ & Imperio, imo toti Eccleſiæ ſufficere potuerit. Et certè quandiu vnica fuit, non ea viſa eſt in rebus fidei Doctorum diſſenſio quæ deinde, poſtquam multiplices aliæ Vniuerſitates & innumeræ ſcholæ inſtitutæ ſunt aut permiſſæ.*

Quotquot olim diſcendi ſtudio tenebantur, confluebant Pariſios, ibique ex eodem fonte eandem doctrinam hauriebant, nec aliam reuerſi prædicabant. Etſi qui forſan contra id quod didicerant aut aliunde attulerant, ſentire audebant, Magiſtrorum ſuorum numero & communis matris authoritate ſtatim comprimebantur.

Itaque Ioannis Erigenæ, Berengarii, Abaelardi, Gilberti Porretani, Amalrici Carnotenſis errores, quanquam ſuis temporibus tumultus excitarunt, ſectatores tamen aut non habuerunt plurimi aut non diu certè habuerunt. At poſtquam non modò in exteris Regnis ſed in ipſo quoque Gallicano plures Vniuerſitates & Collegia publica inſtituta ſunt, plurima inde Reipub. Eccleſiaſticæ & Ciuili mala promanarunt. Nam imprimis nonnulli Doctores ſuarum potius Vniuerſitatum & Collegiorum quàm Dei & Eccleſiæ honorem quærentes, & quam ſemel animis imbiberunt aut ſuſtinere iuſſi ſunt opinionem, propugnare mordicus contendentes, hæreſes & ſchiſmata alunt ſæpe, Eccleſiamque in apertum diſcrimen propellunt; dum aut nimium rationi tribuentes, fidei meritum extenuant: aut humanæ infirmitati nimis compatientes Ethicam Chriſtianam deprauant.

Sed & policiæ Ciuili aliud malum accidit. Ex ijs nempe quemadmodum olim ex Cornificianorum ſcholis, de quibus loquitur Sareſberienſis, ſcioli multi, pauci docti emergunt. Inde Cœnobitarum ingens multitudo tertiam pene Franciæ partem occupat: inde Rabulæ Forenſes innumeri, Leguleij & Procuratores litium infiniti, qui quia latinè aliquid garrire didicerunt, fodere aut mercaturam facere dedignantes, Regnum familiaſque ſingulas implicant innumeris quæſtionibus & inextricabilibus litium formularumque anfractibus. Inde Aratorum militumque robuſtorum raritas: otioſorum verò Decoctorumque frequentia. inde tandem certiſſima clades litterarum. Etenim quotus quiſque eſt peritiæ ſuæ conſcius, qui cum videt furtiuis eiuſmodi canalibus Alueum exhauriri Pariſienſem, docendi prouinciam ſuſcipere velit? malunt quippe plerique in parua cella ſublimem ſi quam habent ſcientiam includere, vel vnius adoleſcentis priuatæ inſtitutioni incumbere, quàm cum timore paupertatis aut ſolitudinis publicè profiteri. Cui malo, ſiquidem cauſa ſcitur, remedium afferre non eſt operoſum. Quatuor illæ facultates, Artium liberalium, Medicinæ, Iuris vtriuſque & Theologiæ quæ tanta cum ſedulitate, methodo & peritia docentur, non minus deſiderium exteris excitant ſciendi quàm olim: nec litterarum amor minor eſt hodie quàm olim; nec minus certè frequentabitur ab Anglis, Scotis, Hibernis, Italis, Græcis, Germanis, Polonis, Danis, Suecis hæc Academia quàm olim, ſi par honor litteris reddatur qui olim, par quies earum Profeſſoribus: ſi ſcholæ Forenſes antiquis finibus coërceantur: vno verbo ſi antiqua priuilegia ipſi Vniuerſitati eiuſque ſcholaribus & Magiſtris reſtituantur. E Regia Nauarra.

TVÆ MAIESTATI,

Deuotiſſimus Cliens & ſubditus,
CÆSAR EGASSIVS DV BOVLAY.

LECTORI BENEVOLO.

SOEpe queſtus ſum apud me, nec vllus eſt qui non miretur ipſe ſecum, quid ſit quod Vniuerſitatis Pariſienſis toto orbe tam prædicabilis tamq; decantatæ Hiſtoriam nemo hactenus contexere aggreſſus fuerit. Id ſi quis alius ante nos feciſſet, haberes, AMICE LECTOR, Opus longè accuratiùs elaboratum & perpolitum, curioſaque inueſtigatione magis commendabile. Inimus viam non ante tritam vlli, nec calcatam. Veremurque ne nobis id eueniat, quod iis quibus iter eſt per ſyrtes, aut qui primi prætentant profundum, quibus ſæpe hauriri contingit arenæ vorticibus & aquarum. Id verò Maiorumne prudentiæ adſcribas an deſidiæ, tu videro. Certè hi ſi forte crediderint temerarium eſſe tanti operis ſuſceptum, non videtur excuſabilis eorum incuria, quod tam multa tamque memorabilia quæ ſuis temporibus acciderunt, obliterari paſſi ſint: ſicque ſuſcipiendi operis deſiderium Poſteris, ſpemque ſucceſſus ademerint. Satis enim tute ipſe coniicis, quantæ difficultatis quamque immenſi laboris ſit nouem prope ſeculorum geſta replicare, hoc eſt perluſtrare labyrinthum tot inextricabilibus inuolutum & implicitum erroribus, nullo filum porrigente. Reuera Scholæ Franciæ ſeu Pariſienſis meminerunt è veteribus nonnulli, ſed ingenti in opere nonnunquam vnico loco, idque ſæpe verbulo tenus, aliud cogitando, aliud ſcribendo & per tranſennam. Hinc ſi bene affectus accedis & beneuolus, habes vnde conatum noſtrum laudes, qualiſcumque futurus ſit ſucceſſus; excuſes quoque, ſi deſiderio tuo & expectationi non planè ſatisfacimus. Nolumus enim, quod legitimè tamen poſſemus, ingentes occupationes noſtras prætexere & defectum otij ac temporis, cuius longè maximam partem rapiunt ſibi negotia publica Vniuerſitatis. Imò fatemur ingenuè, quod ſi quid otij diuturnæ profeſſioni Rhetorices, ſi quid negotiis quibus nos aut publica aut priuata neceſſitas vacare compulit, à 15. prope annis ſuffurari potuimus, id totum conquirendis Manuſcriptis, inſtrumentis, monimentiſque publicis, Authorum teſtimoniis colligendis applicauimus & inſumpſimus. Nec inutilem videbis laborem noſtrum in voluminibus quatuor aut quinque reliquis quæ tibi præparantur: At in his duobus quæ prodeunt in lucem, quæque præmittere neceſſe

fuit, omnino labor ingratus extitit, licet immenſus: quippe quantacunque ſedulitate & diligentia vetera manuſcripta conquiſierimus, veteres quoque Authores euoluerimus, non inde tamen aſſequi potuimus, vnde tibi & nobis fieret ſatis. Sed id commune malum eſt omnibus fere vetuſtis corporibus, neſcire ſuam originem. Si tempus veritatis parens aliquid detexerit, quod certius ſit, & iis quæ ſcripſimus, conforme aut conſimile, addendo ſuccenturiabis; ſi contra, ignorantiam noſtram excuſando corriges & emendabis. Si quid à nobis in ea re peccatum eſt, non ex animo certè peccatum exiſtimes: à quo crimine longè abſumus.

Vt autem totius operis conſilium habeas, accipe hæc paucis. Priuſquam hiſtoriam aggredimur, nonnulla præmittimus de vetuſtiſſimis Galliarum Academiis, vt pateat Vniuerſis Galliam noſtram ab omni æuo litteratam fuiſſe litterarumque cultricem, nec à veteribus abs re dici *facundam* ac eloquentem, *elatoque cothurno* incedere. Earum autem aliquæ vetuſtiſſimi ſunt inſtituti & Aboriginum Gallorum: quales fuerunt Druidenſes, & Maſſilienſis Græcorum Phocenſium. Aliæ à Romanis erectæ, quales ſunt Narbonenſis, Toloſana, Burdigalenſis, Lugdunenſis, & aliæ nonnullæ: quas quidem omnes perpetuâ ſeculorum ſerie ab ipſa Gallicanæ Gentis origine magnam famam, celebritatem & frequentiam conſecutas fuiſſe teſtantur Annales omnium temporum, & nemo ambigit; donec circa an. Chriſti 500. inundantes non in Galliam modò ſed in Italiam & Hiſpaniam Barbari indicto Muſis ſilentio publicam earum profeſſionem ſuſtulerunt.

Veteribus illis quas inſtituit Gentilis curioſitas, ſucceſſerunt Epiſcopales & Cœnobiticæ, ſed in occulto, nec niſi Clericis & Monachis diu patuerunt. Quippe Principibus barbaris & illitteratis odio erant litterati ſeculares, ob idqueab omni munere publico arcebantur. Hinc fœda barbaries Galliam occupauit, donec Carolus verè Magnus ſciendi appetens, iacturamque iſtam & Gallicani nominis dedecus ferens iniquo animo, reuocatis quaſi poſtliminio Muſis, & accitis vndequaque earum Cultoribus Ludum Publicum in Palatio Pariſienſi patere voluit, ad eumque ſubditos ſuos omnes datis litteris inuitauit & proprio exemplo incitauit. Ab eo ergo iuxta communem & veram Scriptorum ſententiam ducimus Vniuerſitatis Pariſienſis inſtitutionem & originem. Nec ſatis mirari poſſumus ſecus veniſſe nonnullis in mentem, non infimæ certè notæ Scriptoribus; cum luce meridianâ clarius ſit ab ætate Caroli M. ad hæc vſque noſtra tempora publicum fuiſſe Pariſiis litterarum exercitium, illudque celeberrimum & frequentiſſimum. Quod quidem ipſâ ſeculorum & temporum ſerie Chronologicaque fide apertè demonſtratur. Vnum eſt quod eſſe videtur incertum, quæ fuerit primitus Reipub. noſtræ litterariæ adminiſtratio, quæ forma, qui ſtatus: ob idque ad calcem primi ſeculi diſſertationes nonnullas tibi proponimus, vt ex comparatione cum veteribus Academiis tam Ethnicis quàm Epiſcopalibus & Cœnobiticis, & ex eo ordine qui in ipſa cernitur Vniuerſitate, habeas quid tenendum ſit. Diuinant

enim profectò qui putant initio complures vndequaque concurriſſe Magiſtros & Scholares, nullaque communi ſocietate initâ ſingulos Scholas ſingulares per 400. circiter annos exercuiſſe, donec ſub Philippo Auguſto vnum corpus compoſuerunt, certiſque legibus & ſtatutis ſtabilierunt. Iſtud dicere, diuinare inquam, eſt; nam regnante quidem Philippo formam Reipub. certam & ſtabilem habuit Vniuerſitas, ſed non nouæ inſtitutionis; nec, cum tam multi illorum temporum ſcripta ſua ad nos tranſmiſerint, ipſique etiam ſcholarum Pariſ. frequentiam prædicent, vllus meminit Reipub. litterariæ tanquam recens inſtitutæ: vnde recurrendum eſt neceſſariò ad primordia & ad ipſum fundatorem; vt & in aliis multis, quorum vſus perpetuus cernitur abſque initio. Sed vt ſe res habeat de tempore deque authore iſtius Reipub. magni çertè ingenij fuit ſingulariſque prudentiæ iis fundamentis Vniuerſitatem ſolidare, quibus inconcuſſa fuit hactenus omneſque procellas & tempeſtates eliſit.

Atque vt quem in haccce componenda Hiſtoria tenuimus Ordinem, exploratum habeas, ſcito nos commodo tuo conſulentes & faſtidio volentes occurrere, Chronologiam inſtituiſſe rerum memorabilium, vt quid ſingulis ſeculis; imo quantum fieri poterit, quid ſingulis annis contigerit, facilius intelligas. Eumque ordinem à remotioribus ſeculis & ab ipſis incunabilis Vniuerſitatis deducimus, ne tibi nouum videatur quod leges poſterioribus & plenioribus temporibus accidiſſe. Sic agnoſces, quæ ſint primæua ipſius membra; quæ adminiſtratio antiqua, quæ & à quibus pendeat Rectoris Electio, quæ eius dignitas & Iuriſdictio: quando & quamobrem duo Cancellarij inſtituti, cum in cæteris Academiis vnicus tantum eſſe ſoleat: quodnam eorum munus & vnde. Item quando ſummi Pontifices huic Regiæ Scholæ ſua cœperint impertiri priuilegia: quando à Regibus, quando à Pontificibus Regiorum Apoſtolicorumque Priuilegiorum Conſeruatores ad quietem tranquillitatemque ſtudiorum dati. Quod forum, quæ Curia vtriuſque Conſeruationis. Sic cæterorum Magiſtratuum & publicorum priuatorumque Miniſtrorum munia intelliges. Item quæ diſciplinæ initio exercitæ, quæ aliæ & quo tempore additæ. Quando primum ex 4. Nationibus Vniuerſitas conſtiterit, quando & quâ occaſione ſuperiores, vt vocant, Facultates eidem acceſſerint. Referimus quoque, quæ fuerit in ſingulis Seculis Scholæ Pariſienſis celebritas, quæ fortuna, quis ſtatus. Item Comitiorum ſolemnitatem, ſupplicationum publicarum pompam, ſtatuta, decreta, priuilegia, iura, immunitates. Nec omittimus commemorare quæ ex ea Academiæ aliæ ortæ tam Gallicanæ quàm externæ: quæ Ordinum Religioſorum propagines eductæ. Et quia medium quoddam ſemper Corpus fuit inter Eccleſiam & Regnum, referimus quid in vtroque inſigniter notabile contigerit, in cuius partem illa venerit, aut veniſſe meritò exiſtimetur. Hinc Quæſtiones & diſſertationes celeberrimas ad vtrumque pertinentes, pompas ſolennes, Conſilia Regnorum, Conuentus Doctorum, Comitia Generalia & Nationa-

in quibus interfuit, hæreſes quas confixit, ſchiſmata quæ extinxit, iura Regni quæ propugnauit, libertates quas ſuſtinuit, tractamus. Nec nudè illa aut verbo tenus & breuiter, teſtimoniis authenticis inſtrumentiſque publicis ſeruato ſemper ordine Chronologico à Carolo M. ad tempora noſtra deducentes confirmamus. Præterea ad calcem ſingulorum ſeculorum ſynopſim addimus, vt ſi nolis ſingula, quæ ſecundum annorum ſeriem conſcripſimus, legere, compendioſe habeas, & veluti in tabella quis fuerit ſtatus, quæ fortuna Vniuerſitatis in ſingulis. Denique Illuſtrium Academicorum & Mecenatum ac Patronorum qui de litteris & litteratis bene meriti ſunt, Catalogum ſubiungimus, ne quoniam alia multa minoris momenti dicendo perſequimur, eorum memoriam neglexiſſe videamur ad poſteros tranſmittere. Sic habes hiſtoriam quodammodo vniuerſalem, quia Matrem tibi proponimus Vniuerſalem.

Duo verò tibi forſan in hoc opere præcipuè reprehendenda videbuntur: nec diſſimulamus, quia & ipſi præuidimus. Vnum eſt, quod nimis multa interſeruerimus ad Vniuerſitatis hiſtoriam non pertinentia. Alterum, quod in rebus etiam Vniuerſitatis nimis numeroſam congeſſerimus Inſtrumentorum & teſtimoniorum ſeu authoritatum multitudinem; quæ res indicat & arguit inopiam dicendorum. De primò conſuluimus diuerſos & diuerſa ſentire comperimus. Facti tandem cauſam hanc aut excuſationem accipe. Imprimis nihil eſt quod tantopere faſtidio ſit legenti, quàm in eadem materia ſemper animum mentemque detinere. Varietate paſcitur animus non minus quam ſenſus. Non placet oculis tabella vnius coloris, nec Pratum aut hortus vnius floris, non eſcæ linguæ vnius ſaporis; non cantus auribus eiuſdem tenoris. Deinde Eccleſiæ & Regno ſæpe contigit pro variis rerum concurſibus & euentibus operâ indigere Vniuerſitatis: ob idque non putauimus omnino eſſe abs re vtriuſque ſtatum breuiter contexere, vt inde pateat quis locus fuerit amplificationi vel detrimento litterarum; quæ occaſio & vnde materia Quæſtionum, diſputationum & diſſertationum. Etſi quæ ſunt alia omnino parerga, vt nobis non diſplicent, ita nec curioſis ſaltem omnibus diſplicitura credidimus. Cæterum qui nolet ea legere, abſque diſpendio præterire poterit, leuis eſt iactura papyri, nimiſque miſerum & meticuloſum putamus perituræ parcere chartæ, ſi nihil inde mali euenturum ſit, & ſpes affulgeat aliqua profectus. Inſtrumentorum autem teſtimoniorumque & authoritatum multitudinem congerere hæc nos ratio impulit, quod quiſquis ſcire deſiderat, omnia cuperet vno volumine contineri, ne mutando libros & conſulendo variorum authorum loca, tempus terat inutiliter. *Cæterum quæ abundant, non vitiant*, vt vulgò dicitur. Conuiuium tibi ex variis dapibus inſtruximus, accipe quæ ad guſtum magis ſapient, alius alias. *Poſcuntur vario diuerſa Palato.* Si tamen Propoſitum noſtrum intellexerimus omnino tibi diſplicere, in aliis voluminibus quæ tibi cuduntur, pollicemur emendationem. Vno verbo.

——Si quid noviſti rectius iſtis,
Candidus imperti, ſi non, his vtere mecum.

TABVLA
PRÆCIPVORVM CAPITVM
in I. Volumine contentorum.

De vetuſtiſſimis Galliarum Academiis, vbi de Samotheis Sarronidis, Bardis, Druidis. 1. 2. 3.
De Academiis & Doctrina Druidarum. 5
De Religione & Sacrificiis Druidarum. 10
De Legiſlatione & priuilegiis Druidarum. 15.
De Academia Maſſilienſi. Vbi de Phocenſibus, de variis eorum Artibus, Doctrinis & profeſſionibus: deque lingua veterum Gallorum. 16. & ſeq.
De Academia Æduenſi ſeu Auguſtodunenſi. 25
Diſſertatio ibi de Scholis Æduenſibus & Cliniienſibus. 29
De Academia Narbonenſi. Vbi de Ara Narbonenſi. 33
De Academia Toloſana: vbi de Inſtitut. Ludorum Floralium. 39
De Academia Burdigalenſi. Vbi de variis eius ſcholis in omni diſciplinarum genere. 46
De ſchola Pictauienſi. 55
De ſchola Aruerna. 57
De ſchola Treuirenſi. 58
De ſchola Veſontina. 58. 59
De Academia Lugdunenſi. Vbi de famoſa Ara Lugdunenſi ludiſque miſcellaneis. 59.
De regimine veterum Academiarum. Vbi de Inſtitutoribus, Rectoribus, Gymnaſiarchis, Regentibus ſeu Profeſſoribus eorumque Receptione, Honorario, Priuilegiis de Scholaribus, Conuictoribus & Burſariis. 66. & ſeq.
De ſcholis Cænobialibus eorumque regimine. 79
De ſcholis Epiſcopalibus earumque regimine. 81
De ſcholis Pariſienſibus ante Carolum Magnum. 84
De Inſtitutione ſeu Fundatione Vniuerſitatis Pariſ. per Carolum Mag. vbi de ſcholis publicis & priuatis. 19
Vniuerſitatis Pariſ. Fundationem deberi Carolo Mag. probatur authoritate Scriptorum primæ ætatis, qui floruerunt ab an. circiter 800. ad an. 1200. 100
Idem probatur authoritate Scriptorum mediæ ætatis ab an. 1200. ad an. 1400. 111
Idem probatur authoritate Scriptorum poſtremæ ætatis ab an. 1400. ad an. 1600. 115.
Reſpondetur rotionibus Quorundam Scriptorum contra Carolinam Fundationem. 121.

I. SECVLVM VNIVERSITATIS PARISIENSIS AB AN. CIRciter. 790. ad an. 900.

HÆreſes ab Alcuino & aliis Academicis confixa. 134
Miſſa Gallicana. 141
De Scriptorum librariorum officio. 142
Schola publica ſeu Vniuerſitates, Pariſienſis, Ticinenſis & Bononienſis. 159
Clades litterarum. 167
Hiſtoria Gotheſcalci. 178
Academia ſeu Vniuerſitatis Conſtantinopolitana inſtauratio. 176

I

Nnndina Indictales S. Dionyſii, vbi de Iure pergamentario Rectoris Vniuerſ. Pariſ. & Minernali quod Indictale *Gall.* Lendit. *Statns Vniuerſitatis Pariſ. ſub Carol Caluo.* 195
Diſſertatio de Hiſtoria S. Dionyſii Areopagita. 198
Schola Remenſis inſtitntio. 21
Vniuerſitatis Oxonienſis Inſtitutio per Magiſtros Pariſienſes, vbi de eius regimine & Collegiis. 210
Synopſis I. Seculi. De Fortuna & Statu Vniuerſitatis Pariſ. 232
Hareſes I. Seculi. 233
Fauor Principum erga Vniuerſitatem Pariſ. 234
Priuilegia à Carolo M. Vniuerſitati conceſſa. 235
Diſſertatio de Nunciis maioribus & minoribus Vniuerſitatis eorumque officio. 237.
Maiorum Nnnciorum inſtitutio, cauſa & neceſſitas Inſtitutionis. Sodalitium eorundem apud Mathurinenſes. 239
Diſſertatio de ſtipendiis Magiſtrornm & nominationibus ad Beneficia. 241
Diſſertatio de Prato Clericorum. 244
De Statu Vniuerſitatis in I. Seculo. 249
Regimen Vniuerſitatis. 249
Nationes, & Facultates Vniuerſitatis: & de earum antiquitate. 250
Procuratores Nationum. 252
Diſſertatio de Rectore Vniuerſitatis. 257
De Iudice & Conſeruatore Priuilegiorum Vniuerſitatis. 265
De Epiſcopo Pariſienſi, quo ad regimen Vniuerſitatis. 267
De ordine Vniuerſitatis in Exequiis Regum & ſolennibus ſupplicationibus. 270
De Cancellariis Vniuerſitatis. 272
De Munere Cancellary Pariſienſis. 277
De Generibus Diſciplinarũ primi ſeculi. 281
Diſſertatio de antiqua promotione ad Magiſterium in Vniuerſitate Pariſienſi. 284

II. SECVLVM AB AN. 900. AD AN. 1000.

Schola Turonenſis. 290
Academia Cãtabrigienſis inſtitntio. 291
Normanorum in Neuſtria habitatio. 296
Nationum duarum, Normanica & Picardica ad Vniuerſitatem Pariſ. acceſſio. 297
Vbi rurſus de Antiquitate Gallicana & Anglicana. ibid.
Aureliacenſis Cœnobij fundatio. 298
Schola Cœnobiales 2. ſeculi. 310
Hirſangienſis. San-Gallenſis, Fuldenſis, Lobienſis, Aureliacenſis, Floriacenſis. 311. 312. *& ſeq.*
Academia Pariſienſis ſtatus. 313
Schola Leodienſis. 315
Academia Iudæornm, Sorana & Pumbedithana. 316
Rurſus de Prato Clericorum Vniuerſitatis Pariſ. 324
De Gerberto Aquitano. 333
Synopſis II. Seculi. 344
De fortuna & ſtatu Vniuerſitatis Pariſienſis. ibid.

III. SECVLVM AB AN. 1000. AD AN. 1100.

Origo Hæreſeos de Myſterio Euchariſtico. 354
Schola Carnotenſis ſub Fulberto. 356
Scholæ Remenſis ſtatus. 360
Hæreſis Aurelianenſ. Manicheor. ſub Roberto Rege damnata. 363
Quæſtio de Apoſtolatu S. Martialis Pariſiis & alibi agitata. 372
De ſtatu Vniuerſitatis Pariſienſis ſub Rege Roberto. 383
De Rectoris Electione, Dignitate & Anthoritate. 385
De Cancellariis. 385. 389
De Ornamentis Pellium in Pallio Rectoris & Procuratorum Nationnm. 391
Burſariorum inſtitutio. 392
Parium Franciæ inſtitntio. 395
Cardinalium Rom. inſtitutio. 400
De Berengario & Lanfranco. 410
Concilium Brionenſe in Normania contra Berengarium. 419
Concilium Pariſienſe contra Berengarium. 420.
Concilium Vercellenſe contra eundem. 422
Turonenſe contra eundem. 424
Romanum ſeu Lateranenſe contra eundem. 425.
Andegauenſe contra eundem. 438
Pictauienſe.
Burdigalenſe.

Google

Adelmanni & Hugonis Lingonenſis Ep. contra Berengarium.
Arnulſi ad Lambertum de Quæſtionibus Euchariſticis.
Origo Nominalium & Realium. 445
De Primatu Lugdunenſi. 445
Origo Ord. Carthuſienſ. vbi diſſertatio de Canonico Rediuiuo. 467
De Schola Salernitana. 478
De Doctrina Roſcelini Nominalium Antiſtitis. 485
Synodus Sueſſionenſis contra Roſcelinum. ibid.
Diſſertatio de filiis Presbyterorum ad Ordines & Beneficia Eccleſ. promouendis. 489
De Expeditione Hieroſolymitana & Concilio Claromontano. 494
Origo Ciſtercienſis Ordinis. 502
Collegium Octodecimanum prope Atrium Baſilicæ Pariſienſis. 503
Synopſis 3. Seculi.
De fortuna Vniuerſitatis Pariſ. in 3. ſec. 506.
De Hereſibus. 3. ſec. 507
De amore & fauore Principum erga Vniuerſitatem. 508
De Statu Vniuerſitatis in 3. ſec. 510
Methodus docendi. 511
Scholæ Prouinciales. 520
Oppidanæ, Cœnobiticæ, Epiſcopales, ibid.
Remenſis, Leodienſis, Aurelianenſis, Turonenſis, Andegauenſis, Engoliſmenſis, Carnotenſis, Laudunenſis. 524
Diſſertatio. De Mercede & Honorario Magiſtrorum ſeu Regentium. 524
De Moribus 3. Seculi. Et ibi de Iudiciis Publicis aqua calida & ferri candentis. 532
Catalogus Illuſtrium Academicorum in 3. Seculis primi voluminis contentorum. 542.
Index rerum & Verborum.

F I N I S.

Summa Priuilegij Regis Chriſtianiſſimi.

LVDOVICI XIV. Franciæ & Nauarræ Regis Chriſtianiſſimi diplomate cautum eſt, ne quis in ſuo Regno locisve ditioni ſuæ ſubiectis intra decem annos à die Impreſſionis primæ inchoandos excudat, vendat, excudendum vendendumque curet librum, cui titulus eſt, *Hiſtoria Vniuerſitatis Pariſienſis*, Opera CÆSARIS EGASSII BVLÆI, antiqui Rectoris eiuſdem Vniuerſitatis. Vt amplius eodem diplomate cauetur, Dato Pariſiis 15. April. an. 1663. Signatum, Per Regem, LE GROS.

Idem verò Bulæus ius ſuum tranſtulit in Franciſcum Noël, Typographum & Librarium iuxta pactum inter eos initum.

In publicas Typographorum, ac Bibliopolarum Pariſienſium Societatis tabulas relatum, 22. Martij 1664. E. Martinus Syndicus.

Hæc prima Editio abſoluta fuit die vltimâ Septemb. an. Domini 1665.

Pag.	Lin.	Errata.	Correcta.
9.	44	qua loqoebantor	quam loquebantur
40	35	honore	hortore.
47	18	Parentandum eſſe qoor	parentandum eſſe iis quos
55	13	præuilegia	priuilegia.
68	56	So lonem	Sophoclem.
76	2	penſiare	penſitare
ibid.	17	certæ Gentis	certè gentia
.....	50	ſinceritus	ſinceritas
78	11	fecit	feci.
103	39	verca	verba.
107	15	dizimus	dicimus.
109	41	1001.	1101.
.....	48	1134.	1138.
113	54	prorofitio	propoſitio.
121	58	poſt *eiuſdem Caroli* adde	exemplom.
134	1	Publicam Emporinm	publicum.
144	40	de verbo verbum	ad verbum.
156	53	victoriſſimis	victorioſiſſimis
161	47	priuatas	priuatis
162	34	poſt *Romanorum* adde	aditus.
173	50	facete	facere
175	3	affluit	affui.
179	6	conſuletat	conſuluerat
181	19	vncatam	vocatum
202	2	Patrueles	Patruelis
211	45	opprime	apprime
233	47	bellum imaginiBns	pro imaginibus.
251	16	Apuſtolia	Apoſtolica
		iſta	ita
256	58	prouidebat	præoidebat
260	23	quem	quàm.
263	30	implicitati	ſimplicitati.
272	42	1010.	1058.
284	9	ſcriptinoe	ſcriptione
287	34	dem	fidem.
288	39	gennit	gemuit.
294	53	Manno	Mancio.
305	17	cona	conatu
310	47	ſionibus	ſeſſionibus.
.....	51	agitationas	agitatinnes.
315	3	in Eccleſias	in Eccleſia S.
318	14	depoſitn Leone	depoſito Ioanne Leonem
.....	22	Sazoniam relegat	io Saxooiam
312	40	immunitas	immanitas.
.....	50	fanete	fauere.
.....	57	&	ex.
326	39	pro quamlibet	per
327	1	valentes	volentes.
339	24	Henrico IV.	Henrico VI.
.....	38	dede	dederit.
.....	53	interpertem	interpretem.
341	28	illi	ille.

Pag.	Lin.	Errata	Correcta.
346	1	Pariſienſis	Pariſius
.....	17	aptaquiuir	aptaoit qui.
.....	40	ſubtilitatem	ſubtilitarum.
350	58	diſciplinæ	diſciplioam.
355	49	Fulbotus	Fulbertus
370	55	Vvillielmus	& Vvillielmus
375	1	ille	illi
381	4	Bituricenſi	Burdigalenſi
393	56	ſequentor	ſequuntur.
394	11	appellatur	appellantur.
401	12	deum	dum
405	17	eatrema	earremas.
413	55	Genere Ædua	Gente Ædua.
418	14	noninde	tolle non
429	38	ac damnabilem	tolle ac
455.	52	In concilio tantum	tolle tantum
456	1	Ædunenſis	Ædueoſi
459	16	rennuattauit	renunciauit
466	43	Bertbrada	Bertha
468	11	dilapidant	dilapidare.
470	28	indieaui	indicare.
....	30	diſerto	diſerte
479	1	nm	tam.
493	32	ſibi	tibi
494	44	coactus fuerit	adde ire coactus
509	12	Cardinilibus	Cardinalibus
512	44	Connificium	Cornificinm
524	24	potera	poterat.
527	39	ἐξεπεϱξανς	ἐξεπερξαντο
532	44	Eſt	Aſt
547	22	ocamus	vocamus.
551	31	tua	tuba.
553	31	pugillari	pugillari
554	18	Sazonicæ carmina	Sazonica
559	1	imbibi	imbibit.
566	57	ſcriptura dictæ	ſcripturæ dicta.
567	51	au	in
568	35	Abbatis	Ablatis.
574	13	fide	fine
584	24	potiut fuſſie	potuit fuiſſe.
586	19	poſt dubitatur pone.	videtur certè
.....	56	ſpiritalis	ſpiritali.
587	10	à Ro. Pontifici	Pontifice.
....	11	omnite	omoi re
595	16	quem geotis ſuæ	Gentiſq; ſuæ.
608	14	opitius lante	opitulante
609	10	aperire	aperui.
619	50	cœna celebranda	cœnæ celebrandæ
630	1	difficultat	difficultate
....	54	manlerut	manſeruot.
637	57		

Cæteraerrata quæ occurrent, facile tute ipſe corriges, & virgulas & puncta malè poſita tranſpoſitioneſque loco mouebis.

DE
VETVSTISSIMIS
GALLIARVM
ACADEMIIS.

SI Gallicanæ Gentis Hiſtoriam replicare lubet ad primam vſque originem, reperiemus progenitores noſtros, antiquiſſimos & poſt diluuium primos Galliarum incolas cum eximiâ laude & dignitate Diſciplinas omnis generis exercuiſſe. Quod quidem certè non parum facit ad commendationem noſtræ Gentis. Cæteri enim ferè omnes populi initio rudes & barbari, paulatim & procedente tempore ſiluestrem ferinumque victum edomuerunt, Artiumque tandem beneficio mitigarunt: at ſtatim, vt à Gomero Iapheti filio (à quo Gomeritæ, teſte Ioſepho, primùm dicti ſunt Galli) ſeu vt alij volunt, à Samothe habitata eſt Gallia, cœperunt artes coli, ac diſciplinæ omnis generis exerceri. *Samothei.*

Samothes enim, ſeu frater, ſeu filius Gomeri, & nepos Iapheti filij Noë, cui Europa in diuiſione terrarum obtigerat, anno poſt diluuium circiter 140. à Gomero, ſeu ab Aſchenaſe, (quem Cluuerius in ſua Germania l. 1. c. 4. totius plagæ ſeptentrionalis Dominum facit) Rex Galliarum conſtitutus, animarum immortalitatem primus docuit, vſumque litterarum, Philoſophiæ præſertim & Aſtrologiæ. Quam Doctrinam vt tranſmitteret ad poſteros fideliter, inſtituiſſe dicitur Sacerdotum Profeſſorumque Collegium, quos Samotheos nominauit. Quamobrem autem hanc Europæ regionem appellauerit Galliam, alij alias rationes afferunt. Nonnulli à voce Hebraïca Gallim nomen deriuant: quod eſt *tranſnauigantes*, aut *diſcooperientes*: cuiuſmodi ſunt, qui ſulcant æquora, littus radunt, & vt vulgus loquitur, plagas diſcooperiunt, ſeu detegunt. Hinc genus nauiculæ dictum *Gallion* & *Gallere* ratem nempe remigatam, quæ ab inundatione tutos facit. Ita & Gallos dictos, quaſi ſuperantes aquas, quia Arcæ beneficio Noëmus, & ipſius liberi aquas Diluuij ſuperarunt. Alij Galliam, quaſi Galatiam à γάλα dictam putant, ſecuti Virgilium, qui *Lactea colla* Gallorum vocat. Hinc Robertus Antiſſiodorenſis Monachus in ſuâ Chronologiâ, *Gallia*, inquit, *à candore populi nuncupata eſt; γάλα enim Græcè lac dicitur. Montes enim & rigor cœli ab ea parte Solis ardorem excludunt: quo fit, vt candor corporum non coloretur.* Diodorus à Galata Herculis filia Galatiam, inde Galliam dictam putat. Bodinus ſatis ridiculè ab his vocibus *Où allons-nous?* vnde *les Oüallons*, Latinè *Guallones & Galli*. Fingit enim Gallos propter exundantem populi multitudinem in Gallia non valentes amplius conſiſtere, à Ducibus peregrè ductos, & inter eundum ſeſe mutuo interrogare ſolitos, *Où allons nous?* Frigidè quoque Cluuerius à Celtica voce Gallen, hodie Wallen, Gallicè *aller* iter facere, propter eandem rationem. Nam antequam Bellouesſus & Sigoueſus regnarent, quorum ductu Gallorum pars in Italiam, pars in Illyricum, atque inde in Græciam & Aſiam, pars

in Germaniam delata eſt, credibile eſt hanc Regionem, Galliæ nomen obtinuiſſe. Atque idcirco non exiſtimauerim eorum opinionem eſſe reiiciendam, qui vocem ab Hebræo ductam arbitrantur, cum, vt infra dicetur, primigenia Gallorum lingua, Armenica ſeu Hebraïca fuerit. Sed de voce hactenus.

Sarronidæ. Sarron Rex Gallorum tertius, Samethæ, vt aiunt, nepos, & filius Magi ſeu Magog (à quo Philoſophos quoque Magos & Magiam deriuant) aui exemplum imitatus, Sarronidas inſtituiſſe dicitur, aliud Philoſophorum & Theologorum Collegium: quem Forcatulus lib. 1. de Gallorum Imperio & Philoſophia, ſcribit Imperij ſui fines armis prolataſſe, & ad Garumnæ ripam poſitis finibus, paratâ pace litterarium ludum Scholaſque totius Regni & Orbis forte primas poſuiſſe, bonis auibus & felicitati ſempiterno fœdere conſecratas. Fuit itaque, inquit, SARRON REX ACADEMIÆ GALLICANÆ IN EVROPA OMNIVM CVLTISSIMÆ ERVDITISSIMVS FVNDATOR.

Inſtituit & Dryus Sarronis filius Druidas tam celebres in hiſtoria: & Bardus Bardos, qui virorum illuſtrium facta verſibus & lyricis inſtrumentis canebant. Ita fuerunt 4. Gallorum Sacerdotum Collegia, Samothei, Sarronidæ, Druidæ & Bardi. Sed ſiue Samotheorum memoria obliterata ſit temporum lapſu, ſiue cum tribus aliis ordinibus confuſi & permixti fuerint, nihil de iis fere apud ſcriptores Latinos aut Græcos reperimus.

Nonnulli quinque faciunt & diſtinguunt genera Sacerdotum: Sarronidas, Bardos, Eubages, Druidas & Cauſidicos: quibus diuerſa tribuunt officia. Sarronidis inſtructionem iuuentutis; Druidis Sacerdotia & res ſacras: Eubagibus diuinationes: Bardis poëticam artem, & celebrandæ virorum illuſtrium memoriæ curam: Cauſidicis denique iudiciorum exercitium.

Alij tres tantum ordines conſtituunt, quos vocant Bardos, Vates & Druidas: de quibus ſic Diodorus lib. 5. *ſunt*, inquit, *apud eos* (Gallos) *Carminum Poëtæ, quos Bardos vocant*, οὓς βάρδους ὀνομάζουσι: *hi ad inſtrumenta lyris non diſſimilia aliarum laudes, aliorum vituperationes decantant. Philoſophi etiam quidam ſunt & Theologi, eximio in honore habiti, quos Druidas appellant. Sed & Vates, magnæ apud eos exiſtimationis*, χρῶνται δὲ καὶ μάντεσιν: *hi auſpiciis & victimarum extis de futuris prædicunt, omnemque plebem dicto audientem habent.*

Similiter Strabo tria tantum illa genera conſtituit & diſtinguit lib. 4. Geogr. παρ' ἅπασι δ' ὡς ἐπίπαν τρία φῦλα τῶν τιμωμένων διαφερόντως ἐστί, βάρδοι τε καὶ Οὐάτεις καὶ Δρυΐδαι. Βάρδοι μὲν ὑμνηταὶ καὶ ποιηταί. Οὐάτεις δὲ ἱεροποιοὶ καὶ φυσιολόγοι. Δρυΐδαι δὲ πρὸς τῇ φυσιολογίᾳ καὶ τὴν ἠθικὴν φιλοσοφίαν ἀσκοῦσι, δικαιότατοι δὲ νομίζονται, καὶ διὰ τοῦτο πιστεύονται. τὰς δὲ ἰδιωτικὰς κρίσεις, καὶ τὰς κοινὰς ὥστε καὶ πολέμους διῄτων πρότερον, καὶ παρατάττεσθαι μέλλοντας ἔπαυον. τὰς δὲ φονικὰς δίκας μάλιστα τούτοις ἐπετέτραπτο δικάζειν. θύουσι δὲ οὐκ ἄνευ Δρυΐδων. ideſt *apud vniuerſos tria fere hominum genera in ſingulari habentur honore, Bardi, Vates ac Druidæ. Bardi hymnos canunt, carminaque conficiunt. Vates ſacra curant, naturamque rerum explicant. Druidæ præter naturalium ſcientiam etiam de moribus d[i]ſputant. De horum iuſtitia ſumma eſt omnium opinio. Itaque & priuata iis & publica iudicia committuntur: uti etiam bella iam aciebus congreſſuris componunt. His maximè iudicia quoque de cædibus committuntur. Cæterum ſacra nulla ſine Druidis ſunt.*

Inter ſcriptores Latinos eorundem trium ordinum meminit Marcellinus lib. 15. *Per hoc loci*, inquit, *hominibus paulatim excultis viguere ſtudia laudabilium doctrinarum inchoata per Bardos, Vates & Druidas. Et Bardi quidem fortia virorum illuſtrium facta, heroicis compoſita verſibus, cum dulcibus lyræ modulis cantitarunt. Vates verò ſcrutantes ſumma & ſublimia naturæ pandere conabantur. Inter hos Druidæ ingeniis celſiores, vt authoritas Pythagoræ decreuit, ſodalitiis adſtricti & conſortiis, Quæſtionibus occultarum rerum altarumque erecti ſunt, & deſpectantes humana pronunciarunt animas immortales.* Sunt qui non *Vates*, ſeu *Eubages* legunt: ſed prior lectio magis arridet propter teſtimonia Diodori & Strabonis, qui de vatibus loquuntur.

Bardi. Bardorum autem nomen aliqui deducunt à Rege Bardo. Alij à voce Celtica Bard, quæ *Cantorem* ſignificat, ſeu *Poëtam* virorum illuſtrium facta canentem: quod Bardorum officium confirmari poteſt authoritate Lucani lib. 1. Pharſ.

Vos quoque qui fortes animas belloque peremptas

Laudibus in longum Vates demittitis æuum,
Plurima ſecuri fudiſtis carmina Bardi.

Hinc forte Rex ille, Bardus dictus eſt, quod carminibus delectaretur, & quod Cantores eiuſmodi inſtituiſſet. Quam ad originem non male etiam referre poſſumus hæc vocabula DAGOBART, id. *Heroïcus Cantor*, SIGEBART, *Victor Poëta*, & ROBART id. *rubeus* ſeu *Diuinus Poëta*. Nam rubeum pro Diuino veteres ſœpe accipiebant. Aiunt autem regnaſſe Bardum circa annum mundi 2116. ante Chriſtum 1885. annis: quo fere tempore nati ſunt Iacob & Eſaü, & conditum Argos, cuius primus Rex Inachus, ſecundus Phoroneus. Habitabant verò Bardi in Aruernia & Burgundia, & prope Aliziam veterem Collegium habebant. Hinc Mombard & Mombari à Bardis montem incolentibus, nomen accepiſſe dicitur.

Druidæ verò omnium celeberrimi fuerunt. Erant enim Philoſophi & Theologi, & præter rerum naturalium ſcientiam, de moribus etiam diſputabant, atque cum Diis colloqui putabantur: ita vt per eos veluti per internuncios plebs ſacrificia Diis offerendo, ab iis bona omnia expectaret. Habebant illi multas Domos & Collegia, in quibus Iuuentutem litteris imbuebant: hiſque omnibus præerat ſummus quidam Præfectus, veluti Pontifex Maximus: vt infra dicemus. *Druidæ.*

Vnde nomen habeant Druidæ, diſputatur inter Doctos & Curioſos. Aliqui deducunt à Rege Dryo, vel Druide, qui quartus à Samothe fuit. Alij ἀπὸ τῶν δρυῶν id. *à quercubus*, vel quia Querceta inhabitabant; vel quia viſco querneo in ſacrificiis vtebantur; & confirmant authoritate Plinij lib. 16. c. 14. ſic aientis. *Nihil habent Druidæ (ita ſuos Galli appellant Magos) viſco & arbore in qua gignatur, ſi modo ſit robur, ſacratius. Nam per ſe Roborum eligunt lucos, nec vlla ſacra ſine ea fronde conficiunt: vt inde appellati quoque interpretatione Græca poſſint Druidæ videri.* Verum antequam Galli cum Græcis Phocenſibus, qui, vt ſuo loco dicemus, Maſſiliam appulerunt, commercium vllum haberent, ſuos Galli Druidas habebant. Nonnulli deriuant à voce Saxonica Dry; vt Affricus aſſerit in Gloſſario Saxonico-Latino: indeque Saxonas Magos ſeu Sacerdotes ſuos appellaſſe Dry. Sed credibile eſt Saxonas à Gallis hanc vocem, non Gallos à Saxonibus deſumpſiſſe: ſicut nec à voce Germanica Druchtin vel Truchtin, quæ Dominum, ſeu Deum etiam adhuc Caroli Magni temporibus, ſonabat, vt aliqui ſcribunt. Quidam deriuant à voce Hebraïca Deruſim vel Druſim, quæ *Meditatores* ſignificat, ſeu myſteriorum ſcrutatores: quales apud Perſas Magi ab Hebræis Druſim id. *Meditatores* appellantur: & apud Phœnicas Ouranoſcopi id. *Cœli inſpectores*. E noſtris verò ſcriptoribus Sebaſtianus Roüillardus in ſua Hiſtoria Carnotenſi contendit vocem *Dru* meram eſſe vocem Celticam: vocatoſque fuiſſe ſacerdotes illos Gallicè *les Drus*: & hinc à Græcis & Latinis *Druidas* vel *Druſidas* appellatos: item vrbem Druidarum vel Druſidarum *la ville des Drus*, quæ hodie *Dreux*. *Dru* autem ſignificat *frequentem, denſum, crebrum*: Druidæ porro frequentes habitabant in eodem Collegio, & ſocietatem ſodalitiumque aliquod componebant. Vnde Pythagoras Cœnobij ſeu homœcij ſui ſumpſit exemplum & originem, quem Druidarum auditorem fuiſſe ferunt. Marcellinus quidem lib. 15. meminit Sodalitij Druidarum his verbis. *Druidæ ingeniis celſiores, vt authoritas Pythagoræ decreuit, ſodalitiis adſtricti, & conſortiis.* Addit Roüillardus ad ſententiæ confirmationem, nullam eſſe Gentem, quæ non ſumpſerit nomen à voce ſeu lingua vernacula & materna: dubitari autem non poſſe, quin Gallia ſuam habuerit, ſibique propriam.

Cæterum non videtur contemnendum, quod de forma habituque Druidarum refert Ioannes Theophilus apud Montanum: quæ in ſex lapideis imaginibus expreſſa ſe vidiſſe teſtatur in vetuſtiſſimo ſaxo ad fores templi, parieti inſertis. *Erant*, inquit, *ſeptem pedum ſingula, nudis pedibus & capite intecta, Græcanico pallio & cucullato penulaque & barba ad inguina vſque promiſſa, & circa naris fiſtulas bifurcata. In manibus liber & baculus Diogenicus; ſeuerâ fronte & triſti ſupercilio, obſtipo capite figentes lumina terris. Hi quondam apud Gallos ſiue interpretanda Religionis, ſiue ſolicitudinis gratia, quo expeditiores inquirendis rerum cauſis eſſent, in nemoribus & ſaltibus conſedêre, multitudinemque vulgi ad ſe pellexêre.*

An autem Druidæ Galli eſſent aborigines, an verò aliunde in Galliam profe- *Origo Druidarum*

cti, quærunt & diſputant Docti. Aliqui enim exiſtimant è Britannia Inſula in Galliam veniſſe: & illi ſe tuentur authoritate Cæſaris ſic ſcribentis lib. 6. *Diſciplina in Britannia reperta, atque inde in Galliam tranſlata eſſe exiſtimatur: & nunc qui diligentius eam rem cognoſcere volunt, plerumque illò diſcendi causâ proficiſcuntur.* Alij contra putant Britannos à Gallis Diſciplinam omnem hauſiſſe: & præallata Cæſaris verba non de Inſula Britannia, ſed de Britannia Aremorica interpretantur. Quam Galliarum partem Gomeritas veteres è nauibus egreſſos inhabitaſſe, & primum incoluiſſe ferunt. Ad cuius rei confirmationem plurimum facit, quod Britones Aremorici habent etiamnum hodie vocabula plurima originis Hebraïcæ, quorum Indicem Roüillardus curioſè contexuit. Itaque Gomeritarum nonnulli, qui in interiores Galliarum partes, Carnutumque penetrauerant: ſeu potius Aremoricorum Nepotes, memores antiquæ progenitorum ſuorum habitationis ad ea loca proficiſcebantur, quoties rem aliquam accuratius noſſe & intelligere cupiebant: quippe exiſtimabant ibi retineri adhuc purè ritus antiquos & obſeruari ad amuſſim, nullo Gentium aliarum commercio violatos aut immutatos. Hinc Auſonius enumerans Burdigalenſes Grammaticos, Phœbicium ex eo laudat, quod Beleni Æditnus, quodque *ſtirpe Druidarum Gentis Aremoricæ* ſatus eſſet: qui Druidæ, inquit Vinetus, *ſunt Aremorici.*

Adſtipulatur Tacitus in Iulio Agricola, vbi de diſciplina Druidarum: quærens enim an illa à Germanis, an ab Iberis ſeu Hiſpanis, an à Britannis Inſularibus profluxerit, demum ſic ſtatuit, omnem Britanniæ ſuperſtitionem ac perſuaſionem è Gallis profectam. Idem docet Plinius cap. 1. l. 30. qui cum dixiſſet à Druidum magiâ poſſeſſam fuiſſe Galliam ad ſuam vſque memoriam, ſubdit, *ſed quid ego hæc commemorem! in altum Oceanum quoque tranſgreſſa, & ad inania Naturæ peruecta. Britannia hodieque eam attonitè celebrat tantis ceremoniis, vt dediſſe Perſis videri poſſit.* Quid? ipſe quoque Cæſar lib. 4. ait Britanniæ mores & inſtituta Galliæ incognita fuiſſe. Quæ certe de Galliæ inſtitutis vice verſa dici nequeunt: ſiquidem ab omni æuo Britanniæ communicauit omnis generis diſciplinas, iuxta illud Iuuenalis ſaty. 15.

Gallia Cauſidicos docuit facunda Britannos.

Non eſt igitur audiendus Cambdenus in Britanniæ Inſulæ Chorographia, qui vt probet Natales Druidarum ei adſcribi debere, ait in Dendigenſi agro etiamnum hodie locum extare, qui populari appellatione LAPIDES DRVIDVM dicitur. Nam in Gallia quoque vrbs eſt, quæ à Druidibus denominatur; & mons, qui Druidum dicitur, Gall. *Mondru.* Nil ergo agit exemplum quod litem lite reſoluit: nec ſic quæſtio ſoluitur, cum & in Gallia, & in Britannia, & alibi etiam reperiantur loca nomine Druidum appellata. Nec tertius profert argumentum Brietius, cum ait per Druidas in Galliam fuiſſe tranſlatam Religionem, illoſque in Mona Inſula ad Veſpaſiani tempora perduraſſe. Nam certum eſt Germanis, Gallis & Britannis communes fuiſſe Druidas: ſed è Gallia contendimus ad Britannos & Germanos ſe contuliſſe, ſacrorumque myſteria & Religionem longè diutius in Gallia, quàm in aliis Regionibus perduraſſe, nimirum ad Aureliani & Diocletiani tempora: licet Claudius Imperator eos ob immanitatem ſacrificiorum è Gallia expelli iuſſiſſet. Hæc de origine Druidarum.

Numerus Druidarũ. Cæterum magno erant illi numero, & tanto, vt Equitum ſeu Nobilium multitudinem æquarent. Siquidem Cæſar Gallorum ordines enumerans lib. 6. ait, eorum qui aliquo erant numero, duo potiſſimum fuiſſe genera; vnum ſacerdotum, nempe Druidum; alterum Equitum: tertium verò, nempe Plebeiorum pœne ſeruorum fuiſſe loco habitum. Præterea Gallos in ea opinione fuiſſe commemorat Strabo lib. 4. vt quo plures eſſent in anno Druidæ, eo vberior futura eſſet bonorum omnium affluentia. Neque ſolum virorum, ſed & mulierum quoque ingens erat numerus, quæ DRVADÆ appellabantur, ſatis commendatæ in hiſtoria Aureliani & Diocletiani, quibus (erant enim magiæ peritiſſimæ) futura prædixerunt. De iis conſuli poſſunt Lampridius in Alexandro Seuero, Vopiſcus in Aureliano & Numeriano, Aurelius Victor in Clodio, Aimoinus in cap. 1. prooemij Hiſtor. Franc.

Hinc facile colligitur tantam hominum multitudinem vno loco conſidere non potuiſſe, ſed multas habuiſſe Domos & Collegia. In Gallia vero preſertim Cel-

tiea & Comata conſediſſe legimus, at non in vrbibus & magnis eiuitatibus, ſed in lucis & nemoribus veluti Anachoretas, à ſtrepitu & turba populari remotas ſedes habuiſſe teſte Lueano lib. 1. Pharſal.

Solis noſſe Deos & Cœli Nnmina vobis,
Aut ſolis neſcire datum. Nemora alta remotis
Incolitis Lucis.

Vnum verò præ cæteris eeleberrimum habebant in ſilua Carnotenſi Collegium, de quo Cæſar lib. 6. & nonnulli Authores, qui Galliarum Origines obſeruarunt, notant in agro Carnotenſi exrare adhue veſtigia præclara palatij Druidum. Ibi reſidere ſolebat ſummus eorum Antiſtes: quamobrem illuc fiebat quotannis Conuentus è rota Gallia eeleberrimus, in quo lites diſceptabantur, teſte Cæſare ibidem: *ij certo anni tempore, in finibus Carnutum, quæ Regio totius Galliæ media habetur, conſidunt in luco conſecrato. Huc omnes vndique qui controuerſias habent, conueniunt, eorumque iudicijs decretiſque parent.*

Omne autem Druidarum officium ad 4. ſumma capita reuocari poteſt, quæ ſunt ſacrorum proeuratio, legiſlatio, iuriſdictio & ſcholarum exercitium, ſeu Artium diſeiplinarumque profeſſio: quæ omnia idem Cœſar vno loco eomplectitur. *Officium Druidarum.* *Illi*, inquit, *rebus Diuinis interſunt, ſacrificia publica ac priuata procurant, Religiones interpretantur, ad hos magnus adoleſcentium numerus Diſciplinæ cauſâ concurrit: magnoque ſunt ij apud eos honore. Nam fere de omnibus controuerſiis publicis priuatiſque conſtituunt. Et ſi quod eſt admiſſum facinus, ſi cædes facta, ſi de hereditate, de finibus controuerſia eſt, ijdem decernunt, præmia pœnaſque conſtituunt: ſi quis priuatus aut publicus eorum Decreto non ſtetit, ſacrificiis interdicunt: tantis excitati præmiis & ſua ſponte multi in Diſciplinam conueniunt, & à propinquis parentibuſque mittuntur.* De his officiis ſigillatim agendum.

DE ACADEMIIS ET DOCTRINA Druidarum.

PRIMI certè omnium Gymnaſia & Academias habuerunt Sacerdotes illi Gallorum Indigenarum eo ordine, quo retulimus: maximè vero Bardi & Druidæ, & hi potiſſimum, quos variis in loeis per plurima ſecula Scholas publicas exercuiſſe, maximamque Auditorum frequentiam eollegiſſe manifeſtum eſt, tantâ non apud ſuos modo ſed apud cæteras quoque Gentes commendarione & nominis exiſtimatione, vt ad eos tanquam ad veros & ſolos Muſarum ſaeerdotes, vndique eoncurſus fieret.

Plura autem habebant Collegia in variis Galliarum locis, vt Iuuentutis inſtitutioni eommodius incumberent: quorum ſingulis præerat aliquis inter eos primariæ notæ veluti Gymnia ſiarcha aut Præfectus: omnibus verò Gymnaſiis & toti demum Druidarum Ordini quidam Rector, veluti Pontifex Maximus teſte Cæſare loco eitato. *Præfecti Scholarum.* *His autem omnibus Druidibus præeſt vnus, qui ſummam inter eos habet authoritatem: hoc mortuo ſi quis ex reliquis excellit dignitate, ſuccedit. At ſi ſunt plures pares, ſuffragio Druidum adlegitur: nonnunquam etiam de Principatu armis contendunt.* Quanto verò numero in ſingulis Collegiis fuerint, quis dixerit? Certè Gallis perſuaſum erat, quanto plures quoque anno Druidæ extitiſſent, tanto maiorem agrorum fertilitatem & bonorum omnium prouentum fore, vt ex Strabone ſupra docuimus.

Ex hoe autem loco Cæſaris ſatis intelligitur ſummi illius Pontificis ſeu Rectoris præfecturam fuiſſe perpetuam: & amplius liquet authoritate Mareellini aientis lib. 28. in hoc fuiſſe illius fortunam meliorem, quàm Regulorum, quod iſti ad tempus crearentur, multiſque diſcriminibus obnoxij eſſent; iſte nullis, dignitatemque gereret perpetuam. Sie enim de Burgundionum Rege & Pontifiee loquitur. *Apud hos generali nomine Rex appellatur Hendinos: & ritu veteri poteſtate depoſitâ remouetur, ſi ſub eo fortuna titubauerit belli, vel ſegetum copiam negauerit ter-*

ra: quemadmodum ſolent Ægyptij caſus eiuſmodi aſſignare Rectoribus. At ſacerdos apud Burgundios omnium Maximus vocatur Siniſtus, & eſt perpetuus, obnoxius diſcriminibus nullis, vt Reges. Cæterum ab illo Pontifice cæteri ſacerdotes inaugurabantur, & penes eum ſumma ſacrorum ſtabat, vt apud Hebræos, à quibus Galli proximam originem duxetunt.

Schola varia. Porro ampliſſima & frequentiſſima Druidarum Academia exiſtimatur fuiſſe in Silua Carnotenſi, eo loco vbi nunc Vrbs à Druidibus nuncupata, Gallicè DREVX & in pagis ſiluæ vicinis, qui etiamnum hodie, vt aſſerit Rouillardus DRVIDARVM DOMVS dicuntur. Et illuc certo anni tempore mittebantur è reliquis Collegiis ſelecti viri ad publicum Conuentum; quemadmodum Cœnobiarchæ celebrant ſuum Generale Capitulum.

Notat quoque Chaſſanæus Druidas inſtituiſſe aliud Gymnaſium non procul à Bibracte ſeu Auguſtoduno Æduorum: in monte ſcilicet, qui à Druidis nomen habet, Gallicè *Montedru*. Habebant & aliud in Agro Baiocenſi, teſte Auſonio in profeſſoribus Burdigalenſibus, vbi de Attio Patera Rhetore. Tu Baiocaſſis ſtirpe Druidarum ſatus.

Item & aliud Veſontij apud Séquanos, in monte Iouis, vt docet Iacobus Chiffletius, vbi ait fuiſſe Muſarum ſedem, eamque ob rem locum etiamnum hodie vocari CAMPVM MVSARVM vulgò CHAMVSE.

Diſciplinarum & artium genera. Nullum eſt autem fere diſciplinarum genus, quod Druidæ non exercerent. 1. Rhetoricam & Philoſophiam publicè profitebantur, teſte Pomponio Mela. *Habent*, inquit de Gallis loquens *facundiam ſuam & Magiſtros Sapientiæ Druidas.* Huc pertinet quod Lucianus ait de Hercule Gallico, quem Ogmium vocabant, perforatam habente linguam & catenulas aureas, quibus adſtantium & auſcultantium aures attrahebat. Quo ornatu ſuaueloquens Gallorum ſapientia, & omnium Artium intelligentia ſignificabatur.

2. Mathematicas diſciplinas, Geometriam, & Aſtrologiam, eodem Mela teſte exercebant. *Hi terræ mundique magnitudinem & formam, motus cæli & ſiderum ac quid dij velint, ſcire profitentur.* idem docet Cæſar l. 6. *Multa præterea de ſideribus atque eorum motu, de mundi ac terrarum magnitudine, de rerum natura, de Deorum immortalitate ac poteſtate diſputant & iuuentuti tradunt.* Meminit Cicero 1. de Diuin. cuiuſdam Diuitiaci Druidæ in Aſtrologia, vt vocant, iudiciaria peritiſſimi. *Et in Gallia*, inquit, *Druides ſunt, è quibus ipſe Diuitiacum Æduum cognoui, qui & naturæ rationem, quam Phyſiologiam Græci appellant, notam eſſe ſibi profitebatur, & partim auguriis, partim coniectura quæ eſſent futura, docebat.* Erant & fœminæ huius artis gnaræ, Druadæ vel Druiades dictæ. Vopiſcus. *Dicebat enim quodam tempore Aurelianum Gallicanas conſuluiſſe Druiadas.* Sic lege, non Druidas. Et in Numeriano. *Vt impleret Druiadis dictum, & cum Druiade quadam muliere rationes conuictus ſui quotidiani faceret.* Lampridius in Alexandro Seuero, *Mulier Druias eunti exclamauit Gallico ſermone.* Tales erant apud Græcos Mantiſſæ, Hypatia, Baro, Demo & Theano, cuius mentionem facit Auſonius in vltimo Carmine parentalium. Notat Suidas Meſium Senonum Regem, & Gannam virginem cum Bleda in Gallia Vaticinio florentes ad Domitianum veniſſe, ab eoque honorifice ſuſceptos domum reuertiſſe.

3. Medicinam quoque profitebantur, vt videtur innuere Plinius l. 30. c. 1. *Tiberij Cæſaris principatus*, inquit, *ſuſtulit Druidas Gallorum & hoc genus vatum Medicorumque.* Et reuera è viſco roboreo medicamentum aliquod componebant Druidæ, quo vtebantur tanquam præſentiſſimo Antidoto ad omnes morbos, ac proinde viſcum eiuſmodi ſua lingua *Omnia ſanantem* appellabant, teſte eodem Plinio in fine lib. 16.

4. Nec dubium, quin Iuriſprudentiam quoque profiterentur; quippe de publicis priuatiſque controuerſijs, hoc eſt de ciuilibus & capitalibus conſtituebant, teſte Cæſare libro ſœpè citato. *Si quod eſt admiſſum facinus, ſi cædes facta, ſi de hereditate, de finibus controuerſia eſt, ijdem decernunt, & præmia pœnaſque conſtituunt.*

5. Theologiam ipſam & altiſſima myſteria tractaſſe & docuiſſe, ex eodem authore confirmatur. *Illi diuinis rebus interſunt, ſacrificia publica ac priuata procurant, Religiones interpretantur.* Præcipua verò huius Doctrinæ pars erat de animarum immortalitate: nam vt indicat Strabo lib. 4. docebant ἀφθάρτυς εἶναι τὰς ψυχὰς, *animas interitus expertes eſſe.*

Digitized by Google

Verum circa hanc materiam diſputant Docti, quam illi immortalitatem animabus attribuerent. Quidam enim exiſtimant docuiſſe tantummodo tranſmigrationem earum in alia & alia ſubinde corpora, quos ſecutus eſt Pythagoras eorum Diſcipulus. Iuxta quam ſententiam credebant Iudæi Eliam & Ioannem Baptiſtam reuixiſſe in Christo. Fauet Cæſar. *Imprimis*, inquit, *hoc volunt perſuadere non interire animas, ſed ab aliis poſt mortem tranſire ad alios, atque hoc maximè ad virtutem excitari putant, metu mortis neglecto.* Cæſari ſuccenturiatur Valerius Maximus l.2.c.6. *Vetus ille mos Gallorum occurrit, quos memoriâ proditum eſt pecunias mutuas, quæ his apud inferos redderentur, dare ſolitos: quia perſuaſum habuerunt animas hominũ immortales eſſe. dicerem ſtultos, niſi idem Braccati ſenſiſſent, quod palliatus Pythagoras credidit.* Idem docet Diodorus lib. 5. ἐνισχύει παρ' αὐτοῖς ὁ Πυθαγόρου λόγος, ὅτι τὰς ψυχὰς τῶν ἀνθρώπων ἀθανάτους εἶναι συμβέβηκε, καὶ δι' ἐτῶν ὡρισμένων πάλιν βιοῦν εἰς ἕτερον σῶμα τῆς ψυχῆς εἰσδυομένης. id eſt, *Pytagoræ apud eos inualuit opinio, quod animæ hominum immortales in aliud ingreſſæ corpus definito tempore denuo vitam capeſſant.*

Contra alij exiſtimant Druidas credidiſſe veram animarum immortalitatem; atque poſt exitum è corpore æternam eas ducere vitam apud Manes; ſeu in Campis Elyſijs vel in Limbis, vbi erant primorum parentum animæ ante Chriſti aduentum. quam doctrinam veriſimile eſt eos per continuam ſucceſſionem atque traditionem à Noëmi Nepotibus, primis ſcilicet Galliarum cultoribus & Rectoribus hauſiſſe. Huic ſententiæ fauere videtur Mela l. 3. c. 2. Sic aiens, *vnum ex ijs quæ præcipiunt, in vulgus effluit, videlicet vt forent ad bella meliores, æternas eſſe animas, vitamque alteram ad Manes. Itaque cum mortuos cremant ac defodiunt, apta viuentibus olim negotiorum ratio etiam & exactio crediti differebatur ad inferos: erantque qui ſe in rogos ſuorum velut vnà victuri libenter immitterent.* Eidem ſententiæ adſtipulatur Lucanus Paulò ætate poſterior l. 1. Pharſ.

——Vobis authoribus vmbra
Non tacitas Erebi ſedes, Ditiſque profundi
Pallida regna petunt. Regit idem ſpiritus artus
Orbe alio, longæ (canitis ſi cognita) vitæ
Mors media eſt.

Quorum verſuum ſenſus eſt animas defunctorum non quidem tranſire in alia & alia corpora, ſed rurſum idem corpus animare, & aliam vitam poſt mortem viuere: ita vt mors inter duas illas vitas media ſit. Quæ ſententia omnino Catholica eſt. Hinc igitur perſuaſi & excitati Galli Germanique mortem contemnebant, & in prælia fortiter ruebant, vt canit idem Poëta.

——Populi quos deſpicit Arctos
Felices errore ſuo, quos ille timorum
Maximus haud vrget leti metus: inde ruendi
In ferrum mens prona viris, animæque capaces
Mortis, & ignauum eſt rediture parcere vitæ.

Quæ verò Druidis ratio fuit tradendæ diſciplinæ & docendi? Nemo Cæſare melius & clarius explicat. Sic enim ille lib. citato. *Druides à bello abeſſe conſueuerunt, neque tributa vna cum reliquis pendunt, militiæ vacationem, omniumque rerum habent immunitatem: tantis excitati præmijs & ſua ſponte multi in diſciplinam conueniunt, & à propinquis parentibuſque mittuntur. Magnum ibi numerum verſuum ediſcere dicuntur. Itaque nonnulli annos vicenos in diſciplina permanent, neque fas eſſe exiſtimant ea litteris mandare, cum in reliquis fere rebus publicis priuatiſque rationibus Græcis litteris vtantur.* Ex quo loco multa colligimus in hanc materiam ſcitu digniſſima.

1. Cauſam frequentiæ tam Magiſtrorum quam Diſcipulorum, fuiſſe immunitates & priuilegia, quibus fruebantur: hanc enim ob rationem maxime parentes liberos ſuos tradebant Druidis in Diſciplinam, vt priuilegijs illis gauderent. Nam Equites ſeu Nobiles bellis & bellicis ſumptibus erant adſtricti: plebij tributis onerabantur: ſoli Sacerdotes & Magiſtri cum Diſcipulis immunes erant omni onere.

2. Druidæ Philoſophiam ſuam arteſque alias verſibus comprehenſas tradebant diſcipulis memoriter ediſcendas, iuxta veterum Græciæ Philoſophorum morem, Empedoclis, Parmenidis, Meliſſi, Xenophanis: nimirum vt facilius, celerius

& certius memoriæ mandarentur, quæcumque ita tradebantur: nam vt ait Seneca ep. 33. *Facilius & tenacius puerorum animis inſidunt, quæ ſunt numeris circunſcripta & carminis modo incluſa.*

Sed quinam erant illi verſus? Hotomanus in notis ad Cæſarem; & Quidam alij nomine verſuum lineas & paragraphos intelligi volunt: quemadmodum apud probatos authores ſœpe vſurpari videmus. Verum alij longè probabilius veros verſus intelligunt certis pedibus conſtantes, Heroïcos & Hexametros: quomodo Bardi celebrabant virorum de Repub. bene meritorum præclarè geſta. Quomodo etiam Germani veteres Deorum ſuorum laudes prædicabant teſte Tacito in ſua Germania: *celebrant*, inquit, *carminibus antiquis, quod vnum apud illos memoriæ & Annalium genus, Tuitonem Deum terrâ editum, & filium Mannum originem Gentis Conditoreſque.* Idem tradit Strabo l. 3. de Turdulis gente Hiſpanica. *Antiquitatis habent monimenta conſcripta, & poëmata ac leges metro incluſas à ſex, vt aiunt, annorum millibus.* Idem Mazacenorum in Cappadocia Legum interpretem appellat Νομῳδὸν id. legum Cantorem. Et Zoroaſter, qui primus Diuinas humanaſque artes docuiſſe dicitur, teſte Hermippo apud Plinium, de Philoſophia ſua vicies centum millia verſuum compoſuit. Vnde intelligimus hunc morem fuiſſe antiquitus vſitatiſſimum.

3. Nihil illi ſcriptis, ſed omnia memoriæ Diſcipulorum conſignabant. Cuius inſtituti duplicem Cæſar cauſam affert his verbis. *Id mihi duabus de cauſis inſtituiſſe videntur, quod neque in vulgus diſciplinam efferri velint, neque eos, qui diſcunt, litteris confiſos minus memoriæ ſtudere: quod fere pleriſque accidit, vt præſidio litterarum diligentiam in perdiſcendo ac memoriam remittant.*

Quod ad primam cauſam attinet, ea Gentibus omnibus communis olim fuiſſe videtur: vnde qui ſacris initiabantur, iuramento ſilentij adſtringi ſolebant, ne quid forſan effutirent eorum, quæ vidiſſent in ſacris, aut audiuiſſent. Hinc illud Herodoti lib. 2. de Ægyptiorum Theologia: *quæ mihi de Diis narrarunt, ea exponere, vel ſcripto mandare non libet, niſi nomina eorum tantum, quod idem de illis omnes homines ſcire exiſtimem.* Itaque omnium pœne Gentium Philoſophi ac Theologi præcepta ſua aut memoriæ tantummodo mandabant, & identidem repetendo imprimebant; aut ſignis notiſue quibuſdam vulgo ignotis implicabant, ne ſacra profanis euulgare tenerentur. Sic de Hebræis Clemens Alexand. obſeruauit. Eadem Ratio Pythagoræ fuit. Eadem Ægyptiorum in notis Hieroglyphicis, Pythagoreorum, Cabaliſtarum, Bracmanum apud Indos etiamnum hodie: vt colligimus ex Epiſtola Franciſci Xauerij, de quodam eorum Diſcipulo ſic ſcribentis, *cum ambo ſimul eſſemus, arcana mihi quædam commiſit, primum à Ludi Rectore hoc agi, vt quos habiturus eſt Auditores iureiurando compellat, nunquam ſe ea quæ audituri ſunt myſteria, reuelaturos.*

Altera ratio quam affert Cæſar quamobrem Druidæ nihil litteris, ſed omnia memoriæ mandarēt; ne videlicet litteris confiſi minus memoriæ ſtuderent, eadem fuit Ægyptiorũ initio, cur nullis litteris vterentur, teſte apud Platonem Socrate in Phædro. *Audiui equidem*, inquit, *circa Naucratim Ægypti priſcorum quendam fuiſſe Deorum, cui dicata ſit auis, quam Ibin vocant. Deo autem ipſi nomem Theuth. Hunc primum omnium numeri computationem inueniſſe, Geometriamque & Aſtronomiam, talorum, alearumque ludos & litteras. Erat autem tunc totius Ægypti Rex Thamus in eminentiſſima ampliſſimaque vrbe, quam Græci Ægyptias Thebas appellant, Deumque ipſum Ammonem. Ad hunc Regem Theuth profectus artes ei demonſtrauit ſuas, dixitque eas diſtribui deinceps cæteris Ægyptiis oportere. Verum ille, quæ cuiuſque vtilitas foret, interrogauit, & ipſo referente, quod bene dictum videbatur, probabat quidem: quod contra, vituperabat. Vbi multa de qualibet arte in vtramque partem, Thamus fertur Theutho oſtendiſſe, quorum ſingula ſi enarrare pergamus, prolixa erit oratio. Cum verò ad litteras deſcendiſſent, Diſciplina hæc, inquit Theuth, ô Rex, ſapientiores & memoriâ promptiores Ægyptios faciet: memoriæ namque & ſapientiæ remedium eſt, id inuentum. At ille, ô artificioſiſſime Theuth, inquit, alius equidem ad artis opera fabricanda idoneus eſt, alius ad iudicandum promptior, quid emolumenti damniue ſint vtentibus allatura? atqui & tu litterarum pater propter beneuolentiam, contrarium quàm efficere valeant, affirmaſti. Nam illarum vſus propter recordationis negligentiam, obliuionem in animis diſcentium pariet: quipe qui externis litterarum confiſi monimentis res ipſas intus animo non*

reuoluent

Digitized by Google

renoluent. Quamobrem non memoria, ſed monitionis remedium inueniſti: ſapientiæ quoque opinionem potius, quàm veritatem Diſcipulis tradis. Nam cum multa abſque præceptoris doctrinâ perlegerint multarum rerum periti, vulgo quàm ignari ſint, videbuntur. Conſuetndine quoque & conuerſatione moleſtiores erunt, vt pote qui non ſapientiâ ipſâ ſint præditi, ſed opinione ſapientiæ ſubornati.

4. Plures annos in auditione Druidum Magiſtrorum ponebant Diſcipuli, vicenoſque ipſos Philoſophiæ ſub iis vacabant. Nec mirum; cum enim omnia memoriæ traderent, nihil litteris, nihil ſcripro, diutius erat in ſcholis immorandum. Germani antiquitus tantundem ſuæ Philoſophiæ impendebant, imò amplius. Indi nonnunquam 37. annos, vt ex Megaſthene refert Strabo lib. 15. *Cum 37. annos ſic vixerint, ad ſua quemque regredi & laxius licentiuſque viuere.* Ariſtoteles ipſe Platonem Magiſtrum audiuit per 20. annos. Idem autem confirmat de noſtris Druidis Mela, & addit Nobiliſſimos Gentis ſub eorum ductu exerceri ſolitos, *Docent multa nobiliſſimos Gentis clam & diu vicenis annis:* recte quidem & prudenter, inquit Cluuerius; horum quippe ſumma poſtea in reliquos futura erat authoritas, quæ minus rite plebeiis conueniebat hominibus. Exiſtimabant enim veteres iniuriam fieri nobiliſſimis artibus, cum à plebeiis & vilibus mancipiis colebantur.

5tm. eſt de linguâ, quâ Druidæ vtebantur in tradendis diſciplinis. Et circa *Lingua.* hoc quæſtionem mouent Curioſi, quænam eſſet lingua Gallorum primigenia. Aliqui exiſtimant Britannis Inſularibus & Gallis communem fuiſſe ſermonem, vt colligitur ex multis vocibus, quæ adhuc in Wallia Britanniæ vigent. Puta Galli Iouem Tonantem, vocabant Taranim, Britannis Taran tonare eſt. Caterua & Cataya voces Gallicæ ſunt, *Kad* Britannis bellum ſonat. Couinum Belgis vehiculi genus eſt, Kouain Britannis eſt *currn vehere.* Armoricæ ciuitates & Morini à Mari nomen habuêre, Britannis At-mor *ad mare* ſignificat. Sed quid inde? Galline à Britannis linguam mutuati ſunt? an contra? Ex hiſce vocibus hoc ſolummodo poteſt colligi, vicinas regiones habuiſſe quædam vocabula communia & affinia, Dialectis differentia: ita Aquitanos cum Hiſpanis, Treueros cum Germanis, Neruios cum Belgis multa habuiſſe communia. Imo licet vna eſſet lingua Gallicana omnibus Galliæ populis communis, Aquitani tamen, Celtæ & Belgæ dialectis differebant, vt notauit Strabo initio l. 4. Οὐχ ὁμογλώττους, ἀλλὰ μικρὸν παραλλάττοντας ταῖς γλώτταις. Hinc patet quomodo ſint explicãdæ hæc verba Cæſaris. *Hi omnes linguâ, inſtitutis, legibus inter ſe differunt:* ſcilicet hæc non abſolutè, ſed ſecundum varias eiuſdem linguæ Dialectos ſunt interpretanda.

Alij exiſtimant vernaculam Gallorum veterum linguam eandem fuiſſe cum Armoricana, hoc eſt cum eâ quâ hodie vtuntur Britanni Aremorici, quam hactenus illi, propterea quod rarum habent cum cæteris Gentibus commercium, incolumem retinuerunt. Primi enim Galli Duce Gomero, ſeu Aſchenaze in Aremorica conſediſſe creduntur; vnde nepotes profecti, & interiores Galliarum partes occupantes aſperitatem idiomatis paulatim demitigarunt.

Nonnulli cum Glareano Celtarum linguam eandem fuiſſe putant cum Heluetica aut Treuirenſi: quia D. Hieronymus ait Galatarum Aſiaticorum, qui ex Gallia profecti in Aſia conſederant, ſimilem habuiſſe linguam ei, quâ loquebantur Treuiri ſuo tempore. Sed hæc ſententia communiter reiicitur, ex eo quod Tacitus de moribus Germanorum ſcribens colligit, Gothinos non fuiſſe Germanicæ Gentis, quia Gallicâ linguâ vtebantur.

Roüillardus & Quidam cum eo exiſtimant veterum Gallorum vernaculam non omnino diſcrepaſſe ab ea qua vtimur; niſi quod aſperior erat & impolitior. Et licet multa vocabula in deſuetudinem lapſu temporum abierint, multa tamen retinuimus antiqua, vt ſunt hæc inter alia *vn trepied, lieuë, le bec,* quæ latinitate ſic donata ſunt, *tripetia, leuca, beccus.* Quæ autem mutatio aduenerit, poſtquam Phocenſes Græci Maſſiliam condiderunt, & Romani Gallias occuparunt, infra in Academia Maſſilienſi dicetur.

Digitized by Google

DE RELIGIONE ET SACRIFICIIS Druidarum.

DRVIDÆ non tantum litteris Diſcipulos ſuos inſtituebant, ſed bonis quoque moribus & virtutibus informabant: imprimis verò Dei timorem imprimere connitebantur; vnde illi, vt Religionis principes, ſummâ in veneratione erant, & ad omnia ſacra adhibebantur. Quæ autem fuerit Gallorum Religio, quæ de Deo opinio, quibuſve ſacrificiis vterentur, operæ pretium eſſe videtur inueſtigare. Tria verò potiſſimum ad hanc materiam illuſtrandam pertinent, quos nempe Deos colerent, quo loco, & quibus ſacrificiis.

Atque hoc imprimis animaduerſione dignum eſt, quod ſcribit Cæſar, Gallos omnes ſe à Dite progenitos prædicare: idque à Druidibus proditum habere. Nam licet ſatis probabiliter aliquibus videatur Cluuerius hanc vocem deducere ab hac originali THOTH vel THEVTH, quam varij populi, variis dialectis pronunciarunt, aliqui TIT aut TVIT, nonnulli ZEVS, SEVS, Latini Deus, deinde Dis; hincque Ditem accipiendum pro Mercurio, quem Galli vt ſupremum Deorum agnoſcebant, aut pro Ioue: nihilominus non adeo videtur eſſe reijcienda Rouillardi coniectura, aientis per *Ditem* intelligendum eſſe Adam protoplaſtum. Nam cum ex omnium Hiſtoricorum fide certum ſit, Gomerum ſeu Aſchenazen cum aliis Noemi Nepotibus Galliam primos inhabitaſſe, non aliam religionem inſtituiſſe videntur, quàm eam, quam à parentibus didicerant. Sciebant autem Adam primum peccauiſſe, & primum mortem in mundum intuliſſe, ac proinde rectè patrem mortuorum appellari. Nec aliunde Græci videntur accepiſſe hanc vocem Ἅδης, qua Plutonem Deum terræ, Diuitiarum & mortuorum ſignificauerunt, quam ab Hebræorum fonte Adam, qui Princeps terræ omniumque mundi diuitiarum conſtitutus eſt, mortuorum deinde caput & parens per peccatum effectus. Hinc quoque Galli ab eodem fonte primum ſuum patrem appellarunt. Cæſar verò rei ignarus aut vocem deprauauit & detorſit Ditemque appellauit, aut quem illi Adam, aut Ἅδην more & ſermone Græco, quo illis temporibus vtebantur, Plutonem, quem Latini Ditem appellabant, ſignificari exiſtimauit.

Ad fulciendam Rouillardi coniecturam facit, quod cum Cæſar ait Gallos exiſtimare ſe à Dite patre progenitos, non Ditem pro Deo accipere videatur, ſed pro homine gentis principe, quia paulo ante Deos, quos colebant, enumerans, Ditis nullo pacto meminit, quem certe non omiſiſſet, ſi eum pro Deo habuiſſent. Sic ergo ille. *Galli ſe omnes à Dite patre prognatos prædicant: idque ab Druidibus proditum dicunt. Ob eam cauſam ſpatia omnis temporis non numero dierum, ſed noctium finiunt: & dies natales, & menſium & annorum initia ſic obſeruant, vt noctem dies ſubſequatur.* Quem locum facile eſt de Adamo explicare, quem 70. Interpretes plurimis in locis pro *morte* interpretantur: hinc nox ſeu mors ab eo, dies verò, lux & vita à Chriſto: diem verò ideo nocti poſtponebant, quia nox præceſſit per peccatum, Dies verò ſucceſſit per redemptionem.

Dii Gallorum. Quod ad Deos Gallorum attinet, Cæſar loco ſæpe citato ſic ait. *Deum maximè Mercurium colunt. Huius ſunt plurima ſimulacra. Hunc omnium Inuentorem Artium ferunt: hunc viarum atque itinerum Ducem. Hunc ad quæſtus pecuniæ mercaturaſque habere vim maximam arbitrantur: poſt hunc Apollinem, & Martem & Iouem & Mineruam. De his eandem fere, quam reliquæ Gentes, habent opinionem. Apollinem morbos depellere, Mineruam operum atque artificiorum initia tranſdere. Iouem imperium cæleſtium tenere. Martem bella gerere: huic cum prælio dimicare conſtituerunt, ea quæ bello cæperunt, plerumque deuouent: quæ ſuperauerint animalia capta immolant, reliquas res in vnum locum conferunt.*

Non eſt verò exiſtimandum hiſce nominibus Deos illos fuiſſe à Gallis appellatos: ſed ex officiis, quæ illis attribuebant, Cæſar coniecit tales eſſe Deos. At Lucanus lib. 1. Pharſal. verba faciens de exercitu Cæſaris, ait in eo fuiſſe Gallos,

per quos Dij Gallorum præcipui Theutates, Heſus & Taranis placarentur : quæ certè propria fuerunt Deorum vocabula, ſi Latinam Dialectum excipias.

Et quibus immitis placatur ſanguine diro
Theutates, horrenſque feris altaribus Heſus,
Et Taranis Scythicæ non mitior ara Dianæ.

Item Lactantius l. 1. Inſt. c. 12. ſcribit Gallos hominum cruore placare ſolitos Heſum & Theutaten. Porro per *Theutaten* omnes intelligunt Mercurium, per *Heſum*, Martem, per *Taranim*, Iouem. De Theutare primùm agamus : quæ vox deriuatur à primitiua Theuth, quæ Deum ſonat : quomodo Ægyptij Mercurium ſuum appellabant. Cic. 3. de Nat. Deor. attribuit quinto Mercurio Legum & Artium inuentionem, *hunc*, inquit, *Ægyptij Touth (al. Tooyth, Thoth) appellant : eodemque nomine anni primus menſis apud eos vocatur*. Lactantio l. 1. c. 6. Theuthus dicitur, vel Thot ; Platoni in Phædro Thevth, de quo ante diximus. Ab hac autem voce profluxerunt apud Gallos & Germanos, Græcos & Latinos iſtæ, Theath, Theoth, Thevt, Thiat, Thevth, Tiat, Tiot, Tvit. Item Dead, Deid, Deod. θεὸς, ξεὸς, ζεὺς Doricè & Laconicè, item Δεὺς, & Latinè Deus, Gall. Diev. Ab eadem Germani Theutones, & Thuitones dicti ; item Thudiſci & Thudiſca lingua.

Cum ergo Theutates apud omnes Gentes communiter pro Deo habitus ſit, non potuit non cenſeri verus Deus, rerum omnium Conditor, quem Galli præcipuè celebrabant. Huius Theutate filium Germani veteres aiebant fuiſſe Mannum teſte Tacito : Manno item tres filios aſſignabant. Item Mercurium appellabant Wodan, vel Gwodan. Vnde vſque hodie, inquit Gotfridus Viterbienſis in Chronico, *Goth Theutonica lingua dicitur Deus*. Franci veteres eandem vocem in Galliam inuexerunt, & hodiè hæc vocabula ſunt adhuc in vſu, *Bigot* & *Cagot*, quibus ſuperſtitioſos notamus in cultu Diuino. Hinc quoque orta videntur Ruſticorum iuramenta, *Vertugoy*, *Morgoy*, *Sangoy*, *Iernigoy* ; quæ ſatis facilem ex ſe ipſis continent explicationem.

Quem autem Latini Martem Galli *Heſum* appellabant. Vocem deriuat Roüillardus ab Hebræo Iehvs, quo ſignificatur *Deus exiſtens*, *vir conſtans*, *Propheta*, *conſiliarius* : quod epithetum tribuit Eſaias Deo Emmanuel. Vel à Phœnicio Iehud id. *vnicus Dei Filius* teſte Euſebio l. 1. c. 7. vel à Iehoua. Galli enim ignari venturi Meſſiæ, nihilominus ea quæ per traditionem acceperant, retinuiſſe videntur. Adde quod ante verſionem 70. Interpretum teſte Ioſepho Patriarcharum ſcripta in alias linguas peregrinas verſa fuerant, vt poſſent ab omnibus intelligi : at variata ſunt vocabula poſt confuſionem linguarum. Addit Roüillardus ſingulari Dei prouidentia contigiſſe, vt Galli Heſi nomine Martem intelligerent, qui Deus exercituum cenſetur, & Deus fortis appellatur, quod proprium eſt Meſſiæ Ieſu attributum. Dicitur enim Deus fortis, Deus Sabaoth id. Deus exercituum. Præterea locus in quo Druidæ Heſum adorabant, hodie etiamnum eodem teſte vocatur, *Locus SS. Fortium* des Saints forts.

Quod ad Taranim attinet, ſic appellabant Galli & plurimi Europæi Iouem Tonantem. Hinc ſecundum varias Dialectos Taran, Thoran, Tonar, Donnar, Tordan, Dondar, & Tondar, *tonare* ſignificat. Et hodie etiamnum Walli Britanniæ Inſulæ populi Tonitru vocant *Taran*. Sic Saxones *donner* dicunt & Tonnen Belga *donder* ; Angli *Tho dunder*. Sed hæc vocabula à Latino *tonare* videntur potius deducta. Porro Roüillardus putat Taranim fuiſſe ſolummodo Heſi Dei epithecton ab Hebræo Tharanis vel Tranis, id. Repurgans homines : quod propriè conuenit Meſſiæ, qui homines à peccati labe purgauit.

Apollinem quoque ſub nomine Beleni adorabant Galli : ſeu potius hoc nomine Deum vocabant. Quam vocem aliqui à Græco βάλλειν deducunt id. *iaculari*, quia ſol radios in terram iaculatur : minus id quidem probabiliter ; cum Galli eſſent Græcis antiquiores. Alij à fonte Hebræo Baal, id. *Dominus*, *Herus*, *Poſſeſſor* ; Babylonicè & Syriacè *Bel* & *Beel*. Sic quoque Idololatræ Deos ſuos Baalim appellabant. Vnde Dialectus Gallicana Belin & Belen ; & Latina Belus & Belenus. Phœnices Deum Cœli & Deum Solis Beelſames, vel Baal-ſimen appellabant : à quo fonte deducunt etiam vocem Beelzebud id. *Patronus ridiculus*.

Porro huiuſce Dei Sacerdotes ſpeciali nomine vocabantur *Pateræ* : vt ex Auſonij verſibus liquet, ſic aientis de Attio Patera Rhetore Delphidij Tironis Patre.

Beleni ſacratum ducis è Templo genus
Et inde vobis nomina.
Tibi Patera (ſic miniſtros nuncupant
Apollinaris Myſtici)
Fratri Patrique nomen à Phœbo datum,
Natoque de Delphis tuo.

Locus ſacrorum.

Iam de Loco, in quo Druidæ Deos adorabant, dicendum. Commune fuit olim omnibus gentibus Deum in aperto colere, non in templis manu hominum factis. Vnde illud Zenonis, Theodori aliorumque Græciæ Sapientum ἱερὰ θεῶν μὴ οἰκοδομεῖσθαι. Perſæ, teſte Herodoto l. 1. neque ſtatuas, neque templa, neque aras olim extruere ſolebant: quinimo veſanos reputabant contrarium facientes: rationem hanc ſubiungit, *quia non ex hominibus Deos eſſe ortos arbitrantur, quemadmodum Græci.* Non probat hunc morem Cicero 2. de leg. *Deorum*, inquit, *Delubra in vrbibus, eſſe cenſeo. Nec ſequor Magos Perſarum: quibus authoribus Xerxes inflammaſſe templa Græciæ dicitur, quod parietibus includerent Deos, quibus omnia deberent eſſe patentia ac libera; quorumque hic mundus omnis templum eſſet & domus.*

Certè hoc habebant Perſæ à populo Hebraico: nam Adamus, primus mortalium parens non in templo, ſed in paradiſo terreſtri ſacra Deo faciebat: & Abrahamus poſt pactum cum Abimelecho fœdus, in luco quem plantauit prope puteum iuramenti dictum Berſabée. Ita nec Galli antiquitus vlla memorantur habuiſſe templa: ſicut nec Germani teſte Tacito. *Nec cohibere parietibus Deos, neque in vllam humani oris ſpeciem aſſimilare ex magnitudine cæleſtium arbitrantur. Lucos ac nemora conſecrant, Deorumque nominibus appellant Secretum illud quod ſola reuerentia vident.* Hinc Claudianus l. 1. de laud. Stilic. ſcribit non licuiſſe venari prope ſiluam Hercyniam propter lucos Diis conſecratos, arboreſque ad quas ſacra fiebant.

Vt procul Hercyniæ per vaſta ſilentia ſiluæ
Venari tuto liceat, lucoſque vetuſta
Religione truces & Robora Numinis inſtar
Barbarici noſtræ feriant impune ſecures.

Tangit Gallorum morem, qui non ad quamuis Arborem, ſed maximè ad Quercum ſeu Robur ſacris operabantur: quâ arbore nulla erat apud eos ſacratior, teſte Plinio. l. 16. c. 44. *Nihil habent Druidæ viſco & arbore in qua gignatur, ſi modo ſit Robur, ſacratius. Iam per ſe Roborum eligunt Lucos: nec vlla ſacra ſine ea fronde conficiunt.* Vnde Lucanus l. 3. deſcribens obſidionem Maſſilienſem, ait Cæſarianos milites non ſine ingenti tremore ſecuri feriiſſe ſacras illas arbores.

Et Gregor. Turon. l. 2. c. 10. Obiurgat Francos, quod perul- mium numinis aliquando tribuerint arboribus & ſiluis anxiis in res friuolas ſuperſtitione & Græca vanitatis plena.

Sed fortes tremuere manus, motique uerenda
Maieſtate loci, ſi Robora ſacra ferirent,
In ſua credebant redituras Membra Secures.

Neque habebant aliud Deorum ſimulacrum quam altas Quercus, teſte Maximo Tyrio Diſſert. 38. *Inter Barbaros, qui Deum non agnoſcat, nemo eſt. Alij tamen alia ei ſtatuunt ſigna. Celtæ Iouem colunt. Iouis autem ſimulacrum apud eos eſt Alta Quercus.* ἄγαλμα δὲ Διὸς Κελτικὸν ὑψηλὴ Δρῦς. forte tamen à Phocenſibus ſimulacra Deorum efformare edocti ſunt: ſiquidem Cæſar ait fuiſſe Mercurij plura apud eos ſimulacra.

Reſtat vt de ſacrificijs Druidum agamus. Et primum de Sacerdotibus eorumque habitu cultu & ornatu: deinde de victimis rituque immolandi. Certum eſt ex Cæſare, Diodoro & Strabone nullum ſacrificium fieri ſolitum ſine Druidis, quippe qui ſacrificia omnia publica ac priuata procurabant, & per eos quaſi per internuncios bona omnia à Dijs expetebantur. Cum vero ad ſacrificandum accedebant, Hebræorum, omniumque fere Gentium more candidas veſtes & Tunicas induebant. Plinius loco ſupra citato, *Sacerdos candida veſte cultus arborem ſcandit, falce aurea demetit, candido id accipitur ſago.*

Victimas immolabant duplicis generis, homines & animalia. De hominibus infra dicetur. Animalia omnis quidem generis, at in ſolenni viſci decerptione, candidos tauros quernea fronde coronatos, eodem Plinio teſte. *Sacrificijs epuliſque rite ſub arbore præparatis duos admouent candidi coloris tauros, quorum cornua tunc primum vinciantur.* Sed quo ritu quibuſue ceremonijs id peragerent, placet fuſius enarrare ex eodem authore. *Nihil habent*, inquit, *Druidæ, ita ſuos appellant Magos, viſco & arbore*

in qua gignatur, ſi modò ſit robur, ſacratius. Iam per ſe Roborum eligunt lucos, nec vlla ſacra ſine ea fronde conficiunt, vt inde appellati quoque interpretatione Græca Druidæ poſſint videri. Enimuero quidquid adnaſcatur illis, è cælo miſſum putant, ſignumque eſſe electæ ab ipſo Deo arboris. Eſt autem id rarum admodum inuentu: & repertum magna Religione petitur, & ante omnia ſexta Lunâ; quæ principia menſium annorumque his facit, & ſeculi poſt triceſimum annum; quia iam virium abunde habeat, nec ſit ſui dimidia. Omnia ſanantem appellantes ſuo vocabulo. Sacrificiis epuliſque rite ſub arbore præparatis duos admouent candidi coloris tauros, quorum cornua tunc primùm vinciantur. Sacerdos candida veſte cultus arborem ſcandit, falce aurea demetit. Candido id excipitur ſago. Tum deinde victimas immolant, precantes vt ſuum Donum Deus proſperum faciat his quibus dederit. Fœcunditatem eo poto dari cuique animali ſterilò arbitrantur, contraque venena omnia eſſe remedio.

In hunc locum notat Roüillardus non ſine myſterio dici Druidas ſextâ Lunâ petere viſcum magna religione & ſacrificium facere ſolitos: id Religioni Chriſtianæ applicans, quæ magno cultu ſacrum diem Veneris in Paraſceue celebrat: Sextam autem Lunam vocari, quæ nobis eſt ſexta dies hebdomadæ, ſeu dies Veneris. Nam vt ſupra dictum eſt, Galli non dies & ſoles, ſed lunas & noctes numerabant. Vnde etiamnum hodie hæc vox Gallo-Romana *Annuict* pro *Aniourd'huy*; more ſcilicet Hebræorum & Chaldæorum, qui à veſpera ad veſperam; non ab oriente ſole ad occidentem dies numerabant. Idem quoque notat non ſine myſterio & ſpiritu prophetico Quercum Druidis in tanta veneratione fuiſſe, quia vnum è lignis, ex quibus Chriſti crux compacta fuit, quercus fuiſſe dicitur.

Cæterum nouo potiſſimùm anno ſacrificium iſtud facere ſolebant: atque idcirco indicta ſcholarum vacatione mittebant pridie Diſcipulos ad inquirendum & inueſtigandum viſcum. Vnde vulgatus iſte verſus. *De Viſco Quernio.*

Ad viſcum Druidæ, Druidæ clamare ſolebant.

Quippe illi eo reperto populum inuitabant ad auſpicandum nouum annum. *Principium anni* inquit Theodorus Marcilius, *Druidæ ſolennibus ceremoniis auſpicati ad viſcum magno clamore populum vocabant. Cuius ceremoniæ veſtigia hodieque in Galliæ prouinciis omnibus cernere aliqua licet.*

Quæ porro veſtigia? Docet Vinetus in Notis ad Auſonium, morem ſcilicet eſſe, ſed fere exoleuiſſe, vt quotannis pridie Kalendas Ianu. nonnulli ex ſingularum Curiarum ſeu parochiarum adoleſcentibus quini, ſeni, ſepteni, octoni, noueni deníue cunctos ſuæ Curiæ vicos villaſque, & qui in circumiectis curiis ſunt proximi cum tibicine obeant: Carmine ſtipem petant, aliquid laridi aut panis, quod verubus infixum aſportant; aut pecuniæ quippiam accipiant. poſtridie quidquid collectum fuit, in ædem conuenientes, Numini offerant: id ſtatim auctione vendatur: ea pecuniola, vt Deo conſecrata in ſacros vſus recondatur. Quod autem Carmen inconditum canunt, quam ſtipem accipiunt, & quo die id faciunt AGVILANNEVF vocitant. Hæc Vinetus.

Quid autem vox iſta ſignificet, refert idem ex Merlino San-gelaſiano Engoliſmenſi, ad quem extant Chriſtophori Longolij quædam litteræ. AGVILANNEVF, AOVILANNEVF id. *ad Viſcum τὸν Annum nouum eſſe dicebat. Moremque iſtum ex vetere Druidarum Religione ad nos manaſſe: quippe per ſuos adoleſcentes ita cunctis viſcum ſuum anni principio mitterent; quod qui ferrent, iis aliquod quaſi laboris præmium daretur, clamarentque omnes eo viſo annum eſſe nouum.* idem ſcribit Merula par. 2. Coſmog. l. 3. c. 11. *ſunt*, inquit, *qui illud Au gui lan neuf, quod hactenus quotannis pridie Kal. Ian. vulgo publice cantari in Gallia ſolet, ab Druidis manaſſe autumant*, *ex hoc forte Ouidij.*

Ad viſcum Druidæ, Druidæ clamare ſolebant.

Solitos enim aiunt Druidas per ſuos adoleſcentes viſcum ſuum cunctis mittere, eoque quaſi munere bonum, fauſtum, felicem & fortunatum omnibus annum precari.

Non omnino placet aliis hæc interpretatio & coniectura, quod ſcilicet adoleſcentes à Druidis miſſi viſcum ferrent ad populum: nihil enim erat viſco ſacratius, nec profanis tangere licuiſſet, quod tam ſolemni ritu decerpebatur à Sacerdotibus. Sed potius adoleſcentes reperto viſco mittebantur à Druidis ad populum, vt nunciarent fauſtum annum, & ad ſacrificium inuitarent, his verbis *Au*

Guy à l'au nenf. Ad viſcum accedite, nouus annus eſt. Et eam ob rem à populo mercedulâ aliquâ donabantur. Proculdubio fluxit mos iſte nunciandi & precandi *Aguilanneuf* fauſti ominis ergo, qui hodie etiamnum obſeruatur plus minuſue in omnibus Galliæ prouincijs.

Quod ad humanarum Hoſtiarum ſacrificium attinet: in eo Græci Romanique Druidas accuſant feritatis. Qua de re ſic Cæſar l. 6. *Natio eſt omnis Gallorum dedita Religionibus: atque ob eam cauſam qui ſunt affecti grauioribus morbis, quique in prælijs periculiſque verſantur, aut pro victimis homines immolant, aut ſe immolaturos vouent, adminiſtriſque ad ea ſacrificia Druidibus vtuntur: quod pro vita hominis niſi vita hominis reddatur, non poſſe aliter Deorum immortalium Numen placari arbitrantur: publicéque habent huius generis inſtituta ſacrificia. Alij immani magnitudine ſimulachra habent, quorum contexta viminibus membra viuis hominibus implent: quibus ſuccenſis circumuenti flamma exanimantur homines. Suplicia eorum qui in furto aut latrocinio, aut aliqua noxa ſint comprehenſi, gratiora Diis imortalibus eſſe arbitrantur: ſed cum eius generis copia deficit, etiam ad innocentium ſupplicia deſcendunt.*

Verum non ea ſolum Maiorum noſtrorum conſuetudo fuit, ſed omnium pœnè Gentium. Neſcio an non Abrahamus & Iephte, qui iubente Deo prolem ſuam immolare iuſſi ſunt, huio conſuetudini originem dederint. Ammonitæ tempore Moſis hæc ſacra obſeruabant. Ægyptij viuos homines Typhoni ſuo comburere ſolebant. Carthaginienſes Saturno humanis hoſtiis litare; Latini Egeriæ Nymphæ Albani Lunæ; Græci Dianæ. Et quis neſcit Iphigeniæ immolationem? & quis tandem ignorat id quod Plinius refert l. 30. c. 1. *Nempe ſexcenteſimo quinquageſimo ſeptimo demum anno V. C. Cn. Cornelio Lentulo, P. Licinio Craſſo Coſſ. Senatusconſultum factum eſſe, ne homo immolaretur: palamque in tempus illud ſacra prodigioſa celebrata?*

Porro ſacrificium iſtud duplex erat, priuatum, & publicum. Priuatum, cum quis grauiori aliquo morbo premebatur, aut in periculo imminenti verſabatur, hominem ad redimendam vitam ſuam immolari curabat per Druidas. Publicum, cum Ciuitas aliqua aut Prouincia ſimiliter magno in diſcrimine conſtitutam ſe videbat, publicè certo liberorum hominum, imò Nobilium, ſi malefici aut captiui deeſſent, numero contributo Deorum iram auertere conabatur. Et hoc eſt quod ait Cæſar, *publicè eius generis habent inſtituta ſacrificia.* Similiterque Tacitus de Germanis. *Deorum maximè Mercurium colunt, cui certis diebus, humanis quoque hoſtiis litare fas habent.*

Hominum immolatio.

Qui verò homines immolabantur, triplicis videntur fuiſſe generis, clientes, liberi, & captiui atque malefici. Clientes quidem, quales erant *Ambacti*, quos exiſtimant aliqui fuiſſe ſeruos mercenarios Dominis ſuis certo pretio vitam addicentes: AMBACHT apud veteres Gallos Miniſter erat: cuius vocabuli adhuc vſus eſt in Flandria. Vocant enim Regionum aut locorum Præfectos Præfecturaſque ipſas AMBACHT. Hinc proculdubio fluxit Ambaſciata, *Ambaſſade*, *Ambaſſadeurs.*

Quod ſi nulli eiuſmodi Clientes eſſent, liberi ipſi pro patre morti ſe deuouebant: pro ciuitate vero ſi nulli eſſent captiui aut Malefici, homines liberi & innocentes, ſæpiuſque nobiles immolabantur. De captiuis quidem & Maleficis, ſic Diodorus lib. 6. *Pari ſuæ feritate impietate in Deorum ſacrificiis abutuntur. Noxios enim quinquennio ſeruatos ſudibus affixos Diis ſacrificant, cumque aliis primitiis ſuper ingentes pyras immolant. Captiuos quoque ſacrificant Diis. Quidam de hoſtibus capta animalia vna cum hominibus interfecta aut in ſacris comburunt, aut aliis afficiunt pœnis.*

Verum immania tandem illa ſacra abolita ſunt ab Imperatoribus Romanis. Et primum quidem ab Auguſto, qui Ciuibus Romanis Druidarum ſacris omnino interdixit, ſeu Romæ, ſeu alibi: at Gallis & Druidis nullibi videtur interdixiſſe, ne in vrbe quidem. Tiberius Druidas ipſorumque ſacra ex vrbe ſuſtulit. Plin. l. 30. c. 1. *Tiberij Cæſaris principatus ſuſtulit Druidas eorum; & hoc genus Vatum Medicorumque.* Claudius nec in Gallia quidem eſſe voluit teſte Suetonio in Claud. c. 25. Notat Mela ſub Tiberio deſiiſſe humanas victimas immolare, admotis tamen ad aras ſanguinem emiſiſſe & libaſſe. ſic enim l. 3. c. 2. *manent veſtigia feritatis iam abolitæ: atque vt ab humanis cædibus temperant, ita nihilominus vbi deuotos altaribus admouêre, delibant.*

Digitized by Google

DE LEGISLATIONE, ET PRIVILEGIIS Druidarum.

DVo Druidarum officia fuſiſſimè deſcripſimus: nimirum Docendi rationem & Sacrorum procurationem. Nunc paucis de eorum Iuriſdictione & Legiſlatione ac priuilegiis agendum. Certum eſt eos in adminiſtratione politica Galliarum partem habuiſſe maximam: ſiquidem ait Cæſar eos præmia pœnaſque conſtituiſſe: quæ duo Legiſlationis officium implent.

Habebant quoque Iuriſdicendi poteſtatem maximam, non modò in rebus ad Religionem pertinentibus, ſed etiam in quibuſcumque cauſis tam publicis, quàm priuatis, ita ut iudicia quoque capitalia exercerent, iuſque gladij haberent. Clarè id Cæſar l. 6. *De omnibus Controuerſiis publicis priuatiſque conſtituunt: & ſi quod eſt admiſſum facinus, ſi cædes facta, ſi de hereditate, de finibus controuerſia eſt., Iidem & decernunt præmia pœnaſque conſtituunt.* Hinc, vt ex Strabone notat Forcatulus, Galli Tectoſages & alii qui in Aſiam migrarunt, Conſilium Trecentorum Iudicum compoſuerunt, quod à Quercu & Sanguine *Drynemetum* appellarunt: quoniam eo imperio præditi, quod Iureconſulti Merum vocant, de rebus Capitalibus iudicabant: de cæteris Magiſtratus inferiores.

Certo autem anni tempore in ſiluæ Carnotenſis luco conſecrato Iudiciis exercendis Comitia habebant generalia: vt notat Cæſar loco citato. *Ij certo anni tempore in finibus Carnutorum, quæ Regio totius Galliæ media habetur, conſidunt in Luco conſecrato. Huc omnes vndique qui controuerſias habent conueniunt, eorum iudiciis decretiſque parent.* At ſemel ne tantum in anno, an pluries? Theodorus Marcilius exiſtimat, id facere ſolitos Druidas Sextis quibuſque Lunis Menſium. Atque idcirco ſingulis menſibus ſtatâ die iudicia illa Generalia exercuiſſe.

Pœna verò quam contumacibus & parere detrectantibus infligebant, erat grauiſſima, cuiuſcumque generis, ſortis, aut conditionis eſſent. Nimirum Exſecratio, & vt more noſtro atque recepto loquamur, *Excommunicatio. Si quis autem*, inquit Cæſar, *aut priuatus aut publicus eorum decreto non ſtetit, ſacrificiis interdicunt. Hac pœna apud eos eſt grauiſſima. Quibus ita eſt interdictum, ij numero impiorum ac ſceleratorum habentur. Iis omnes decedunt, aditum eorum ſermonemque refugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant. Neque ijs petentibus ius redditur, neque honor vllus communicatur.* Hinc intelligimus, quanta Druidum eſſet authoritas & poteſtas: tanta ſcilicet, vt Magiſtratus ac Regulos ipſos dicto audientes haberent; ſecus, ſacris arcerent. Quod genus exſecrationis, ſeu excommunicationis in vſu fuit apud omnes fere Gentes.

Quæ verò erant Druidarum priuilegia? hæc duo præcipuè. Immunitas ab armis & immunitas à tributis. Erant enim à ferendis armis immunes, & ſi bellis aderant, auſpiciorum tantum gratia aduocabantur, vacationemque ab omni onere militari habebant. Præterea nullum, qualecumque eſſet tributum, pendere tenebantur. Quibus præmiis adducti & allecti complures in eorũ ſocietatem & ſodalitium adſciſci cupiebant. Nam plebs tributorum onere, ſeruorum adinſtar premebatur: Nobilitas aſſiduo bellorum labore & ſumptibus fatigabatur: Illi ſoli eorumque Diſcipuli ab vtroque onere immunes erant. Hac de re Cæſar lib. 6. *Druides à bello abeſſe conſueuerunt, neque tributa vna cum reliquis pendunt. Militiæ vacationem, omniumque rerum habent immunitatem. Tantis excitati præmiis & ſua ſponte multi in Diſciplinam conueniunt, & à propinquis parentibuſque mittuntur.*

DE
ACADEMIA
MASSILIENSI.

MASSILIENSIS Academia Græcis Phocenſibus, non Gallis indigenis, aut Romanis adſcribenda. Phocenſes enim ex Phocæa Ioniæ Ciuitate, ſeu Harpagi Præfecti Perſarum crudelitatem fugientes (quo tempore à Medis ad Perſas tranſlatum eſt imperium, captaque à Nabuchodonoſore Hieroſolyma) ſeu piraticæ longius latiuſque exercendæ deſiderio, quæ ilis temporibus honori & gloriæ ducebatur, primum in Italiam oſtio Tiberino Ducibus Simone & Protide inuecti, cum Tarquinio Superbo, vel vt Liuius & Euſebius ſcribunt, cum Priſco amicitiam pacti, maritimos Galliæ fines ad oſtium Rhodani amnis attigerunt: cuius loci amœnitate capti ſedem ibi ponere, & vrbem ædificare conſtituerunt poſt leuia quædam cum Gallis & Segoregiis illius plagæ incolis commiſſa feliciter prælia. Quidam autem ex iis in patriam reuerſi referunt, quæ viderant, pluresque inuitant ad demigrandum. Imo ſi vera referunt Hiſtorici, omnes communi conſilio patrium ſolum relinquunt, additis etiam exſecrationibus, ne quiſquam de repetendâ olim patriâ cogitaret. Vnde abiit in prouerbium Φωκέων Ἀρά *Phocenſium Execratio*: quod dicitur de Iureiurando multis vinculis adſtricto. Cuius Execrationis meminit Horatius 1. Epod.

Forte quid expediat communiter, aut melior pars
Malis carere quæritis laboribus.
Nulla ſit hac potior ſententia Phocæorum
Velut profugit execrata Ciuitas,
Agros atque lares patrios habitandaque fana
Apris reliquit & rapacibus Lupis.

Deinde quis fuerit illius execrationis ritus, ſequentibus verſibus exponit.

Sed iuremus in hac. Simul imis ſaxa renarint
Vadis leuata, ne redire ſit nefas.
Neu conuerſa domum pigeat dare lintea, quando
Padus Matina lauerit cacumina.
In mare ſeu celſus procurrerit Apenninus,
Nouaque monſtra iunxerit libidine
Dirus amor, iuuet vt tigres ſubſidere ceruis,
Adulteretur & columba Miluio:
Credula nec flauos timeant armenta Leones,
Ametque ſalſa leuis Hircus æquora.
Hæc & quæ poterunt reditus abſcindere dulces,
Eamus omnis execrata Ciuitas.

Igitur illis iuxta Dianæ oraculum Ariſtarcho Duce, vel vt alij ſcribunt, Furio & Perano Claſſis Ductoribus Galliæ partem, quæ Narbonenſis poſtea dicta eſt à Romanis, appellunt, ibique ſedem collocant & vrbem condunt, quam Maſſiliam vocant à fortuito euentu. Nauclerus enim Piſcatorem aduertens, quem Græci Ἀλιέα vocant, protinus μᾶσαι ἐκέλευσε τὸ ἀπόγαιον σχοινίον id. *religare iuſſit altera-*

neum funem. Hoc ex Timæo Rhodiginus l. 16. c. 8. *μάσαι* enim Æolibus eſt, quod aliis *δῆσαι alligare.* Ἁλιεὺς verò *Piſcator eſt.* ac proinde *ἐκ τῦ ἁλιέως καὶ τῦ μάσαι* dicta Maſſilia.

Tunc erat Segoregiorum, vel vt alij ſcribunt, Segobrigiorum Rex Senannus ſeu Nannus: qui eum aduenas expellere non poſſet nec prohibere, quominus in ſuis finibus ſedem ponerēt, vltro pacto cum iis fœdere, Duces eorum ad cœnam inuitauit nuptialem, in qua de more Gentis eligendus erat Gyptidi filiæ ſponſus. Illuc primaria nobiliras vicinarum Ciuitatum conuenerat: tum Gyptis introducta iuſſaque in eum peluim lauandis manibus aduertere, quem ſibi præ omnibus virum deligeret, ſpretis popularibus ad Græcos conuerſa, Perano eorum Duci, cuius forma & vrbanitare ſe correptam ſenſit, humaniſſimè porrexit. Ita ex hoſpite Gener factus præter ſpem Peranus, locum condendæ vrbi facile à Socero impetrat: quam conditam intra breue tempus populoſiſſimam reddit confluentibus eò Saliis & vicinarum gentium incolis: tantam in aduenis iſtis morum ciuilitatem demiratis. Hæc fere ex Iuſtino l. 43. c. 3.

Profuit Phocenſibus ad ſtabiliendam vrbem imperiumque ſuum armorum litterarumque exercitium. Ecce illis defuncto Nanno ſtatim à Comano filio Segobrigiorum quoque Rege vltro bellum infertur. At quos non audebat aperto Marte laceſſere, inſidiis circumuenire nititur, accepta Floraliorum occaſione, quam diem Græci ſolemniter celebrabant. Verum detectus & proditus abſtinuit deinceps viros fortes bello prouocare. Hae de re ſic Iuſtinus loco citato. *Mortuo Rege Nanno Segobrigiorum, à quo locus acceptus condendæ vrbis fuerat, cum Regno filius eius Comanus ſucceſſiſſet, affirmante Regulo quodam quandoque Maſſiliam exitio finitimis populis futuram, opprimendamque in ipſo ortu, ne mox validior ipſum obrueret, Subnectit & illam fabulam. Canem aliquando partu grauidam locum à paſtore precariò petiiſſe, in quo pareret: quo obtento, iteratò petiiſſe, vt ſibi educere eodem in loco Catulos liceret; ad poſtremum adultis Catulis fultam domeſtico præſidio proprietatem loci ſibi vindicaſſe. Non aliter Maſſilienſes qui tunc inquilini videantur, quandoque Dominos Regionum futuros. His incitatus Rex inſidias Maſſilienſibus extruit. Itaque ſolenni Floraliorũ die multos fortes ac ſtrenuos viros hoſpitii iure in vrbem miſit. Plures ſcirpiis latentes frondibuſque ſupertectos induci vehiculis iubet: & ipſe cum exercitu in proximis montibus deliteſcit, vt cum nocte à prædictis apertæ portæ forent, tempeſtiuè ad inſidias adeſſet, vrbemque ſomno ac vino ſepultam armatis inuaderet. Sed eas inſidias Mulier quadam Regis cognata prodidit, quæ adulterare cum Græco adoleſcente ſolita, in amplexu iuuenis miſerata formæ eius, inſidias aperuit, periculumque declinare iubet. Ille rem ſtatim ad Magiſtratus defert: atque ita patefactis inſidiis cuncti Ligures comprehenduntur, latenteſque de ſcirpiis protrahuntur.*

Similiter illi Carthaginienſes debellant, & tandem rebus terra marique feliciter geſtis vrbes alias quaſi Colonias & certiſſima præſidia condunt, & conſtituunt; Agathen, Taurentum, Antipolin, Niceam, Aphrodiſium, Arelaten, quam primum Thelinen vocarunt teſte Auieno. Quia verò Floraliorum diebus vrbs pœne capta fuerat, inſtituerunt, vt feſtis diebus portæ clauderentur & excubiæ deinceps agerentur, eodem Iuſtino referente. *Exinde Maſſilienſes feſtis diebus portas claudere, vigilias agere, ſtationem in muris obſeruare, peregrinos recognoſcere, curas habere, ac veluti bellum habeant, ſic vrbem pacis temporibus cuſtodire. Adeo illic bene inſtituta non temporum neceſſitate, ſed rectè faciendi conſuetudine ſeruantur.*

Cum Romanis autem, eodem teſte, pœne ab incunabulis vrbis amicitiâ contractâ fœdus ſummâ fide cuſtodierunt, auxiliiſque ſocios in bellis omnibus induſtriè iuuerunt: adeo vt cum audiuerunt Romam à Gallis captam fuiſſe duce Brenno, eam rem publico funere proſecuti ſint, aurumque & argentum publicum & priuatum contulerint ad explendum pondus Gallis, à quibus redemptam pacem cognouerant. Ob quod meritum & immunitas illis decreta & locus ſpectaculorum in ſenatu datus, & fœdus æquo iure percuſſum. Vnde cum Cæſar in bello ciuili ad ſuas partes conaretur adducere Maſſilienſes, illi conſtantes in fide permanſerunt, neque ſe partium fautores, ſed amicos, ſocios & adiutores eſſe velle reſponderunt. Extat legatorum ad Cæſarem oratio apud Lucanum l. 3.

Semper in externis populo communia veſtro
Maſſiliam bellis teſtatur fata tuliſſe,
Compreſa eſt Latiis quæcumque annalibus ætas:

Et nunc ignoto ſi quos petis Orbe triumphos,
Accipe deuotas externa in prælia dextras.
At ſi funeſtas acies, ſi dira paratis
Prælia diſcordes; lacbrymas Ciuilibus armis
Secretumque damus.
Sit locus exceptus ſceleri Magnoque Tibique
Tutus, vt inuictæ fatum ſi conſulat vrbi,
Fœdera ſi placeant, ſit quo veniatis inermes.
Vel cum tanta vocent diſcrimina Martis Iberi,
Quid rapidum deflectis iter? non pondera rerum,
Nec momenta ſumus: nunquam felicibus armis
Vſa manus patriæ primis à ſedibus exul,
Et poſt tralatas exuſtæ Phocidos artes,
Mœnibus exiguis alieno in litore tuti,
Illuſtrat quos ſola fides.

Addit Iuſtinus à Phocenſibus illis Gallos vitæ cultum depoſitâ barbarie, & agros colere & vrbes mœnibus cingere didiciſſe, legibus non armis viuere, vitem putare, oliuam conſerere; adeoque magnum per eos & hominibus & rebus impoſitum eſſe nitorem, vt non Græcia in Galliam emigraſſe, ſed Gallia in Græciam tranſlata eſſe videretur.

Schola Maſſilienſis.

Imprimis verò Gymnaſium & litterarum omnium Emporium nobiliſſimum & celeberrimum Maſſiliæ inſtituunt: atque idcirco peritiſſimos quoſque è Græcia & Ionia Magiſtros erudiendæ Iuuentuti aduocant & præficiunt. Fit itaque ſtatim illuc vndique concurſus Docentium & Diſcentium: illorum quidem, muneribus & præmiis, horum verò facilitate methodi & elegantiâ profeſſionis illectorum. Quippe apud Druidas viceni anni conſumebantur in ſpecubus & cryptis nemorum & ſiluarum. Apud Maſſilienſes autem artium profeſſionumque diuerſitas, ciuilitas morum, comitas & conuerſatio delectabant. Erant enim qui Grammaticam profitebantur, erant qui Eloquentiam, Philoſophiam, Medicinam, Iuriſprudentiam, Theologiam in ſuo quiſque genere, & ſcholâ exercebant: idque primùm Græcâ linguâ; deinde inito cum Romanis fœdere & commercio, Latinâ: vnde teſte Varrone dicebantur à Latinis *Trilingues*, à Græcis τρίγλωσσοι, quia Græco, Latino, Gallicoque ſermone vtebantur: vt ait Iſidorus l. 15. c. 1. quo loco addit Maſſiliam de nomine ſui Ducis Phocenſes nuncupaſſe.

Hinc ergo Maſſilienſis Ciuitas antonomaſticè vocata fuit Athenopolis, ſeu Athenæ Gallica, aut Alteræ Athenæ: quò nempe Romani, Itali, Germani, Hiſpani, Galli, Græci ipſi ſe conferebant ad diſcendum Eloquentiam, Philoſophiam, Iuriſprudentiam, Medicinam aliaſque artes relictis Athenis, Româ tot nobilium Oratorum ſcholâ, aliiſque Academiis. ἡ Μασσαλία πόλις Ἑλληνική, inquit Strabo. l. 4. τοσοῦτον δὲ τοὺς λόγους, καὶ τὴν φιλοσοφίαν ἔργῳ ἐξήσκησαν, ὥστε τοὺς φιλομαθεῖς ἐγχειμένους Ῥωμαίους μὴ εἰς Ἀθήνας, ἀλλ' εἰς Μασσαλίαν πορεύεσθαι. id. *Adeo Eloquentiam & Philoſophiam perfectè exercuerunt, vt quicumque Romanorum deſiderio diſcendarum litterarum tenebantur, Maſſiliam, non amplius Athenas proficiſcerentur.*

Amplius facit ad laudem Maſſilienſis Academiæ, quod ſcribit Cic. in Orat. pro Flacco n. 63. *Neque vero*, inquit, *te Maſſilia prætereo, quæ L. Flaccum militem Quæſtoremque cognoſti. Cuius ego Ciuitatis diſciplinam atque grauitatem non ſolum Græciæ, ſed haud ſcio, an cunctis Gentibus anteponendam iure dicam: quæ tam procul à Græcorum omnium regionibus, diſciplinis linguaque diuiſa, cum in vltimis terris cincta Gallorum Gentibus, Barbariæ fluctibus alluatur, ſic Optimatum ſtudio gubernatur, vt omnes inſtituta eius laudare facilius, poſſint quàm æmulari.* Eandem vocat *Nouas Galliarum Athenas, litterarum & ciuilitatis Emporium*. Illuc Auguſtus Iulium Antonium relegauit *vbi ſpecie ſtudiorum*, inquit Tacitus, *nomen exilij tegeretur.* Et prius idem Auguſtus Titi Arrij filium in parricidio deprehenſum Maſſiliam relegauerat.

Quod autem mirabile eſt, homines ita tranſplantati in alieno ſolo, circumfuſi tot Gentibus diuerſorum morum, ſonum linguæ, mores ingeniumque patriæ, ſcilicet Phocidos retinuerunt, vt intelligimus ex oratione Rhodiorum in Senatu Romano apud Liuium. 7. Dec. 4. *Maſſilienſes*, inquiunt, *quos ſi natura inſita velut ingenio terræ vinci poſſet, iam pridem efferaſſent tot indomitæ circumfuſæ Gentes*

in eo honore, in ea meritò dignitate audimus apud vos eſſe, ac ſi medium vmbilicum Græcia incolerent. Non enim ſonum modò lingua veſtitumque & habitum, ſed ante omnia mores & leges & ingenium ſincerum integrumque à contagione Accolarum ſeruarunt.

Eandem Ciuitatem Tacitus vocat MAGISTRAM STVDIORVM, hincque Agricolæ ſocero ſuo laudem non vulgarem conciliat, quod ibi bonis moribus boniſque Artibus & Diſciplinis informatus fuiſſet à pueritia. *Arcebat*, inquit, *eum ab illecebris peccantium præter ipſius bonam integramque naturam, quod ſtatim paruulus* SEDEM *ac* MAGISTRAM STVDIORVM *Maſſiliam habuerit, locum Græcâ comitate & Prouincialium Parſimoniâ mixtum beneque compoſitum.* Teſtis etiam Cæſar l. 2. Belli Ciuilis, quantâ valuerint eloquentiâ Maſſilienſes Oratores, cum legatos ſuos ab oppugnatione vrbis deſiſtere impulerunt. *Hæc*, inquit, *atque eiuſdem generis complura, vt ab hominibus Doctis magna cum miſericordia fletuque pronunciantur. Quibus rebus commoti legati milites ex opere deducunt, oppugnatione deſiſtunt, operibus cuſtodias relinquunt. Induciarum quodam genere miſericordiâ facto aduentus Cæſaris exſpectatur.*

Nullum eſt autem Facultatum ſeu Artium & diſciplinarum genus, quod Maſſiliæ non floruerit: imprimis verò Mathematicæ diſciplinæ & Aſtrologia, Iuriſprudentia, Medicina, Eloquentia cæteræque artes liberales ibi commendatiſſimæ fuerunt. Et in iis facultatibus excelluerunt complures viri magni nominis & famæ etiam apud cæteras Gentes. In Mathematicis & Aſtrologia, Telon, Gyareus, Lydanus, Pytheas, Eratoſtenes, Eudimenes: quorum Telon & Gyareus fratres in oppugnatione Cæſariana inſignem laudem repugnando meruerunt, teſte Lucano l. 3.

Artium variarum exercitium.

Mathemat.

Dirigit huc puppim miſeri quoque dextra Telonis,
Quâ nullus melius Pelago turbante Carinæ
Audiuere manum, nec lux eſt notior vlli
Craſtina, ſeu Phœbum videas, ſeu cornua Lunæ
Semper venturis componere carbaſa ventis,
Hic Latiæ roſtro compagem ruperat alni,
Pila ſed in medium venêre trementia pectus,
Auertitque ratem morientis dextra Magiſtri.
Dum cupit in ſociam Gyareus erumpere puppim,
Excipit immiſſum ſuſpenſa par ilia ferrum,
Affixuſque rati telo retinente pependit.
Stant gemini fratres fœcundæ gloria matris.

Pythias ſeu Pytheas litterarum quoque claritate, præſertim verò Geographiæ notitiâ illuſtris commendatus eſt ab omnibus Gentibus. Eius meminit Plinius l. 2. c. 75. quanquam Strabo eius inſcitiam arguit circa inſulam Thulen.

Geograph.

In Medicinæ profeſſione inter cæteros excelluerunt Crinas, Carmides, Demoſthenes. Crinas quidem Nerone Claudio Imperatore primus, vt creditur, Medicinæ ſcientiam atque vſum in Schola Maſſilienſi prouexit: & ita in eo ſtudio profecit, vt ſi cum aliis eiuſdem Artis profeſſoribus conferatur, longè omnes ſuperaſſe videatur. De eo ſic habet Plinius l. 29. c. 1. *Tum Crinas Maſſilienſis arte geminata, vt cautior religioſiorque ad ſiderum motus ex ephemeride Mathematicâ cibos dando, horaſque obſeruando authoritate Theſſalum præceſſit; nuperque H S. C. reliquit muris patriæ, mœnibus quoque aliis non minori ſumma extructis.* Idem de Carmide ibidem ſic ſcribit. *Hi regebant fata; cum repente Ciuitatem Carmis ex eadem Maſſilia inuaſit; damnatis non ſolum prioribus Medicis, verum & balneis: frigidaque etiam hibernis algoribus lauari perſuaſit. Merſit ægros in lacus. Videbamus ſenes Conſulares vſque in oſtentationem rigentes.* Et ſub finem eiuſdem cap. *Notum eſt ſub eodem Carmide vnum agrum ex Prouincialibus H S. ducentis conductum Archontio vulnerum medico H S.C. condemnato ademiſſe Claudium Principem. Eidemque in Gallia exulanti, & deinde reſtituto acquiſitum non minus intra paucos annos.* Eiuſdem meminit Rhodiginus l. 23. c. 34. Demoſthenes autem homo nauus atque induſtrius, experientiſſimus ac diligentiſſimus Medicus admirationem etiam Galeno Medicorum Principi peperit, à quo laudatur l. 5. c. 11.

Medicinâ

In Iuriſprudentia commendantur ſupra cæteros Menecrates, alter Scæuola dictus; Charmoleus dignitate ſuppar, in re Forenſi verſatiſſimus, Iudex æquiſ-

Iuriſprudentia. ſimus ; Zenotenus Charmolei filius cum Menecrate omni Officiorum genere coniunctiſſimus, de quibus Lucianus in Toxari. Ex hocce virorum Collegio aſſumebantur Senatores Maſſilienſes & Quindecim-primi Senatus Principes, de quibus infra dicetur.

In cæteris Artibus, præſertim verò in Grammatices & Eloquentiæ profeſſione excelluerunt Antonius Gnipho, Phauorinus Arelatenſis, Caſtor Maſſilienſis, Pe-*Grammatica. Rhetorica.* tronius Arbiter Caſtoris Diſcipulus, Oſcus ſiue Oſcius, Pacatus, Victorinus, Coruinus, Trogus Pompeius ; & poſtremis temporibus Saluianus, Caſſianus & alii innumeri. Gnipho quidem ingenuus teſte Suetonio in lib. de Illuſtr. Grammat. ſed expoſitus, à Nutritore ſuo manumiſſus & inſtitutus Alexandriæ. *Fuiſſe dicitur ingenii magni, memoriæ ſingularis, nec minus Græcè quam Latinè doctus: præterea comi facilique natura, nec vnquam de mercedibus pactus, eoque plura ex liberalitate diſcentium conſecutus. Docuit primum in D. Iulij Domo pueri adhuc ; deinde in ſuâ priuatâ. Docuit autem & Rhetoricam, itaut quotidie præcepta eloquentiæ traderet, declamaret verò non niſi nundinis. Scholam eius claros quoſque viros frequentaſſe aiunt, in his M. Ciceronem, etiam cum prætura fungeretur.* L. Præconinus dictus alter Lælius, encomium facere & orationes nobiliſſimo cuique ſcribere ſolebat initio : deinde Rhetoricam docere aggreſſus Tiberio Imperante, & à Romanis Maſſiliam miſſus eſt, vt Græcam Maſſilienſis Academiæ Rhetoricam Latinè redderet. Cum vero de Comicis Tragicíſque dictionibus, deque Ionicis & Atticis dialectis nimis curioſè multa conſcriberet, Minutij nomen, eo quod minuta iſta ſectaretur, reportauit.

In eadem Academia docuiſſe fertur Caſtor Secundarij filius, Deiotari Galatiæ Regis Gener: poſtea verò ab ipſo Deiotaro cum coniuge interfectus. Ille reliquit libros elegantes de Babylone, de perſuadendo, artem dicendi, & Annalium ignorationes, alioſque multiiugâ Doctrinâ pleniſſimos : quem Caſtorem antea obſcurum Cicero dicit nobilitatum fuiſſe ductâ filiâ Deiotari, ex quâ Caſtorem filium ſuſcepit, à quo demum Deiotarus auus apud Cæſarem ſtructatum inſidiarum inſimulatus eſt. Caſtoris illius maioris Oratoris facundiſſimi ſcribunt aliqui fuiſſe filium Petronium Arbitrum. At Suidas filium vult fuiſſe Galatæ aut Rhodij cognomento Philoromæi, ab amore erga Romanos: vt refert Forcatulus l. 6.

Petronius etiam ipſe tam ſolutâ, quàm ſtrictâ oratione claruit inter primos ætatis ſuæ Oratores & Poëtas, ſed vitæ parum pudicæ fuit : vnde inuidia in eum Tigellini, quaſi aduerſus æmulum & ſcientiâ voluptatum potiorem, vt ait Tacitus l. 16. Annal. Proconſul tamen Bithyniæ fuit, & mox Conſul. *Dein reuolutus ad vitia, ſeu vitiorum imitationem inter paucos familiarium Neronis aſſumptus eſt elegantiæ arbiter, dum nihil amænum & molle affluentia putat, niſi quod ei Petronius approbauiſſet.* De eius laſciuis moribus ſatis clarè Sidonius Apollinaris in Narbone.

Et Te Maſſilienſium per hortos
Sacri ſtipitis Arbiter colonum
Helleſpontiaco parem Priapo.

Obiit L. Suetonio & L. Teleſino Coſſ. biennio antequam Petrus & Paulus paterentur. Extant quædam eius opera, ſed magna eorum pars periit longinquitate temporum.

Iiſdem temporibus Rhetoricam profitebatur Statius Tolotenſis, forte Tolonenſis *de Toulon* cuius meminit Robertus Antiſſiodorenſis in chronico: vbi ait D. Paulum Romæ biennium in libera cuſtodia retentum fuiſſe, verbum Domini liberè prædicando multoſque conuertendo. *Poſt biennium autem*, inquit, *relaxatus Hiſpaniam petiit, & Arelaten Trophimum, Viennam vero Creſcentem ad prædicandum miſit. Statius Tolotenſis celeberrimè in Gallia Rhetoricam docet.* Item Oſcus ſeu Oſcius Oratoriam profitetur Maſſiliæ & Romæ. Diſcipulus fuit Porcij Latronis ; cuius eloquentiæ ſpeciem ita ſibi formauit, vt in ea penitus reconditos Magiſtri ſui mores effingeret. De eo Seneca in 6. Controuerſ. *Oſcus non incommodè dixit.*

Quid dicemus de Phauorino Arelatenſi, quem eruditio ſingularis morumque grauitas ſupra omnes ſui ſeculi Rhetoras, Philoſophos, Geometras & Aſtrologos longè extulit. Ille Maſſiliæ primum, deinde Athenis docuit, & in Academicorum Schola maximè floruit : vbi A. Gellium inter cæteros Diſcipulum habuit, & ſtatua donatus eſt. Romam poſtea venit Traiano Imperante : ſed mox Adriano Cæſari inuidioſus fuit, quia neminem in omni Diſciplinarum genere ſi-

Digitized by Google

biparem ferre poterat. Æmulus fuit Plutarchi, & Heliodori, quē Cæſar Epiſtolarum Magiſtrū de Philoſophiæ Profeſſore fecerat, cum Rhetorem diſertum facere non poſſet, inquit vrbanè ſatis Dionyſius Mileſius Phauorini admirator. Prodigij autem loco reputatum eſt, quod homo Gallus; Græcè doctus: Eunuchus, adulter creditus; & Adriano Imperatori infeſtus viueret. Sub vitæ finem in Patriam redire voluit, cui immunitatem poſtulauit, ſed veritus ne fruſtra, quia Principem ſibi aduerſantem habebat, nihil aliud dixit, niſi ſe ita inſtitutum à Magiſtro, vt patriæ ſuæ chariſsimæ conſuleret.

Latinus Pacatus Drepanus elegantis ingenij & iudicij vir, Rhetor facundiſſimus prudentiam cum Eloquentia ita iunxit, vt apud omnes ordines potens fuerit & gratioſus. Eius extat elegans Panegyricus Romæ dictus in Senatu Theodoſio Seniori Imperatori. Cuius hoc eſt exordium. *Si quis vnquam fuit, Imp. Auguſt. qui te præſente dicturus ante trepidauerit, eum profectò me eſſe & ipſe ſentio, & his qui conſilium tuum participant, videri poſſe video. Nam cum te ſemper vltra omnes retro principes laudari oportuerit, nunc porro vltra quàm aliàs prædicatus es, in ea vrbe conueniat dicendo celebrari, cuius & libertatem armatus aſſeruiſti, & auxiſti dignitatem togatus, quo tandem modo conſequi maieſtatem vtriuſque veſtrum oratione mea potero? hoc præcipue in tempore, quo ambo ita mutuò creuiſtis, vt nec tu fueris adhuc maior, nec illa felicior. Huc accedit Auditor Senatus, cui cum difficile ſit pro amore quo in te præditus eſt, de te ſatisfieri, tum difficilius pro ingenita atque hereditaria orandi facultate non eſſe faſtidio rudem hunc & incultum Tranſalpini ſermonis horrorem, præſertim cum abſurdæ ſiniſtraque iactantiæ poſſit videri his oſtentare facundiam, quam de Deorum fonte manantem in noſtros vſque vſus deriuatio ſera traduxit.* Hinc ex vngue Leonem diſce.

Claudius Marius Victor, ſeu Victorinus & Coruinus Rhetores & Oratores percelebres Maſsiliæ quoque floruerunt Theodoſio & Valeriano Imperatoribus. Et iiſdem temporibus Ioannes Caſſianus S. Chryſoſtomi Diſcipulus, qui Maſſiliam vt ad publicum totoque orbe celeberrimum Ludum Conſtantinopoli & Roma ablegatus ſe contuliſſe fertur. De eo ſic habet ad an. 427. Robertus Antiſſiodorenſis. *Ioannes Caſsianus claret, qui à Ioanne Chryſoſtomo Diaconus ordinatus, ſed poſtea de Conſtantinopolitana Eccleſiâ ab ipſo eiectus apud Maſsiliam Galliæ Presbyteri honorem adeptus eſt. Hic ſcripſit experientia magiſtrante, librato ſermone & vt apertius dicamus, ſenſu verba inueniens & actione linguam mouens res omnium Monachorum profeſsioni neceſſarias & compertas in Ægypto vitas, Patrum Doctrinaſque & Regulas datis ad plurimos libris expoſuit.*

Ex eadem Academia prodierunt Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus, Eucherius Lugdunenſis, Saluianus Maſſilienſis, Auitus Viennenſis, Saloninus & Vrbanus Saluiani Diſcipuli, Honoratus Maſsilienſis, Gennadius quoque Presbyter Maſſilienſis, & alij plurimi. Verum hæc celebris ſchola poſt expulſos è Gallia Romanos circa initia Imperij Francici ſplendorem antiquum amiſit & dignitatem litterarum. Captâ enim à Burgundionibus Maſſiliâ, à Gothis & Vandalis vaſtatâ barbaries in eum locum inuecta eſt, vbi tandiu Muſæ regnauerant. Itaque poſtremi Magiſtrorum alicuius nominis fuiſſe videntur Saluianus & Auitus Viennenſis. De vtroque Robertus Antiſſiodorenſis in Chronico. *Saluianus Maſsilienſis Eccleſiæ Presbyter floret* (ad an. 475.) *qui humana & diuina litteratura inſtructus & Epiſcoporum Magiſter ſcripſit ſcholaſtico & aperto ſermone multa.*

De Auito verò Viennenſi ſic idem author ſcribit. *Claret Auitus Viennenſis Epiſcopus ſcientiâ ſecularium doctiſsimus & ſanctitate præcipuus. Hic metricè de conditione mundi libros compoſuit. Hic aduerſus hæreſim Arrianam, quæ tunc non ſolum Africam, ſed & Galliam Italiamque ex parte occupauerat, magno ſudore decertauit. Quod clariſsima eius opera teſtantur. Scripſit enim Dialogum ſatis elegantem, hæreſim illam oppugnans fideliſsimo & doctiſsimo immortalique ingenio ad Gundebaudum Burgundionum Regem filium Gundouari. Item alios libellos duos contra Neſtorium Epiſcopum & Eutychen Abbatem authores erroris ſcripſit luculentiſsimo & caſtigato ſermone. Fuerunt & alia illius plura eximia opera in Chriſti Eccleſia probatiſsima. Hic Sigiſmundum Regem in fide pietatis erudiuit. Qui agente illo poſtmodum Monaſterium SS. Martyrum Agaunenſium MaurICY & Sociorum eius conſtruxit. Quem poſtmodum captum & à Francis occiſum vehementer doluit. Huius in Præſulis Epitaphio inter alia ſic dicitur.*

BIBLIOTECA N.LE ROMA VITTORIO EMANUELE

Vnus in arce fuit, cui quolibet ordine fandi,
Orator nullus ſimilis, nulluſque Poeta.
Clamant quod ſparſit, per crebra volumina libri,
Qui vixit, viuit, perque omnia ſecula viuet.

Ex hac autem illuſtri & in omni Diſciplinarum genere florentiſſima ſchola, cæteræ Galliarum vrbes tum publicos profeſſores, tum priuatos præceptores & pædagogos accipere ſolebant olim, Grammaticos, Rhetoras, Philoſophos, Medicos, grandique ſtipendio & mercede conducebant, vt notat Strabo. Nam vt olim nemo ſatis eruditus ſatiſque doctus eſſe reputabatur, qui Athenis non ſtuduiſſet: in Gallia tempus fuit, cum nemo crederetur eloquens, aut cuiuſcumque artis liberalis ſatis gnarus, qui Maſſilienſem Academiam non frequentaſſet. Quæ res Gallos ita φιλέλληνας reddidit, vt teſte Cæſare in omnibus rebus, publicis priuatiſque rationibus Græcis litteris vterentur. Quod etiam notauit Strabo l. 4. Cuius locum licet paulò longiorem ideo lubentius attexemus, quod Scholas Maſſilienſes mirificè illuſtret & commendet. Deſcribit igitur ſtatum Maſſiliæ, qualis erat ſuo tempore, elegantiam & frequentiam: quò ſcilicet omnes qui paulò elegantiores eſſe vellent, ad docendum philoſophandumque ſe conferre ſolebant. Sic igitur ille. πάντες γὰρ οἱ χαρίεντες πρὸς τὸ λέγειν τρέπονται καὶ φιλοσοφεῖν. ὥστ' ἡ πόλις μικρὸν μὲν πρότερον τοῖς βαρβάροις ἀνεῖτο παιδευτήριον, καὶ φιλέλληνας οὕτω κατεσκεύασε τοὺς Γαλάτας, ὥστε καὶ τὰ συμβόλαια Ἑλληνιστὶ γράφειν. ἐν δὲ τῷ παρόντι καὶ τοὺς γνωριμωτάτους Ῥωμαίων πέπεικεν ἀντὶ τῆς εἰς Ἀθήνας ἀποδημίας ἐκεῖσε φοιτᾶν, φιλομαθεῖς ὄντας. ὁρῶντες δὲ τούτους οἱ Γαλάται καὶ ἅμα εἰρήνην ἄγοντες τὴν σχολὴν ἄσμενοι πρὸς τοὺς τοιούτους διατίθενται βίους, οὐ κατ' ἄνδρα μόνον, ἀλλὰ καὶ δημοσίᾳ. σοφιστὰς γοῦν ὑποδέχονται, τοὺς μὲν ἰδίᾳ, τοὺς δὲ αἱ πόλεις κοινῇ μισθούμεναι καθάπερ καὶ ἰατρούς. *Id. qui paulo elegantiores ibi ſunt homines, y ſe ad dicendum Philoſophandumque conferunt. Atque adeo vrbs ea paulo ante quidem Barbaris loco ludi litterarij patefacta fuit, & Græcarum literarum ſic ſtudioſos reddidit Gallos, vt contractuum quoque formulas Græcè conſcriberent. Nunc verò nobiliſſimis etiam Romanorum perſuaſit, vt ſtudiorum cauſâ pro Athenienſi peregrinatione Maſſilienſem amplectantur. Quos cum videant Galli, quia in pace viuitur, ipſi quoque lubentes otium huic vitæ inſtituto impendunt, non modo priuatim, ſed etiam publicè. Nam præter* SOPHISTAS *qui priuatis ſumptibus commeant, publicis etiam Ciuitatum ſtipendiis cùm* SOPHISTÆ, *tum Medici aluntur.*

Ex hoc loco duo præſertim intelligimus. Primum eſt, quod excellentiſſimæ huius Academiæ exemplum plurimæ Galliarum Ciuitates imitatæ publicas quoque ſcholas erexerint aduocatis ad eam rem Maſſilienſibus Magiſtris, ſicque ex ea veluti ex equo Troiano innumeri prodierint Profeſſores & Magiſtri.

Alterum eſt, quod hæc ſcholarum in variis vrbibus erectio, hæc cum Græcis hominibus communicatio, adeo ſtudioſos linguæ Græcæ Gallos reddiderit, vt non tantum in priuatis congreſsibus & colloquiis familiaribus, ſed in publicis quoque contractibus ſermone Græco vti voluerint, *cum in reliquis fere rebus*, inquit Cæſar lib. 6. *publicis priuatiſque rationibus, Græcis literis vtantur.* Inde tabulæ illæ in Caſtris Heluetianis repertæ, Græcis literis confectæ, quæ ad Cæſarem perlatæ fuerunt. Inde plurimus in noſtro Gallo-Romano Helleniſmus, inquit Vinetus. Hinc Iulius Auſonius Græcam linguam melius nouiſſe dicitur, quàm Latinam, ſeu in media ipſa Maſſilia ſermonem Græcum cum Medicina didiciſſet, ſeu domi in patria habuiſſet præceptorem aliquem, à quo doceretur. Hinc Burdigalæ Paulinus puer inſtitutus eſt Graiis etiam famulis adhibitis, qui cum puerulo Græcè colloquerentur.

Vſus linguæ Græcæ in Gallia.

Non ergo admittendum, quod aliqui ſomniant, Gallos litteris quidem ſeu Characteribus Græcis in ſcribendo vſos, non item ſermone. 1. Enim multi viri docti literas Græcas non Græcæ, ſed Gallicanæ inuentionis, appellationis & efformationis eſſe putant. quandoquidem ipſi Græci Characteres α, β, γ, & reliquos quibus vtuntur, fatentur non eſſe Græcos, ſed Barbaros. legimus enim apud Varronem l. 7. de Ling. Latin. Cum Crates Græcus Quæſtionem Grammaticam in Græcia agitaret, quæreretque cur prima littera diceretur *Alpha*, non *Alphatos*, Græcos alios Grammaticos reſpondiſſe, *Hac non ſunt vocabula noſtra, ſed Barbara.* Et apud Ariſtotelem, Philoſophiam à Gallorum ſeu Celtarum Semnotheis, ſeu Samotheis initium cepiſſe, Galliamque Græciæ fuiſſe Magiſtram.

2. Quis dicat Gallos ob id vocatos fuiſſe φιλέλληνας, quod Græcis Characteribus vterentur? ſicut quis eoſdem, & alios innumeros populos φιλορωμαίους vocet, quod Romanis notis in expreſsione linguæ ſuæ vtantur? planè enim ridiculum eſt dicere quemquam Latinè ſcire eò tantùm, quod Latinas notas vſurpet.

3. Plurima vocabula quæ in noſtro Gallo-Romano retinemus, luce meridiana clarius oſtendunt Maiores noſtros ex frequentatione cum Maſſilienſibus Græcè in multis locutos, & Græco ſermone fuiſſe vſos; aut certè Græcis vocibus, Gallicam Dialecton affinxiſſe. Vt ſunt iſta. *Aga*, *Aga-tien*, vox mirantis ab ἄγαμαι & ἀγάω miror. *Aconter*, pro *eſcouter*, inde in re venatica *Acout*, *Acout*, ab ἀκούω audio. *Aigre* ab ἄγριος ſilueſtris. *Aiſe*, *eſtre aiſe*, ab ἥδομαι, ἥδεσθαι *letari*. ἄσμος *qui eſt à ſon aiſe*. *Aller lamble* ἀμβλύνειν. *Apaſter* ab ἀπατάω *decipio*. *Apauurir* ab ἀπαυρέω. *Aſſés* ab ἄζω ſatio, & in aor. 1. ἆσαι. *Atraper* ἀτραπίζειν & ἀτραπεῖν. *Braſſer* à βράσσειν. *Briſer* à βρίθειν & βρίζειν. *Faire du bruit*, *bruire* βρύχειν. *Brouter* βροδάζειν & βρύτειν. *Car* γὰρ enim. *Chamarrer* χαμαρώειν *cumulare*. *De la Cole* κόλλα. *Couper* à κόπτειν *ſcindere* & in aor. 2. κοπεῖν. *Craquer* à κράζειν. *Crier* κρίζειν. *Crouler* κρύειν. *Cuiure* κύπριοι.

Diſner δειπνεῖν. *Dune*, *eminence*, δοῦνος. *Embraſer* ab ἐμβράζειν. *Entamer* ἐνταμεῖν aor. 2. à τέμνω *ſcindo*, *hinc* ἔντεμνω. *i'entame*. *Eſgayer*, ἐγαίειν. *Embaler* ἐμβαλεῖν. *Endenet* ab ἐντὸς *intus* & εὕω inflammo. *Eſcumer* χυμίζειν à χῦμα *eſcume*, *flot*.

Fagot φάκος. *Falot folaſtre* φαῦλος. *Filoux*, *Impoſteur* φῆλος.

Grauer γράφειν & in aor. 2. γραπεῖν. *Guerre* γέῤῥον. *Guerdon* κέρδος.

Heureux, *qui a bon vent*, οὔριος. *Hoqueton* ruſticè *Hocheton*, ὁ χιτών.

Ipper ἰάπτω maledico in aor. 2. ἰαπεῖν.

Leger λεῖος, *lecher & leicher* λείχειν *lingere*. *Lourdaut* λορδὸς.

Mais μὲς pro μὲν μέντοι ſed.

Se Meſler μελεῖν & ἐμμελεῖν *curam ſuſcipere*. *Me voila* & corrupte *meula*. μέμβλω *adſum*. *Se mocquer* σμώκειν, μωχᾶσθαι, μωκᾶν. *Moquerie* μώκησις, *& moqueur* μῶκος. *Moüelle* μυελὸς, μυελόεις *moüelleux*. *Mue* μύστα, inde μυτώειν *mettre en muë*. *Faire la mouë* μύειν.

Nettoyer alias *nettier* νίπτειν. *Faire la nique* νεικεῖν *obiurgare* νεῖκος, *nique*.

Orgueilleux ὄργιλος *Orgueil*, ὀργίλος ab ὀργάω *turgeo*. *Ou* οὗ. vbi. *Ouy* ab οὕτωσι. *Ouy-da* οἶδα *noui*, *ſcio bene*.

Parler παραλαλεῖν & παρλεῖν. *Pauure* παῦρος *mettre tout peſle meſle* πλεμίζειν *miſcere*. *Piler* πιλεῖν. *Piquer* πίκειν.

Rabâter ῥαβάττειν. *Rayer Raſer*, ῥαίειν *vaſto*, *corrumpo*. *Raptaſſer* ῥάπτειν.

Siffler σιφλάζειν explodere. *Sifflement* σίφλος.

Troubler τορβεῖν. *Trouer* τρύειν *perforare* *Trou* τρύπα. *Tuer* τύειν.

Va βᾶ *vade*, pro βᾶθι.

Hæc vocabula è longe maiori numero ſelecta oſtendunt clariſſimè, quàm verum ſit Gallos veteres non ſolo charactere Græco vſos fuiſſe, ſed ipſam linguam & ſermonem vſurpaſſe. Quemadmodum ergo à temporibus Romanorum vſque ad Franciſcum I. res forenſes, iudicia & Placita Principum Latino ſermone in Gallia exprimere & referre vſus inualuit: ita antiquitus inito cum Maſſilienſibus commercio, in publicis priuatiſque rationibus & contractibus linguæ Græcæ vſus fuit, apud Aquitanos præſertim & Celtas, qui eorum præceptores & magiſtros ad ſuas ſcholas euocarunt.

Nec obſtat quod Cæſar, vt habetur in lib. 1. de Bello Gallico, cum Diuitiaco Æduo, quem aliqui vnum è Druidis volunt fuiſſe, egerit per C. Valerium Procillum Principem Galliæ Prouinciæ quotidianis interpretibus remotis; neque enim hinc conuincitur Græcè neſciſſe Diuitiacum, aut Valerium Procillum adhibitum à Cæſare ad interpretandum ei verba Cæſaris, ſed ſolum adhibitum, vt Diuitiacum ad ſuas partes adduceret, etiam contra Dumnorigem fratrem, à quo ſe læſum dolebat. Deinde non conſtat, an Druida fuerit Diuitiacus, imo ex eo quod Magiſtratum annuum in ſua Ciuitate gerebat cum poteſtate vitæ & necis, & militaria munia tunc obibat, credibile eſt non fuiſſe ſacerdotem, quia Druidæ militiæ vacationem rerumque omnium immunitatem habebant. Præterea neque Magiſtratus omnes, neque Nobiles, neque etiam forte Druidæ omnes Græcè ſciebant: ſi-

cut nec omnes Magiſtratus hodie, nec etiam omnes ſacerdotes ſatis Latinè ſciunt, quanquam lingua iſta familiaris ſit in Gallia. Non enim contendimus omnes perfectè Græcè ſciuiſſe, aut locutos fuiſſe, licet in pleriſque Ciuitatibus Magiſtri ex Academia Maſſilienſi euocati Iuuentutem edocerent.

Supereſt vt de moribus, legibus & inſtitutis Maſſilienſium pauca dicamus. Exiſtimarunt enim aliqui eos vſque adeo deliciis effœminatos fuiſſe, vt prouerbio dici conſueſſet, *πλεύσειας εἰς τὴν Μασσαλίαν*, *Nauiges Maſſiliam*, vt refert Athenæus l. 2. quò videtur quoque pertinere illud Plauti in Caſſina, *vbi tu es qui colere mores Maſſilienſes poſtulas?* Verum hunc locum alii explicant de ſeueritate Maſsilienſium, aiuntque Athenæum prouerbii ſenſum non fuiſſe aſſecutum, ſed hunc eſſe: vt ſcilicet, qui moribus effœminati ſunt & molles, nauigent Maſſiliam diſcendi cauſâ virtutem & Diſciplinæ moralis ſeueritatem. Nam ſi Ciceroni & Valerio Maximo fides eſt, non vlla gens laudatior vnquã fuit, quã Maſſilienſes. Ciceronis locum ſupra retulimus ex orat. pro Flacco. En Valerii ex l. 2. c. de Inſtitutis antiq. *Eadem ciuitas* (Maſſilienſis) *ſeueritatis cuſtos acerrima eſt: Nullum aditum in ſcenam Mimis dando, quorum argumenta maiori ex parte ſtuprorum continent actus, ne talia ſpectandi conſuetudo, etiam imitandi licentiam ſumat. Omnibus autem, qui per aliquam Religionis ſimulationem alimenta inertiæ quærunt, clauſas portas habet, & mendacem & fucoſam ſuperſtitionem ſubmouendam eſſe exiſtimans.*

Narrat Forcatulus poſt Valerium Max. l. 2. c. 1. & Strabonem l. 4. Maſſilienſium Senatum ſeu Publicum Conſilium fuiſſe D C. virorum quos *τιμούχυς* vocabant, eoque honore fruitos, quoad viuerent: nec creari potuiſſe, niſi è ſanguine Ciuium à tertia generatione, nec niſi qui liberos haberent. Huiuſce Senatus Principes Quindecim erant numero, treſque Præſides agnoſcebant. Similes proculdubio noſtris Scabinis & Maioribus. Et tales erant Magiſtratus vrbium Municipalium. Cicero pro S. Roſcio. *Itaque Decurionum Decretum ſtatim fit, vt Decem-Primi proficiſcantur ad L. Syllam.* Sic enim vnico vocabulo *Quinque-primi*, *Decem-primi*, *Quindecim-primi* dicebantur: vt apud Græcos *πεντέπρωτοι, εἰκοσάπρωτοι*. Hos Cæſar euocauit, antequam bellum inferret Maſſilienſibus, remiſitque in vrbem, vt conſilium haberent. *Euocat ad ſe Cæſar Quindecim-primos: cum his agit, ne initium inferendi belli à Maſſilienſibus oriatur: debere eos Italiæ totius authoritatem ſequi potius, quàm vnius hominis voluntati obtemperare.* hæc Cæſar lib. 1. de Bello Ciuili. Illi autem conſulto Sexcentorum Conſilio, ex authoritate renunciarunt, ſe neutrum contra alterum adiuturos, ſcilicet nec Cæſarem nec Pompeium, aut vrbe aut portubus recepturos. Meminit eiuſdem Senatus Lucianus in Toxaride, aiens Menecratem à Sexcentis infamem & ad capeſſendos Magiſtratus inidoneum eſſe iudicatum, quod ſententiam quandam parum æquam pronunciaſſet.

Quis dubitet Academiam ſuos quoque habuiſſe Præfectos & Rectores, cum in cæteris rebus Ciuitas tam ſapienti Senatu, tamque diligenter ſelectis Magiſtratibus munita eſſet?

Præ cæteris Diis Palladem ſeu Mineruam Muſarum Præſidem & Patronam colebant, eique Athenienſium exemplo Templum in Arce dedicarunt. In porticu autem Templi inerat ſimulachrum Deæ Toruæ: quod cum in ſomno & quiete Catumando Regulo apparuiſſet, vltro cum Maſsilienſibus pacem iniit, quibus bellum intulerat, petiitque vt ſibi liceret Deam illam venerari; quam deinde veneratus torque aureo donauit. Hac de re ſic Iuſtinus: *Dux conſenſu omnium Catumandus Regulus eligitur, qui cum magno exercitu lectiſſimorum virorum vrbem hoſtium obſideret, per quietem ſpecie toruæ mulieris, quæ ſe Deam dicebat, exterritus, vltro pacem cum Maſſilienſibus fecit: petitoque vt intrare illi vrbem & Deos eorum adorare liceret, cum in Arcem Mineruæ veniſſet, conſpecto in porticibus ſimulacro Deæ, quam per quietem viderat, repente exclamat illam eſſe, quæ ſe nocte exterruiſſet; illam, quæ recedere ab obſidione iuſſiſſet; gratulatuſque Maſſilienſibus, quod animaduerteret eos ad curam Deorum immortalium pertinere, torque aureo donatâ Deâ in perpetuum amicitiam cum Maſſilienſibus iunxit.*

Cæterum teſtatur Agathius Maſsilienſes ætate ſuâ nempe circa an. Chriſti 540. ab antiquo viuendi loquendique ritu plurimum deflexiſſe, & Imperantium inſtitutis moribuſque vixiſſe ſub 4. Clodouæi I. liberis Francorum Regibus.

DE

Digitized by Google

DE
ACADEMIA
ÆDVENSI
SEV AVGVSTODVNENSI.

ÆDVORVM Ciuitas olim Bibracte appellabatur, & ab Auguſtô Imp. Auguſtodunum dicta, vulgò *Autun*, magni nominis in Celtica, vocaturque à Cæſare l: 1. *Oppidum longè maximum ac copioſiſſimum*; & l. 7. Oppidum apud Gallos *maximæ authoritatis*. Ibi Cæſar ſæpe hiemauit, & conuentus indixit. Ibi quoque à Vercingentorige totius Galliæ Comitia indicta, vt legitur l. 7. de Bello Gall. Sed quo loco vrbs hæc poſita olim fuerit, non conuenit inter Topographos. Orontius & Vigeneræus *Belnam* nunc eſſe putant, quæ Bibracte quondam fuit. Marlianus ſcribit Bibracte nomen retinere. Et notat Ortelius ſe habere à Ioanne Mercario *Beurect* hodie vocari, quatuorque milliaribus ab Auguſtoduno diſtare. Alij in monte Biſfracto, qui vulgari nominè appellatur *Beuuray*, conſtituunt. Alij denique Auguſtodunum hodiernum idem eſſe quod Bibracte antiquum arbitrantur. Quæ ſententia longe veriſimilior apparet propter rationes, quas affert Thomas Cantor & Officialis Eccleſiæ Æduenſis in libello de Antiquo Bibracte; & Ladoneus apud Æduos Cauſidicus in Poëmate Heroïco de Auguſtoduni Antiquitatibus: in quo vetuſtam Æduæ Gentis Originem à Samothe repetit, Deorum templa enumerat, Druidum domicilia, Mœnia, Scholas, Ærarij locum, Capitolij Arcem, & cætera eiuſmodi. Nos de Scholis agemus.

Prima poſt Maſſilienſem fuit proculdubio Æduenſis, ſeu Auguſtodunenſis, omniumque Gallicanatum poſt eam antiquiſsima; & haud ſcio, an non antiquior: quam certè floruiſſe conſtat antequam Romani Celticam occuparenr. Ibi enim Conuentus ſuos celebrabant ſæpe Druidæ, (PARLAMENTVM DRVIDARVM veteres appellarunt) Scholaſque habebant in monte, qui hodie etiamnum de eorum nomine vocatur MONTDRV vel MONTEDRV id. *Mons Druidarum*. Ibi etiam Nobiles adoleſcentes cum Schola coniunctam palæſtram habebant: illucque omnes Celtæ, quoniam longius diſtabat Maſsilia, confluebant ad ſtudia bonarum Artium, vt ex Tacito diſcimus aiente Tiberij Imperatoris temporibus Iulium Sacrovirum Principem ſeu Regulum Gallorum occupaſſe Ciuitatem Æduenſem, & in ea multos Iuuenes, qui litteris operabantur, vt eos quaſi à parentibus datos obſides ad ſuſtinendam defectionem ſuam haberet. *Auguſtodunum*, inquit l. 3. An. *caput Gentis armatis cohortibus Sacrouir occupauerat, & nobiliſſimam Galliarum ſobolem liberalibus ſtudiis ibi operatam, vt eo pignore parentes propinquoſque eorum adiungeret: ſimul arma Iuuentuti occultè fabricata diſpertit.* Hinc patet, quantùm eo tempore celebraretur hæc Academia, quam Lipſius vocat *Vetuſtiſſimam poſt Maſsiliam Bonarum Artium ſedem*. Sacrouiri exemplum imitatus eſt Ludouicus XI. Francorum Rex, vt legitur apud Mon-

Schola Æduenſis.

Digitized by Google

ſtreletium, qui exterorum liberos in Collegio Nauarrico Muſis operam dantes ſibi oppignerauit. Et de vtriuſque facto ſic ſcribit Ludouicus D'Orleans in notis ad hunc Taciti locum. *Sacrouir barbaro more ſibi oppignorauerat iuuentutem, Muſis operam nauantem: quod à noſtris Iuriſconſultis damnatur, præcipuè apud Bartholum in Tractatu de Repræſaliis. Legi tamen apud Monſtreletium, Ludouicum XI. Regem Francorum nobiliores Exterorum adoleſcentes Pariſiis Nauarrico Gymnaſio litteris operam dantes pro pignore cepiſſe. Quod ſemel factum, ſemper improbatum eſt: & ita me pro Iuribus Regiis patrocinante fuit iudicatum à Senatu Pariſienſi.* hæc per tranſennam.

Verum circa tempora Diocletianij, hæc florentiſſima Schola cum ipſa vrbe Bagaudicæ rebellionis latrociniis deſtructa eſt & euerſa, expulſique Profeſſores, aut interfecti, quos inter celeberrimus erat Eumenius ſenior, qui octogenatio maior Rhetoricam adhuc profitebatur. Quippe tunc fatiſcente Imperio Romano Barbaræ quædam Nationes, & præſertim Latrones quidam & prædones, quos Galli Bagaudas appellabant, totam Galliam, maximè verò Celticam depopulati ſunt & deuaſtarunt: vt intelligitur ex iis quæ refert Sex. Aurelius Victor illius temporis Scriptor, qui de Diocletiano verba faciens ſic habet. *Namque vbi comperit Carini diſceſſu Helianum Amandum excita manu Agreſtium ac Latronum, quos Bagaudas Incolæ vocant, populatis latè agris pleraſque vrbium tentare, Maximianum ſtatim amicitia fidum, quamquam ſemiagreſtem, militiâ tamen atque ingenio bonum Imperatorem iubet. Huic poſtea cultu Numinis, Herculis cognomentum acceſſit.... Sed Herculeus in Galliam profectus fuſis hoſtibus, aut acceptis quieta omnia breui patrauerat.* Hoc accidit an. Chriſti 287. & ab vrbe condita 1039.

Porro Bagaudæ nomen non fuit populi alicuius, ſed factionis atque latrocinij Paſtorum, aliorumque eiuſmodi vilium hominum & otioſorum; qui etiamnum hodie in aliquibus Prouinciis vocantur Des Begavds. Ad cuius vocabuli explicationem multa ſcitu digniſſima & magnâ diligentiâ conquiſita refert Menagius in lib. de Originibus Linguæ Gallicanæ in verbo Bagans, quo apud Vaſconas *Paſtores* ſignificantur, à latino forte *vagantes*: at Voſſius l. II. de Vitiis Sermonis c. 3. deducit à verbo *Bagaudæ*, vel *Bacaudæ*: quorum mentionem faciunt præter Aurelium Victorem, Mamertinus, Eutropius, D. Hieronymus, Proſper Aquitanus, & Saluianus. Proſper quidem de iis ſic habet. *Eudoxius arte Medicus, praui ſed exercitati ingenii in Bagauda id temporis motu delatus ad Chunnos confugit*, & infra. *Omnia pene Gallorum ſeruitia in Bagaudam conſpirauere.* Saluianus lib. 5. *Vocamus rebelles, vocamus perditos, quos eſſe compulimus criminoſos: quibus enim aliis rebus Bagaudæ facti ſunt, niſi iniquitatibus noſtris? aut quid aliud etiamnum agitur, quam tunc actum eſt, id eſt, vt qui adhuc Bagaudæ non ſunt, eſſe cogantur?*

Habuerunt olim Bagaudæ illi Caſtellum, vbi hodie ſitum eſt S. Mauri Foſſatenſis Monaſterium. In quadam enim Charta illius Abbatiæ, quæ eſt anni 868. locus ille appellatur, Castrvm Bagavdarvm. Sed vnde nomen? vel à Græco Βαγεύειν quod eſt *vagari* apud Suidam: vel ab Hebraïco Bagad, quod eſt *rebellare*; vel à voce Gallica *Begaud* & *Begauder*, quod eſt otioſum & inertem eſſe: homines autem inertes vulgò factioſi ſunt & ſeditioſi. Et ex eadem forte voce profluxit iſta *Baguenaude*: quâ antiquitus maſculina quædam poëſis ſignificabatur, ſeu verſus, quorum rithmus erat tantummodo Maſculinus & inconditus. Tales autem verſus ſolent à Ruſticis componi.

Cum ergo Maximianus Bagaudas deleuiſſet, qui plurima Oppida, & potiſſimum Auguſtodunenſe vaſtauerant, plurima ædificia & templa odio Romanorum, à quibus mole tributorum obruebantur, diruerant, paulo poſt creatis Cæſaribus Iulio Conſtantio & Galerio Maximiano, eorum alter nempe Conſtantius in Gallias & in Britanniam profectus, Bagaudarum Reliquias fudit, pacatiſque rebus vrbes, vrbiumque ædificia inſtaurari curauit; eamque ob rem toti Galliæ gratiſsimus fuit, maximè verò Æduenſibus, quorum malam ſortem miſeratus, Templa Scholaſque, quæ non modò Auditoriorum ruinâ, ſed & morte Eumenij veteris earundem quondam Rectoris, aliorumque Profeſſorum à Bagaudis aut expulſorum, aut interfectorum exitio conciderant, reparare laborauit. Vt ex eius Reſcripto patet, quod Eumenius Iunior in oratione quam pro in-

Digitized by Google

ſtauratione Scholarum Æduenſium ad Virum Perfectiſsimum Præſidem Galliarum habuit, inſeruit. Eſt autem eiuſmodi.

Merentur & Galli noſtri, vt eorum liberis, quorum vita in Auguſtodunenſium oppido ingenuis Artibus eruditur, & ipſi adoleſcentes, qui hilari conſenſu meum Conſtantij Cæſaris ex Italia reuertentis ſuſcepere Comitatum, vt eorum Indoli conſulere cupiamus. Proinde quod aliud præmium his, quam illud conferre debemus, quod nec dare poteſt nec eripere fortuna? Vnde AVDITORIO *huic quod videtur interitu Præceptoris orbatum, Te vel potiſſimum præficere debuimus, cuius eloquentiam & grauitatem morum & Actis noſtris habemus adminiſtratione compertum. Saluo igitur priuilegio Dignitatis tuæ hortamur, vt profeſſionem oratoriam recipias, atque in ſupradicta Ciuitate, quam non ignoras Nos ad priſtinam gloriam reformare, ad vitæ melioris ſtudium Adoleſcentium excolas mentes; nec putes hoc munere ante partis aliquid tuis honoribus derogari, cum honeſta profeſſio ornet potius omnem, quam deſtruat Dignitatem. Denique etiam Salarium te in Sexcenis millibus nummûm ex Reipub. viribus conſequi volumus, vt intelligas meritis tuis etiam noſtram conſtituere Clementiam. Vale Eumeni chariſſime nobis.*

Inſtauratur Schola Æduenſis.

Eumenius ipſe tum ſacræ memoriæ Magiſter erat in Sacro Palatio, imprimis Conſtantio Cæſari charus, & propter eloquentiam morumque grauitatem acceptiſſimus. Licet autem Gallus eſſet & patria Æduus, non in ea tamen Academia primordialibus litteris imbutus fuiſſe videtur: quippe ſcholas Auguſtodunenſes ante pueritiam ſuam conticuiſſe norat, propter latrocinia Bagaudarum, vltimumque in iis docuiſſe Eumenium Rhetorem auum ſuum. *Quamuis*, inquit; *ante ingreſſum pueritiæ meæ prætermiſſa fuerit exercendi ſtudy frequentatio, tamen illic Auum quondam meum docuiſſe audio hominem Athenis ortum, Romæ diu celebrem, mox in iſta vrbe perſpecto & probato hominum amore Doctrinæ atque huius ipſius operis veneratione detentum. Cuius Ego locum, in quo, vt referunt, maior octogenario docuit, ſi ab iſto venerabili ſene* (TE GLAVCE *appello præſentem, quem videmus non Ciuitate Atticum ſed eloquio) recoli ornarique perfecero, ipſum mihi videbor ad vitam tali profeſſionis ſuæ ſucceſſione reuocaſſe. Quod quidem meum Ego erga honorem Domus ac familiæ meæ ſtudium non confiterer V. P. niſi ipſis Imperatoribus Cæſaribuſque Noſtris gratum eſſe conſiderem, vt publicam eorum in reſtituendo Orbe pietatem pro ſuo quiſque captu in renouandis ſuorum veſtigiis æmuletur.*

Tanto ergo libentius hoc in ſe munus ſuſcepit Eumenius, quod & ſua ipſius patria eſſet, & quod Eumenius auus ibi docuiſſet, & quod Conſtantius Cæſar ſuum erga litteratos amorem teſtificaretur. Quod verò æternæ laudi dari debet Eumenio, ſexcenta illa millia nummûm, quæ Princeps ei ſtipendii ſeu ſalarij loco attribui de ærario voluit, Scholarum egregiarum inſtaurationi addixit, publicisque ſumptibus parcere maluit, quàm priuatis, vt Principis liberalitatem imitaretur: ad cuius eximiam laudem neruos omnes eloquentiæ in priori ſuæ orationis parte adhibet.

Ante omnia igitur, *inquit*, V. P. Diuinæ Imperatorum Cæſarumque noſtrorum prouidentiæ, ſingularique in nos beneuolentiæ huius quoque operis inſtauratione parendum eſt, qui ciuitatem iſtam & olim fraterno populi R. nomine gloriatam, & tunc demum grauiſſimâ clade perculſam cum latrocinio Bagaudicæ rebellionis obſeſſa auxilium Ro. Principis inuocantem non ſolum pro admiratione meritorum, ſed etiam pro miſeratione caſuum attollere ac recreare voluerunt, ipſamque ruinarum eius magnitudinem immortalibus liberalitatis ſuæ monimentis dignam iudicauerunt, vt tanto eſſet illuſtrior gloria reſtitutorum, quantò ipſa moles reſtitutionis immanior. Itaque maximas pecunias; & totum, ſi res poſcat, ærarium non templis modò ac locis publicis reficiendis, ſed etiam priuatis domibus indulgent: nec pecunias modò, ſed etiam artifices tranſmarinos, & ex ampliſſimis Prouinciarum Ordinibus incolas nouos, & deuotiſſimarum hiberna Legionum, quarum inuicta robora ne in his quidem, quæ nunc cum maximè egent bellis, requirunt, vt commodis noſtris ſtudio gratiæ hoſpitalis operentur, & reſides aquas & nouos amnes veluti aridis feſſæ vrbis viſceribus infundant. Ex quo manifeſtum eſt eos, qui Coloniam iſtam tot tantiſque operibus totius Imperij erigere atque animare ſtatuerunt, vel præcipuè ſedem illam Liberalium Litterarum velle reparari, cum frequentiam honeſtiſſimæ iuuentutis illuſtrato Studiorum honore prouiderint. Cui enim vnquam veterum Principum tantæ curæ fuit, vt Doctrinæ at-

" que Eloquentiæ ſtudia florerent, quantæ his optimis & indulgentiſſimis Dominis
" generis humani? Quos ego quidem, quantum ad votum pietatemque pertinet,
" Liberorum noſtrorum parentes appellare non dubito, qui nobiliſſimam iſtam indo-
" lem Galliarum ſuarũ interitu Summi Doctoris orbatã reſpicere dignati, ſuo potiſ-
" ſimum iudicio Præceptorem ei Moderatoremque tribuerunt: & inter Imperatorias
" diſpoſitiones ſummis Reipub. gubernandæ prouiſionibus occupatas, Litterarum
" quoque habuere dilectum: nec aliter quam ſi Equeſtri turmæ vel Cohorti Præ-
" toriæ conſulendum foret, quem potiſſimum præficerent, ſui arbitrij eſſe duxe-
" runt, ne ij quos ad ſpem omnium Tribunalium, aut interdum ad ſtipendia
" Cognitionum Sacrarum aut fortaſſe ad ipſa Palatij Magiſteria prouehi opor-
" teret, veluti repentino nubilo in mediis adoleſcentiæ fluctibus deprehenſi in-
" certa dicendi ſigna ſequerentur. In quo ego, vir perfectiſſime, nihil laudi
" meæ tribuo, ſed Domini noſtri Conſtantij Principis Iuuentutis incredibi-
" lem erga Iuuentutem Galliarum ſuarum ſolicitudinem atque indulgentiam mi-
" rari ſatis nequeo, qui honorem litterarum hac quoque dignatione cumulauit,
" vt me potius ad priſtina mea ſtudia molientem ipſum iuſſerit Diſciplinas Artis
" Oratoriæ retractare, & hoc mihi munus iniunxerit, vt mediocrem quidem pro
" ingenio meo naturaque vocem, Cœleſtia tamen verba & Diuina ſenſa Princi-
" pum prolocuturam ab arcanis ſacrorum penetralium ad priuatarum Muſarum
" aditus transtulerit: non vtique quia mihi, quem (quod ſine inuidia dixerim)
" tanta dignatione reſpicit, quanta pro ſummis honoribus debet ſufficere ſapien-
" ti, vellet aliquid impoſitã iſtã profeſſione detrahere, ſed vt profeſſioni ipſi ex eo
" honore quem geſſi, adderet dignitatem.

Ex his patet Eumenium non tantùm Rhetorices profitendæ munus ſuſcepiſſe, ſed præterea moderandæ & regendæ Iuuentutis prouinciam ei fuiſſe à Conſtantio impoſitam: atque ideo Academiæ præfecturam veluti Magiſtratum quendam geſſiſſe: neque enim credendum eſt eum vnicum fuiſſe Profeſſorem & Magiſtrum Scholæ Æduenſis, & Grammaticam cæteraſque literales artes docuiſſe, virum nempe tanti nominis, & multis honoribus & Muneribus Palatinis perfunctum, tuncque etiam perfungentem: ſed Conuentui ſeu Collegio Iuuentutis Præfectum ſimul Præceptoremque delectum, vt qui Orator erat eloquentisſimus, quique iam eloquentiæ profesſione claruerat, antequam ad Officia Palatina eueheretur, alios Magiſtros ſuo regimini commiſſos & relictos, adoleſcenteſque Doctrinæ ſuæ famâ & authoritate facilius in officio contineret.

Eiuſdem autem Principis factum non modò ab Inſtauratione Diſciplinarum
„ extollit, ſed etiam à reparatione ædificiorum. *Cui igitur dubium*, inquit, quin di-
„ uina illa mens Cæſaris, quæ tanto ſtudio PRÆCEPTOREM HVIC CONVENTVI IV-
„ VENTVTIS elegit, etiam locum exercitiis illius dedicatum inſtaurari atque exor-
„ nari velit, cum omnes omnium rerum Sectatores atque fautores parum ſe ſatis-
„ facere voto & conſcientiæ ſuæ credant, ſi non ipſarum quas appetunt, gloriarum,
„ Templa conſtituant? Inde eſt, vt Athenienſis humanitas Aram Miſericordiæ in-
„ ſtituerit, & Rom. Ducis animi magnitudo TEMPLVM VIRTVTIS ET HONORIS.
„ Quarum enim Artium, ſiue animi affectionum Magnis hominibus ingenera-
„ tus ardor fuerit, earum etiam conſecrata exiſtere ad poſteros monumenta
„ voluerunt. Ædem Herculis Muſarum in Circo Flaminio Fuluius ille Nobilior
„ ex pecunia Cenſoria fecit, non id modò ſecutus quod ipſe litteris & ſumma
„ Poëtæ amicitia duceretur, ſed quod in Græcia cum eſſet Imperator, acceperat
„ Herculem Muſagetem eſſe Comitem Ducemque Muſarum. Idemque primus
„ nouem Signa, hoc eſt omnium Camœnarum ex Ambracienſi oppido tranſlata
„ ſub tutela fortiſſimi Numinis conſecrauit, vt res eſt, quia mutuis operibus &
„ præmiis iuuari ornarique deberent: Muſarumquies defenſione Herculis, & vir-
„ tus Herculis voce Muſarum.

Nec prætereundum Academiam iſtam fuiſſe Menianam appellatam, vt in multis locis eiuſdem Orationis legitur, & Scholas Menianas. *Id poſtulo, quod non modo contradicendo nemo audeat impedire, ſed omnes potius, quibus Diuina Principum liberalitas, quibus vrbis iſtius reſtitutio, quibus Optimarum Artium celebratio grata atque iucunda eſt, ſummo gaudio & fauore ſuſcipiunt, vt Menianæ illæ Scholæ quondam pulcherrimo opere & ſtudiorum frequentia celebres & illuſtres, iuxta*

Google

cætera quæ inſtaurantur opera ac templa, reparentur. Et alibi. *Hæc eadem Meniana* & alio loco. *Ille qui Meniana hæc primus extruxit.* Quotſum verò nomen iſtud & vnde, ambigitur. An quia à Menio quodam inſtitutæ conſtructæque fuerunt hæ Scholæ primitus? an quia prope mœnia vrbis? quomodo *Submœniana* mulieres Romæ dicebantur, quæ ſub mœnibus quæſtuariam exercebant. An vt Romæ *Mæniana* dicebantur tabulata extra domum prominentia, ita & ſcholæ iſtæ prominebant tabulatis & columnis ſuſtentatæ? Vt vt ſit, in re enim incerta nihil dicimus, in ipſâ luce Ciuitatis & iuxta viam Regiam, inter Templum Apollinis & Capitolium ſitæ erant: vt ſignificat idem Panegyriſtes.

Et ſane, inquit, vir Perfectiſsime, intereſt gloriæ, quam tanti Principes tot victoriis ac triumphis merentur, vt ingenia quæ canendis eorum virtutibus excoluntur, non intra priuatos parietes, ſed in publica oſtentatione, & in ipſo iſtius vrbis ore vegetentur. Quid autem magis in facie vultuque iſtius Ciuitatis ſitum eſt, quàm hæc eadem Meniana, in ipſo tranſitu aduenientium huc inuictiſſimorum Principum conſtituta? qui cum ſe occurſu lætæ Iuuentutis affici, non ſolùm liberalitate quam ipſi tribuunt, ſed etiam litteris quibus me ad inſtitutionem eius cohortantur, oſtendant, quantò plus capient voluptatis, cum reparatum videant ipſum CONCILIABVLVM IVVENTVTIS? Ad hoc V. P. Opus iſtud reddit illuſtrius, cum ipſorum Cæſarum, tum etiam omnium hominum aſpectu promptius, quod præcipuo eſt loco poſitum, quaſi inter ipſos oculos Ciuitatis, inter Apollinis templum atque Capitolium. Quo magis eſt etiam Sacroſancta ſedes, vtriuſque lateris veneranda confinio, vtriuſque latè muneris inſtauranda reſpectu, ne fana longè omnium in hac vrbe pulcherrima labes media deformet; præſertim cum mihi videatur ille ipſe qui Meniana hæc primus extruxit, idcirco ea illic potiſſimum collocaſſe, vt veluti cognato vicinorum ſibi Numinum tenerentur amplexu, cum Auguſtiſſima tecta litteris dedicata inde Athenarum conditrix Minerua conſpiceret, hinc Apollo medius Camœnarum. Igitur ibi maximè & oportet & fas eſt exercere Iuuentutis Ingenia, vbi tam propinqua ſunt Numina amica Doctrinæ; Vbi ex proixmo iuuat mens Diuina ſapientiam, & Carminum Deus vocem, & verecundiam Virgo perpetua, & prouidentiam præſcius futurorum. Quis enim melior vſus eſt Eloquentiæ, quàm vbi ante aras quodammodo ſuas Iouios Herculioſque audiant prædicari Iuppiter Pater, & Minerua ſocia, & Iuno Placata?

In porticu autem huiuſce ampliſſimi ædificij variæ erant tabellæ Geographicæ, vel in parietibus depicti locorum ſitus, fluuij, maria, ſinus, prælia Principum & alia huiuſce modi; quo facilius adoleſcentes Geographiam condiſcerent, talia præ oculis habentes ſpectacula, vtque intelligerent, vbi terrarum Imperatores Rom. de hoſtibus triumphabant, vbi æſtiua & hiberna milites habebant, quamque Orbis partem Imperio Rom. ſubiiciebant. *Videat*, inquit idem Author, *in illis porticibus Iuuentus, & quotidie ſpectet omnes terras & cuncta Maria, & quidquid Inuictiſſimi Principes Vrbium, Gentium, Nationum, aut virtute deuincunt, aut terrore. Siquidem illic, vt ipſe vidiſti, credo, inſtituendæ pueritiæ causâ, quò manifeſtius oculis diſcerentur, quæ difficilius percipiuntur auditu, omnium cum nominibus ſuis locorum ſitus, ſpatia, interualla deſcripta ſunt: quidquid vbique fluminum oritur & conditur, quacumque ſe littorum ſinus flectunt, quóue ambitu cingit Orbem, vel irrumpit Oceanus. Ibi fortiſſimorum Imperatorum pulcherrimæ res geſtæ per diuerſa Regionum argumenta recoluntur, dum calentibus ſemperque venientibus Victoriarum Nunciis reuiſuntur perfida flumina & Libyæ arua ſitientia, & connexa Rheni cornua, & Nili ora multifida: dumque ſibi ad hæc ſingula intuentium animus affingit, aut ſub tuâ, Diocletiane Auguſte, clementiâ Ægyptum furore depoſito quieſcentem: aut Te, Maximiane inuicte, percuſſa Maurorum agmina fulminantem; aut ſub dextera tua, Domine Conſtanti, Batauiam Britanniamque ſqualidum caput ſiluis & fluctibus exerentem: Aut te, Maximiane Cæſar, Perſicos arcus pharetraſque calcantem. Nunc enim nunc demum iuuat Orbem ſpectare depictum, cum in illo nihil videmus alienum.*

Hæc & plura alia de Scholis Æduenſibus Eumenius Rhetor & earundem Præfectus & Rector. Non eſt tamen diſſimulandum eſſe aliquos, qui putent Conſtantium non Scholas Auguſtodunenſes, ſed Cluuienſes inſtauraſſe, eiſque regendis Eumenium præfeciſſe: ac proinde in Reſcripto Conſtantij, quod ſupra *Diſſertatio de Scholis Æduenſibus & Cliuienſibus.*

Digitized by Google

retulimus, non *Auguſtodunenſium*, ſed *Auguſtocliuienſium Oppido* eſſe legendum. Huius ſententiæ eſt Pighius, eamque confirmat pluribus argumentis: Lipſius contrariæ & communis. Lubet vtriuſque rationes & argumenta referre, vt veritas magis eluceſcat.

Fundamentum diſputationis eſt varia lectio loci prææallati. 1. enim Pighius nititur editione Beati Rhenani, qui ſcilicet primus mutatâ lectione antiquâ edidit Conſtantium in *Auguſtocliuienſium oppido* Scholas inſtauraſſe. At telum iſtud facile declinat Lipſius aiens reponendum *Auguſtodunenſium* iuxta veterem lectionem & veram, à Cuſpiniano in panegyricis Viennæ editis an. 1513. retentam, à Rhenano malè mutatam & correctam: cum fateatur ipſe Rhenanus ſe nullo vetere authore adiutum, aut vſum ad eam immutandam.

2. Pighius ait ad confirmationē ſuæ coniecturę, etiamnum extare Cliuii, quod oppidum eſt in extrema Belgica ad Rhenum, ſtatuam Eumenij Rhetoris, quam ita ipſe deſcribit. *Stat in veſtitu ſui temporis, tunicâ videlicet talari tectus, & calcei ex alutâ pedem ac talos cingunt: & ſupra pedem execti atque feneſtrati ſunt. Comam in fronte & ceruice decurtatam æqualiter conſtringit vitta, ſicut ventrem latus Baltheus atque bullatus. Dextra Maſſam vel auri vel argenti in patera poſitam præſentare videtur. Siniſtrâ tenuit ferulam demiſſam Magiſtery inſigne.*

Negat Lipſius hæc inſignia conuenire Eumenio Rhetori: non baltheum, qui militum eſſe ſolet; non vittam, quæ ſacerdotum: non ferulam, quæ pædagogorum, non eorum qui publicè & cum dignitate docebant. Cætera ornamenta minus antiqua eſſe videntur. Addit Lipſius, etiamſi hæc ornamenta conuenire poſsint Rhetori, non eſſe tamen affingenda Eumenio, niſi ſtatuæ nomen inſculptum ſit; nec ſi inſculptum ſit, adhuc ipſi, de quo loquimur, plures enim fuiſſe Eumenios.

3. Ex ipſis Eumenij verbis ſumit argumentum Pighius, quem ait ſatis clarè innuere ſe de Cliuio loqui, cum in panegyrico prædicto ad Præſidem Galliarum ait *vrbem ſuam latrocinio Batauicæ rebellionis obſeſſam Romani Principis auxilium flagitaſſe*. Hoc contendit non poſſe de Auguſtoduno intelligi, cum credibile non ſit Batauos, quos hodie Hollandos appellamus, ab extremo Oceano per tot ſola terrarum in mediam Celticam penetraſſe, cum tot eſſent interiecta Romana Oppida, quæ diu repugnare potuiſſent.

At Lipſius, non *Batauicæ rebellionis*, ſed *Bagaudicæ* legendum eſſe probat ex hiſtoria illorum temporum: loquitur enim Eumenius de *Latrocinio*: at quis vnquam legit, aut audiuit de Latrocinio Batauorum? rectè vero vocari Latrocinium Bagaudarum: Bagaudas enim non gentem aliquam, ſed Latrones paſſim vagantes & deprædantes vocabant antiquitus Galli: idque duplici teſtimonio probat, Aurelij Victoris & Saluiani, quod vtrumque ſupra retulimus. Addamus nos alium locum Saluiani in Valentiniano. *Gallia*, inquit, *vlterior Tibatonem principem rebellionis ſecuta à Romana ſocietate diſceßit: à quo tracto initio omnia pæne Galliarum ſeruitia in Bagaudam conſpirauere*. Et paulo poſt, *Capto Tibatone & cæteris ſeditionis partim principibus vinctis, partim necatis Bagaudarum commotio conquieſcit*. Hinc patet Bagaudarum nomen fuiſſe factioſorum ſeruitiorum & Ruſticorum, non Gentis alicuius aut Nationis. Hoc autem non poſſe conuenire Batauis probat Lipſius ex eo quod tum fidem ſeruabant Romanis: imò ipſi fracti & iniurias multiplices à Barbaris paſsi ſeſe domi continebant, nec aliis bella inferebant.

4. Contendit Pighius debere intelligi de ſuo Cliuio, non de alia quacumque vrbe deſcriptionem, quam affert Eumenius ſitûs & finitimæ regionis: adeo vt nulla vi aliorſum trahi poſsit. *Aut hæc ipſa, quæ modo deſinit eſſe Barbaria, non magis feritate Francorum velut hauſta deſederat, quam ſi eam circumfuſa flumina & mare alluens operuiſſet.* His verbis depictam exponit Batauiam cum vicina Germania, quas ramis ſuis Rhenus circumfundit & Moſa alluit & Oceani ſinus vbique tangunt. Vbi autem inquit, Æduis mare alluens, vbi circumfuſa flumina? fatetur Lipſius hæc verba de Auguſtoduno intelligi non poſſe: ſed rectè & commodè de tota ipſa Gallia toties à Francis tunc Barbaris & hoſtibus vaſtatâ, quam certum eſt vtrimque mari allui & multis fluminibus perfundi.

Aduerſarij telis ita retuſis ſua viciſſim intorquet Lipſius, ſed acutiora & fortiora, quam vt ea declinare poſſit Pighius. 1. Quia veterum Scriptorum nemo meminit Cliuij: non ipſe Antoninus, qui in Itinerario ſuo Cleuum ponit in Britannia, non

alibi. Credibile autem non eſt obliturum fuiſſe locum tam celebrem Scholis illis Menianis, ſi fuiſſet vſquam in ripa Rheni. Nec iuuat dicere, quod addo de meo, tempore Antonini nondum adhuc fuiſſe celebrem: contrarium enim euincitur manifeſtè ex verbis Eumenij, qui ait in iis ſcholis olim docuiſſe auum ſuum Eumenium Rhetorem ex vrbe Attica oriundum, octogenario maiorem; quod argumento eſt iam tum & ante ipſum fuiſſe celebres, vrbemque fuiſſe magni nominis, quoniam eam vocat Sedem liberalium litterarum: & de ſcholis loquens ait eas *quondam pulcherrimo opere & ſtudiorum frequentia celebres & illuſtres fuiſſe.* Scribebat autem Eumenius circa an. 290. Antoninus deceſſit an. 160. à Chriſto nato: interiectum itaque tempus eſt 130. circiter annorum. Qui igitur fieri poteſt, vt non fuerint illæ ſcholæ celebres tempore Antonini, ſi & cum Eumenius ſenior in iis docuit, iam celebres erant, ibique detentus eſt ad docendum homo ex Atticâ in Galliam profectus, & Eumenius Iunior, ſeu Panegyriſtes auum non vidit, nec vllum in iis ſcholis profeſſorem: quæ iam ante ipſius pueritiam contabuerant?

2. Ait Lipſius, Cliuium in Rheni limite ſitum eſt, & in confinio Barbarorum: quis autem credat Scholam inſtitutam fuiſſe in officina Martis?

3. Magna & ampla vrbs ea fuit, de qua Eumenius agit: Templa pulcherrima habuit, Apollinis & Capitolii, Aquæductus & cætera magnifica ornamenta more Romanorum: at horum nihil fuiſſe legitur Cliuij: omnia verò iſta Auguſtoduni reperiuntur, cuius muros Marcellinus ait fuiſſe *Spatioſi ambitus*, & alibi, *mœnium Auguſtoduni magnitudinem vetuſtam appellat.* Cæſar oppidum vocat *longè maximum & copioſiſſimum.*

4. Scribit Eumenius Ciuitatem, de cuius Scholis inſtaurandis agit, olim fraterno populi Ro. nomine gloriatam. Quod verè Æduis ſeu Auguſtodunenſibus conuenit, vt ex Cæſaris Commentariis patet, non Cliuienſibus, de quibus nihil tale ſcritum vſquam; nec Batauis, qui tributarij erant duntaxat, & graue ferebant iugum Romanæ ſeruitutis. Addamus Nos eundem Eumenium in oratione Euchariſtica ad Conſtantinum M. Conſtantij filium, fraternitatem illam Æduorum plurimum extollere. *Quanam igitur Gens*, inquit, *toto Orbe terrarum in amore Rom. nominis Æduis ſe poſtulet anteponi? qui primi omnium inter illas immanes & barbaras Galliæ Gentes plurimis Senatus-conſultis Fratres populi Rom. appellati ſunt; & cum à cæteris Rhodano ad Rhenum vſque populis ne pax quidem poſſet niſi ſuſpecta ſperari, ſoli & conſanguinitatis nomine gloriati ſunt, & nuper, vt media prætream, Diuum Claudium parentem tuum ad recuperandas Gallias ſoli vocauerunt, & ante pauciſſimos annos, quod maximè prædicandum, plurima patris tui beneficia partim rebus effecta perceperunt, partim animo ſignificata lætantur.*

5. Scholas illas, quas Eumenius Menianas vocat, pulcherrimoque opere & frequentiâ quondam celebres, facilè intelligi de Æduenſibus nemo non videt, quæ Tiberii tempore ab omni nobilitate Gallicanâ facto concurſu frequentabantur: non autem de Cliuienſibus, de quibus nihil habemus præter ſuſpicionem. Adde quod Eumenius Nepos in Gratiarum actione ad Conſtantinum nomine ſuæ ciuitatis Flauiæ Æduorum, diſertè ſe in eadem innuit profiteri litteras. *Gaudiorum Patriæ Nuncium ſponte ſuſcepi, vt eſſem iam non priuati ſtudij litterarum, ſed publicæ gratulationis orator.* Et in alio Panegyrico, quem ad eundem Imperatorem dixit nomine eiuſdem Ciuitatis. *Quo in genere orationis quanta eſſet cura quantus labor, quàm ſollicita veneratio, ſenſi etiam cum in quotidiana illa inſtituendæ Iuuentutis exercitatione verſarer.*

6. Menianas illas Scholas inter Apollinis templum & Capitolium conſtituit Eumenius. Nihil autem de Templo Apollinis apud Cliuienſes. Clarè verò in Flauia Æduorum incluſum fuiſſe idem Eumenius in oratione Conſtantino dicta. Vidiſti, Conſtantine, Apollinem tuum comitante victoria coronas tibi laureas offerentem, quæ tricenum ſingulæ ferunt omen annorum. *Et paulo ante hæc verba,* « Templum vocat, toto orbe celeberrimum. *Et infra.* Merito igitur Auguſtiſſima « illa delubra tantis donariis honeſtaſti, vt iam vetera non quærant, iam omnia te vo- « care ad ſe templa videantur, præcipuèque Apollo noſter, cuius feruentibus aquis « periuria puniuntur; quæ te maximè oportet odiſſe. Dij immortales, quando illum « dabitis diem, quo præſentiſſimus hic Deus omni pace compoſita illos quoque «

„ Apollinis lucos & ſacras ædes & anhela fontium ora circumeat? Quorum ſcatu-
„ rigines leni tempore nebuloſæ arridere, Conſtantine, oculis tuis, & oſculis ſeſe
„ inſerere velle videantur. Miraberis profectò illam quoque Numinis tui ſedem
„ & calentes aquas ſine vllo ſolis ardentis indicio, quarum nulla triſtitia eſt ſaporis
„ aut halitus, ſed talis hauſtu & odore ſinceritas, qualis fontium frigidorum: da-
„ bis & illic munera, conſtitues priuilegia, ipſam denique patriam meam loci
„ veneratione reſtitues. Cuius Ciuitatis antiqua nobilitas, & quondam fraterno
„ populi Rom. nomine gloriata opem tuæ Maieſtatis expectat, vt illic quoque lo-
„ ca publica & Templa pulcherrima tua liberalitate reparentur: ſicut hîc video
„ hanc fortunatiſſimam Ciuitatem, cuius natalis dies tua pietate celebratur, ita cun-
„ ctis mœnibus reſurgentem, vt ſe quodammodo gaudeat olim corruiſſe, auctior
„ tuis facta beneficiis. Video Circum Maximum, æmulum credo Romano; video
„ Baſilicas & forum, opera Regia, ſedemque Iuſtitiæ in tantam altitudinem ſuſci-
„ tari, vt ſe ſideribus & Cœlo digna & vicina promittant.

7. Et poſtremò Eumenius Artifices tranſmarinos & ex ampliſſimis Prouinciarum Ordinibus Incolas nouos ſuæ Ciuitati à Conſtantio Cæſare inductos ſcribit. Et idem Panegyriſtes ad Conſtantinum Conſtantij ex Helena filium, *Ciuitas*, inquit, *Æduorum ex hac Britannicæ facultate victoriæ plurimos quibus illæ Prouinciæ redundabant, accipit Artifices: & nunc extructione veterum Domorum & refectione Operum publicorum & Templorum inſtauratione conſurgit. Nunc ſibi redditum vetus illud Romanæ fraternitatis nomen exiſtimat, cum te rurſus habeat conditorem.*

Et in alio Panegyrico ad eundem Imperatorem Conſtantinum, quo illi gratias agit nomine Flauiæ Æduorum, multa habet idem Eumenius, quæ temporis illius Hiſtoriam illuſtrant: imprimis verò diu ſuam vrbem reſtitiſſe coniunctis Gallorum copiis, nimirum Bagaudis, ſeptemque menſes expectaſſe Romanorum auxilium, tandemque Rebellibus reliquiſſe diripiendam poſt magnam cladem in Catalaunicis campis acceptam: huius verò fidelitatis erga Romanos intuitu, Conſtantium Cæſarem voluiſſe iacentem Ciuitatem erigere, & aliunde
„ Colonos, qui eam inhabitarent, aduocaſſe. *Attende quæſo*, inquit, quanti ſis,
„ Imperator, quod D. Claudium Parentem tuum ad recuperandas Gallias primi
„ ſollicitauerunt (Ædui) expectanteſque eius auxilium ſeptem menſibus clauſi
„ & omnia inopiæ miſeranda perpeſſi tum demum irrumpendas Rebellibus Galli-
„ canis portas reliquerunt, cum feſſi obſeruare non poſſent. Quod ſi vobis, & cona-
„ tibus Æduorum fortuna fauiſſet, atque ille Reipub. Reſtitutor implorantibus
„ nobis ſubuenire potuiſſet, ſine vllo detrimento Romanarum virium, ſine clade
„ Catalaunica compendium pacis reconciliatis prouinciis attuliſſet fraternitas
„ Æduorum. Ob hæc igitur merita & priſca Diuus Pater tuus Ciuitatem Ædu-
„ orum voluit iacentem erigere, perditamque recreare non ſolum pecuniis ad Ca-
„ lendaria largiendis, & lauacris quæ corruerant, extruendis, ſed & Metœcis vn-
„ dique transferendis: vt eſſet illa Ciuitas prouinciarum velut *vna Mater, quæ re-*
„ *liquas vrbes quodammodo Romanas prima feciſſet*. Metœcos vocat aliunde euoca-
tos Colonos: nam teſte Suida, *μέτοικοι οἱ ἀφ' ἑτέρας πόλεως μεταςάντες, ϗ εἰς ἑτέραν οἰκοῦντες*. id. *Metœci ſunt qui aliam vrbem inhabitant priore relicta.*

Ex his intelligimus Conſtantinum abſoluiſſe Auguſtoduni, quod Conſtantius Pater, morte quippe præuentus Eboraci in Britannia, abſoluere non potuerat. Fuit autem Conſtantius, vt refert Robertus Antiſſiodorenſis, omnibus bonis acceptiſſimus, facinoroſis & ignauis terribilis. *Nutrluitque ſemper bonas Artes, ſed præcipuè ſtudia litterarum, nunc legens, nunc ſcribens, aut meditans.* Quo imperante floruerunt apud Æduos Eumenius, Reticius eiuſdem vrbis Epiſcopus, Iuuencus Preſbyter natione Hiſpanus, qui Euangelia verſibus Heroïcis explicauit: Nazarius Rhetor inſignis, qui filiam etiam habuit eloquentia parem. Reticij inter alios meminit Hieronymus c. 82. de viris Illuſtribus. *Reticius Æduorum id. Auguſtodunenſis Epiſcopus ſub Conſtantino celeberrimæ famæ habitus eſt in Galliis. Leguntur eius commentaria in Cantica Canticorum, & aliud grande volumen aduerſus Nouatianum, nec præter hæc eius operum quidquam reperi.* Eius quoque facundiam prædicat Ep. ad Marcellam, ad Paulinum & ad Florentium. Item Gregor. Turon. l. de Gloria Confeſſor. c. 75.

Sed vt

Sed vt ad Scholas Æduenſes redeamus, quandiu poſt Conſtantinum floruerint, nihil certi. Qua verò in parte vrbis ſitæ fuerint inter Apollinis Templum & Capitolium, docet Chaſſanæus t. 12. Parte Catalogi Gloriæ Mundi. Conſid. 6: *In ſuperiori huius Ciuitatis parte Capitolium ſituabatur, cui adiacet etiam Vicus fraxineus, vbi Apollinis oraculum variis bellorum triumphis refertum fulgebat. Adeſt & conſequenter in medio vrbis Campus Martius, nunc Campus D. Lazari* (aliis vulgò Marchan, quaſi Martis Campus) *vocitatus, vbi Militum Claſſes ac Peditum cohortes, turmæque Bellatorum hominum, quotiens ad bellum opus fuiſſet progredi, arma ex templo Martis confertim aſſumebant. In ſuburbiis eſt Monticulus Philoſia: non longè ab hinc Mons eſt Iouis & Mons Druidum.* Hæc de Scholis Æduenſibus.

DE ACADEMIA NARBONENSI.

HACTENVS Academias deſcripſimus primi generis; quas ſcilicet certum eſt floruiſſe in Gallia, priuſquam eam ſibi Romani ſubiicerent. Nunc de Academiis 2. generis, & inſtituti Romani agamus. Nemo quidem dubitat, quin poſt ſubactam Prouinciam & Aquitaniam, omnia ibi ſecundum leges ſuas diſpoſuerint; quin ad earum cuſtodiam Magiſtratus ordinarint, Senatum compoſuerint; idemque poſtea in Aruernia, atque in aliis demum ſubactis domitiſque prouinciis præſtiterint. Nihil autem illis antiquius fuiſſe videtur, quàm ſcholas publicas erudiendæ Iuuentuti erigere, tum ad eam ſuis inſtitutis informandam; tum ad vberiorem linguæ ſuæ propagationem. Patet ex iis, quæ ſupra de Menianis retulimus, quanto ſtudio Scholas Æduenſes inſtaurari curarit Conſtantius, & poſt eum Conſtantinus filius. Sed parum eſt præ Gratiano Valentiniani filio, qui vt erat vir amantiſſimus Litterarum, reſcripſit ad Antonium Præfectum Prætorio Galliarum, vt in ſingulis Metropolibus excitari curaret & ali ſtudia litterarum, egregioſque eis exercendis profeſſores præficeret cum annonis idoneis. Reſcriptum eſt eiuſmodi, in Codice Theodoſiano.

Per omnem Diœceſim commiſſam Magnificentiæ tuæ frequentiſſimis in Ciuitatibus quæ pollent & eminent claritudine Præceptorum, optimi quique erudiendæ præſideant Iuuentuti. Rhetores loquimur & Grammaticos Atticæ Romanæque Doctrinæ: quorum Oratoribus 24. annorum fiſco emolumenta donentur: Grammaticis Latino vel Græco 12. annorum deductior paulò numerus ex more præſtetur; vt ſingulis vrbibus, quæ Metropoles nuncupantur, nobilium Profeſſorum electio celebretur. Nec vero minus iudicemus liberum vt ſit cuique ciuitati ſuos Doctores & Magiſtros placito ſibi iuuare compendio. Treuerorum verò clariſſimæ Ciuitati vberius aliquid putauimus deferendum, Rhetori vt 30. item Grammatico Latino, Græco etiam, ſi quis dignus reperiri potuerit, 20. præbeantur annonæ.

Non eſt itaque dubium, quin Romani ſingulis Ciuitatibus profeſſores litterarum addixerint, iis verò maximè, quæ primæ iugum ſubierunt: quales ſunt Narbonenſis Prouinciæ & Aquitaniæ Metropoles. Quanquam non eſt ambigendum, quin etiam ante aduentum Romanorum, ibi florerent litteræ propter Maſſiliæ vicinitatem, quæ toti Galliæ, maximè verò propinquioribus ciuitatibus profeſſores ſuppeditabat, tam publicos, quàm priuatos, vt ſupra ex Strabone confirmauimus. At vero ex quo Romani Imperatores & Præfecti Prætorio eas frequentare cœperunt, dici non poteſt, quanto cum ſplendore, quantaque cum dignitate in iis excultæ fuerint omnis generis diſciplinæ, quámque celebres Academiæ inſtitutæ.

Quarum tamen, vt & plurimarum aliarum Galliæ noſtræ Scholarum nulla extaret memoria, niſi eas Magnus Auſonius Profeſſor quondam Burdigalenſis,& Sidonius Apollinaris ab obliuione vindicaſſent.

A Narbonenſi igitur exordium ſumamus: quæ Ciuitas à Narbone vetuſto Gallorum Rege etediturcondita,& à Narbone Martio Conſule inſtaurata & amplificata: primaque fuit militum Romanorum Colonia, præſidiumque tutiſſimum aduerſus Barbarorum incurſiones,& à C.Iulio Cæſare & L. Craſſo præcipuis Italiæ Municipiis par effecta. In ea Proconſules vulgò ſedem habebant: eamque Amphitheatris, Aquæ-ductibus, Scholis Municipalibus, ſeu Colonienſibus decorarunt. Hinc à Martiale *pulcherrima* nominatur; à Prudentio *ſpecioſa*: à Sidonio *nullo ornamento carens Ciuitas*; à Theodulpho *decora*: ab Aimoino *celeberrima*. At omnium optimè & elegantiſſimè antiqua huius vrbis monimenta complectitur Auſonius carm. 12. de claris vrbibus.

——Tu Gallia prima Togati
Nominis attollis Latio Proconſule faſces.
Quis memoret portuſque tuos, monteſque, lacuſque?
Quis populos vario diſcrimine veſtis & oris?
Quodque tibi quondam Pario de Marmore Templum,
Tantæ molis erat, quantum non ſperneret olim
Tarquinius, Catulusque iterum, poſtremus & ille
Aurea qui ſtatuit Capitoli culmina Cæſar.

Nihil de Ara illa celeberrima dicimus, quæ L. Statilio Tauro & L. Caſſio Longino Coſſ. 10. Kal. Octob. à plebe Narbonenſi in foro poſita,& Numini D. Augusti Cæſaris conſecrata eſt: ad quam quotannis 9. Kal. Octob. qua die ſeculi felicitas Orbi terrarum Rectorem eum dederat, fiebat ſolenne ſacrificium: vt legitur in Tabula ſeu Ara lapidea, inuenta Narbone an. 1566. dum ob fundamenta murorum & aggerum humus altius ſuffoderetur. Cuius talis eſt inſcriptio.

L. STATILIO TAVRO L. CASSIO LONGINO COSS. X. KAL. OCT.

NVMINI AVGVSTI VOTVM SVSCEPTVM A PLEBE NARBONENSIVM IN PERPETVVM.

QVOD bonum fauſtum felixque ſiet, Imp. Cæſari Diui Fil. Auguſto PP. Pontifici Maximo Trib. Poteſt. XXXIIII. Coniugi liberiſque Gentique eius, Senatui Populoque Rom. & Colonis Incoliſque C. I. P. N. M. Qui ſe Numini eius in perpetuum colendo obligauerunt, plebs Narbonenſium Aram Narbone in foro poſuit. Ad Quam quotannis VIIII. Kal. Octob. Qua die eum ſæculi felicitas Orbi Terrarum Rectorem edidit, Ttes Equites Rom. à plebe & tres libertini Hoſtias ſingulas immolent, & Colonis & Incolis ad ſupplicandum Numini eius Thus & vinum de ſuo ea die præſtent. Et VIII. Kal. Octob. Thus vinum Colonis & Incolis præſtent. Kal. quoque Ianuar. Thus & vinum Colonis & Incolis præſtent. VII. quoque Idus Ianuar. Qua die primum Imperium Orbis Terrarum auſpicatus eſt, Thure vino ſupplicent & Hoſtias ſingulas immolent,& Colonis Incoliſque Thus & vinum ea de re præſtent. Et pridie Kal. Iunias, Quod ea die L. Statilio Tauro M. Æmilio Lepido Coſſ. Iudicia plebis Decurionibus coniunxit, Hoſtias ſingulas immolent & Thus & vinum ad ſupplicandum Numini eius Colonis & Incolis præſtent. Exque iis Tribus Equitibus Rom. Libertinis . . . . . Vnus.

Paucula quædam hic effractus lapis amiſit. Quæ ſequuntur, in dextera facie leguntur.

Plebs Narbonenſis Aram Numini Auguſti dedicauit legibus iis quæ infra ſcriptæ ſunt. Numen Cæſaris Auguſti Patris Patriæ, Quando Tibi hodie hanc Aram Dabo Dedicaboque,his legibus hiſque regionibus dabo dedicaboque, Quas hic hodie palam dixero. Vti Infimum ſolum huiuſque Aræ, Titulorumque eſt, ſi quis tergere,ornare reficere volet, Quod Beneficij cauſa fiat, ius faſque eſto. Siue Quis hoſtia ſacrum faxit; Qui Magmentum ne protollat, idcirco tamen probè factum eſto. Si Quis huic Aræ Donum dare augereque volet, liceto. Eademque lex ei dono eſto, quæ Aræ eſt. Cæteræ leges Huic Aræ Tituliſque eædem ſunto, Quæ ſunt Aræ Dianæ in Auentino. Hiſce legibus hiſque Regionibus ſic vti dixi hanc Tibi Aram pro Imperatore Cæſare Auguſto Patre Patriæ Pontifice Max. Tribunitia poteſtate Triceſimum quintum Coniuge Liberis Genteque eius, Senatu Populoque Rom. Colonis Incoliſque Coloniæ Iuliæ Paternæ Narbonis Martij, Qui ſe Numini eius in perpetuum Colendo obligauerunt, do dedicoque vti ſies volens propitium.

Veniamus ad ſcholas quas perecelebres fuiſſe nemo negauerit,ſi attendat, quantâ fama & exiſtimatione nominis in iis docuerint & floruerint complures Magiſtri & omni diſciplinarum genere præſtantiſſimi Profeſſores. Ad quos antequam deſcendimus, non prætereundum videtur, quod ſcribit Ioannes Rugerus Coſmographus in Commentariis ad Ptolomæum in verbo Volſci. M. ſcilicet Tullium Eloquentiæ Rom. Principem ex parentibus Galliæ Narbonenſis oriundum fuiſſe, Patre nempe Auxitano, Matre verò Olaia Aueniōnenſi genitum: quam alii Heluiam, non proprio, ſed Patrio nomine appellant. Heluij enim populi fuerunt Galliæ Togatæ trans Rhodanum ſiti, proximi Aruernis & Cebennis montibus. Ac proinde male ab Euſebio dici Ciceronem patre Equeſtris Ordinis ex Regio Volſcorum genere natum: niſi forte per Volſeos, non illos Italiæ populos, ſed Volſeas Arecomicos intelligat, aut Tectoſagos, qui Galliæ Narbonenſis populi fuêrunt. Tectoſagi quidem Narbonenſem & Tholoſanum agrum complectebantur: Arecomici Nemauſum aliaſque vicinas vrbes. *Schola Narbonenſis.*

In Narbonenſi autem Academia florebat inter cæteros Cæſaris Auguſti & Tiberii temporibus in eloquentiæ profeſſione Votienus Montanus, qui à Tiberio in Baleares inſulas relegatus fuiſſe legitur, ob contumelias in eum dictas. Florebat & Iulius Montanus, qui à Seneca patre *tolerabilis Poëta*, à filio *Egregius* appellatur. At Votienus orator fuit admirabilis, ita ſcholæ addictus, vt quo die à quodam Vinicio Narbonenſis Coloniæ nomine accuſatus fuit, declamauerit: vnde Seneca l. 7. Controuerſ. 5. eum vocat *Scholaſticum*. ſic enim ille. *Paratus autem non erat æquus ipſi Montano: accuſauerat illum apud Cæſarem, à Colonia Narbonenſi rogatus. At Montanus adeo toto animo Scholaſticus erat, vt eodem die quo accuſatus eſt à Vinicio, decertauerit.* Decertationem appellat Seneca Declamationes Rhetorum & Controuerſias. Tacitus l. 4. Annal. Votienum vocat *Celebris ingenii virum*, quem in Senatu poſtulatum ait *ob contumelias in Cæſarem dictas*, ob idque *Maieſtatis pœnis affectum*.

In eadem Academia temporibus Domitiani florebat Artanus Iuriſperitus inter Optimates Narbonenſes eruditiſſimus: cuius & ſimiliter Votieni meminit Martialis l. 8. Ep. ad librum ſuum.

Nondum murice cultus, aſperoque
Morſu pumicis aridi politus
Artanum properas ſequi Libelle,
Quem pulcherrima iam redire Narbo,
Docti Patria Narbo Votieni,
Ad leges iubet annuoſque faſces.

Sed ante hos in iiſdem ſcholis floruerunt Publ. Terentius Varro Atacinus, iiſdem ſcilicet temporibus natus, quibus M. Cicero & Hortenſius clari habebantur in Eloquentia. Dictum autem Atacinum non Atracinum, vel ab Atace vico prouinciæ Narbonenſis, aut ab Atace fluuio ſcribit Petrus Crinitus l. 2. de Poëtis Latinis. c. 32. Ibique ait eum ingenio præclaro fuiſſe, componendis Poëmatis mirifico ſtudio incubuiſſe, ſingularique diligentia Græcas litteras didiciſſe, quò facilius poſſet illorum ingenia & Doctrinam imitari. Scripſit Argonautica ſequutus Apollonium Rhodium; opuſque ſuum 4. libris abſoluit. de eo verò tale fert iudicium Quintilianus l. 10. c. 1. *Atacinus in his per quæ nomen eſt aſſequutus, interpres operis alieni non ſpernendus quidem, verum ad augendam facultatem dicendi parum locuples.* Alii tamen referunt ita Publ. Virgilium delectatum fuiſſe Varronis ingenio, vt illius carmen magno ſtudio imitatus fuerit.

Probus Valerius & alii Grammatici celebrant Argonautica Atacini, & ſæpe verſiculos ex illis referunt. Idem Atacinus ſcripſit Carmen Elegiacum, in quo decantauit Puellam nomine Leucadiam, ſic dictam ab oppido Leucate, quod hodie vallo & aggere cinctum vltra Narbonem Galliæ propugnaculum eſt aduerſus Salſuſam Arcem. hi autem verſus de Varrone & Lucadia leguntur.

Hæc quoque perfecto ludebat Iaſone Varro,
Varro Leucadiæ maxima flamma ſuæ.

Veniamus ad recentiores. Temporibus Cōſtantini Imperatoris in iiſdem Scholis florebat Exuperius magni nominis Rhetor, ciuis Burdigalenſis, qui primum in Academia Toloſana, deinde in Narbonenſi docuit: vbi Cæſarum Magiſter fuit, nempe filiorum Dalmatij Cæſaris, Anaballiano Conſtantini Magni fratre geniti, à quibus poſtea Præſes Hiſpaniæ conſtitutus eſt circa an. Chriſti 340. Eum Auſonius mirificè prædicat in Carm. *de Profeſſoribus.*

Exuperi memorande mihi, facunde ſine arte,
Inceſſu grauis, & verbis ingentibus, ore
Pulcher, & ad ſummum motuque habituque venuſto.
Copia cui fandi longe pulcherrima, quam ſi
Auditu tenus acciperes, deflata placeret:
Diſcuſſum ſcires ſolidi nihil edere ſenſus.
Palladiæ primum Toga te venerata Toloſæ,
Mox pepulit leuitate pari, Narbo inde recepit.
Illic Dalmatio genitos, fatalia Regum
Nomina, tum pueros grandi mercede docendi
Formaſti Rhetor, metam prope puberis æui.
Cæſareum qui mox indepti nomen, honorem
Præſidis, Hiſpanum que tibi tribuêre tribunal.
Decedens placidos mores tranquillaque vitæ
Tempora prædiues finiſti ſede Cadurcâ.
Sed Patriæ te Iura vocant & Origo Parentum,
Burdigalæ vt rurſum nomen de Rhetore reddas.

Ex hiſce verſibus facile eſt erroris conuincere Petrum Angelum & alios nonnullos confundentes Exuperium Rhetorem cum Exuperio Toloſano Epiſcopo: nam Exuperius Rhetor ante an. Chriſti 330. Narbone docebat, Toloſanus verò Præſul floruit tantùm circa an. 400. & eius temporibus Toloſa capta eſt à Vandalis.

Idem Auſonius meminit Car. 19. cuiuſdam Marcelli Grammatici Narbonenſis, quem Marcelli Senioris Empirici, Ciuis Burdigalenſis (qui de Empiricis librum filiis Theodoſij Senioris olim dedicauit) filium fuiſſe ferunt. Is autem licet multos habuiſſet auditores Prætextatos, ſeu nobiles, fauore ſuffultus & gratia Clarentij Nobilis Narbonenſis, cuius filiam duxerat; prætenuis tamen meriti fuiſſe dicitur ab Auſonio, & pecunias quas docendo compararat, amiſiſſe.

Nec te Marcello genitum, Marcelle, ſilebo:
Aſpera quem Genitrix vrbe, domo pepulit,
Sed fortuna potens citò reddidit omnia, & auxit.
Amiſſam primùm Narbo dedit patriam.

Nobilis hic hoſpes Clarentius indole motus
Egregiam natam Coniugio attribuit.
Mox Schola & Auditor multus prætextaque pubes
Grammatici nomen Diuitiaſque dedit.
Sed nunquam iugem curſum fortuna ſecundat,
Præſertim praui nacta virum Ingenij.
Verum oneranda mihi non ſunt, memoranda recepi
Fata: Sat eſt dictum cuncta periſſe ſimul.
Non tamen & nomen, quo te non fraudo, receptum
Inter Grammaticos prætenuis meriti.

Sequenti Carmine air filios Sedati Rhetoris Burdigalenſis Narbone docuiſſe; deinde Romæ.

Et tua nunc ſoboles morem reſecuta Parentis,
Narbonem ac Romam nobilitat ſtudiis.

Plurimos quoque eiuſdem Scholæ Profeſſores enumerat Sidonius Apollinaris in ſuo Narbone: imprimis verò Conſenrios Patrem & Filium Ciues Narbonenſes, nullius lirreraturæ expertes. Patrem quidem ita laudar, vr magni illi Oratores & Poëtæ Græci & Romani, ſi cum eo conferantur, Scholaſtici duntaxat fuiſſe videanrur.

Conſentii mihi gignis, Alme, Patrem;
Illum, cui nitidi ſales rigorque
Romanus fuit Attico in lepore.
Hunc Mileſius & Thales ſtupere
Auditum potuit &c.

Duxerar ille filiam Iouini Equitum Magiſtri, viri ſtrenui, obque fortia facta à Valentiniano Imperatore Conſulatus dignitatem conſecuri. De eo Ammianus Marcellinus l. 27. *Poſt hæc redeunti Pariſios poſt claritudinem rectè geſtorum Imperator lætus occurrit, eumque poſtea Conſulem deſignauit.* Ex ea coniuge ſuſcepir Conſentius filium nomine parirer Conſentium, qui Iouini aui materni faſces, & Patris libros inrer pręcipua ſtemmara & ornamenta ſuę nobilitatis duxit.

Sic intra proprios tibi penates,
Conſenti, Patria decus ſuperbum
Faſtis viuit auus, paterque libris.
Hac per ſtemmata te ſatis potentem,
Morum culmine ſed potentiorem,
Non poſſim merita ſonare laude.

Et poſtquam varias eius laudes enarrauir partas litteris, bello & Palatinis muneribus, deſcendir ad ſodalirarem ſeu hoſpitalitatem, quam cum eo communem habuerat, cum eoſdem frequentabant Narbone Magiſtros in omni diſciplinarum genere præcipuos & primarios, quos etiam enumerar.

Nunc quam diximus hoſpitalitatem
Paucis perſonet obſequens Thalia.
O dulcis Domus! O pij penates!
Quos res difficilis ſibique diſcors
Libertas ſimul excolit pudorque.
O conuiuia, fabulæ, libelli,
Riſus, ſerietas, dicacitates,
Occurſus, comitatus unus iſdem.
Seu Delubra Dei colenda nobis;
Siue ad Pontificem gradus ferendi.

Tunc erat Narbonenſis Pontifex Caprarius, qui Agathenſi Concilio ſubſcripſir an. 506. per Auilium preſbyterum, vt legitur in Gallia Chriſtiana. Deinde Sidonius Magiſtros Narbonenſes enumerat, in Eloquentia, Poëtica, Iuriſprudentia præcellentes, Martium Myronem, Liuium, Leonem, Magnum, Marcellinum, Limpidium, Marinum.

Siue ad culmina Martij Myronis,
Tecta, illuſtria ſeu videnda Liui,
Siue ad doctiloqui Leonis ædes,

Quo bis ſex tabulas docente Iuris,
Vltro Claudius Appius lateret,
Claro obſcurior in Decemuiratu.
Ac ſi dicat epos, metrumque rythmis
Flectat commaticis tonante plectro,
Mordacem faciat ſilere Flaccum,
Quamuis poſt Satyras Lyramque tendat
Ille ad Pindaricum volare Cycnum.
Seu Nos, Magne, tuus fauor tenebat,
Multis prædite dotibus virorum,
Formâ, nobilitate, mente, cenſu;
Cuius ſi varios eam per actus,
Centum & ferrea laſſet ora laude,
Conſtans, ingenioſus efficaxque
Prudens arbiter, optimus propinquus,
Nil fraudans genij ſibi, tibi, vlli,
Perſonas, loca, tempus intuendo.
Seu Nos atria veſtra continebant
Marcelline meus perite legum,
Qui verax nimis & nimis ſeuerus
Aſper crederis eſſe neſcienti.
At ſi te bene quiſpiam probauit,
Noſcit quod velit ipſe indicare:
Nam nunquam metuis loqui, quod æquum eſt,
Si te Sylla premat, ferusque Carbo,
Si triſtes Marij, trucesque Cinna,
Et ſi forte tuum caput latuſque
Circunſtent gladij Triumuirales.
Seu nos Limpidij Lares habebant
Ciuis magnifici virique ſummi
Fraternam bene regulam ſequentis.
Seu nos eximij ſimul tenebat
Nectens officioſitas Marini,
Cuius ſedulitas ſodalitaſque
Æterna mihi laude ſunt colendæ.
Seu quoſcunque alios videre fratres
Cordi vtrique fuit, quibus vacaſſe
Laudandam reor occupationem.

Eadem Ciuitas & Academia Populo Ro. Auguſtos ſeu Imperatores dederunt paci & bello idoneos: Carum ſcilicet, qui poſt Probum imperauit, & Carinum ac Numerianum Cariſilios, quorum æquiſſima Reſcripta Codici Iuſtinianæo inſerta Ius ciuile decorant. Numerianus non tantum rei militaris ſcientiâ clarus extitit, ſed facundiâ præpolluit & Poëtica facultate. Cuius oratio ad Senatum miſſa, tantum præſe tulit eloquentiæ, vt illi ſtatua, non quaſi Cæſari, ſed quaſi Rhetori decreta fuerit poſitaque in Bibliotheca Vlpia.

In eadem Academia ante tempora Sidonij floruerat Aprunculus Orator eximius, qui, vt ait Forcatulus l. 2. de Gall. Imp. *Rector Narbonenſis* declamando multorum pectora permulſit, & cauſas agendo à iudicibus pœne extorſit, quas vellet ſententias. Is quoque Aruſpicina peritus & viſceribus animalium inſpectis futurum Conſtantij Cæſaris exceſſum in Cilicia, tum Iuliano in Illyrico agenti profatus eſt: quod cum reſciuiſſet Iulianus ita contigiſſe, Vatem illuſtri honore donauit.

Hinc ergo intelligimus Narbonenſes ſcholas Sidonij ſaltem temporibus adhuc floruiſſe & vſque ad annum Chriſti circiter 500. Verum illæ tandem, vt omnes aliæ Chriſtianæ, Gothis, Alanis, Vandalis & Hungaris terrarum orbem inundantibus & occupantibus conticuerunt: donec illi edomita feritate & Barbarie depoſita ad fidem conuerſi, quas ſuſtulerant litteras, reſtituerunt.

Digitized by Google

DE
ACADEMIA
TOLOSANA.

TOLOSA antiquiſſima & clariſſima fuit Ciuitas Volſcorum ſeu Volcarum Tectoſagorum, quorum maiores olim duce Brenno Romam obſederunt, ceperunt, incenderunt: deinde in Græciam penetrarunt, Apollinis Delphici Templum diripuerunt: tumque alij Aſiæ minoris partem occupantes Galatiæ ſeu Gallo-græciæ Regnum conſtituerunt: alij in Galliam reuerſi Aurum Delphicum Toloſam reportarunt, dictum *Fatale*, quia omnibus, quotquot illud contrectarunt, damnoſum fuiſſe legitur. Imprimis enim illi qui è Templo illud ſuſtulerant, aut in ipſa vrbe perierunt, aut Toloſæ peſte correpti ſunt. Vnde ſe tandem agnoſcentes Sacrilegij Reos, conſultis Aruſpicibus & reſponſo accepto, aurum illud omne proiecerunt in Lacum, ſicque peſte fuerunt liberati. At longo poſt tempore Q. Cæpio Conſul rem edoctus, vt acciderat, ciuiumque ſuperſtitione deriſâ extractum è lacu aurum abſtulit. Quod Sacrilegium priore peius, & ipſi & eius copiis quæcunque aurum illud attrectarant, fatale fuit & exitiabile. Legitur huiuſce rei Hiſtoria apud Iuſtinum l. 32. c. 3. *Tectoſagi cum in antiquam patriam Toloſam veniſſent, comprehenſique peſtifera lue eſſent, non prius ſanitatem reciperauere, quàm Aruſpicum reſponſis moniti aurum argentumque bellis ſacrilegiiſque quæſitum in Toloſenſem lacum mergerent. Quod omne magno poſt tempore Cæpio Rom. Conſul abſtulit: fuere autem argenti pondo centum decem millia. Quod Sacrilegium cauſa excidij Cæpioni exercituique eius poſtea fuit. Romanos quoque Cimbrici belli tumultus velut vltor ſacræ pecuniæ inſecutus eſt.*

Hæc autem Ciuitas ob ſingulare Bonarum Artium exercitium meruit appellari *Palladia* à Pallade, quam Artium ſapientiæque Deam & Præſidem eſſe veteres crediderunt. Martialis l. 9. Ep. 10.

Marcus Palladiæ non inficianda Toloſæ
Gloria, quem genuit pacis amica quies.

Loquitur de M. Antonio Toloſæ nato, qui in pueritia cognominatus fuit Beccus, teſte Suetonio in Vitellio. Dux fuit Veſpaſianarum partium, multumque contulit ad Imperium Veſpaſiano aquirendum, vt docet Tacitus l. 2. Hiſt. Hæc inquã ciuitas ſingularis tituli excellentiâ ab Authoribus grauiſſimis *Docta* & *Palladia* nuncupata eſt: non ob aliam certe rationem, quam quia ibi vigebant eximiè ſtudia litterarum, vt & olim Athenis viguerunt, quam vrbem Ouidius 7. Metam. vocat quoque *Palladias Athenas*, id eſt Palladi bonarum Artium Deæ conſecratas.

Scribit Forcatulus l. 1. de Gall. Imp. Toloſam à Sarrone Galliarum Rege primo Academiarum litterariarum parente conditam fuiſſe: eumque nocte concubia diu cum Genio loci collocutum, priuſquam ibi vrbem condere aggrederetur, audiuiſſe ibi fundamenta vrbis & Academiæ pulcherrimæ iactum iri, nec alibi tanti molitionem operis tutam adeo fortunatamque fore.

Extat eodem teſte, ædes Toloſæ, quæ *Aurata* dicitur, Palladi olim conſecrata, ſicque dicta, quod veteribus perſuaſum eſſet Pallade naſcente magnam auri vim

Digitized by Google

Rhodi pluiſſe. Huiuſce templi meminit Strabo l. 4. aiens fuiſſe Toloſæ magnæ ſanctitatis templum à finitimis magnâ veneratione cultum, multiſque offerentium Donariis abundans, quæ tantâ religione ſeruabantur, vt ea nemo contingere auderet, Diuinæ vindictæ metu. Ad aram huiuſce Deæ cum tenuiſſet D. Saturninus accedere, & thus offerre, à plebecula furente occiſus eſt teſte Sidonio Apolinati l. 9. Ep. 16. ad Firminum.

Perſequutorum niſi quæſtiones
Forſitan dicam meritoſque cœlum
Martyres mortis pretio paraſſe
Præmia vitæ.
E quibus primum mihi pſallat Hymnus,
Qui Toloſatum tenuit Cathedram
De gradu ſummo Capitoliorum
Præcipitatum.
Quem negatorem Iouis ac Mineruæ:
Et Crucis Chriſti bonâ confitentem
Vinxit ad tauri latus iniugati
Plebs furibunda.
Vt per abruptum boue concitato
Spargeret curſus lacerum cadauer
Cautibus tinctis calidâ ſoluti
Pulte cerebri.

Paſſus eſt Decio imperante an. Chriſti 254. vt legitur in eius veteri Paſſione, quam citat Gregorius Turonenſis l. 1. c. 28. his verbis. *Huius (Decij) tempore ſeptem viri Epiſcopi ordinati ad prædicandum in Gallias miſſi ſunt: ſicut Hiſtoria Paſſionis S. Martyris Saturnini denarrat: ait enim ſub Decio & Grato Coſſ. ſicut fideli recordatione retinetur, primum ac ſummum Toloſana Ciuitas habere cœperat ſacerdotem.* Eiuſdem Paſſionis Baronius meminit ad an. 254. Cum autem ait Sidonius Saturninum fuiſſe de Gradu ſummo Capitoliorum deiectum, innuit Toloſæ, quemadmodum in aliis Metropolibus à Romanis fieri conſueuerat, fuiſſe Capitolium, ſeu Arcem adinſtar Capitolij Romani. Olim quippe Arces *Capitolia* vocabantur, teſte Hieronymo de locis Hebraïcis. *Arx Babylonia Capitolium vocatur.*

Porro poſtquam Toloſani Religionem Chriſtianam amplexi ſunt, Templum illud Palladis tectorio inaurato ſpecioſum B. Mariæ Virgini dedicarunt. Erat autem ſatis opacum & ſancto quodam honore venerabile: Mineruæ enim, Marti, Herculi Diis ſeriis, inquit Forcatulus, ſolebant templa Doricè conſtrui & ſine deliciis propter virtutem. Veneri verò, Floræ & Fontium Nymphis Corinthio genere graciliora & florida, foliis & volutis ornatiora, ſi Vitruuio credimus.

At quo loco vrbis conſtituta fuerit florentiſſima illa Academia, nobis non liquet: liquet verò multos olim in ea floruiſſe viros perilluſtres; quorum aliquos Verſibus ſuis commendat Auſonius; & inter alios Æmilium Magnum Arborium, Auunculum ſuum, fratrem ſcilicet Æmiliæ Æoniæ Matris ſuæ, ab eoque ſe ibi inſtitutum fuiſſe ait. Sic igitur ille Carm. 3. Parental.

Tu frater Genitricis & vnanimis Genitoris,
Et mihi qui fueris & Pater & Genitrix.
Qui me lactentem puerum, iuuenemque virumque
Artibus ornaſti, quas didiciſſe iuuat:
Te ſibi Palladia antetulit Toga docta Toloſæ.
Te Narbonenſis Gallia præpoſuit.
Ornaſti cuius Latio ſermone tribunal,
Et fora Hiberorum, quaque Nouempopulis,
Hinc tenus Europam fama creſcente, perito
Conſtantinopolis Rhetore te viguit.

In Academia ergo Conſtantinopolitanâ docuit Rhetoricam, auditoreſque habuit inter cæteros, Conſtantini magni filios: ibi autem fato functum permiſit Conſtantinus in Patriam referri, tumuloque maiorum reponi: vt idem Auſonius ait Car. 11.

In Cathedra quoque Toloſana docuit Exuperius, de quo ſupra in Narbonenſi diximus.

diximus. In eadem Sedatus inſignis Rhetor, qui ibi vxorem duxit, magnaſque opes docendo comparauit: demum ibi fato communi functum Burdigala tanquam Ciuem ſuum, erat enim Burdigalæ natus, repetiit & obtinuit: vt idem teſtatur Auſonius.

Religio eſt tacitum ſi te, Sedate, relinquam,
Quamuis docendi munus indeptus foris.
Communis Patria eſt tecum mihi: ſorte potentis
Fati, Toloſam nactus es ſedem Scholæ.
Illic coniugium Natique opulenſque ſenectus;
Et fama qualis eſt par Magno Rhetori.
Quamuis externâ tamen à regione reducit
Te patria, & Ciuem morte obitâ repetit.

Huiuſce Rhetoris ſtatuam etiamnum ſuo tempore extitiſſe Burdigalæ ſcribit Ælias Vinetus in Notis ad Auſonium: ſeu potius ſimulachrum eius in lapide inſculptum: in cuius ſuperiori parte ſunt hæ litteræ, D. M. hoc eſt *Diis Manibus*: infra illas, SEDATVS. Tum effigies hominis capillo & barba criſpa, librum manu ad pectus tenentis.

Atque ex his patet Muſæum Toloſanum eſſe vetuſtiſſimum, longéque vetuſtius, quàm aliqui putent: qui conditorem illius faciunt Theodoſium: non enim negari poteſt, quin ante ipſum floruerint ibi litteræ: vt & poſt ipſius tempora florere non deſtiterunt, etiam occupatâ à Gothis Toloſâ, qui eam Regni ſui ſedem primariam & Ærarij locum eſſe voluerunt. Vnde à Sidonio Apollinari *Pelliti Principis Aula* dicitur. Car. 7. vbi etiam docet Theodoricum hortante Auito Toloſæ Romanas didiciſſe leges boniſque Artibus inſtructum fuiſſe. Sic enim ille ad Auitum.

——Mihi Romula dudum
Per te iura placent: paruumque ediſcere iuſſit
Ad tua verba, Pater, docili quo priſca Maronis
Carmine molliret Scythicos mihi Pagina mores.

Porro ad Antiqua illa Romanæ Ditionis tempora referunt nonnulli *Floralium Ludorum* in Academia Toloſana inſtitutionem: non illorum quidem Floralium impudicorum, qui fuerant olim Romæ in honorem Floræ inſignis meretricis inſtituti; ſed honeſtorum, laudabilium & glorioſorum, ad experimentum ingenij & eloquentiæ laudem inuentorum. Fuerunt enim Agones Rhetorici & Poëtici quotannis celebrari ſoliti, quique etiamnum hodie Kalendis Maij quotannis in Domo publica committuntur. *Ludi Florales.*

Dubium à quo primùm fuerint inſtituti. Floralium ludorum meminit Iuſtinus, vbi de Phocenſibus Maſſiliæ Conditoribus fusè agit; & nos ſupra meminimus. At Toloſanos communis fert opinio à Virgine quadam Clementia Iſaura bonarum litterarum amatrice fuiſſe inſtitutos; vel vt alij volunt, inſtauratos tantummodo & reſtitutos.

PETRVS FABER SANIORIANVS in Senatu Toloſano Præſes, qui librum edidit de re Athletica, ludiſque veterum Gymnicis, Muſicis &c. Impreſſum Lugduni an. 1595. ſub hoc titulo AGONISTICON PETRI FABRI, Iſauram illam ſæpe vocat Inſtauratricem & Reſtitutricem Muſici illius certaminis: atque illam incomparabili liberalitate prædia quædam Vrbana & Ruſtica huic rei teſtamento addixiſſe, ea lege, vt ludi Florales quotannis in Æde publica, quam impenſis ipſa ſuis extruxerat, celebrarentur. Papyrius Maſſonius in eiuſdem Virginis immortale factum libellum edidit, cui pro titulo eſt ELOGIVM CLEMENTIÆ ISAVRÆ.

Erat autem illa ex illuſtriſſima Iſaurorum Gente oriunda, & L. Iſauri filia virgo innupta: cui ob tam inſigne factum Capitolini Toloſani ſtatuam in ingreſſu Fori Venalium, quod Petræ vocant, media in vrbe ſiti poſuerunt. Quam ſtatuam deinde in Aula Magni Conſiſtorij, vbi Poëticum certamen quotannis committitur, publico in conſpectu exhiberi voluerunt. Epitaphio autem memorabili eius monumentum decorarunt, quod eſt huiuſmodi.

EPITAPHIVM CLEMENTIÆ ISAVRÆ.

CL. ISAVRA L. ISAVRI FILIA EX PRÆCLARA ISAVR. FAM. QVVM IN PP. COELI OPT. VITAM. DELEGI. CASTAQ. ANNIS L. VIXI. FORVM FRV. VINA. PISCA. ET OLITO. PS. IN PVBL. VSVM. STATVIT C. P. T. LD. HAC LEGE VT QVOTANNIS LVDOS FLOR. IN ÆDEM PVB. QVAM IPSA SVA IMPENSA EXTRVXIT, CELEBRENT. ROSAS AD MON. EIVS DEFERANT ET DE RELIQVO IBI EPVLEN. QVOD SI NEGLEX. SINE CO. FISCVS VENDICET CONDITIONE SVPRADICTA H. S. V. F. M. R. I. P.

Id eſt. *Clementia Iſaura Lucij Iſauri filia ex præclara Iſaurorum familia, cum in perpetuo Cælibatu optimam vitam delegiſſet, caſtaque annis 50. vixiſſet, forum frumentarium, vinarium, piſcarium & olitorium proprijs ſumptibus in publicum vſum ſtatuit, Capitolinis populoque Toloſano legauit, hac lege vt quotannis ludos Florales in ædem publicam; quam ipſa ſua impenſa extruxit, celebrent, roſaſque ad Monumentum eius deferant, & de reliquo ibi epulentur. Quod ſi neglexerint, ſine controuerſia fiſcus vendicet conditione ſupradicta. Hæc ſibi viuens fieri mandauit. Requieſcat in pace.*

Ex eadem Iſaurorum familia oriundus erat T. Iſaurus, qui vrbis Toloſanæ principatum à Carolo M. adeptus eſt, vt refert Bodinus in quadam oratione ad Senatum populumque Toloſanum de inſtituenda iuuentute. Vbi de Iſaura illa verba faciens, ait eam legauiſſe hortos & prædia, in quibus roſas legere liceret.

Sed vnde Florales ludi dicuntur? an à Flora Dea? nullatenus, ſed à flore aureo, qui victori dabatur in præmium. Erant enim hæ leges certaminis: proponebantur certatoribus tria præmia. Primum & præcipuum dabatur victori, eratque antiquitus Aureum Leucoion Luteum, quod Occitanâ linguâ vocant *Flor de Violeta.* de Fin aur. Flor. d'Aiglantina. Inde communiter Ludi iſti vocantur *l'Aiglantine.* Et tale præmium dabatur adhuc annis 1323. & 1355. Nunc vero, & à ducentis ferè annis ex argento puro & ſolido proponitur præmium loco floris, vocaturque à doctis nihilominus Argyranthinum, id eſt *Argenteus Flos.*

Reliqua duo præmia, quæ duobus Antagoniſtis, qui propius acceſſiſſent, dabantur, erant etiam argentea, nimirum Calthæ ſeu Heliotropij flores. Vocant illi *Flor. de Gauch, de fin argent.* Nos *du Soucy*, vel *Tourneſol.* Atque idcirco ſecundaria iſta præmia acceſſionis loco proponi debere viſum eſt; tum vt ſolennior eſſet huiuſce certaminis celebritas, tum ne in vnum duntaxat totus iſte honor conferretur: quemadmodum diſertè eorum linguâ continetur in commentario quodam publico, quod in Archiuo Octo-virorum Capitolinorum ſeruatur. Eſtque eiuſmodi.

Cil que han Gazanhada, una vetz o motas la ioya principal, coma la ioya de la violeta: laqual Principal reputan ſon nominat ſin ayment. E dizen principal en reſpieg de las autras ioyas, laſquas appellam acceſſorias. E à queſtas hom dona per hondrac la ioya principal, e per ſolennizar la feſta. E. que vz ſolamen no aya tota la honor de la feſta.

Ad huius autem Certaminis Muſici maiorem ſolemnitatem fuerunt conſcriptæ quædam leges anno 1324. à Septem-viris ſeu Critis & Guillelmo Molinerio Agonum Cancellario, quas vocant Amorum leges, *La gaye ſcience*, tales autem ſunt.

1. Bedellus ſeu Præco diem ludorum publicè indicit, & Agonothetas ſeu Critas, quos *Manutentores* vocant, ipſoſque etiam Antagoniſtas inuitat. Ille virgam geſtat argenteam, olimque caput habebat inſignitum in apice Filo ſerico: quod illi *Floc* vocant, quemadmodum antiqui Flamines geſtaſſe dicuntur: vnde Flamines dicti, quaſi Filamines. Nunc veſtem geſtat iantinam, ſeu violaceam quam teſte Fabro Octouiri Capitolini Agonum patroni tribuunt quotannis: &

virgam argenteam, ſublato vel ipsâ deſuetudine abrogato apicis illius, è ſerico filo, quod capiti aprabatur, indicio.

2. Kalendis Maij de mane poſt auditum ſolenne ſacrum incipiunt Agoniſtæ ſua poëmata recitare, totumque diem, ſi plures ſint, recitando conſumunt.

3. Ad 5. Nonas Maias ſolenne Epulum exhibetur ſymmyſtis & quibuſdam Ciuibus honoratiotibus ab Octouiris Capitolinis à Clementiâ Iſaura id penſi habentibus, in intimo Capitolinarum Ædium quaſi Prytanæo. Illudque Epulum, quod per Tibicines proclamatur, cum omni lætitia & hilaritate celebratur poſt impenſas aliquot horas matutinas poëmatum recitationi. Et in hanc rem ſumptus ex Prædiorum Agonotheticorum reditu ſuppeditantur.

4. Committitur certamen, ſeu Poëmatum Examen peragitur à Septemviris quos *Los ſet Mantenedor leyal del ioy d'Amours*, id. *Manutentores* vocant, qui ſunt Critæ ſeu Iudices operum cum Cancellario, ſeu Præſide ad ſtatuam Iſauræ, quæ ſuos quodammodo ludos ſpectat. Cui Examini præſentes quoque adſunt Magiſtratis Municipales, Octouiri Capitolini, vulgo dicti *les Capitous*: quorum curæ incumbit Epulum & præmia victoribus propoſita exhibere. Et illa ſuper puluinos holoueros chryſopaſtos atque bracteatos collocant ante Cancellarium ſeu Protocriten & Præſidem Agonis, cum Commentariis quibuſdam vetuſtis, in quibus leges certaminis continentur.

5. Eadem die habetur Panegyrica oratio Latina, quâ Clementiæ Iſauræ immortalis memoria celebratur, litterarum ſtudiorumque, Agonis, Agoniſtarumque laudes prædicantur, & Iuuenes ad amplectenda ſtudia propoſitis laborum præmiis & honoribus excitantur. Panegyriſtes autem iſte vulgò eligitur è Nobilibus, qui ingenij, doctrinæ & eloquentiæ non vulgaria ſpecimina ediderit.

6. His præmiſſis ineuntur ſuffragia & renunciantur Victores, præmiiſque Argyrophylinis in ipſo Agonis loco, ordine quiſque ſuo donantur ingenti cum applauſu & acclamatione omnium ſpectatorum. Et præter tria, quorum vnum Victori datur, altera duo proximè Accedentibus, Cancellarius priuata quædam de ſuo tribuit ſelectis, & quibus libuerit, generoſæ Indolis pueris, vt eos ad bonarum Artium ineunda ſtudia fouendaque & amplificanda extimulet. Sunt autem illa vulgò ex ſubargenteo ocello Gall. *Giroſflée* aut *Oeillet*, ac proinde minoris quàm publica, pretij & valoris.

7. Poſt hæc Præcone ſeu Bedello præeunte cum argentea virga & veſte violaceâ, præmiaque Victorum ob oculos omnium præferente, ſequuntur ſuo ordine præmiati, & magno Amicorum circumfuſæque multitudinis comitatu ſe conferunt in ædem B. Mariæ cui *Deauratæ* nomen eſt (olim Palladi ſeu Mineruæ dedicatæ) præmiaque ſua illi offerunt, ad quæ conſequenda ſe fauorem eius gratiamque fatentur expertos. Tum demum ſuas quiſque in ædes ſolenni, ſed pedeſtri tamen pompâ, qualis apud Romanos mos Ouantium fuit, deducuntur.

8. Alio die feſto & ſolenni, qui à victoribus ei rei præſtituitur, agendarum Deo gratiarum ergo adeunt Ædem ſuburbanam D. Rochi cum fautorum quiſque ſuorum amplo comitatu. Illi enim per factiones & cateruas ſe diuidunt: & inde in equis per triumphalem portam feſtiuâ pompâ regrediuntur in vrbem, ſeſeque populo ſpectandos & ſpectabiles exhibent.

Neque hoc omittendum, nonnunquam ludos illos intermitti, ſi quando publica calamitas, puta tumultus, bellum, aut peſtis interuenerit. Idque ex communi Manutentorum ſeu Septemvirorum Critarum & Octouirorum Capitolinorum conſilio & conſenſu ſignificatur omnibus per litteras, quas vocant Circulares; ſicut iidem per eaſdem inuitant ad Commiſſionem Ludorum: quarum exemplar habetur in illo veteri commentario publico de quo ante diximus: & in quo leges quaſdam conſcripſerunt Septemviri an. 1324. quorum hæc ſunt nomina: Bernardus de Panſac Donſel, Guill. de Cobra Ciuis, Berengarius à S. Pancardo, Petrus de Meiane-Serre Campſor, Guill. Gontaut, Petrus Camo Mercator, Bernardus Ots Notarius Vicarij Toloſani, & Guill. Molinerius tunc Ludorum Præſes & Cancellarius.

Anno vero 1340. eodem Molinerio Cancellario de conſilio Bartholomæi Marci legum Doctoris fuerunt aliæ quædam leges additæ, quarum vna eſt, circa Iuſiurandum quod præſtare tenentur Septemviri Critæ ſeu Iudices ad id muneris de-

lecti, ſe nullius nempe fauore aut odio, aut timore præmium vlli Agoniſtarum addicturos aut erepturos. Item ſe Iudicium ſeptemuirale nulli euulgaturos ante diem ipſum Agonis. Quæ leges continentur in prædicti Commentarij l. 2. his verbis.

Que Caſcus en lo commenſamen de ſa receptio iure que per amor, fauor, odi, rancor, temor, prets, pregarias no eſtara que el lamlos autres ſos Compaignos no inciebe è le alment. Que tendra ſegret lo Iudiciamen, tro que ſi a publicat le Iorn que ioya ſe dara: è que non impuguara ans tendra perfait ſoque la maior partida de ſos Compagnos voldra tendra è inciara, è que en acqueſt Iuciamen no gardera eſtat, condicio, paubriera, rictas, indignitat de perſona, ſi no en loz cazes ios eſcriutz, mas ſolamen maniera de trobar è de ben dictar tenen è gardan las noſtras preſens leis à bona fee al miels que poira.

His addere iuuat carmen quod ad immortalem Heroïnæ illius Palladiæ Agonum Inſtitutricis, ſeu Inſtauratricis laudem & memoriam compoſuit Stephanus Doletus olim Academiæ Toloſanæ Rector: in quo ſic illam loquentem inducit.

Quòd muliebre mihi nomen, quod vultus & ora
Fœmineum planè referunt genus:
Quòd muliebri animo virtutis cura negetur,
Cultaque conueniat facies magis,
Quid tum? Virtutiſne mihi illecebroſa voluptas
Præripuit ſtudium ſtudio ſui?
Pluſne mihi, mihi pluſne ſinus, plus candida forma
Quam bene culti animi placuit nitor?
Non ita. Diſplicuit comptus nimiâ arte capillus,
Diſplicuit roſeus rubor in genis.
Labra nec infecere mihi conchylia fuco,
Diſplicuêre madentia tempora.
Non placuit collo pendere monilia, pectus
Gemma nec excoluit patulum mihi:
Et ſegmentata veſtes & Hianthina & Oſtrum
Charius haud virtute mihi fuit.
Diuitiæ iacuêre mihi, virtuſque probata eſt:
Iræ ſtudio iacuêre mihi omnia.
Pra ſtudio iacuêre mihi Materque Puerque,
Mater Amoris & Idalius Puer.
Te ſolum, ſolum Te Helicon, doctaſque puellas
Collibuit generoſo animo ſequi.
Nec tantum Aonias colimus, cum veſcimur aurâ,
Perpetuò monimenta rei manent.
Ecce ſuus Muſis honor eſt ſolennis, & olim
Non minor his erit, aut honor aut decus.
Æternum Ingeniis poſui certamen, alumni
Carmina quaque ſui vt celebret Dea.
Vtque Theatrali ludo tua gloria, Phoebe,
Sideribus magis ac magis hæreat.
Et me nunc animo clamet caruiſſe virili
Inuidus inuidiæ face percitus.

Extat etiam eiuſdem Doleti Carmen Elegiacum de laudibus Critarum ſeu Iudicum, & exhortatio ad Agoniſtas hoc modo.

Annua ſolemni redeunt ſpectacula pugnæ,
Miſcerique ſuo Pallas ab Axe iubet.
Non tuba terribili ſonitu: non Claſſica rauca,
Non quemquam ad bellum Mars truculentus agit.
Clamat io Pallas, magnoque hæc intonat ore.
Huc precor, huc vates docti inhibete ratem.
Vocibus his Phœbus fauces exercet anhelas,
Vocibus his Doctos Turba Nouena vocat.
Huc omnes, huc ferte gradum, quos fouimus vltro,
Queiſque datum eſt ſacro tingere labra lacu.

Ludite ſecuri , quorum non carmina liuor,
Nec rabido frondens Zoilus ore petet.
Ludite quos præter laudem nomenque ſuperbum
Non vilis merces, dona ſed ampla manent.
Ludite Iudicibus tetrica grauitate probandi,
Iudicis exacti ludite digna choro.
Vatibus immenſum eſt calcar , non iudice ſurdo
Aure, nec agreſti fundere voce modos.
Acrius inſurgit validus Luctator in hostem ,
Quem ſpectatorum lumina multa notant.
Gaudet Equus curſu , curſum mirante Magiſtro,
Exultanſque leui fertur in Aſtra pede.
Ad Ducis aſpectum miles commotior arma ,
Arma capit multis ſæpe futura neci.
Neſcio quos ſtimulos noſtris conatibus addit
Cenſoris virtus lance probanda grauis.
Ergò agedum quidquid docuit vos Artis Apollo,
Audiat hæc grauibus cincta Corona viris.
Quas Veneri quondam Paridis ſententia primas
Detulit, hoc Cœtu Docta Minerua tenet.
Non Iunove Venuſue genas bene culta ſinumque
Auferet hinc fuco lautea ſerta ſuo.
Hic ſola , hic regnat Pallas virtuſque decora,
Vatibus hæc tantum laudis aperta via eſt.
Huc quos tangit honos , quos gloria tangit , adeſte :
Vatibus hæc tantum laudis aperta via eſt.

In ea autem Ciuitate, quæ bonarum Artium ab omni æuo amatrix fuit & excultrix, inſtituta eſt longo poſt tempore Vniuerſitas ad confutandos Albigenſium Hæreticorum errores, qui Toloſam circumiectaſque Regiones infecerant, priuilegiiſque à Gregorio IX. Pontifice decorata. In ea verò præſertim ab antiquis Romanæ ditionis temporibus ad hæc vſque floruit Iuris Ciuilis ſcripti Diſciplina: quàm ibi Theodoricus Thoriſmundi Gothorum Regis frater & ſucceſſor perfectè hauſit & calluit; vt ante ex Sidonio retulimus. Hincque Gothi qui antea moribus & conſuetudine tantummodo tenebantur, ſub Euuarige Theodorici ſucceſſore, vel ſub ipſomet Theodorico, vt nonnulli putant, legum inſtituta ſcriptis mandare cœperunt.

DE
ACADEMIA
BVRDIGALENSI.

QVÆRVNT Etymologiſtæ originem & rationem nominis, nec inueniunt. Aliqui Burdigalam, quaſi Bardigalam, ſic dictam putant à Bardis, celeberrimis illis Galliarum Vatibus, de quibus ante diximus. Alij quaſi Burgigalam, pro Biturigalam, quia conditam fuiſſe autumant à Biturigibus Cubis Galliæ Populis ad Ligerim. Cuius ſententiæ videtur eſſe Iſidorus l. 15. *Burdigalam appellatam ferunt, quod Burgos Gallos primùm Colonos habuerit; quibus ante Cultoribus adimpleta eſt.* Burgos autem vocat, quos communiter appellamus *Ceux de Bourges*. Nec forte hic dormitat, quanquam alibi ſœpe: certum eſt enim Biturges antiquitus in Gallia præualuiſſe, itaut Regem Celtis darent, & ſummam Imperij penes ſe haberent. Vnde varias deduxeruut colonias etiam extra Galliam ducibus Belloueſo & Sigoueſo Ambigathi Biturigum Regis Nepotibus. Nonnulli à duobus fluuiolis Burdâ & Iala, ſeu Gealo ſic dictam ſcribunt, quibus Burdigalenſe territorium alluitur. Verum, vt vt ſit de Etymologia, conſtat hanc vrbem eſſe vetuſtiſſimam, & longè antequam à Romanis Gallia occuparetur, conditam. Temporibus Iulij Cæſaris Metropolis erat Biturigum Vibiſcorum. In Garumnæ ripâ ſita, & poſtquam ſubdita eſt, ei ſtatim Romani leges moreſque ſuos & Inſtituta indiderunt & impoſuerunt. Arcem ibi conſtruxerunt quam illi πομπεῖον appellarunt, vulgò Trompeta dicitur *le Chaſteau Trompete*. In ea Marmor eſt, cuius in vna parte hæc inſcriptio legitur AVGVSTO SACRVM ET GENIO CIVITATIS BIT. VIB. In dextra viſebatur forma vaſis anſati: in ſiniſtra lanx ſeu diſcus ad vſum ſacrificiorum. In poſticâ quernea eſt corona lemniſcata. In ſummo iacentes duo cylindri ſquamis quibuſdam obducti humaniſque vultibus, adinſtar plenilunij. Hæc & plura alia Elias Vinetus in Notis ad Auſonium.

Strabo Geographus, qui ſub Auguſto & Tiberio floruit, Burdigalæ ſcribit fuiſſe celeberrimum Emporium: & is primus, ſi creditur Forcatulo l. 2. Burdigalæ nomen inuexit, antea inauditum, cum Ciuitas prius ab Aquitanis populis, & ab aquarum abundantiâ Aquita diceretur. Ibi ſub Romanis Præſides Aquitaniæ ſedem habere ſolebant: ibi Senatus erat Aquitanicus: ibi quoque Palatium Imperatorum, vt indicat Gallieni Amphiteatrum, Gallieni Palatium vulgò nuncupatum: cuius adhuc reſtant rudera & columnæ quædam, magnifici Templi Deorum Tutelarium, quod Palatium Tutelæ vocant.

Non eſt igitur dubitandum, quin, ex quo Burdigala Romanæ Ditionis eſſe cœpit, ibi bonarum Artium inſtituta fuerit Academia: quandoquidem certum eſt Romanos id potiſſimum curare ſolitos, vt in Metropolibus ſaltem erigerentur ſcholæ ad inſtructionem Iuuentutis, quæ ſuis legibus & inſtitutis à tenerâ ætate litteras combibendo aſſueſceret. Nec omittendum, quod qui ſub iis Aquitaniæ præficiebatur, iam tum Conſulatui, quæ Digſitas erat poſt Imperatoriam prima, deſtinabatur. Vnde Tacitus Iulium Agricolam ſocerum ſuum imprimis laudat, quod à Veſpaſiano Prouinciæ Aquitanicæ præpoſitus fuiſſet *ſplen-*

didæ, inquit, *dignitatis adminiſtratione, ac ſpe conſulatus, cui deſtinarat.* Ibi Poſthumus Pater ſub Gallieno præfecturam geſſit, vir bello fortis, in pace conſtans, & in omni vita grauis, vt Pollio notat in 30. Tyrannis. Et eum Gallienus tanti faciebat, vt Saloninum filium educandum Burdigalam miſerit. Verum poſtquam Imperator voluptati & ſocordiæ ſe tradidit, Poſthumus Dominatum ſibi vindicauit, totoque decennio moderatè geſſit magno Gallorum bono & gaudio. Eo demum interempto Victorinus à Gallis ſuffectus eſt. Huic Tetricus Senator Rom. Aquitaniæ quoque præſes: quem poſtea fregit Aurelianus.

Nec deſunt, vt refert Forcatulus, qui in Amphitheatro Gallieni putent olim agitata fuiſſe Poëſeos & Rhetorices certamina. Certe Ciuitas illa tam multos tulit viros ingenio & omni Diſciplinarum genere præſtantes, vt nulla plures Oratores, nulla plures Senatores parturierit. In ea natus eſt & educatus Auſonius Gratiani Imperatoris quondam Præceptor, Conſulatumque Municipalem obtinuit. De qua ſic habet.

Diligo Burdigalam, Romam colo: Ciuis in illâ,
Conſul in ambabus; cunæ hic: ibi ſella Curulis.

Idem quamplurimos enumerat ætatis ſuæ Profeſſores eximios: quibus poſtquam vniuerſæ ſuæ Genti parentauit, exiſtimauit quoque ſibi parentandum eſſe, quos aut Burdigalæ in profeſſione litterarum vidiſſet, aut qui Burdigalæ nati & bonis artibus informati, aliò profecti fuiſſent ad docendum. Primum autem omnium Tiberium Victorem Mineruium Præceptorem ſuum celebrat, quem Conſtantinopoli & Romæ docuiſſe ſignificat, demum Burdigalæ. Ante verò quàm ſingulorum laudes aggrediatur, hanc præmittit præfationem.

Vos etiam quos nulla mihi cognatio iunxit,
Sed fama, & chara Religio Patriæ,
Et ſtudium in libris & ſedula cura docendi,
Commemorabo viros morte obita celebres.
Fors erit, vt noſtros Manes ſic adſerat olim,
Exemplo cupiet qui pius eſſe meo.

Primo autem Carmine Mineruium prædicat, nempe patrem, qui teſte D. Hieronymo Romæ docebat circa an. 350. Patrem dico: nam fuit Alethius Mineruius eius filius, qui ab eodem Auſonio Car. 6. laudatur.

Primus Burdigalæ Columen dicère Mineruî,
Alter Rhetoricæ Quintiliane togæ.
Illuſtres quondam quo præceptore fuerunt
Conſtantinopolis, Roma, dehinc Patria.
Non equidem certans cum Majeſtate duarum;
Solo ſed potior nomine, quod Patria.
Adſerat vſque licet Fabium Calagurris Alumnum,
Non ſit Burdigalæ dum Cathedra inferior.
Mille foro dedit hic Iuuenes; bis mille ſenatus
Adiecit numero, purpureiſque togis.
Me quoque: ſed quoniam multa eſt prætexta, ſilebo,
Teque canam de Te, non ab honore meo.
Siue Panegyricos placeat contendere libros;
In Panathenaïcis tu numerandus eris.
Seu libeat fictas ludorum euoluere lites,
Ancipitem palmam Quintilianus habet.
Dicendi torrens tibi copia: quæ tamen aurum
Non etiam luteam volueret inluuiem.
Et Demoſthenicum quòd te primum ille vocauit,
In te ſic viguit, cedat vt ipſe tibi.
Anne & Diuini bona naturalia doni
Adiiciam? memori quàm fueris animo
Audita vt, vel lecta ſemel, ceu fixa teneres.
Auribus & libris eſſet vt vna fides.
Vidimus & quondam Tabulæ certamine longo,
Omnes qui fuerant, enumeraſſe bolos

Alternis vicibus, quos præcipitante rotatu
Fundunt exciſi per caua buxa gradus,
Narrantem fido per ſingula puncta recurſu
Quæ data, per longas, quæ reuocata moras.
Nullo felle tibi mens liuida. Tum ſale multo
Lingua dicax, blandis & ſine lite iocis.
Menſa nitens, quem non Cenſoria regula culpet,
Nec nolit frugi Piſo vocare ſuam.
Nonnunquam pollens natalibus & dape feſta,
Non tamen anguſtas vt tenuares opes.
Tanquam heredis egens, bis ſex quinquennia functus,
Fletus es à nobis vt Pater & Iuuenis.
Et nunc ſiue aliquid poſt fata extrema ſuperſit,
Viuis adhuc, aui quod periit, meminens.
Siue nihil ſupereſt, nec habent longa otia ſenſus,
Tu tibi vixiſti, Nos tua fama iuuat.

Commemorat deinde Alcimum Alethium, Rhetorem quoque inſignem, quem vocat *Palma Forenſis & Camænarum decus, Exemplar vnum in litteris, quas aut Athenis docta coluit Græcia, aut Roma per Latium colebat, hominem probatiſſimorum morum, comem, mitem, liberalem, miniméque ambitioſum.* Is eſt Alcimus Panegyriſtes Iuliani Imperatoris & Salluſtij ſecundi Galliarum Præfecti, qui cum Iuliano quartum Conſule Conſulatum geſſit: quâ de re ſic Auſonius ibidem.

Viuent per omnem Poſterorum memoriam,
Quos tu ſacra fama dabas.
Et Iulianum tu magis fama dabis,
Quam ſceptra, quæ tenuit breui.
Salluſtio plus conferent libri tui,
Quàm Conſulatus addidit.

Hinc patet Alcimum tempore Iuliani Auguſti Burdigalæ docuiſſe, hoc eſt circa annum Chriſti 364. qui cum ante à Conſtantio 19. Imperij ſui anno ſublimatus fuiſſet in Cæſarem, & in Gallias contra Barbaros deſtinatus, ibi ille paruis Alemannorum copiis adiutus res tam fortiter quam feliciter geſſit, fuſaque magnâ eorum multitudine Rheno Germanos reuinxit, inquit Monachus Antiſſiodorenſis. Eo ſucceſſu elatus Auguſti nomen Dignitatemque aſſumens, Italiam Illyricumque peruaſit, Conſtantium Imperij parte priuauit: & inter hæc defuncto Conſtantio, totum Imperium vſurpauit: quod vno tantùm anno & 8. menſibus tenuit. Ille ab initio Chriſtianus tam ſecularibus quàm Diuinis litteris fuerat eruditus; imò Nicomediæ Lector fuerat conſtitutus: at Imperator factus, Chriſtianorum quoque factus inimicus, arte tamen potius quam vi aut poteſtate Religionem abrogare & abolere tentauit, honoribus magis alliciens eius aduerſarios, quam eiuſdem ſectatores tormentis impellens. *Aperto tamen præcipit Edicto*, inquit Monachus Antiſſiodorenſis, *nequis Chriſtianus docendorum liberalium ſtudiorum profeſſor eſſet. At omnes vbique propemodum Docendi Officium, quàm fidem deſerere maluerunt. Inter quos etiam Proæreſius Athenienſis Sophiſta, cum ſibi ſpecialiter Iulianus concederet, vt Chriſtianus doceret, ſcholam ſponte deſeruit.*

Hinc patet Proæreſium fuiſſe Chriſtianum. Is à Conſtante Cæſare fuerat accitus in Gallias, tantaque in exiſtimatione habitus, vt inter purpuratos & honoratiſſimum quemque ad menſam adhiberetur. Ait verò Eunapius Gallos plus corporis magnitudinem & formam admiratos fuiſſe, quàm Ingenium & Diſſertationes eius, quas aſſequi non poterant. Quod quidem verene dicat an falsò, Curioſi inquirant. Eum poſtea Cæſar Romam miſit, ambitione quadam, inquit idem Author; vt viderent Romani, cuiuſmodi homines Imperio parerent. Illi autem in eo tam multa admiranda, tamque mortales cæteros excedentia repererunt, vt quid præ cæteris admirarentur, non haberent, quidue præcipuè in eius honorem decernerent. In hoc tamen conuenerunt, vt illi ſtatua ex ære pari magnitudine erigeretur & conſecraretur cum hac epigraphe.

REGINA REGVM ROMA REGI ELOQVENTIÆ.

VERVM vt ad Profeſſores Burdigalenſes redeamus, Mineruio & Alcimo accenſet Auſonius Luciolum Rhetorices quoque Profeſſorem Condiſcipulum alias ſuum, facundum doctumque virum & verſificatoriæ artis peritiſſimum: Attium Pateram, quem Rhetorum potentem Doctorem vocat, quemque ſe ait, cum adhuc valdè iuuenis eſſet, ſenem vidiſſe: Atticum Tironem Delphidium, quem Ammianus vocat Oratorem acerrimum; cuius verò abundantiam Sidonius laudat: Alethium Mineruium Tiberij Mineruij Victoris filium. Hieronymus in Chronico ad an. 360. meminit Alcimi & Delphidij. *Alcimus*, inquit, *& Delphidius Rhetores in Aquitania florentiſſimè docent.* Delphidij Marcellinus l. 18. in principio, vbi refert ea quæ Iulianus geſſerat in Gallia Euſebio & Hypatio Coſſ. hoc eſt an. 362. *Numerium*, inquit, *Narbonenſis paulò ante Rectorem accuſatum vt furem inuſitato Cenſorio rigore pro Tribunali palam admiſſis volentibus audiebat. Qui cum inſitâ ratione defenderet obiecta, nec poſſet in quoquam confutari, Delphidius orator acerrimus vehementer eum impugnans documentorum inopiâ percitus exclamauit.* ECQVIS, FLORENTISSIME CÆSAR, *nocens eſſe poterit vnquam, ſi negare ſuffecerit? Circa quem Iulianus prudenter motus ex tempore, Ecquis ait, innocens eſſe poterit, ſi accuſare ſufficiet!*

Hinc intelligitur Delphidium cauſam egiſſe Narbonenſis Coloniæ nimis acriter aduerſus Numerium ipſius Rectorem & Præfectum: quæ res illi multorum Potentiorum odium conciliauit, præſertimque Iuliani Cæſaris. Hinc Auſonius.

Felix, quietis ſi maneres litteris
Opus Camoenarum colens:
Nec odia magnis concitata litibus
Armaret vltor impetus.
Nec inquieto temporis Tyrannici
Palatio Te attolleres,
Dum ſpem remotam ſemper arceſſis Tibi,
Faſtidioſus obuia,
Tuumque mauis eſſe quàm fati bonum,
Deſideraſti plurima,
Vagus per omnes Dignitatum formulas
Merituſque plura quàm gerens.
Vnde inſecuto criminum motu graui
Donatus ærumnis patris.

Nempe ille multis criminibus oneratus ſine dubio pœnas luiſſet, niſi Iudices pietate patris Attij Pateræ moti vitam illi indulſiſſent. At hoc quoque beneficium ab Apolline, cuius olim Pater ſacerdos fuerat, accepiſſe ait Auſonius, quod prius obierit, quàm vxoris & filiæ mortem infamem videret.

Minus malorum munere expertus Dei,
Medio quod æui raptus es,
Errore quod non deuiantis filiæ,
Pœnâque læſus Coniugis.

Ad horum ce verſuum intelligentiam operæ pretium eſt notare temporibus illis in Hiſpania Priſcillianum Epiſcopum cum INSTANTIO & SALVIANO ſparſiſſe quoſdam errores contra Catholicam fidem: Et cum Catholici Epiſcopi Reſcriptum obtinuiſſent à Gratiano, quo iubebantur Priſcillianus & alij duo Coepiſcopi non ſolùm è Diœceſibus ſuis, ſed ex omnibus Imperij Romani terris excedere, ſui purgandi cauſa Romam proficiſci decreuiſſe ad Damaſum tunc ſummum Pontificem. Hoc ergo conſilio inito per Aquitaniam iter direxerunt, atque à multis intuitu pietatis ſuſcepti, præſertim ab Euchrotia nobili Matrona Delphidij Oratoris vidua in villa ſua ſuburbana: vbi aliquandiu demorati iter

tandem Romam verſus arripuerunt; ſimulque cum iis Euchrotia & Procula filia, quam Priſcilliani ſtupro grauidam partum ſibi graminibus abegiſſe rumor fuit. Verum nec Damaſus Papa, nec Ambroſius Præſul Mediolanenſis eos in conſpectum ſuum venire ſuſtinuerunt.

Igitur illi ad Imperatorem conuerſi, & Magnatum atque Potentiorum gratiam ſibi demeriti obtinent Litteras Reſtitutorias in integrum. Sed in Hiſpaniam reuerſi nihilo modeſtiores fuerunt, nihiloque religioſiores. Interea Maximus Tyrannus inuadit Gallias, Gratianum apud Pariſios debellat, fugientemque, Lugduni capit & interficit, Treuerique ſedem Imperij collocat: & ibi acceptis Epiſcoporum expoſtulationibus, exauditiſque ſupplicationibus edicit Burdigalæ Concilium: ad quod Priſcillianiſtas venire iubet. Martinus tunc Epiſcopus Turonenſis Concilio præeſt, & de communi Coëpiſcoporum ſententia Hæreſim illam damnat; Inſtantiumque, qui primus cauſam ſuam agere voluit, de Epiſcopatu deijcit. Priſcillianus ſibi metuens appellat Imperatorem. Treueros ergo deducitur cum Euchrotia, Procula, & aliis quibuſdam Priſcillianiſtis, ibique capite pœnas luunt an. 388. immane id multis viſum eſt erga fœminas. Hincque Drepanus Pacatus in panegyrico ad Theodoſium crudelitatis & feritatis accuſat Maximum. *De virorum mortibus loquor*, inquit, *cum deſcenſum recorder ad ſanguinem fœminarum, & in ſexum, cui bella parcunt, non parcè ſæuitum. Sed nimium graues ſuberant, inuidioſaque cauſæ, vt vnco ad pœnam clari vatis* (Delphidij) *Matrona raperetur. Obijciebatur enim atque exprobrabatur mulieri viduæ nimia Religio & diligentius culta Diuinitas.*

Hæc vltima verba conſentiunt cum ijs, quæ ſcribit Sulpicius Seuerus huius Tragœdiæ ſpectator. l. 2. Hiſtoriæ ſacræ. Vrſatium enim & Ithacium Epiſcopos, maximè verò Ithacium nimis acriter rem iſtam promouiſſe & perfeciſſe dicit, Ithacium inquam, quem ait fuiſſe audacem, loquacem, impudentem, ſumptuoſum, ventri & gulæ plurimum impertientem: eo verò ſtultitiæ proceſſiſſe, *vt omnes etiam ſanctos viros, quibus aut ſtudium inerat lectionis, aut propoſitum erat certare ieiuniis, tanquam Priſcilliani ſocios aut Diſcipulos in crimen arceſſeret, auſumque etiam fuiſſe Martino viro planè Apoſtolis conferendo hæreſis infamiam obiectare.* Quippe Martinus non deſinebat Ithacium increpare & Maximum orare, vt ſanguine infelicium abſtineret: ſatis nempe eſſe, vt illi Hæretici iudicati ab Eccleſiis ſuis expellerentur: nouum autem & inauditum nefas, vt ſeculi princeps cauſam Eccleſiæ iudicaret. Verum abſcedente Treuiris Martino Maximus ex Magni & Rufi Epiſcoporum conſilio *cenſuit Priſcillianum ſocioſque eius captis damnari oportere.* Itaque Priſcillianus, Feliciſſimus, Armenius, Latronianus & Euchrotia gladio perempti, alii in exilium deportati. Deinde Vrbica Priſcilliani quoque Diſcipula Burdigalæ à populo lapidibus obruitur.

Epiſcopi autem, qui huiuſce Capitalis iudicij fuerant authores, Ithacius & Vrſatius, Eccleſiæ poſtea communione priuati ſunt ab alijs Coëpiſcopis, aientibus nefas eſſe hominem Epiſcopi accuſatione necari. Maximus & Aulici Epiſcopi Vrſatium & Ithacium ab omni crimine vindicabant. Hinc odium in Martinum, cum Ithacianis recuſantem communicare. Verum paulò poſt Maximo ad Aquileiam occiſo, Ithacius Epiſcopatu detruſus eſt: Vrſacio, ſeu, vt ſcribit Sulpicius, Nardacio parcitum, quia ſponte ſe Epiſcopatu abdicauerat.

Addit Sulpicius Priſcilliano interfecto nullatenus expulſam fuiſſe Hæreſim, quæ illo authore pullulauerat, ſed amplius confirmatam latiuſque propagatam: ſectatores quippe, qui prius eum, vt virum ſanctum honorauerant, vt Martyrem poſtea colere cœpiſſe. Peremptorum corpora in Hiſpanias relata, magniſque exequiis & obſequiis eorum funera fuiſſe celebrata: quin & per Priſcillianum iurare ſummæ religioni tributum: exarſiſſe quoque diſſidium inter Epiſcopos Gallicanos, quod iam annos 15. eo quo ſcribebat, tempore durauerat. Sed his omiſſis, quæ non extra rem omnino, ad propoſitum redeamus.

Profeſſoribus Rethorices enumeratis ſubiungit Auſonius plurimos in Grammatices profeſſione celebres: imprimis Leontium cognomento Beatum, quem ſuæ ſemper ſocium Iuuentæ fuiſſe ait, non magnum tamen titulum litterarum profeſſione aſſecutum, nec maiorem, quàm qui exili Cathedræ ſufficeret. Romulum, Corinthiũ, Sperchеũque quos ſe puerum audiuiſſe ſcribit, & Mneſtheum, in quibus ſedulum quidem docendi ſtudium laudat in rudimentis Græcæ Grammatices; ſub ijs

tamen parum ſe profeciſſe, Iucundum Leontij fratrem, virum ſimplicem, bonum, amicum & ſodalem.

His qui Græcè docebant, accenſet Grammaticos Latinos & Philologos, Macrinum, Phœbitium, Concordium, Sucuronem, Ammonium, & Anaſtaſium, qui Pictauij Grammaticam profeſſus eſt. Macrinum quidem vtilem puerorum ingenijs fuiſſe dicit, ſuamque illi à parentibus creditam pueritiam: Phœbitium Beleni ſeu Apollinis quondam Æditum, & Stirpe Druidarum ſatum: Concordium Patria profugum, Sucuronem Libertinum, Anaſtaſium exigui meriti virum, doctrinâ exiguum, moribus implacidum. Subiungit Herculanum Sororis ſuæ filium, Diſcipulumque olim ſuum, quem ſibi ſucceſſorem in Cathedra Rhetorices deſtinarat, & habuiſſet, niſi eum Iuuentutis æſtus à ſtudiis abduxiſſet.

Herculane, qui profectus gremio de noſtro & Schola,
Spem magis, quam rem fruendam præbuiſti auunculo:
Particeps Scholæ, Cathedræ pæne ſucceſſor meæ:
Lubricæ niſi te Iuuentæ præcipitem flexus daret,
Pythagorei non tenentem tramitis rectam viam.

Annumerat Thalaſſum his omnibus antiquiorem, Citarium Siculum Syracuſanum, Grammaticum Græcum, Ariſtarcho & Zenodoto parem: Cenſorium Atticum Agricium, quem in Rhetorices quoque profeſſione excelluiſſe commemorat, tum Burdigalæ, tum Romæ in Athenæo.

Tam generis tibi celſus Apex, quam gloria fandi,
Gloria Athenæi cognita ſede loci,
Nazario, & claro quondam delata Pateræ
Egregiè multos excoluit Iuuenes.

Denique Nepotianum, virum comem, animo iuuenili ſenem, ſodalem conuictoremque ſuum: Marcellum Marcelli filium, Grammaticum Narbonenſem, Criſpum & Vrbicum Grammaticos Latinos & Græcos, Poetas egregios, & Hiſtoricos: Victorinum ſubdoctorem ſiue proſcholum; Dynamium, qui in Rhetorica quoque claruit: Attilium Glabrionem, ſuum olim condiſcipulum, mox ſe facto Rhetore, Grammaticum, deinde Cauſidicum, ſeu cauſarum forenſium patronum. Quibus omnibus ſic tandem parentat.

Valete Manes inclytorum Rhetorum,
Valete Doctores probi.
Hiſtoria ſi quos, vel Poeticus ſtylus,
Forumque fecit Nobiles:
Medica vel artis, Dogma vel Platonicum
Dedit perenni gloriæ.
Et ſi qua cunctis cura viuentum placet,
Iuuatque honor ſuperſtitum,
Accipite mœſtum Carminis cultum mei,
Textum querela flebili.

Quid vero iam de Magno illo viro dicemus? is fuit Iulij Auſonij Vaſatenſis Ciuis, & Medicinæ quondam apud Burdigalam profeſſoris filius. Latinas Græcaſque litteras didicit ſub Æmilio Magno Arborio auunculo, Matris ſuæ fratre. Audiuit etiam Macrinum, Tiberium Victorem Mineruium, alioſque profeſſores clariſſimos, de quibus ſupra. Et ipſe vir factus, Spartam, quam nactus erat, adornauit, compluriumque Virorum doctiſſimorum exemplo in patria docere cœpit, & Rhetoricam tanto cum applauſu & celebritate nominis profeſſus eſt, vt eum Valentinianus Imperator ex omnibus vnum potiſſimum delegerit, cui Gratianum filium in diſciplinam traderet. Hinc ab ipſo Gratiano ad Imperatoriam Dignitatem promoto ad omnes Reipub. Rom. honores euectus eſt, Quæſturam, Præfecturas & Conſulatum. Extat præclara eius ad Gratianum pro Conſulatu Gratiarum actio: in qua hæc habet inter cætera. *Conſul ego, Imperator Auguſte, munere tuo non paſſus ſepta, neque campum, non ſuffragia, non puncta, non loculos, qui non prenſauerim manus, nec Conſultantium confuſus occurſu, aut ſua amicis nomina non reddiderim, aut aliena impoſuerim: qui Tribus non circumiui, centurias non adulaui, vocatis Claſſibus non intremui, nihil cum Sequeſtre depoſui, cum Diribitore nihil pepigi. Romanus populus, Martius Campus, Equeſter Ordo, Roſtra, Ouilia, Senatus, Curia, vnus mihi omnia Gratianus.*

Et cum Gratianus Conſulatum illi deferens ſcripſiſſet, *ſe ſoluere quod debebat*, hoc ille exaggerat his verbis eleganrer. *Quid tu mihi debes? Et contra, quid non ego tibi debeo? Anne quod docui? hoc ego poſſum verius retorquere, dignum me habitum, qui docerem: tot facundiâ doctrinaque præſtantes inclinatâ in me dignatione præteritos, vt eſſet, quem tu maturâ iam ætate per omnes Honorum Gradus feſtinâ bonitate proueheres; timere vt videreris, ne in me vita deficeret, dum tibi adhuc aliquid, quod deberes præſtare, ſupereſſet.*

Nec minus ille Theodoſio Imperatori, poſt amiſſum Gratianum Mecenatem ſuum acceptus fuit, Theodoſio, inquam, amico quondam ſuo: à quo eſt Parentis nomine inſignitus: vnde Theodoſius parto Imperio ad eum ſcripſit obſecrans obteſtanſque, vt pro veteri amicitiâ, ſua ſibi ſcripta, quibus vehementer delectabatur, dirigeret. Talis autem eſt eius ad eum Epiſtola.

THEODOSIVS AVGVSTVS AVSONIO PARENTI Salutem.

AMor meus, qui in te eſt, & admiratio Ingenij atque eruditionis tuæ, quæ multò maxima ſunt, fecit, PARENS IVCVNDISSIME, *vt morem Principibus aliis ſolitum ſequeſtrarem, familiaremque ſermonem autographum ad te tranſmitterem, poſtulans pro iure, non quidem Regio, ſed illius priuatæ inter nos Charitatis, ne fraudari me ſcriptorum tuorum lectione patiaris. Quæ olim mihi cognita & iam per tempus oblita rurſum deſidero, non ſolum, vt quæ ſunt nota, recolam, ſed vt ea quæ famâ celebri adiecta memorantur, accipiam. Quæ tu de promptuario Scriniorum tuorum, qui me amas, libens impertiare ſecutus exemplu Authorum optimorum, quibus par eſſe meruiſti: qui Octauiano Auguſto rerum potienti certatim ſua opera trudebant nullo fine in eius honorem multa condentes. Qui illos, haud ſciam, an æqualiter, ac Ego Te, admiratus ſit. Certè non amplius diligebat.* VALE PARENS.

Quid eſt, per Deum Immortalem, quod adiici poſſit huic tanti erga virum litteratum amoris teſtificationi! Et quid Auſonij ad eundem Epigrammati, quod ſequitur?

Agricolam ſi flaua Ceres dare ſemina terræ,
Gradiuus iubeat, ſi rupere Arma ducem.
Soluere de portu Claſſem Neptunus inermem,
Fidere tam fas eſt, quàm dubitare nefas.
Inſomnem quamuis hiemet mare, crudaque tellus
Seminibus, bello nec ſatis apta manus.
Nil dubites Authore bono. Mortalia quærunt
Conſilium. Certus Iuſſa capeſſe Dei.
Scribere me Auguſtus iubet, & mea Carmina poſcit
Pœne rogans. Blando vis latet Imperio.
Non habeo ingenium, Cæſar ſed iuſſit, habebo.
Cur me poſſe negem, poſſe quod ille putat!
Inualidas vires ipſe excitat, & iuuat idem,
Qui iubet. Obſequium ſufficit eſſe meum.
Non tutum renuiſſe Deo. Laudata pudoris
Sæpe mora eſt, quotiens contra parem dubites.
Quin etiam non iuſſa parant erumpere dudum
Carmina. Quis nolit Cæſaris eſſe liber?
Ne ferat indignum vatem, centumque lituras
Mutandas ſemper deteriore notâ.
Tu modò Te iuſſiſſe, PATER ROMANE, *memento*
Inque meis culpis da Tibi Tu veniam.

Iam non miremur, ſi hoc ſeculum tam ferax fertileque fuit ingeniis viriſque omni Doctrinarum genere præcellentibus, quod nactum eſt Imperatores litteratos & litteratorum hominum Mecenates, Conſtantium, Conſtantinum Magnum,

Valentinianum Maiorem, Gratianum & Theodoſium. Nam præter eos, quos commemorauimus, inſigniter floruerunt Lactantius Criſpi Conſtantini filij Magiſter, vir omnium ſui temporis eruditiſſimus. Athanaſius vir mirabilis & æternâ memoriâ dignus, Author illius ſymboli quod diebus Dominicis in Eccleſia cantatur, QVICVMQVE VVLT SALVVS ESSE. Iuuencus Preſbyter natione Hiſpanus, qui Euangelia verſibus Heroïcis explanauit. Nazarius Rhetor inſignis & Rector Athenæi, qui filiam habuit eloquentiâ parem. Conſtantinus ipſe Magnus, qui quandiu vixit, *Nutriuit ſemper bonas Artes, ſed præcipuè ſtudia litterarum, nunc legens, nunc meditans*, inquit Robertus Antiſſiodorenſis. Hilarius Pictauienſis Epiſcopus, Euſebius Natione Sardus Verſellenſis Epiſcopus, Maximus Treuirenſis, qui Magnum Athanaſium exulantem honorificè ſuſcepit. Hi omnes, inquit idem Author, & doctrinâ præcipui, & ſanctitate præclari, velut luminaria quædam Eccleſiæ immobileſque columnæ magnam fidelibus conſtantiam verbo fidei atque miraculis in tantâ perſecutione præbuerunt. Erat enim Eccleſiæ facies tunc deformis, dum hinc premerentur Catholici, hinc inualeſcerent Arriani.

Iiſdem temporibus florebant Dionyſius Mediolanenſis, Pancratius Preſbyter Romanus, Victorinus Rhetor natione Afer, Donatus Grammaticus D. Hieronymi Magiſter, Paulinus Treuirorum poſt Maximinum Epiſcopus, Proœreſius, de quo ſupra; Damaſus Papa in verſibus componendis eleganti præditus ingenio; Didymus Alexandrinus, qui à tenera ætate luminibus priuatus & ob id Elementorum quoque primorum ignatus, ingenti miraculo Dialecticam, Geometriam, Aſtronomiam & Arithmeticam, quæ Artes, vel maximè viſu indigent, perfectiſſimè didicit. Ambroſius Mediolanenſis, Hieronymus, Auguſtinus, Gregorius Nazianzenus, Baſilius Cæſarienſis, Gratianus ipſe Imperator Auſonij Diſcipulus, qui fuiſſe dicitur admodum litteratus, ingenio bonus, parcus cibi ac vini, victorque libidinis. Martinus Turonenſis, Miletius Antiochenus, Amator Antiſſiodorenſis Epiſcopus, Theophilus Alexandrinus, Prudentius Poëta Hiſpanus, Sulpicius Seuerus & alij prope innumeri.

Sed vt ad Auſonium, vnde defleximus, redeamus; ille Gratiano è viuis ſublato, cum ægrè à Maximo in Aula retentus fuiſſet, eo quoque victo, & à Theodoſio miſſione impetratâ in nidum ſenectæ ſuæ, hoc eſt in patriam ſe retulit, vbi quod erat vitæ reliquum, abſoluit. Vixit autem vſque ad annum 394. vxorem habuit Attuſiam Lucanam Sabinam, quam Iuuenem iuuenis amiſit, nec poſt eam, aliam duxit contentus 4. liberis quos ex ea ſuſceperat. In præcipuis amicis habuit Syagrium, Gregorium, Tetradium Satyrarum Scriptorem, Clementinum, Theonem Poëtam Medullum, Attium Paulum Rhetorem ac Poëtam Bigerrianum, Q. Symmachum Præfectum Vrbis, & ſupra omnes, Pontium Paulinum Diſcipulum quondam ſuum: vt ipſe Paulinus fatetur aiens ei ſe omnia accepta referre, diſciplinaſque, dignitates, litteras, linguam, togam & famam: eoque nomine Patronum, Patrem & Præceptorem appellat.

Iſte Paulinus Aquitanus ex nobili & ſplendidâ Aniciorum, ſeu vt ſcribit Gabriel Lurbæus, ex Paulinorum & Leontiorum familia ortus (cuius etiamnum hodie Domus & Baſilica extant eo nomine inſignes Burdigalæ, vulgò Podium Paulini, *le Puy Paulin*) Præceptore Auſonio vſus, in Poëtica & Oratoria excelluit teſte D. Hieronymo: ad conſulatum promotus eſt an. 375. Poſtea vitæ Chriſtianæ deſiderio Hiſpaniam adiit, vbi à Lampridio Barcinonenſi Epiſcopo Preſbyter ordinatus eſt. Exinde perfectioni Euangelicæ ſtudens, venditis in Aquitania prædiis, quæ ampliſſima habebat, diſtributáque pauperibus pecuniâ in Clerum Mediolanenſem ab Ambroſio adſcitus eſt. Poſtremo Nolanus Epiſcopus factus Nolæ in Domino obdormiuit.

Ex Epiſtolis autem Auſonij ad Pontium Paulinum & Paulini ad ipſum patet, quantæ vir fuerit eruditionis & facundiæ. *Quid de eloquentia dicam?* inquit Auſonius Ep. 19. *Liquidò adiurare poſſum nullum tibi ad Poëticam facundiam Romanæ Iuuentutis æquari. Certè ita mihi videris. Si certo, Pater ſum, fer me, & noli exigere Iudicium obſtante pietate. Verum cum piè diligam, ſincerè ac ſeuerè diligo. Acceſſit tibi ad Artem Poëticam mellea modulatio, &c.*

At Paulinus ex Hiſpania ad Auſonium reſcribens, vbi ſe ſacerdotem conſecrari petierat, negat ſe amplius velle Muſis vacare, cum ſe totum Chriſto tradiderit.

Digitized by Google

Quid abdicatas in meam cauſam, Pater
Redire Muſas præcipis?
Negant Camœnis; nec patent Apollini
Dicata Chriſto pectora.
Fuit iſta quondam non ope, ſed ſtudio pari
Tecum mihi Concordia,
Ciere ſurdum Delphica Phœbum ſpecu,
Vocare Muſas Numina.
Nunc alia mentem vis agit, Maior Deus,
Alioſque mores poſtulat.
Sibi repoſcens ab homine munus ſuum,
Viuamus vt vita Patri.
Tibi Diſciplinas, Dignitatem, Litteras
Linguæ & togæ & famæ decus
Prouectus, altus, inſtitutus debeo
Patrone, Præceptor, Pater.

Sequente ſeculo quanquam Gallia vniuerſa ab inundantibus Barbaris vehementer afflictata eſt, non deſierunt tamen vigere Muſæ Burdigalenſes. Sidonius Apollinaris in pluribus locis meminit Profeſſorum, qui Burdigalæ ſuo tempore docebant, imprimis verò Leonis Poëtæ, & Lampridij, quorum doctrinam & peritiam laudat l. 9. Ep. ad Tonantium.

Iſtud vix Leo Rex Caſtaly Chori:
Vix hunc qui ſequitur Lampridius queat
Declamans gemini pondere ſub ſtyli
Coram Diſcipulis Burdigalenſibus.

Lampridium à ſeruis de nocte ſtrangulatum deflet Ep. 11. l. 8. eiuſque laudes ibi fusè proſequitur. *Si orationes illius metiaris, acer, rotundus, compoſitus, excuſſus. ſi poemata, tener, multimeter, argutus artifex erat: faciebat ſiquidem verſus oppido exactos, tam pedum mirâ, quàm figurarum varietate. Hendecaſyllabos lubricos & enodes: Hexametros crepantes & cothurnatos: Elegos verè nunc ſchoicos, nunc recurrentes, nunc per anadiploſim ſine principiiſque connexos. Hic, vt arreptum ſuaſerat opus, & hic additionem pro perſona, temporis & loci qualitate variabat: idque non verbis qualibuſcunque, ſed grandibus, pulchris, elucubratis. In materia Controuerſiali, fortis & lacertoſus. In ſatyrica, ſolicitus & mordax. In Tragica, ſaeuus & flebilis. In Comica, vrbanus, multiformiſque. In feſcennina, vernans verbis, æſtuans votis. In Bucolica, vigilax, parcus, carminabundus. In Georgica ſic ruſticans multum, quod nihil ruſticius. Præterea quod ad Epigrammata ſpectat, non copiâ, ſed acumine placens, quæ nec breuius diſtincta, nec longius tetraſticho finiebantur: eademque cum non pauca piperata, mellea multa conſpiceres, omnia tamen ſalſa cernebas. In Lyricis autem Flaccum ſecutus nunc ferebatur in Iambico citus, nunc in Choriambico grauis, nunc Sapphico inflatus. Quid plura? ſubtilis, aptus, inſtructus, quáque mens ſtylum ferret, eloquentiſſimus prorſus, vt eum iure cenſeres poſt Horatianos & Pindaricos Cygnos gloriæ pennis euolaturum.*

De Leone multa quoque habet præclara. Imprimis verò eum vocat *Regem Caſtaly chori*, ſeu quia Academiæ Burdigalenſis Præfectus erat & Rector; ſeu quia omnes ſui temporis Poëtas doctrinâ & elegantiâ ſuperabat, vnde Carm. 23. *Doctiloquum* appellat Leonem. Ille ab Euarige Gothorum Rege è Scholis ad Conſilium ſtrictius aſſumebatur; deinde ab Alarico Euarigis ſucceſſore in Aula retentus eſt. Sidonius ep. 3. l. 8. eum mirifice laudat his verbis. *Sepone tantiſper Pythicas lauros, Hippocrenemque & illos Carminum modos tibi vni tantum penitiſſimè familiares, qui tamen Doctis, vt es ipſe, perſonis non tam fonte quàm fronte ſudantur. Suſpende perorandi illud quoque celeberrimum flumen, quod non ſolum Gentilitium, ſed Domeſticum tibi, quodque in tuum pectus per ſucciduas ætates ab atauo Frontone transfunditur. Sepone pauxillum conclamatiſſimas Declamationes, quas oris Regii* (Euarigis) *vice conficis: quibus ipſe Rex inclytus modò corda horrificat Gentium tranſmarinarum, modò de ſuperiore cum Barbaris ad Vachalim trementibus foedus Victor innodat: modò per promotæ limitem ſortis, vt populos ſub armis, ſic frenat arma ſub legibus.* Eidem Scholæ videtur fateri ſe debere Symmachus, quidquid habebat eloquentiæ & bonarum artium: ſic enim ſcribit ad Amicum quendam Gallum Epiſt. 83. l. 9. *fatendum*

tibi eſt amicè, Gallicanæ facundiæ hauſtus requiro: non quod his 7. montibus Eloquentia Latiaris exceſſit: ſed quia præcepta Rhetoricæ pectori meo, Senex olim Garundæ Garumnæ, *alumnus immulſit. Eſt mihi cum ſcholis veſtris per Doctorem veſtrum cognatio: quidquid in me eſt, quod ſcio quàm ſit exiguum, Cœlo tuo debeo, riga nos ergo denuo ex illis camœnis, quæ mihi lac bonarum Artium primum dederunt.*

Præterea complures alios viros in omni litteraturæ genere præcellentes, quos paſſim commemorat, aut ad quos ſcribit, Conſtantium Lugdunenſem, Gaudentium, Siagrium, Sapandum, Ruricium, Eriphium, & alios pœne innumeros, quorum doctrinam & elegantiam extollit. Hinc ſaltem agnoſcimus litteras in Gallia ad vſque tempora Sidonij, hoc eſt ad an. 480. & vltra floruiſſe.

Licet autem iam inde à temporibus Romanorum Schola Burdigalenſis magni nominis fuerit, multoſque tulerit viros præſtantes; non ante tamen an. 1440. *Vniuerſitatis* nomen & priuilegia habuiſſe comperitur: quo ſcilicet tempore Petrus Berlandus Archiepiſcopus ab Eugenio Pontifice obtinuit Vniuerſitatis Burdigalenſis erectionem adinſtar Toloſanæ, connitentibus in idem Conſilium Maiore & Iuratis. Sed de hac re in Chronologia ad eum annum, ſi Deus cœptis annuerit.

DE SCHOLA PICTAVIENSI, TREVIRENSI, Veſontina, & Aruerna.

GEntem Pictonicam antiquiſſimam eſſe conſtat ex Commentariis Cæſaris: in quibus non ſemel mentio fit Pictonum. Originem non inueſtigo. Communis eſt opinio Pictonas ortos à Scythiæ Pictis, Britanniæ poſtea populis. Eorum vrbs primaria, Pictauium, dicta olim Auguſtoritum. Eos Pub. Craſſus adoleſcens Cæſari ſubdidit: nec Dunacus, quo duce rebellarant, iugum ab iis amouere potuit.

Quando verò Litterarum exercitium apud eos eſſe cœperit, nihil certi legimus: At fuiſſe circa an. 300. Chriſti certum eſt. Ibi enim Hilarius Francarii filius, Pictauienſium deinde Epiſcopus, primulæ ætatis tirocinium ponere aggreſſus eſt: at cum initio hebetioris eſſe videretur ingenij, ob idque à Condiſcipulis derideretur, conſentientibus parentibus Romanam Academiam, deinde Athenienſem luſtrauit circa an. 319. vnde poſt decem fere annos rediit in patriam litteris ad miraculum vſque plenus.

Itaque Pictauii ipſe ſcholam habuit tum in humanis diſciplinis, tum in diuinis. Diſcipulos quoſdam eiuſdem præcipuos commemorant Annales Pictauici, Maximum, qui deinde Treuirenſis fuit præſul, Iouinum, Maxentium, Iuuentium &c. atque hinc iidem Annales primam Vniuerſitatis ſuæ ducunt originem.

Hilarij encomium ſic breuiter contexit Robertus Antiſſiodorenſis. *Floruit hoc tempore* (circa an. Chriſti 340 ſub Conſtantino) *Hilarius Pictauienſis, qui nimia profunditate ſubtilis & cautiſſimus diſputator altas ſcripturarum diuinarum abyſſos in medium reuerenter adduxit, theſaurus ſcientiæ, lux doctrinæ, cuius dicta qui legerit, non credit dicere, ſed tonare.* Sed longe excellentius D. Hieronymus lib. de Illuſtribus Eccleſiæ Doctoribus, & in præfat. Ep. 2. ad Galatas, eum vocat virum eloquentiſſimum & Latini ſermonis aduerſus Arianos tubam, nec non eloquentiæ Latinæ Rhodanum. Qui quidem Hieronymus ibidem Galatis ingenij tarditatem affingit, at Aquitaniam oratorum eſſe fertilem non diffitetur. Sic enim ille. *Non mirum eſt ſtultos & ad intelligentiam tardiores Galatas appellatos, cum & Hilarius Latinæ eloquentiæ Rhodanus, Gallus ipſe & Pictauij natus in hymnorum carmine Gallos indociles vocet. Et quod nunc oratorum fertiles ſunt, non tam ad Regionis diligentiam quàm ad Rhetoricum clamorem pertinet: maxime cum Aquitania Græca ſe iactet origine, & Galatæ non de illa parte terrarum, ſed de ferocioribus Gallis ſint profecti.*

Quæ verba de Græca Aquitanorum Origine ex hiſtoria Phocenſium, & ex iis quæ ſupra de Academia Maſſilienſi retulimus, facile intelliguntur. Ex ea enim pro-

Digitized by Google

dierunt innumeri Magiſtri, ſeu publico ſeu priuato ſtipendio conducti, qui diſciplinas Græcas cum comitate & ciuilitate morum cæteris Galliæ populis & vrbibus communicarunt: cum ipſi Galli antiquitus ſuam Græcis facundiam Arteſque tradidiſſent, vt notat Ioannes Viterbienſis Commentariis in Beroſum. *Neque Galli*, inquit *à Græcis, ſed potius à Gallis Græcia & Aſia litteras & Diſciplinas conſecuta fuerunt*.

Licet autem Hilarij ætate (obiit an. 369.) percelebris fuerit ſchola Pictauienſis, ſecutis tamen temporibus plurimum defloruiſſe videtur, nec magni nominis habuiſſe profeſſores: cum Auſonius, qui ad an. circiter Chriſti 394. vixit, enumerans claros viros, qui Burdigalæ, Toloſæ & Narbone famam docendo ſibi compararant, Pictauienſes duos tantummodo commemoret, & eos exigui valde nominis, nempe Anaſtaſium Grammaticum, & Rufum Rhetorem: & Sidonius, qui ſequente ſeculo vixit, ne vnius quidem Pictauienſis mentionem faciat. Quod certè argumento eſt ſcholam illam non fuiſſe valde celebrem.

Auſonius ergo ait Anaſtaſium illum relictâ patriâ, nempe Burdigalâ, Pictauium conceſſiſſe, vt Grammaticam doceret, ſed exiguæ famæ virum fuiſſe, & contentum rudibus pueris prima rudimenta inſtillare: innuens quodammodo non potuiſſe illum Burdigalæ Cathedram obtinere ob ingenij tarditatem, hincque coactum in minus celebri loco ſcholam habere.

Pange & Anaſtaſio
Flebile, Muſa, melum:
Burdigala genitum
Tranſtulit ambitio
Pictonicaque dedit.
Pauper vbi & tenuem
Vitam habitumque colens
Gloriolam exilem
Et patriæ & Cathedræ
Perdidit in ſenio,
Doctrinâ exiguus,
Moribus implacidis.
Proinde, vt erat meritus,
Famam habuit tenuem.

Idem octo ſcripſit Epigrammata in Rufum quendam Pictauorum Rhetorem, quem indicat fuiſſe ſtupidi admodum ingenii, adeo vt ſtatuæ ſuæ ſtatua quodammodo eſſe videretur, nihilque è cathedra Diſcipulis explicare poſſet, adeo tardus erat & hebes. Sic enim ludit in eum Epigrammate 46. quod in Rufi tabulam ſcripſit.

Hæc Rufi tabula eſt. Nil verius. Ipſe vbi Rufus?
In Cathedra. Quid agit? hoc quod & in Tabula.

Eundem ait vocatum aliquando fuiſſe ad nuptias, & vt oſtenderet ſe Grammaticum eſſe, hoc votum emiſiſſe pro coniugibus, vt qui maſculini & fœminini eſſent generis, neutrius liberos gignerent. & Epig. 50. ſic loquitur cum tabella Rufi.

Ore pulchro & ore muto, ſcire vis quæ ſim? volo.
Imago Rufi Rhetoris Pictauici.
Dicere ſed ille vellem Rhetor hoc mi. Non poteſt.
Cur? Ipſe Rhetor eſt imago imaginis.

Hæc & alia multa de Rufo Satyricè admodum. Sunt tamen qui putent eum eſſe Rufum qui Valentiniano Imperatori Breuiarium obtulit rerum à populo Rom. geſtarum: qui ſi ille eſt, non videtur fuiſſe tam ſtupidi ingenii, nec adeo contemnendus author.

In eadem ſchola docuiſſe ferunt Venantium Fortunatum natione Italum, patria Taruiſinum, Rauennæ in litteris humanioribus excultum, qui cum laboraret oculis, relicto patrio ſolo B. Martini ſepulchrum inuiſit, & ſanatus eſt. Cuius beneficii memor vitam eius 4. libris metricè deſcripſit. A Fortunato vero ad Gilbertum Porretanum paucos legimus viros alicuius meriti ibi docuiſſe. Litteris quidem Petri Pictauorum Epiſcopi datis an. 1106. ſubſcribit Villielmus Magiſter ſcholæ; alios non inuenimus.

Gilbertus

Gilbertus verò Porretanus ſcholam illam illuſtrem reddebat circa an. 1140. & vt habetur in Annalibus Pictauicis diu Vniuerſitatem tenuit. Ibique habuit quoſdam Comprofeſſores æmulos, qui nec cũ ille ad Epiſcopalem dignitatem promotus eſt, à ſimultatibus abſtinuerunt. Eius temporibus Iura interpretatus eſt M. Villielmus Montis-Lauduni. Sed tandem Eugenius IV. Scholam illam reſtituens priuilegiis eam ad inſtar Toloſanæ donauit an. 1431. vt ſuo loco videbimus.

Scholam Claromotenſem ſeu Aruernam Sidonius Apollinaris commendat & *Schola Aruerna.* prædicat in Epiſtolis; præſertim vero Ep. 21. l. 4. qua Aprum alibi, forte Auguſtoduni docentem in vrbem, vbi natus, educatus & inſtitutus fuerat, reuocare conatur. Pater enim Apri Æduus quidem erat, at Mater Aruerna: hincque partem ſaltem vitæ Aruerniæ debere contendit: quamobrem ingenioſam inſtituit patriæ de ipſo conquerentis proſopopœiam. *Igitur Aruerni ſi portionem tui ſaltem viciſſim iure ſibi vindicant, patienter admitte querimoniam deſiderantum, qui tibi per vnius ſi oris mei officium, non vnius pectoris profudère ſecretum, quos palam & coram dicere puta. Quid in te mali tantum, ingrate, commiſimus, vt per tot annos quondam humum altricem nunc velut hoſtium ſolum fugias? hic incunabula tua fouimus, hic vagientis infantia lactentia membra formauimus, hic Ciuicarum baiulabare pondus vlnarum. Hinc auus Fronto blandus tibi, ſibi ſeuerus, qui exemplo eſſe potuiſſet his quos habemus nunc in exemplo: hinc Auia Auſpicia, quæ tibi poſt tuæ matris orbata deceſſum, dependit vna curam ambarum. Sed & Matertera tua hinc, & hinc fuit ſanctior ſanctis Frontina virginibus, quam verebatur mater, pater venerabatur, ſummæ abſtinentiæ puella, ſummi rigoris ac ſidei ingentis, ſic Deum timens, vt ab hominibus metueretur. Hic te imbuendum liberalibus diſciplinis Grammatici Rhetoriſque florentia ſtudia monitu certante fouerant, vnde tu non tam mediocriter inſtitutus exiſti, vt tibi liceat Aruernos vel propter litteras non amare.*

Hinc intelligimus veterem illam Frontonum familiam, qui in Arte Rhetorica principem locum tot annos obtinuerant, Aruerniæ deberi. Meminit Auſonius in Grat. actione ad Gratianum Frontonis Rhetoris, quem Antoninus Imperator Magiſtrum habuerat; quemque Conſulem fecerat. Idem Sidonius Ep. 3. l. 8. Leonem illum inſignem Rhetorem Alarici Gothorum Regis familiarem & Conſiliarium prædicat ab hereditaria eloquentia, quam ab Atauo Frontone per ſucciduas ætates quaſi transfuſam habebat.

Plurimum autem Aruerna ſtudia debuiſſe Hecdicio viro clariſſimo & fortiſſimo diſertè docet Sidonius Ep. 3. l. 3. illum enim præcipuè laudat, quod Aruernos nobiles bonis artibus imbui curaſſet & Latinè loqui, Romanorumque partes tueri contra Barbatos Gothos, quorum exercitus tunc Aruerniam incurſabat. *Mitto iſtic ob gratiam pueritiæ tuæ vndique Gentium confluxiſſe ſtudia litterarum tuæque perſonæ quondam debitum, quod ſermonis Celtici ſquamam depoſitura Nobilitas nunc oratorio ſtylo, nunc etiam Camœnalibus modis imbuebatur. Illud in te affectum principaliter Vniuerſitatis accendit, quod quos olim Latinos fieri exegeras, deinceps eſſe Barbaros vetuiſti.*

Nec dubium quin Sidonius ipſe patria quidem Lugdunenſis, ſed ſede & dignitate Claromontenſis Epiſcopus in Metropoli ſua curarit ſtudia litterarum exerceri, quibus erat addictiſſimus, cuique tam prompta facultas erat repentinæ ſcriptionis, vt teſte Gregorio Turon. l. 2. c. 22. non pauculos verſus è veſtigio non meditatus effunderet, & ex improuiſo luculentiſſimè quæ vellet, componeret: qua de re cum eximiis ſui ſeculi Poëtis, Domnolo, Seueriano & Lampridio certauit. Cæterum qui vir quantuſque fuerit, extant opera, quæ demonſtrant. obiit an. ætatis circiter 56. 12. Kal. Sept. Chriſti 482. Epitaphium eius tale legitur in vetuſto Codice Cluniacenſi.

Sanctis contiguus ſacroque Patri
Viuit ſic meritis Apollinaris,
Illuſtris titulis, potens honore,
Rectus militiæ forique index,
Mundi inter tumidas quietus vndas,
Cauſarum moderans ſubinde motus
Leges Barbarico dedit furori.
Diſcordantibus inter arma Regnis
Pacem conſilio reduxit amplo.
Hæc inter tamen & Philoſophando

H

Scripſit perpetuis habenda ſaclis.
Et poſt talia dona Gratiarum
Summi Pontificis ſedens Cathedram
Mundanos ſoboli refundit actus.
Quiſque hic dum lachrymis Deum rogabis
Dextrum funde preces ſuper ſepulchrum.
Nulli incognitus & legendus orbi
Illic Sidonius tibi inuocatur.

Porro licet ab Authoribus commendetur Vniuerſa Gallia ab exercitio litterarum, certum eſt tamen Aquitaniam cæteris partibus præcelluiſſe, vel vnico teſte Seuero Sulpicio Dial. 1. c. vlt. *Sed dum cogito me hominem Gallum inter Aquitanos verba facturum, vereor ne offendat veſtras nimium vrbanas aures ſermo ruſticior.* Quæ verba concordant cum Sidonianis ex Ep. 3. l. 3. vbi *ſermonis Celtici ſquama* appellatur.

Treuirenſis. Treuirenſis Academia inter veteres Gallicanas olim maximè floruit, cum apud Treuiros Imperatores Romani Auguſtiſſimum Palatium, & Præfecti Prætorio ſedem Galliarum poſuerint teſte Ammiano pluribus in locis: ibique Curia Senatorum fuerit nobiliſſima, ad quam extat Epiſtola Senatus Romani apud Vopiſcum in vita Floriani cum hac inſcriptione. SENATVS AMPLISSIMVS Curiæ Treuirorum. Itaque hæc Ciuitas apud Authores multa habet honorifica nomina; apud Hieronymum dicitur *Nobiliſſima*: apud Fortunatum *Nobilis vrbs, Nobilium & Caput.* Apud Athanaſium, *Metropolis Galliarum.* Apud Ammianum, *Principum Domicilium*, Principum Solium, *Vrbs Auguſta.* præclarè quoque commendatur ab Auſonio Carmine de claris vrbibus.

Armipotens dudum celebrari Gallia geſtit,
Treuericaque vrbis ſolium: quæ proxima Rheno,
Pacis vt in mediæ gremio ſecura quieſcit:
Imperij vires quod alit, quod veſtit & armat.

Et in deſcriptione Moſellæ.

Salue amnis laudate agris, laudate Colonis,
Dignata Imperio debent cui mœnia Belgæ.

In ea igitur ciuitate Auguſta ſcholas fuiſſe magni nominis patet ex tit. 3. & ii. l. 13. Cod. Theodoſ. & ex Reſcripto Gratiani ad Antonium Præfectum Prætorio Galliarum, quod ſupra retulimus in Academia Æduenſi. Nam huiuſce Ciuitatis profeſſoribus ampliores annonas prouideri voluit, quàm cæteris; Rhetori, quippe 30. Grammatico 20. cum in aliis vrbibus Rhetori aſſignarentur tantum 24. annonæ, Grammaticis ſingulis 12. *Treuirorum Clariſſimæ Ciuitati vberius aliquid putauimus deferendum; Rhetori vt 30. Item Grammatico Latino, Græco etiam, ſi quis dignus reperiri potuerit, 20. præbeantur annonæ.*

Extat Panegyricus Belgæ cuiuſdam publici apud Treuiros Oratoriæ artis profeſſoris ad Conſtantinum Auguſtum nomine vrbis dictus, cuius quidem à ſe reſtitutæ natalem celebrari iuſſerat. *Dabis & illic munera*, inquit, *conſtitues priuilegia, ipſam denique Patriam meam ipſius loci veneratione reſtitues, cuius Ciuitatis antiqua nobilitas, & quondam fraterno populi Rom. nomine gloriata opem tuæ Maieſtatis exſpectat: vt illic quoque loca publica & Templa pulcherrima tua liberalitate reparentur: ſicut hic video hanc fortunatiſſimam ciuitatem, cuius natalis dies tua pietate celebratur, ita cunctis mœnibus reſurgentem, vt ſe quodammodo gaudeat olim corruiſſe, auctior tuis facta Beneficiis.*

Veſontina Veſontina Schola olim etiam fuit florentiſſima, egregioſque habuit profeſſores & inter cæteros, Titianum, qui Maximini Iunioris in arte Oratoria præceptor fuit iam ſenior. Filius erat illius Titiani qui ſub Adriano conſul fuit cum Gallicano. Scripſit de Agricultura, vt ait Diomedes: & de Rhethorica teſte Iſidoro, vocaturque ab Auſonio *Fandi artifex*: nobilis quippe ſcriptor fuit & Ciceroniani ſtyli tam diligens & accuratus imitator, vt ſui temporis Simia vocatus ſit, vt docet Sidonius l. 1. Ep. 1. *Nam de M. Tullio ſilere in ſtylo Epiſtolari melius puto: quem nec Titianus totum ſub nominibus Illuſtrium fœminarum digna ſimilitudine expreſſit. Propter quod illum cæteri quique Frontonianorum, vt pote conſectaneum æmulati, cum veternoſum dicendi genus imitarentur, Oratorum Simiam nuncupauerunt.* Vir tamen iſte vilitate

conſenuit, vt ait Auſonius in Panegyrico Gratiani. *Quomodo Titianus Magiſter Municipalem Scholam apud Veſuntionem Lugdunumque variando non ætate quidem, ſed vilitate conſenuit.* At laudatur à Seruio 10. Æneid. quòd Materias omnes de Virgilio elicuerit, & ad dicendi vſum conformarit.

Scholarum apud S. Ioannem Biſontinum meminit Petrus Damiani in Ep. ad Hugonem Archiepiſcopum. Eas autem vetuſtate collabentes inſtauraſſe legitur Fridericus cognomento Ænobarbus: & Scholarum S. Mariæ Magdalenæ mentio fit in inſtrumentis Chartularij Magdalenſis ad an. 1267. & 1284. vnde vicus proximus adhuc Scholæ nomen retinet. Nicolaus V. an. 1450. Vniuerſitatem ibi erexit & priuilegiis donauit.

DE
ACADEMIA
LVGDVNENSI.

LVGDVNVM Seguſianorum veterum Metropolis à Sidonio Apollinari *Rhodanuſia* vocatur & *Araria*, quia in Confluenti Araris & Rhodani ſita eſt. Vnde autem Lugduni nomen habuerit, ambigitur. Quidam nomen deriuant à Lugdo Celtarum Rege. Sed id diuinare eſt. Alij à Lugo quod Coruum, & Duno quod montem ſeu locum editiorem priſco Gallorum ſermone ſignificat: quia vbi prius Corui nidificabant, ciuitas eſt illa condita. Alii à Lucio Munatio Planco, Lucdunum quaſi Lucidunum: quia ille vrbem incendio abſumptam inſtaurauit. Paradinus & Rubrius primùm ſitam fuiſſe putant in Colle S. Iuſti, qui antiquitus *Forum Veneris*, & nunc etiam *Forujeres* dicitur. Alij ex aduerſo in Colle S. Sebaſtiani inter confluentes Rhodanum & Ararim: quem ſitum præclare deſcribit Iulius Scaliger cum encomio.

Fluminëis Rhodanus quà ſe fugat incitus vndis,
Quàque pigro dubitat flumine mitis Arar.
Lugdunum iacet antiquo nouus Orbis in Orbe,
Lugdunumque vetus Orbis in Orbe nouo.
Quod nolis, alibi quæras, hic quære quod optas,
Aut hic, aut nuſquam vincere vota potes.

Antiquitus ornata erat Templis, Amphitheatro, Fontibus, Aquæductibus, quorum fornices lateritij cernuntur adhuc hodie, ſexto ab vrbe lapide ducti: quæ ornamenta magna ex parte dicitur à Claudio Imperatore accepiſſe, qui eo die Lugduni natus eſt, quo Ara Cæſari Auguſto, de quâ mox dicemus, dedicata fuit: eamque ob rem Lugdunenſibus Ius Romanæ Ciuitatis impetrauit. *Schola Lugdunenſis.*

Scholam quoque habuit celeberrimam, & plurimorum ſeculorum, iam inde à temporibus Reipub. vt ex continuâ ſerie confirmare facile eſt. Ex ea prodiſſe fertur L. Plotius Gallus, qui primus Romæ Rhetoricam docuit publicè teſte Cic. Ep. ad M. Titinium apud Suetonium l. de Claris Rhetoribus. *Equidem memoria teneo pueris nobis primum Latinè docere cæpiſſe L. Plotium quendam: ad quem cum fieret concurſus, quod ſtudioſiſſimus quiſque apud eum exerceretur, dolebam mihi idem non licere. Continebar autem doctiſſimorum hominum authoritate, qui exiſtimabant Græcis exercitationibus ali melius ingenia poſſe.*

At ſub Imperatoribus longè celebrior fuit Schola Lugdunenſis. Et primum ipſa Ciuitas exemplo Narbonenſis Templum Auguſto Cæſari dedicauit ſexaginta Galliæ Prouinciarum vltro contribuentium ſumptibus, quarum vnaquæ-

que ſuam ibi ſtatuam erectam voluit ad perpetuum obſeruantiæ & amoris erga Auguſtum ſui monimentum. Huiuſce Templi meminit Sttabo. *Templum ab Vniuerſis Gallis communi deſignatum impenſa & Auguſto Cæſari dedicatum ante hanc vrbem ædificatum eſt, vbi fluminum eſt coïtio. Adeſt & Ara dignitatis eximiæ Gentium 60. numero inſcriptum habens titulum, earumque ſingularum ſtatua vna. Alia ſubinde locata eſt Ara.* Nempe in Templo ptædicto erant Aræ duæ magnificæ, vna Auguſto, altera Deæ Romæ ſacta: quarum Sacerdotes dicebantur *Auguſtales*. Eò quotannis in honotem Auguſti & conſequentium Imperatorum confluebant ex Galliæ Prouinciis quamplurimi ſacris illic opetaturi: atque ob eam tem inſtituti ſunt ad diem certum ſcilicet ad Kal. Aug. Ludi ſolennes & publica ſpectacula. Quibus adiecit Caius Caligula Eloquentiæ Græcæ & Latinæ certamina ad exercitationem ingeniorum. Verum dutâ lege. Nam victos præmia Victoribus confette voluit, eorumque laudes componere. Quorum verò ſcripta maximè diſplicuiſſent, ipſos Authores ea ſpongia linguave delete, ni mallent ferulis cædi, aut flumine proximo mergi. Teſtis Suetonius in eius vita c. 20. *Edidit*, inquit, *& peregrè ſpectacula: in Sicilia Syracuſis*, Aſticos ludos; *& in Gallia Lugduni, Miſcellos. Sed & certamen quoque Græca Latinaque facundiæ. Quo certamine ferunt Victoribus præmia victos contuliſſe, eorum & laudes componere coactos. Eos autem, qui maximè diſplicuiſſent, ſcripta ſua ſpongiâ linguave delere iuſſos, niſi ferulis obiurgari, aut flumine proximo mergi maluiſſent.* Quanta ergo formidine corripi oportebat, quiſquis illuc animo certandi accedebat! exprimit Iuuenalis Saty. 1.

Palleat, vt nudis preſſit qui calcibus Anguem,
Aut Lugdunenſem Rhetor dicturus ad Aram.

In quem locum tefert Aſcenſius inſcriptionem cuiuſdam Sarcophagi impoſiti parietibus fani S. Petti Diuarum Monialium, in parte exterioti, quæ huius Aræ mentionem facit: eſtque huiuſmodi.

IOVI OPT. MAX. Q. ADCINNIVS VRBICI FILIVS.
MARTINVS SEQVANVS SACERDOS ROMÆ ET AVGVR
AD ARAM AD CONFLVENTEM ARARIS ET RHODANI
FLVMEN DVVMVIR IN CIVITATE SEQVANORVM.

Duræ autem illius conditionis, quæ Agoni appoſita eſt, mentio fit l. 2. Anthologiæ hoc diſtycho, quod pro titulo habet εἰς ποιητάς.

τῦ ου γὰρ πάσχω νεκρὸς χάριν, οἷα πάθοιεν,
οἱ καταλείξαντες βιβλία καὶ καλάμους

Tua gratia poſt mortem patior, qualia paterentur qui delingunt ſcripta ſua & calamos nihil ſcilicet Poëtæ & Rhetori ſiniſtrius imprecatur, quam vt eis accidat, quod victis accidebat in ludis Miſcellaneis Lugdunenſibus.

Id igitur inſtitutum Caligulæ, qui ne aliquâ vitæ parte hominem ſaperet, præclaro facto immanitatem adiunxit. Ille autem locus vbi dicebant Oratores, Athenæum dictus eſt; & ibi hodie Cœnobium eſt Benedictinorum nomen adhuc retinens, Gall. *l'Abbaye d'Aiſnay*: quamquam alij Athanatum ſeu Athanacum dictum volunt, ob corpora ibi exuſta 48. martyrum Athanacenſium Antonino Vero imperante. Cæterum vt olim ad aram illam concurrebant Oratores & Poëtæ Galli Iudicum decretis parituri: ita hodie ad ſedem primatialem Lugdunenſem concurrunt Clerici Gallicani ab Archiepiſcopo Primate Galliarum ſententiam relaturi.

Poſt Caligulam Nero Romæ primus omnium teſte Suetonio cap. 72. inſtituit Quinquennale certamen more Græcorum, illudque triplex, Muſicum, Gymnicum, Equeſtre, quod appellauit NERONIANA. Muſicum à Muſarum exercitio dictum, complectebaturque omnia Doctorum virorum tam ſolutâ, quàm ſtrictâ oratione certamina. Et ipſe Nero Oratoriæ materiæ & Latini Carminis coronam, de qua optimus quiſque contenderat, in iiſdem ludis ipſorum conſenſu ſibi conceſſam recepit. Item & alia vice Senatus illi facundiæ coronam obtulit, teſte Tacito l. 16. an. Illud autem certamen committebatur in Thermis Neronianis de nocte, magna luce ignium, vt refert Alexander Neapol. lib. 6. c. 19.

Vtriuſque Imperatoris exemplum ſecutus Domitianus duplex, inſtituit & ipſe

certamen huiuſmodi : Vnum Quinquennale dictum, in honorem Iouis Capitolini : alterum Anniuerſarium, in honorem Palladis in monte Albano, vbi arcem habebat ſuburbanam, vocauitque *Quinquatria.* de vtroque Suetonius c. 4. *Inſtituit & Quinquennale certamen Capitolino Ioui triplex, Muſicum, Equeſtre, Gymnicum : & aliquanto plurium quàm nunc eſt Coronatorum* (Torrentius legit Coronarum) *certabant etiam & proſâ oratione Græcè Latineque. Celebrabat & in Albano quotannis Quinquatria Mineruæ, cui Collegium inſtituerat : ex quo ſorte ducti Magiſterio fungerentur, redderentque eximias venationes & ſcenicos ludos, ſuperque Oratorum ac Poëtarum certamina.*

In Priore, materia certaminis perpetua erat laus Iouis Capitolini. In altero, quælibet. In hoc præmium erat corona oleagina ex auro. Vnde Statius *Palladium aurum* appellat, *Cæſareum aurum, & Albanum.* Ter eâ Statius reuinctus eſt, vt innuit Carmine ad Claudiam vxorem.

——Ter me nitidis Albana ferentem
Dona comis, ſanctoque indutum Cæſaris auro
Viſceribus complexa tuis, ſertiſque dediſti
Oſcula anhela meis.

In Capitolino Corona erat quernea, ſimiliter ex auro. Quam ſe dolet Statius in Epicedio Patris l. 5. Sil. non fuiſſe conſecutum, quemadmodum Oleaginam conſecutus fuerat in Albano. Vtriuſque certaminis fortunam ſic ille deſcribit.

Hei mihi quod tantùm Patrias Ego vertice frondes
Solaque Chalcidicæ Cerealia dona Coronæ
Te ſub teſte tuli ! qualem te Dardanus Albæ
Vix cepiſſet Ager, ſi per me ſerta tuliſſes
Cæſarea donata manu. Quod ſubdere robur
Illa dies, quantùm potuit dempſiſſe ſenectæ !
Nam quod me mixtâ quercus non preſſit Oliuâ,
Et fugit ſperatus honos, cum dulce parentis
Inuida Tarpeÿ caneret te noſtra Magiſtro
Thebaïs, vrgebant priſcorum exordia vatum.

Duo autem maxime, vt hoc obiter moneamus, commendabant in hiſce certaminibus victoris honorem. Vnum, cum princeps ipſe propria eum manu coronabat, quo honore affectum ſe gaudet Statius in Epulo Domitiani *Palladio tua me manus induit auro.* Aderat quippe Agoni, amictus purpura, coronam ipſe geſtans in capite : quem habitum ſic deſcribit Sueton. c. 4. *Certamini præſedit crepidatus, purpureaque amictus toga Germanica, capite geſtans Coronam auream cum effigie Iouis, Iunonis ac Mineruæ : aſſidentibus Diali ſacerdote & Collegio Flauialium pari habitu; niſi quod illorum coronis inerat & ipſius imago.* Tali ergo habitu coronas victorum capitibus imponebat.

Alterum erat Iudicium meriti, cum nempe iudicum omnium ſententiis renunciabatur victor. Qui honor contigit L. Valerio Pudenti Puero Tredecenni, vt ex hac inſcriptione patet, quæ teſte Onuphrio viſitur in Oppido Hiſconio : quod nunc El Guaſto dicitur.

L. VALERIO L. F. PVDENTI.

HIC CVM ESSET ANNORVM XIII. ROMÆ CERTAMINE IOVIS CAPITOLINI LVSTRO VI. CLARITATE INGENII CORONATVS EST INTER POETAS LATINOS OMNIBVS SENTENTIIS IVDICVM. HVIC PLEBS VNIVERSA HISCONENSIVM STATVAM ÆRE COLLATO DECREVIT.

Sed ad Lugdunenſem Ciuitatem redeamus. Senecæ temporibus ſæuiſſimo incendio tota abſumpta eſt, magnaque in ea Librorum copia : quod factum ille defler in ep. *Liberalis noſter nūc triſtis eſt nūciato incendio quo Lugdunenſis Colonia exuſta eſt.. Nuſquam tam infeſtum vlli exarſit incendium, vt nihil alteri ſuper eſſet incendio. Tot*

Lugduni pulcherrima opera, quæ ſingula illuſtrare ſingulas vrbes poſſent vna nox ſtrauit, & in tanta pace quantum ne bello quidem timeri poteſt, accidit. Quis hoc credat vbique armis quieſcentibus, cum toto orbe terrarum diffuſa ſecuritas ſit? Lugdunum quod oſtentabatur in Gallia, quæritur. Omnibus fortuna quos publicè afflixit, quod paſſuri erant timere permiſit. Nulla res magna non aliquod habuit ruinæ ſuæ ſpatium: in hac vna nox interfuit inter vrbem maximam & nullam.

Quandiu vero poſtquam vrbs inſtaurata eſt, ludi illi Miſcelli celebrati ſint & quãdonam celebrari deſierint, nihil habemus, quod affirmare poſſimus. Certum quidem eſt M. Antonino Vero imperante circa an. Chriſti 165. cum inciperet feſtum illud ſolemne celebrari, quo Gentes Gallicanæ conueniebant ad Aram, Præſidem Lugdunenſem plurimos Chriſtianos capite truncaſſe: alios beſtiis obieciſſe, qua de re Euſeb. l. 5. Eccl. hiſt. c. 1. 4. & 6. ſimiliter Dio qui Alexandri Seueri ſeculo floruit an. Ch. 235. ait l. 54. ſpectaculum illud adhuc ſuo tempore celebratum. Cur verò Ludi illi dicerentur Miſcelli hanc affert rationem Forcatulus, quod Lugdunenſes facundiâ domeſticâ delectati, nacti deinde occaſionem Religionis, & Romanæ maieſtatis prætextu, eloquij exercendi gratia ad aram conuenientes, Laudationes inſtituiſſent oratione libera, Græcâ, Latinâ & Gallicâ. Certum eſt deinde ſcholas, vt antea, floruiſſe & ad multa deinde ſecula ſplendorem & celebritatem retinuiſſe. In iis fertur docuiſſe ante Veſpaſiani tempora Iulius Florus, & in iiſdem ſtuduiſſe Iulius Secundus eius nepos, quem Quintilianus l. 10. c. 8. vocat *miræ facundiæ virum*, patruum verò *in Eloquentia Galliarum principem*. De vtroque ſic habet. *Memini narraſſe mihi Iulium Secundum, illum æqualem meum, atque à me vt notum eſt familiariter amatum, miræ facundiæ virum, infinitæ tamen curæ, quid eſſet ſibi à patruo ſuo dictum: is fuit Iulius Florus in Eloquentia Galliarum, quoniam ibi demum exercuit eam, Princeps, alioqui inter paucos diſertus & dignus illa propinquitate, cum Secundum ſcholæ adhuc operam dantem triſtem forte vidiſſet, interrogauit &c.*

Extat Plinij ſecundi Ep. 11. l. 9. ad Geminium, cum quo magnum videtur habuiſſe litterarum commercium. Ille autem Lugduni degens à Plinio petierat ſcriptum aliquod, quod libris ſuis inſerere poſſet: plurimi enim fieri opera quæcunque ederet & à Bibliopolis venditari: vnde non parum gauiſus eſt Plinius, quod libellis ſuis ea gratia maneret peregrè, quam Romæ collegerant. Idem rogauit Traianum, vt ſuo nomine ius Rom. Ciuitatis concederet tribus Medicis, quorum vnus erat Abaſcantus Lugdunenſis, cuius meminit Galienus lib. de Compoſit. Medic. & l. 2. de Antidor. c. 12.

Ad Scholarum earundem ſplendorem non parum contulit S. Irenæus natione Græcus S. Polycarpi quondam Diſcipulus, Lugduni à S. Pothino preſbyter ordinatus & ſucceſſor deſignatus: quo martyrium paſſo Zacharias promotus eſt. Et circa ea tempora M. Titianus ſui ſeculi ſimia dictus Rhetoricam Lugduni profitebatur, quam & Veſontione profeſſus eſt, fuitque Maximini præceptor: vt tradit Capitolinus, Modeſtini Iureconſulti coætaneus, multorum operum editor & præſertim de Agricultura, de Rhetorica, de Prouinciis, quas ſub nominibus Illuſtrium fœminarum intelligendas putat apud Sidonium Sauaro in notis ad Ep. 1. l. 1. vbi hæc habet Sidonius. *Nam de M. Tullio ſilere in ſtylo Epiſtolari melius puto, quem nec totum Titianus ſub nominibus illuſtrium fœminarum dignâ ſimilitudine expreſſit.* Eum tamen ait Auſonius vilitate, non ætate conſenuiſſe.

Eidem Scholæ adſcribunt Theonem Iuliani Imperatoris temporibus, præceptorum rhetoricorum, & exemplorum huius artis traditione notiſſimum: quem Eunapius ait illuſtrem gloriam in Gallia conſecutum; Eucherium, poſtea Lugdunenſem Epiſcopum, virum elegantem in ſententiis, ornatum in verbis, qui vt ſcribit Robertus Antiſſiodorenſis, ad Hilarium Arelatenſem Epiſcopum Eremi deſerta petentem edidit Opuſculum vnum de laude eiuſdem Eremi luculentiſſimo & dulci ſermone dictatum. Saluianus libros eius vocat ſtylo breues, doctrina vberes, lectione expeditos, inſtructione perfectos, menti ac pietati pares. Obiit circa an. 449. Sidonium Apollinarem, ex parentibus quidem Aruernis & patre Præfecto Prætorio Galliarum oriundum, at Lugduni natum & inſtitutum in ſcholis Hœni Grammatici artis poëticæ peritiâ præcellentis, & Euſebij Philoſophi. Hic autem vir tantopere profecit & excelluit, vt inter Doctores ſui ſeculi maximè conſpicuus fuerit, at inter Poëtas Princeps euaſerit. Vnde illi Auito impe-

rante decreta eſt ſtatua, poſitaque in Foro Traiano & in Bibliothecæ Vlpiæ porticu, inter Poëtas Latinos & Græcos: de qua ille Carm. 8.

Vlpia quod rutilat porticus are meo.

Et ep. 16. l. 9. in Saphicis ait ſe geminam cotonam meruiſſe, ſtatuamque ſuam cum titulis fixam fuiſſe intet authores vtriuſque Bibliothecæ, tam Græcæ quàm Latinæ. Poſt decem verò circiter annos ſe Præfectum vtbis creatum, qui Magiſtratus ab Anthemio ipſi collatus eſt.

Eiuſdem Scholæ Lugdunenſis alumnum vocant Claudianum Mamertum, S. Mamerti Epiſcopi Viennenſis fratrem & adiutorem, ſeu Coëpiſcopum, Librorum de ſtatu animæ authorem: cuius laudes plurimas paſſim proſequitur Sidonius, & præſertim l. 4. Ep. 11. ad Petreium Claudiani nepotem ex ſorote, qua eius mortem deflet his verbis *augit me nimis damnum ſeculi nuper erepto auunculo tuo Claudiano, oculis noſtris ambigo, an quempiam deinceps parem conſpicaturis. Vir equidem fuit prouidus, prudens, doctus, eloquens, acer, & hominum, aui, loci, populi ſui ingenioſiſſimus, quique indeſinenter ſaluâ Religione philoſopharetur.* Huic Epiſtolæ ſubiicit fletus ſuos his verſibus.

Germani decus & dolor Mamerti,
Mirantum vnica gemma Epiſcoporum,
Hoc dat Ceſpite membra Claudianus.
Triplex Bibliotheca quo Magiſtro
Romana, Attica, Chriſtiana fulſit.
Quam totam Monachus virente in æuo
Secreta bibit inſtitutione,
Orator, Dialecticus, Poeta,
Tractator, Geometra, Muſicuſque,
Doctus ſoluere vincula Queſtionum,
Et verbi gladio ſecare ſectas,
Si quæ Catholicam fidem laceſſunt.

Iiſdem temporibus id. circa an. 480. flotebat Lugduni Conſtantius Rhetot, ad quem extant Sidonij nonnullæ Epiſtolæ, quemque omnium Examinatorem & Correctotem conſtituit Ep. 1. l. 1. Vt pote quem nouerat immodicum fautorem non ſtudiorum modo, verum etiam ſtudioſorum. l. 7. Ep. 21. mittit librum examinandum, ibique eum vocat *lectorem delicatiſſimum.*

Is eſt Conſtantius Preſbyter, qui vitam S. Germani Epiſcopi Antiſſiodorenſis quadraginta circiter poſt eius obitum annis conſcripſit & Cenſurio dedicauit: qua de te ſic Robertus in Chtonico ad an. 4. *Conſtantius Lugdunenſis Presbyter & Rhetor facundiſſimus obtentu S. Patientis Lugdunenſis Epiſcopi vitam S. Germani mirabili ſtylo edidit, omnique diligentiâ elaboratam eidem poſtmodum Epiſcopo Cenſurio direxit anno fere quadrageſimo poſt tranſitum eiuſdem Germani Antiſtitis glorioſi.*

Verum Scholæ Lugdunenſis ſtatum moremque, qualis vigebat illis temporibus, nemo melius deſcribit, quàm Erricus Antiſſiodotenſis, qui de hacce vitæ S. Germani per Conſtantium conſcriptione, déque Cenſurio, quarto poſt Germanum Antiſiodorenſi Epiſcopo verba faciens, ſic ait. *Cenſurius cum Eccleſiaſtici primatus polleret dignitate, Conſtantius Lugduni impensè doctiſſimus, impulſu vel precibus S. Patientis eius tunc vrbis Epiſcopi, librum de vita & virtutibus S. Germani mirâ ſententiarum elegantiâ copioſoque delectu verborum excellentiſſimè edidit, cum per omnia cunctorum Sancti recens adhuc ſpiraret memoria, pluresque qui eum degentem ſeculo viderant ſupereſſent: quorum indubitata relatio ſanctitatis eius magnalia pura adhuc & nec dum varietatis labem perpeſſa ferebat. Ea tempeſtate Lugdunenſium Ciuitas prima ac præcipua Galliarum, profeſſione quoque ſcientiæ Artiumque Diſciplinâ inter omnes extulerat caput. Offenſa namque Sapientia, quæ propter ſeipſam tantum appetenda eſt, quorundam lucris turpibus, multorum indiſciplinatâ vitâ, omnium poſtremò à lepidè ſe appetentium inhoneſtâ deſidiâ, Præceptorum inopiâ intercedente, priorumque ſtudiis pœne collapſis huius noſtræ exitialiter peroſa regionis, Lugduni ſibi aliquandiu familiare conſiſtorium collocauit. Ibi quas dicam* DISCIPLINARVM LIBERALIVM *peritia, quaſque ordine currere hoc tempore fabula tantum eſt, eo vſque conualuit, vt quantum ad* SCHOLAS, PVBLICVM *appellaretur* CITRA MARINI ORBIS GYMNASIVM. *Et vt aliquid rationis afferre videar, eo id argumento colligimus, quod Quiſquis Artium profitendarum ſtudio afficeretur,*

non ante Profeſſis inſcribi merebatur, quàm hinc exploratâ diligentiâ examinatus abiret. Cui rei Satyricus quoque adſtipulatur, qui vt exempli circunſtantiâ res eluceat, primo ſui operis libro acriter diuque in impudicos inuectus refert conſcientiâ frequentati ſceleris perinde palleſcere, vt Lugdunenſem Rhetor dicturus ad aram. Ita claret hanc Sapientibus & palmas & nomina olim fuiſſe largitam.

Ex his Errici verbis intelligimus. 1. Nemini olim licuiſſe docere Lugduni publicè, priuſquam examinatus fuiſſet & docendi licentiam conſecutus. 2. Eorum, qui admiſſi fuiſſent ad profitendum, nomina in Commentarios Academiæ referri ſolita, Profeſſorumque libris inſcripta. 3. Hac ratione Scholam illam inter omnes Gallicanas fuiſſe celeberrimam: propterea quod nemo niſi dignus & meritus ad docendum admittebatur. Et hinc procul dubio factum eſt, vt multi illuſtres viri ſeculo illo infelici & Barbarorum incurſione infami florerent: quales fuerunt memoratus Conſtantius, Principius Epiſcopus Sueſſionenſis, Remigius eius frater Archiepiſcopus Rhemenſis, cuius exundans atque ineffabile eloquium extollit Sidonius l. 9. Epiſt. 7. Conſtantinus, Lupus, Tonantius, Claudianus Mamerti frater, Lampridius, Ruricius & alij plurimi, ad quos paſſim ſcribit Sidonius. Inter cæteros verò maximè prædicat Fauſtum, olim, vt videtur, Magiſtrum ſuum, nunc verò ex Abbate Lirinenſi factum Regienſem Epiſcopum, à cuius latere Philoſophia nunquam diſceſſit. *Hac ab annis*, inquit l. 9. Ep. 9. *veſtra iamdudum pediſſequa primoribus, hac tuo lateri comes inſeparabilis, ſiue in palæſtris exercereris vrbanis, ſiue in abſtruſis macerarere ſolitudinibus: hac Athenæi conſors: hæc Monaſterij tecum mundanas abdicat, tecum ſupernas prædicat diſciplinas.*

Vehementer quoque laudat Ep. 2. l. 8. Ioannem quendam eximium Profeſſorem, qui & ſcriptis & viua voce velut alter Demoſthenes aut Tullius animos lectorum & auditorum rapiebat. *Credidi*, inquit, *vir peritiſſime, nefas in ſtudia committere, ſi diſtuliſſem proſequi laudibus, quod aboleri tuleras. Quarum quodammodo iam ſepultarum ſuſcitator, fautor, aſſertor concelebraris, teque per Gallias vno Magiſtro ſub hac tempeſtate bellorum Latina tenuerunt ora portum, cum pertulerint arma naufragium. Debent igitur, vel æquaui, vel poſteri noſtri vniuerſatim feruentibus votis alterum te vt Demoſthenem, alterum vt Tullium, nunc ſtatuis, ſi liceat, conſecrare, nunc imaginibus, qui te dicente formati inſtitutique iam ſinu in medio ſint gentis inuictæ, quod tamen alienæ, talium vetuſtorum ſigna retinebunt. Nam iam remotis gradibus Dignitatum, per quas ſolebat vltimo à quoque ſummus quiſque diſcerni, ſolum erit poſthac nobilitatis indicium litteras noſſe.* Iſte Ioannes circa an. 470. ex Archidiacono Cabillonenſi conſecratus eiuſdem Eccleſiæ Epiſcopus à Patiente Lugdunenſi.

Præterea complures alios, quos in Epiſtolis & Carminibus laudat, Petrum, Quintianum, Felicem, Paulinum, Ampelianum, Symmachum, Meſſalam, Martium Myronem, Antedium, Magiſtrum ſuum Hœnum & alios de quibus Carm. 9. Veniamus ad conſequentia tempora, quibus Scholam Lugdunenſem non omnino defloruiſſe conſtat. Sequente ergo ſeculo Nicetius patre Florentino ſenatore, Matre Artemia procreatus ad Epiſcopatum poſt Sacerdotem Patruum ſuum promotus, auunculus Armentariæ Matris Gregorij Turonenſis, curauit ibidem exerceri profeſſionem litterarum, primuſque Cantum inſtituit in Eccleſia Lugdunenſi, vtque ex vtraque parte Chori alternis caneretur, quemadmodum legitur in eius Epitaphio.

Pſallere præcepit, normamque tenere canendi
Primus & alterutrum tendere voce Chorum.

At pſallendi ordinem proceſſu temporis deprauatum inſtaurauit regnante Carolo Magno Leidradus Archiepiſcopus, Imperatoris olim Bibliothecarius, cuius ad Carolum extat in hanc rem Epiſtola. *Officio veſtra pietatis placuit, vt ad petitionem meam mihi concederetis reditus, qui ab antiquo fuerunt de Lugdunenſi Eccleſia, per quam Deo iuuante & mercede veſtra annuente, in Lugdunenſi Eccleſia eſt Ordo pſallendi inſtauratus, vt iuxta vires noſtras ſecundum ritum Sacri Palatij omni ex parte agi videatur, quidquid ad Diuinum perſoluendum Officium Ordo expoſcit. Nam habeo Scholas Cantorum ex quibus plerique ita ſunt eruditi, vt alios etiam erudire poſſint. Præter hac vero habeo Scholas Lectorum, non ſolum qui Officiorum Lectionibus exercentur, ſed etiam in Diuinorum librorum meditatione ſpiritalis intelligentia fructus conſequantur, ex quibus nonnulli de libro Euangeliorum ſenſum ſpiritalem iam*

ex

ex parte adipiſci poſſunt. Plerique vero librum Prophetarum ſecundum ſpiritalem intelligentiam adepti ſunt. Similiter libros Salomonis vel libros Pſalmorum atque etiam Iob. In libris quoque conſcribendis in eadem Eccleſia, in quantum potui, elaboraui.

Extat Alcuini Epiſtola ad fratres Lugdunenſes admonitoria, ne cum Felice Vrgelitano commercium vllum habeant, vtque SS. Patrum veſtigia ſequantur, & Vniuerſali Eccleſiæ ſeſe adiungant. Laidrado, qui abdicato Epiſcopatu ſeceſſit in Monaſterium S. Medardi Sueſſionenſis, ſucceſſit Agobardus natione Gallus, vir doctus & Doctorum hominum amantiſſimus, ad quem extant Walafridi Strabi Augienſis Carmina de M. Floro Eccleſiæ Lugdunenſis tum Diacono, ipſique Epiſcopo familiariſſimo; viro in omni ſcientiarum genere verſatiſſimo.

Agobardo ſucceſſit Amulius vir quoque Doctus, qui ſcripſit contra Iudæos: quo ſedente damnatus eſt Gotheſcalcus. Amulio Remigius Lotharij Imp. Archicapellanus: quo tempore ſcribens Lupus Abbas Ferrarienſis de ſchola Lugdunenſi ſic habet Ep. 121. ad Gerhardum Ducem. *Cæterum quod diligenter ſcrutamini, noueritis Monachum, & Diſcipulum meum nonnunquam à noſtro Monaſterio aufugiſſe, ſed ad petitionem B. memoriæ Mancuuardi Abbatis ex Prumia, aut perperam à nobis eum honeſtè directum & cum illo aliquandiu conuerſatum quorundam inuidioſorum vitaſſe inſidias, & inde diſcendi ſtudio & quietis amore in vrbe Lugdunenſium conſtitiſſe.... idoneus eſt ad docendum. Regalibus & Pontificalibus fultus eſt Epiſtolis.* Eodem Remigio Antiſtite ſcripſit Eccleſia Lugdunenſis aduerſus Ioannem Scotum, commendaturque à Carolo Caluo in ſuo Diplomate his nominibus, *quod ditiſſima, rebus florentiſſima, ac religione præclariſſima ſit.*

Maiolus Abbas 32. Monaſterij S. Ioannis in Diœceſi Lingonenſi quod Reomaüs dicitur, deinde Cluniacenſis, audita M. Antonii Profeſſoris Lugdunenſis famâ, illuc diuertit diſcendi ſtudio, circa an. 950. Formaque Diſcipuli aſſumptâ, illius Magiſterio ſe deuotus commiſit, vt loquitur author Anonymus in eius vita. Gregorius VII. l. 6. Ep. 36. ad Canonicos Lugdunenſes Eccleſiam illam mirificè extollit: & poſt ipſum Innocentius II. Bernardus verò Clareuallenſis de ea ſic ſcribit, *inter Eccleſias Galliæ conſtat profectò Lugdunenſem anteire, ſicut dignitate ſedis, ſic honeſtis ſtudiis & laudabilibus inſtitutis.*

Denique publicè docendi & interpretandi, Licentiaſque impertiendi poteſtatem penes ſe retinuiſſe ad annum vſque 1290. patet ex lite mota inter Beraldum de Gout Archiepiſcopum, & Capitulum de Iuriſdictione temporali Ciuitatis Lugdunenſis: quam ſibi vtraque pars vindicabat cum facultate Licentiarum profeſſoribus Iuris concedendarum, vt ex vetuſtis actis refert Andreas Ducheſnius in notis ad Biblioth. Cluniac. Sed tandem omnia ſcholæ illius antiquiſſimæ Iura ad Academiam Bituricenſem tranſlata ſunt conceſſione Regia circa an. Chriſti 1473. vt ſuo loco dicetur.

DE
REGIMINE
VETERVM
ACADEMIARVM.

EXACTIS veteribus Galliarum Academiis, ſeu Scholis Publicis, quæ plus habuiſſe videntur ſplendoris & celebritatis, nunc operæ pretium eſt inueſtigare quodnam earum eſſet regimen, antequam ad ſcholas 3. Generis, Cœnobiales ſcilicet & Epiſcopales tranſeamus. Circa autem hanc materiam tria potiſſimum occurrunt examinanda. Primum eſt de loco Scholarum. 2. de Magiſtris. 3. de Scholaribus.

Locus initio incertus; deinde certus fuit. Omnes enim fere Academiæ, ſeu ſcholæ publicæ à ſingularibus & priuatis initium ſumpſerunt; quas nempe priuati Magiſtri vbilibet paſſim, ſeu in propriis ædibus, ſeu in conductitiis habebant; quaſque ex vnâ regione vrbis in aliam, cum lubebat transferebant. Talis fuit M. Antonius Gnipho Romæ, qui teſte Suetonio c. 7. lib. de Illuſtribus Grammaticis; *docuit primum in D. Iulij Domo, pueri adhuc: deinde in ſua priuata.* Talis Lenæus Pompei Libertus, qui eo defuncto eiuſque filiis, docuit in Carinis ad Telluris ædem, in quâ Regione Pompeiorum Domus fuerat. Verrius Flaccus cum alibi docuiſſet, demum cum tota Schola tranſiit in Palatium, docuitque in Atrio Catilinariæ Domus, quæ tunc Auguſtani Palatij pars erat. Legimus quoque C. Albutium Silum propria Auditoria inſtituiſſe. Atque id ita certum eſt, vt eiuſdem profeſſionis Scholæ ſingulares 20. & amplius eodem tempore fuerint, vt ait Suetonius.

At verò creſcente Docentium & Diſcentium numero commodius viſum eſt certa loca iis aſſignare: tum vt inter eos æmulatio maior exurgeret; tum vt declamationibus Rhetorum, Philoſophorumque Diſputationibus plures adeſſe poſſent. Id primùm factum Athenis in Suburbio, Alexandriæ in Regia Ptolomæi: Romæ in Capitolio. Maſſiliæ in Arce Palladis. Bibracte ſeu Auguſtoduni in Menianis: & ſic alibi; ne Magiſtri & Scholares à Ciuibus, Ciues à Scholaribus obſtrependo turbarentur.

Porro locus ille, ſeu Regio illa Scholaſtica alibi plura, alibi pauciora continuit Gymnaſia ſeu Collegia muris inter ſe diſcreta. Athenis tria hæc potiſſimum commemorantur, Academia, Lycæum, Cynoſarges. Plutarchus in Moralibus meminit Stoæ, Palladij, Odæi: Pauſanias, Ptolomæi & Adriani. Erant autem loca illa ſpatioſa, ab omni vrbis commercio ſeparata, ædificiis ornata pulcherrimis, ambulacris, exedris, porticibus, lucis vmbroſis & fontibus.

Academia quidem, ab Academo ſeu Echedemo quodam Athenienſi ciue Litterarum amantiſſimo relicta eſt & legata in vſum eiuſmodi, quæ prius villa illius erat ſuburbana teſte Pauſania in Atticis *Extra vrbem proximè Heroum virorumque fortium ſepulchra eſt Academia priuati olim hominis ager, nunc Gymnaſium.* Vmbroſum autem hunc fuiſſe locum innuit Horatius Ep. l. 2.

Digitized by Google

Atque inter Siluas Academi quærere verum.

Cymon Athenienſis, vt legitur apud Plutarchum, arboribus & fontibus decorauit. Ibi Plato Rhetoricam & Philoſophiam docuit magnâ Diſcipulorum frequentiâ, & poſt eum Zenocrates & Speuſippus eius Diſcipuli.

Lycæum, Gymnaſium alterum ſuperius Academiæ iunctum, at muris diſcretum: ſic dictum vel ab Apolline Lycæo, ſub cuius tutela erat, vel ἀπὸ τοῦ λύκου id. à Lupo ſacro Apollini. Vel ἀπὸ τῆς λύκης id. à Luce, quod plus lucis minuſque haberet vmbrarum, quàm Academia. In eo docuit Ariſtoteles, poſtquam à Platone receſſit: ibique Peripatum ſeu locum ad deambulandum atque diſputandum inſtituit. Hinc Peripateticorum princeps dictus.

Cynoſarges, tertium Gymnaſium, non longe à portis ciuitatis. Ibi primus docuiſſe dicitur Antiſthenes. Huic autem Gymnaſio hoc peculiare fuit, quod in eo pueri Nothi, qui à neutro parente ius Ciuitatis habebant, inſtituerentur, pauperioribus vero victus de publico ſuppeditaretur, vt refert Suidas. Prætereo cæteta eiuſdem vrbis collegia, diuerſis temporibus fundata & addita.

Hiſce Collegijs proximæ erant Paleſtræ ad exercitationem corporis, vt adoleſcentes è ſcholâ egreſſi animos relaxarent. Meminit huius rei Cicero in Orat. n. 8. *Ego palæſtram & ſedes & porticus etiã ipſos Græcos exercitationis & delectationis cauſâ, non diſputationis inueniſſe arbitror. Nam & ſeculis multis ante Gymnaſia inuenta ſunt, quàm in his Philoſophi garrire cœperunt. Et hoc ipſo tempore cum omnia Gymnaſia Philoſophi teneant, tamen eorum auditores Diſcum audire, quàm Philoſophum malunt: qui ſimul vt increpuit, in mediâ oratione de maximis rebus & grauiſſimis diſputantem Philoſophum omnes vnctionis cauſa relinquunt.*

Romani in hoc Græcos, vt in multis aliis imitati ad vtrumque vſum, hoc eſt tam ad exercitationem corporis quàm animi Thermas Auguſti temporibus compoſuerunt: in quarum parte quæ erat ad Septentrionẽ conuerſa, Exedras aulaſque diſcretas & ſeparatas Philoſophis, Rhetoribus, aliarumq; artium profeſſoribus conſtituerunt. Ibi erant platanones ad amuſſim conſiti, ibi fontes varij, quorum aquæ per canalieulos diffluebant in Natationem, vt vmbrarum amœnitate aquarumque leni murmure Docentes & Diſcentes reficerentur. Ibi habebant ſua auditoria diſtincta & diuiſa ſuaſque exedras à dextra & ſiniſtra veſtibuli Septentrionalis parte clauſas plures ante platæam cum ſedilibus in Hemicycli formam, vt Diſputantes & tam loquentes quàm audientes ſe ſe omnes aſpicerent: aliquas vero patentes, vt ſunt ſcholæ noſtræ ad leuiora ſtudia, inquit Andreas Baccius Elpidianus l. 8.

Compertum eſt autem ſtudentium profectui obeſſe plurimum voces & clamores lauantium ſe & exercitantium in Thermis. Itaque ad exercitia ſcholarum duo potiſſimum Collegia, ampla & capacia deſtinata ſunt; Athenæum & Auditorium Capitolinum: vtrumque variis Scholis ſeu claſſibus pro variis Diſciplinis diſtinctũ. De Athenæi Fundatore dubitatur. Volaterranus l. 12. Geog. Claudium Imperatorem agnoſcit his verbis. *Erat Romæ Athenæum ad Alexandrini Muſæi æmulationem à Claudio principe inſtitutum: vbi hiſtoriæ ab eo editæ quotannis recitarentur: quo & Adrianus ipſe quandoque conuenit audiendorum Poetarum & Oratorum gratia.* Opinionem ſuam confirmat authoritate Suetonij aientis in Claudio, cum veteri Alexandriæ Muſæo alterum addidiſſe ſui nominis. Sed male ſuſpicatur Volaterrannus illud ab eo Romæ inſtitutum, cum clarè Suetonius illud Alexandrino additum dicat.

Melius igitur Athenæi inſtitutionem tribuit Adriano Aurelius Victor. *Gymnaſia,* inquit *Doctoreſque curare occæpit: adeo quidem, vt etiam Ludum ingenuarum artium quod Athenæum vocant, conſtituerit.*

Hoc Collegium, quod ab Athene ſeu Minerua Diſciplinatum Dea dictum eſt, vt Dio ſcribit in fine Iuliani τὸ Ἀθήναιον καλούμενον ἀπὸ τῆς ἐν αὐτῷ τῶν παιδευμάτων ἀσκήσεως, celeberrimum fuit, & ab Imperatoribus ſæpe frequentatum. Teſtis de Alexandro Seuero Lampridius. *Ad Athenæum audiendorum & Græcorum & Latinorum Rhetorum, vel Poetarum cauſâ frequenter proceſſit.* Capitolinus de Gordiano. *Vbi adoleuit, in Athenæo controuerſias declamauit audientibus eum Imperatoribus.* Idem de Pertinace. *Et Pertinax eo die proceſſionem, quam ad Athenæum parauerat, vt audiret Poetam, ob ſacrificij præſagium diſtulit.* Temporibus D. Hieronymi celeberrimum adhucerat, vt ipſe indicat ad Paulam & Euſtochium. *Omiſſa Apoſtolorum ſimplicitate & puritate verborum, quaſi ad Athenæum & ad Auditoria conueni-*

tur, vt plauſus circumſtantium ſuſcitentur. Tandem hoc Collegium mutato nomine COLLEGIVM SAPIENTIÆ eſt appellatum teſte Middendorp. l. 3.

Auditorium Capitolinum fuit quoque celeberrimum, & variis claſſibus, quas *Pergulas* ſeu *Cellulas Magiſtrales*, vocabant, munitum. Vetuit autem Theodoſius ſenior, ne profeſſores, qui in iis publicè docebant, alios Diſcipulos circumferrent ad oſtentationem, néve alibi priuatas ſcholas exercerent. Vt legimus l. 14. Cod. Theod. tit. 8. in Reſcripto ad Olibrium Præfectum. *Vniuerſos, qui vſurpantes ſibi nomina Magiſtrorum in Publicis Magiſtrationibus Cellulíſque collectos vndecumque Diſcipulos circumferre conſueuerunt, ab oſtentatione vulgi præcipimus amoueri: itaut ſi quis eorum poſt emiſſos Diuinæ ſanctionis afflatus, quæ prohibemus atque damnamus, iterum facere tentauerit, non ſolum eius quam meretur infamiæ notam ſubeat, verum etiam pellendum ſe ex ipſa vbi verſatur inlicitè, vrbe cognoſcat. Illos verò qui intra plurimorum Domus eadem exercere priuatim ſtudia conſueuerunt, ſi ipſis tantummodo Diſcipulis vacare maluerint, quos intra domeſticos parietes docent, nulla eiuſmodi interminatione prohibemus. Sin autem ex eorum numero fuerint, qui videntur intra* CAPITOLII AVDITORVM *conſtituti, hi omnibus modis priuatarum ædium ſtudia ſibi interdicta eſſe cognoſcant: ſcituri, quod ſi aduerſum Cæleſtia ſtatuta facientes fuerint deprehenſi, nihil penitus ex illis priuilegiis conſequentur, quæ his, qui in Capitolio tantùm docere præcepti ſunt, meritò deferuntur.*

Capaciſſimum autem iſtud Collegium fuiſſe neceſſe eſt: ſi quidem pluſquam 30. Cellulas, ſeu Claſſes in ſuo ambitu continebat, plures ſcilicet Grammatices Latinæ, plures Grammaticæ Græcæ; plures item Oratoriæ Artis, Philoſophiæ, Iuriſprudentiæ; illæque omnes ſeparatæ à ſe inuicem, & muro intermedio diuiſæ. Hac de re ſic habetur in eodem Reſcripto.

Habeat igitur Auditorium ſpecialiter noſtrum, in his primum, quos Romæ Eloquentiæ Doctrina commendat, Oratores quidem tres numero: decem verò Grammaticos. In his etiam qui facundia Græcitatis pollere noſcuntur, quinque numero ſint Sophiſtæ, & Grãmaticæ æquè decem. Et quoniam non his Artibus tantùm Adoleſcentiam glorioſam optamus inſtitui, profundioris quoque ſcientiæ atque Doctrinæ memoratis Magiſtris ſociamus Authores. Vnum igitur adiungi volumus cæteris, qui Philoſophiæ arcana rimetur. Duos quoque qui Iuris ac legum formulas pandant. Itaut vnicuique LOCA SPECIALITER DEPVTATA *adſignari faciat Tua ſublimitas: ne Diſcipuli ſibi inuicem poſſint obſtrepere, vel Magiſtri: néve linguarum confuſio permixta, vel vocum aures Quorundam aut mentes à ſtudio litterarum auertat.*

Eadem ratio fuit Academiæ Alexandrinæ, quæ duo quoque capaciſſima Muſæa ſeu Gymnaſia complexa eſt: Alexandrinum à Ptolomæo Rege fundatum, & Claudianum à Claudio Imperatore additum: quibus alia duo acceſſerunt, Serapium & Iſæum. Eadem Berytenſis Iuriſprudentiæ profeſſione celebris: eadem Conſtantinopolitana. Nec dubito quin eadem pariter fuerit noſtratum ratio, Burdigalenſis, Toloſanæ & Narbonenſis, vbi tam multi Magiſtri ſimul docuiſſe leguntur.

Principes Academiarum Inſtitutores.

Talis ergo fuit veterum Academiarum & Collegiorum litterariorum diſpoſitio. Sed quale regimen, & qui Magiſtri? Triplex potiſſimum genus hominum Scholarum regimen habuiſſe videtur. Principes, vel Principum nomine certi Magiſtratus ab iis, vel à Repub. deſignati. Gymnaſiarchæ, ſeu Præfecti Muſarum atque Rectores, & Profeſſores ſeu Magiſtri Regentes.

Certum eſt Scholarum inſtitutionem ad Rempub. pertinere: ac proinde Princeps & Senatus, qui caput ſunt Reipub. cauere imprimis debent, vt adoleſcentes optimis imbuantur moribus, legibus, & inſtitutis; ac ne quid, quod ipſius Reipub. Decretis & adminiſtrationi aduerſetur, tenellis puerorum & adoleſcentum mentibus imprimatur. Vnde Solonem legimus olim tuliſſe legem Athenis, vt neque Scholæ erigerentur, neque Philoſophorum quiſquam præeſſet abſque Conſilij ſeu Senatus Decreto. Hinc quoque eſt, quod cum Quidam Rhetores & Philoſophi Romæ olim ſtante adhuc Repub. non obtentâ docendi licentiâ & poteſtate, in vrbe docere agreſſi fuiſſent, Senatus-Conſulto expulſi ſint, iniunctumque eſt Pomponio Prætori, curaret, vti Romæ ne eſſent. Et aliquanto poſt iidem Profeſſores Cenſorio Edicto vetiti ſunt ſcholas habere: quia verebantur Romani, ne pueri qui totos dies in eorum ſcholis deſidebant, minus poſteà forent ad

Digitized by Google

arma idonei. id factum Cn. Domitio Ænobarbo & L. Licinio Craſſo Coſſ. vt habet Suetonius in lib. de Claris Rhetoribus.

Ipſi deinde Imperatores Scholarum curam ſuſceperunt, vel eorum nomine, Romæ Præfectus vrbis, in Prouinciis ſubditis Proconſules & Præſides: nec niſi de eorum conſenſu Magiſtri ad docendum admittebantur: vt infra dicetur. Hinc Auguſtus Scholam Iuriſprudentiæ Romæ promouet. Caligula Athenæum Lugdunenſe celebritate Ludorum nobilitat. Domitianus ſtipendia publica profeſſoribus attribuit. Adrianus Athenæum Romanum inſtituit. Conſtantius Menianas Scholas apud Æduos, iiſque regendis Eumenium præficit. Theodoſius Conſtantinopoli, Beryti & Romæ Auditoria pulcherrimo ordine diſponit. Vt nihil dicam de Ptolomæo Muſæi Alexandrini Inſtitutore & Fundatore: nihil de aliis Regibus, qui apud ſe Liberales Diſciplinas excoli voluerunt.

Rectores Academiarum & Gymnaſiarchæ.

Singulis autem Academiis & Collegiis ab omni æuo inſtitutum eſt, vt ſui eſſent Præfecti, Rectores & Gymnaſiarchæ, veluti Reipublicæ, aut Principum Vicarij, quorum curæ incumbebat tam Præceptores ſeu Regentes, quàm Diſcipulos in officio continere. Quemadmodum ſingulis Gymnaſiis Gladiatoriis & Athleticis ſui erant præfecti Gymnaſtæ, Gymnaſiarchę & Epiſtatæ dicti: qui non modò Iuuenibus, qui ibi exercebantur, ſed eorum etiam Magiſtris præerant. hinc Eumenius à Conſtantio præficitur Scholis Æduenſibus. Hinc toti Druidarum Ordini præerat, teſte Cæſare, vnus Archidruida: hinc apud Perſas Magis ſuus erat Archimagus, qui vt munus ſuum diligentius exequeretur, & authoritatem, quæ maxima erat, ſplendidius conſeruaret, ſingulis menſibus 4. auri libras ex ærario percipiebat, teſte Abdia Babylonio lib. 6. Apud Indos Archigymnoſophiſta, proximam habebat à Rege dignitatem & authoritatem Meminit Mathias Quadus l. 2. c. 1. Geogr. Iarchæ cuiuſdam Gymnoſophiſtarum rum Rectoris, & in aureo throno philoſophantis, cum Apollonius eorum Academiam inuiſit. Rabini & cæteri legis Iudaicæ Doctores Archiſynagogo parebant: de quo hæc Adrianus apud Spartianum, *nullus nunc Alexandriæ Iudæorum Archiſynagogus eſt*. Et in AlexandroSeuero Lampridius. *Syrum eum vocantes Archiſynagogum & Archierea.*

Similiter cum Ptolomæus Philadelphus Bibliothecam illam tam omnium Sctiptis celebratam Alexandriæ comparaſſet, iuxta illam, Scholam publicam inſtituit, Profeſſores liberalium artium vndecunque ſtipendio Regio euocauit, illiſque omnibus Archiereum ſeu Principem Magiſtrum & Muſarum Sacerdotem præfecit ad vitam: quo mortuo ſucceſſoris ſubſtituendi poteſtatem ſibi & poſteris Regibus reſeruauit: quam deinde Cæſares Romani ſubacta Ægypto ſibi retinuerunt. Hac de re ſic habet Strabo l. 14. Geog. τῶν δὲ βασιλείων μέρος ἐστὶ καὶ τὸ Μουσεῖον ἔχει περίπατον καὶ ἐξέδρας καὶ οἶκον μέγαν, ἐν ᾧ συσσίτιον τῶν μετεχόντων τοῦ Μουσείου φιλολόγων ἀνδρῶν. Ἔστι δὲ τῇ συνόδῳ ταύτῃ καὶ χρήματα κοινὰ καὶ Ἱερεὺς ὁ ἐπὶ τῷ Μουσείῳ τεταγμένος τότε μὲν ὑπὸ τῶν βασιλέων, νῦν δὲ ὑπὸ τοῦ Καίσαρος. Idem Strabo commemorans Ciuitates Orientis, quæ ſuo tempore eruditiſſimis hominibus, literatiſſimiſque diſciplinis abundabant, tres potiſſimum prædicat, Tharſum Ciliciæ, Athenas Gręciæ, Alexandriam Ægypti: ſed huic palmam defert, quod longè plures eò tanquam ad Sapientiæ Mercatum proficiſcerentur, éque ſcholis eius tanquam ex equo Troiano exirent multi excellentes viri, quorum ingeniis Exteri deinde ad humanitatem erudirentur.

Nobiliſſimum ergo fuit iſtud profectò inſtitutum, partem Palatii ſeu Regiæ Muſarum exercitio conſecrare, Profeſſoribus qui conuerſarentur & conueſcerentur, ſumptus communes & ſtipendia publica aſſignare, vt in ſodalitio conuerſantes quietius litteris vacarent, de victu nihil ſolliciti. Extat Apollonij Tyanæi Epiſtola miſſa τοῖς ἐν τῷ Μουσείῳ σόφοις *Magiſtris in Muſæo conuerſantibus.*

Huicce veteri Collegio alterum addidit Claudius Imperator teſte Suetonio ſub eius vitæ finem. *Græcas ſcripſit Hiſtorias* τυῤῥηνικῶν 20. id. de rebus Thuſcis: χαρχηδονιακῶν 8. id. de rebus Carthaginienſibus, *quarum cauſa veteri Alexandriæ Muſæo alterum additum ex ipſius nomine: inſtitutumque, vt quotannis in altero* τυῤῥηνικῶν *libri, altero* Καρχηδονιακῶν *diebus ſtatutis, velut in Auditorio recitarentur toti à ſingulis per vices.*

Reuera ſummopere enixus eſt Claudius, vt hæc Academia frequentiſſima eſſet, eximiiſque profeſſoribus abundaret: quos ipſe adlegebat per litteras Imperatorias, & adſcribebat iis qui ibi de publico alebantur, vt innuere videtur Philoſtratus in vita Dionyſij Mileſij Sophiſtæ, quem ille κατέλεξε τοῖς δημοσίᾳ ἐν τῷ Μουσείῳ σιτουμένοις. Id. in Polem. κατέλεξε δ' αὐτὸν καὶ τῷ τῶν Μουσείων κύκλῳ εἰς τὴν Αἰγυπτίαν σίτησιν. Hoc verò modo Muſæum definit. *Muſæum*, inquit, eſt *Menſa Ægyptia congregans quot quot ſunt in toto orbe viri Docti*, τὸ δὲ Μουσεῖον τράπεζα Αἰγυπτία ξυγκαλοῦσα τοὺς ἐν πάσῃ τῇ γῇ ἐλλογίμους.

Poſtquam vero Alexandria facta eſt Chriſtiana, eamdem Academiam rexerunt Gymnaſiarchæ celeberrimi: inter quos commemorantur Pantenus ſub Commodo circa an. Chriſti 190. Clemens dictus Alexandrinus Panteni auditor, & in Cathedra Theologica ſucceſſor; Origenes, Achillas, Dionyſius, Athenodorus, Didymus, Athanaſius & alij plurimi. Antiochenæ quoque Scholæ præfuit Malchion Authore Euſebio l. 7. c. 29.

Porro Gymnaſiarchæ illi, cum ſæpe docendi munus ſimul exercerent, nec facile poſſent omnibus Scholis ſuæ curæ commiſſis vacare, aut Gymnaſiis ſemper adeſſe, deligebant ſibi Adiutores, qui PROSCHOLI dicebantur, Hypodidaſcali, Anteſcholani, Subdoctores & Submonitores. Neque Gymnaſiarchæ modò, ſed ipſi quoque Profeſſores nonnunquam eiuſmodi Adiutores habebant. De iis Cicero clare l. 9. Ep. 18. ad Papirium Pœtum, de Ludo loquens eloquentiæ quem in ſuo Tuſculano inſtituerat, *ſella tibi erit in Ludo tanquam Hypodidaſcalo proxima.* De iiſdem Quintilianus l. 2. c. 5. *Nunc verè ſcio*, inquit, *id fieri apud Græcos, ſed magis per Adiutores, quos illi Hypodidaſcalos appellabant, quia non videntur tempora ſuffectura, ſi legentibus ſingulis ipſi præceptores præire velint.* Mos igitur iſte à Græcis profluxit, quem deinde Romani imitati. Suetonius l. de Illuſt. Gramm. c. 10. *Atteius Prætextatus nobilis Grammaticus Latinus, Declamantium deinde Adiutor atque præceptor, ad ſummum Philologus ab ſemet nominatur.* Auguſtinus l. 8. Confeſſ. c. 6. vtitur verbo *ſubdocere*, & Auſonius Victorinum vocat, *Proſcholum ſiue Subdoctorem*, hoc eſt, vt ait Vinetus, *Subprincipalem*, qui ſecundus ſit à Principali & præfecto Scholæ eiuſue vicem gerat.

Eiuſmodi Adiutorum Officium ſic diſcribit Thomas Schreuelius in Diatribis Scholaſticis orat. 5. ait enim, ſicut præceptores cultores ingeniorum erant, ſic proſcholos ſeu promagiſtros fuiſſe. qui non tam docendis pueris, quàm formandis eorum moribus præfecti eſſent, vnamque hanc fere curam haberent, vt concinnè ad Magiſtrum pueri accederent, vt togam componerent atque omni geſtu, inceſſu, veſtitu compoſiti eſſent: vt externus corporis habitus animo bene compoſito reſpondetet. Hoc autem ita facere ſolitos. In primo ſcilicet Scholæ veſtibulo locum fuiſſe, quem Proſcholium appellabant, velo tanquam aliquo integerrimo pariete diſſeptum, vbi Proſcholus loci illius præfectus ingredientes obſeruabat, externum corporis habitum componebat, diſſolutos reprehendebat, ingreſſuris Auditorium morum ciuilitatem commendabat: nefas enim putabant Muſarum adyta quemquam ſubire, qui non prius moribus excultus veniret. Hæc Schreuelius: quæ paucis verbis videtur Petronius complecti. *Nec diu tamen lachrymis indulſi; ſed veritus ne Menelaus Anteſcholanus inter cætera mala ſolum me in diuerſorio inueniret, collegi ſarcinulas.*

Magiſtri ſeu Regentes. Iam de Magiſtris ſeu Profeſſoribus agendum, in quibus duo ſpectanda: receptio ſeu admiſſio ad docendum, & ſalarium. Receptio duplici modo fiebat; examine & ſcriptione. Examen ab omni æuo viſum eſt neceſſarium, ne quis temere ad docendum proſiliret. Apud Athenienſes ſic fiebat. Indicebatur dies examinis; tum ſe ſiſtebat Candidatus: aderant Magiſtri ſeu Profeſſores, eique quas volebant Quæſtiones de Diſciplina quam profeſſurus erat, proponebant præſentibus Tribunis, quos Archontas vocabant ſtante Repub. vel Proconſulibus ſub Imperatoribus Romanis. Si ſat ſeciſſet, ſuffragiis Magiſtrorum adlegebatur; ſin minus, reiiciebatur. Sic ait Gregorius Nazianzenus ſibi facundiæ principatum calculis datum Doctorum. Nec quis admittebatur ad docendum, niſi altero mortuo; teſte Luciano in Eunucho. ἔδει δὲ ἀποθανόντος προσάλλον ἀντικαθίστασθαι δοκιμασθέντα ψήφῳ τῶν ἀρίστων. id. *oportebat aliquo mor-*

tuo alium in eius locum ſubſtituit, qui probatus fuiſſet calculo præſtantiſſimorum. Sic mortuo Iuliano Sophiſta, cum multi nomen ſuum profeſſi fuiſſent munus docendi ambientes, omnium ſuffragiis deliguntur Proæreſius, Hepheſtion, Epiphanius, & Diophanrus, vt legirur apud Eunapium in Proæreſio. χειροτονοῦνται δὲ δοκιμασθέντες ἁπάσαις κρίσεσι. Et paulo post χειροτονηθέντων δὲ τούτων id. *his per ſuffragia creatis.*

Apud Romanos ante Auguſtum, quiſquis ſe ad docendum habilem arbitrabatur, docere, obtentâ tamen à Senatu vel à Cenſoribus poteſtate, poterat. Ar D. Auguſtus Iuriſprudentiæ præſertim profeſſioni limites præſcripſit, & quo maior Iuris authoritas haberetur, conſtituit vt qui reſpondere vellent, ſeu reſponſa petentibus dare, ex authoritate principis reſponderent: atque ex illo tempore peti hoc pro Beneficio cœpit: ideoque optimus Princeps Adrianus, cum ab eo viri Prætorij peterent, vt ſibi liceret reſpondere, reſcripſit hoc non peti, ſed præſtari ſolere: quaſi Principes non conferrent, niſi iis qui priuſſe idoncos, nempe in examine demonſtraſſent. Hæc fere Pomponius.

Auguſti conſtitutio ad omnes deinde profeſſores extenſa eſt. Philoſtratus Theodotum commendat, non tam quod primus Athenis mercede docuerit inſtitutâ à Marco Imperatore, quàm quia M. Antonini Philoſophi iudicio ad id muneris delectus fuerat & Iuuentuti Athenienſium docendæ præpoſitus; cum eligendorum cæterorum, Platonicorum nempe Stoïcorum, Epicureorum & Peripateticorum Philoſophorum curam Herodi Attico dediſſet, & Græcâ facundiâ & Conſulari honore prædito, quémque Græca oratione fere vniuerſos grauitate atque copia elegantiaque vocum longè ſuperaſſe ait Gellius l. 1.c. 2.

Secuti principes id quoque maxime cautum voluerunt, ne quis in demortui profeſſoris locum ſubrogaretur, niſi prius fuiſſet iudicatus idoneus, vt legitur C. de profeſſoribus l. ſi quis *Ne quis temere ad docendum proſiliat, ſed diligenter ante probetur. Quo loco Vlpianus. Reddatur vnuſquiſque patriæ ſuæ, qui habitum Philoſophi indebitè & inſolenter vſurpare cognoſcitur, exceptis his qui à probatiſſimis approbati ab hac debent colluuione ſecerni.* Athalaricus apud Caſſiodorum l. 9. Ep. 21. ad Senarum Rom. vult nouos Profeſſores Deceſſorum ſuorum commoda & ſtipendia percipere, dummodo authoritate Senatus comprobati, & ad munus ſuſceptum fuerint idonei iudicati.

Quod ſi quis Cathedras ambiuiſſe & temere vſurpaſſe comperti ſunt, confiſi potius fauore quàm meritis, ab aliis Comprofeſſoribus vt vilis pretii homines ſemper habiti fuerunt: qualis fuit Iucundus Grammaticus Burdigalenſis, de quo ſic Auſonius Car. 9.

Et te quem Cathedram temere vſurpaſſe loquuntur,
Nomen Grammatici nec meruiſſe ferunt.
Voce ciebo tamen.

Sic Anaſtaſium Triuialem Grammaticum ſcholæ Burdigalenſis honorem ſibi non auſum vſurpare, ait Pictauium conceſſiſſe, ibique indecorè conſenuiſſe.

Nec omittendum quod ſupra in Academia Lugdunenſi ex Errico Antiſſiodotenſi retulimus, neminem ſcilicet olim admitti ſolitum ibi ad docendum, qui non ante publico examine probatus fuiſſet. *Et vt aliquid rationis afferre videar, eo argumento colligimus, quod quiſquis Artium profitendarum afficeretur ſtudio, non ante Profeſſis inſcribi merebatur, quàm exploratâ diligentiâ examinatus abiret.* Hæc de Examine ſufficiant.

Altera ratio receptionis ſeu admiſſionis ad docendum, erat ſcriptio ſeu aliud ali- *Scriptio.*
quod ſpecimen capacitatis. Ita legimus D. Auguſtinũ à Symmacho Præfecto vrbis Rom. probatum fuiſſe, antequam Mediolanum mitteretur ad profeſſionem Rhetoricæ. Sic enim ille l. 5. Confeſſ. c. 13. *Sed vtrique neſciebamus, vt dictione propoſita me probatum Præfectus tunc Symmachus mitteret.* Extat in hanc rem Conſtitutio in l. Magiſtros C. de profeſſoribus & Medicis. Qua cauetur, vt antequam quis ad docendam aliquam artem admittatur, is de ea re ab Ordine interrogetur, atque adeo ſpecimen aliquod edat artis, quam profiteri cupit. Item Conſtitutione Leonis Imp. Cod. de Aduocat. dit. Iud. cauetur vt Iuriſperiti, eorum qui ſe in conſortium aduocatorum præfecturæ prætorio cooptari petebant, eos tantum admitterent,

quorum in iure peritia à Doctoribus iuratis probata fuiſſet. Quod ſimiliter factum erga cæteros artium profeſſores, adeo vt nemo ad docendum publicè admitteretur, cuius meritum non fuiſſet experimento approbatum, non modò Romæ, ſed nec in Municipiis aut Coloniis. Quam in rem conſtitutio Iuliani Imp. edita Spoleti Mamertino & Neuita Coſſ. legiturque l. 10. Cod. *Magiſtros ſtudiorum, Doctoreſque excellere oportet moribus primùm, deinde facundiâ. Sed quia ſingulis ciuitatibus adeſſe ipſe non poſſum, iubeo quiſquis docere vult, non repente nec temere proſiliat ad hoc munus, ſed iudicio Ordinis probatus Decretum Curialium mereatur, Optimorum* (Magiſtrorum peritorum) *conſpirante conſenſu.*

Salarium autem ſeu Minerual Magiſtrorum duplicis fuit generis. Vnum honorarium in priuilegiis, honoribus & immunitatibus conſiſtens. Alterum Quæſtuoſum, vocabaturque propriè *Merces & Minerual*: & hoc iterum duplex, certum ſeu publicum, & incertum, ſeu priuatum. Incertum vocamus, quod ex numero Diſcipulorum, & liberalitate parentum pendebat. Quo quis enim plures Diſcipulos habebat, plus etiam vulgo lucrabatur, amplioremque mercedem referebat: ſeu ex gratuitâ eorum liberalitate, ſeu ex ſtipulatione. Primus mercede docuiſſe dicitur Protagoras apud Platonem & Philoſtratum. Speuſippus vnus è ſucceſſoribus Platonis grandem pecuniæ ſummam exigendo collegit à volentibus & nolentibus. Nonnunquam ſtipulatio intercedebat inter Diſcipulum, ſeu eius parentes & Magiſtrum. hinc Varro l. 3. de re Ruſtica c. 2. *ſimul ac promiſeris Minerual, incipiam.* Iuuenal. ſaty. 7.

Quantum vis ſtipulare, & protinus accipe quod do,
Vt totiens illum pater audiat.

Laudatur M. Antonius Gnipho à Suetonio in lib. de claris Grammaticis, quod mercedes non exigeret, nec de iis paſciſceretur, ideoque plures ait conſecutum. *Fuiſſe dicitur ingenij magni, memoriâ ſingularis, nec minus Græcè, quàm Latinè doctus, præterea comi facilique natura, nec vnquam de mercedibus pactus, eoque plura ex liberalitate diſcentium conſecutus.* Maiorem autem vulgò Mercedem Rhetor, quàm Grammaticus habebat. Auſonius de Exuperio Rhetore Toloſano.

——Tum pueros grandi merce docendi
Formaſti Rhetor.

Cic. 2. Phil. *At quanta merces Rhetori eſt data? audite, audite Patres conſcripti, & cognoſcite Reipub. vulnera: duo millia iugerum agri Leontini S. Clodio Rhetori adſignata, & quidem immunia, vt tanta mercede nihil ſapere diſceres.* Amplas certè tam Grammatici, quam Rhetores à nonnullis ſuis Diſcipulis conſequebantur mercedes, ab aliis ſæpe nullas, contra quos proinde illis competebat actio, aut ita Oeconomorum, vel Pædagogorum fraude furtoque imminutas, vt pro nullis pœne haberentur. Teſte Iuuenale Saty. 7.

Rara quidem merces, quæ cognitione Tribuni Non egeat...
Quis gremio Enceladi doctique Palæmonis affert,
Quantum Grammaticus meruit labor? & tamen ex hoc
Quodcunque eſt, minus eſt autem quàm Rhetoris æra,
Diſcipuli Cuſtos præmordet Acœnitus ipſe,
Et qui diſpenſat, frangit ſibi.

Profeſſoribus verò ſcholarum publicarum ſalaria de fiſco fuerunt attributa, primum à Ptolomæo Philadelpho Alexandriæ, vt ante docuimus: apud Romanos, à Veſpaſiano, teſte Suetonio. *Ingenia & artes*, inquit, *vel maxime fouit: primus è Fiſco Latinis Græciſque Rhetoribus annua centena conſtituit.* Hoc eſt aureos millenos, inquit Caſaubonus, noſtrâ verò monetâ aureos bis millenos & quingenos. De hoc Veſpaſiani inſtituto ſimiliter Euſebius ad an. 90. Chriſti *Quintilianus ex Hiſpania Calagorritanus primus Romæ publicam ſcholam & ſalarium à fiſco accepit.*

Quod autem Veſpaſianus Romæ inſtituit, id in prouinciis fecit Antoninus Pius ſic ſcribente Capitolino. *Rhetoribus & Philoſophis per omnes prouincias & honores & ſalaria detulit.*

Dio cum Capitolino conſentit, aiens Marcum Athenas profectum attribuiſſe profeſſoribus annua ſtipendia ἐτήσιον μισθὸν, ſcilicet mille drachmas ſingulis, vt ex Eunucho Luciani diſcimus; quas Philoſtratus ob id vocat τὰς ἐκ βασιλέως Μυρίας id. *Mille Drachmas Regias.* Μυρίαι autem ſingulæ ſummam efficiebant 40. ſeſtertiorum,

ſeſtertiorum, hoc eſt 400. aureorum; Monetæ verò noſtræ ſecundum ſupputationem Salmaſij 1000. Coronatos. At Tatianus in Oratione Apologetica aureos ſexcentos annuos, ſeu ſexagena millia nummûm fuiſſe dicit ſtipendium Rhetorum & Philoſophorum. *Veſtri*, inquit, *Philoſophi tantum à contemptu opum abſunt, vt ab Imperatore Romanorum nonnulli annuos aureos ſexcentos accipiant.* ὥςε παρὰ τοῦ Ρωμαίων βασιλέως ἐτησίους χρυσοῦς ἑξακοσίους λαμβάνειν τινάς. Quem locum explicans Caſaubonus ait notandam vocem τινάς. id. *nonnullos*, ex ea enim intelligi, celeberrimis tantum Doctoribus id datum Salarium. Conſtantius Cæſar eandem ſummam aſſignat Eumenio Rhetori & Rectori Scholæ Æduenſis. *Salarium te in ſexcenis millibus nummûm ex Reipub. viribus conſequi volumus, vt intelligas meritis tuis etiam noſtram conſtituere Clementiam.* Et ipſe Eumenius in Oratione Euchariſtica. *Salarium me liberaliſſimi Principes ex huius Reipub. viribus in ſexcenis millibus nummûm accipere iuſſerunt.*

Et licet ſæpe Reſpub. multis impenſis oneraretur, nunquam tamen Principes Doctoribus ſua ſalaria aut detrahi, aut imminui voluerunt. Nam vt nihil dicamus de Conſtitutionibus Theodoſianis & Iuſtinianæis, quibus expreſsè cauetur, vt Liberalium Artium Profeſſoribus mercedes & ſalaria reddantur; Athalaricus apud Caſſiodorum l. 9. Ep. 21. nullatenus acquieſcens Publicanorum nundinationi, qui prætexentes neceſſitatem Imperij & exhauſtum Ærarium detraxerant conſtituta & conſueta Profeſſoribus Salaria, Senatui mandat, vt nulla eorum habita ratione, curet ea exactè perſolui. *Nuper quorundam ſuſurratione cognouimus Doctores Eloquentiæ Rom. Laboris ſui conſtituta præmia non habere, & aliquorum nundinatione fieri, vt Scholarum Magiſtris deputata ſumma videatur imminui. Quapropter cum manifeſtum ſit præmium Artes nutrire, nefas iudicauimus Doctoribus adoleſcentium aliquid ſubtrahi, qui ſunt potius ad glorioſa ſtudia per commodorum augmenta prouocandi.... Quâ de re P. C. hanc vobis curam, hanc authoritatem propitiâ Diuinitate largimur, vt ſucceſſor Scholæ liberalium litterarum tam Grammaticus, quàm Orator, nec non & Iuris Expoſitor commoda ſui Deceſſoris, ab eis quorum intereſt ſine aliqua imminutione percipiat.*

Hæc autem Salaria geminâ penſione fuiſſe illis præſtita & numerata declarat paulo poſt; primâ quidem poſt ſex menſes ſuſcepti laboris: alterâ poſt annum. *Et ne aliquid pro voluntate præbentium relinquatur incertum, mox vt ſex Menſes exempti fuerint, ſtatutæ ſummæ mediam partem conſequantur prædicti Magiſtri mediam portionem: reſidua vero anni tempora cum Annonarum debitâ redhibitione claudantur.* Et paulò poſt, quàm id iuſtum ſit, ſic probat ab exemplo. *Nam ſi opes noſtras Scenicis pro populi oblectatione largimur, & ea ſtudioſè conſequuntur, qui adeo neceſſarij non habentur, quantò magis illis ſine dilatione præbenda ſunt, per quos & honeſti mores proueniunt, & Palatio noſtro facunda nutriuntur ingenia?*

Non obſtabat verò huiuſmodi Salarij penſitatio, quominus parentes erga Magiſtros præſtarent ſe liberales & gratos: vt ex loco præallato intelligitur; & ex Reſcripto Gratiani ad Antonium Præfectum Prætorio Galliarum, quo liberum relinquit cuique Ciuitati *ſuos Doctores & Magiſtros placito ſibi iuuare compendio.* Quinimo vt ſtipendij publici inſtitutio remedium fuit aduerſus paupertatem multorum ingenuorum, qui quod non poſſent mercedem profeſſoribus ſoluere, ad ſtudia ſe conferre non audebant, ita & aduerſus Diuitum malitiam, qui Magiſtros debito ſolatio defraudabant, ne vt ibidem ait Athalaricus, *de alieno cogerentur pendere faſtidio.* At nihil vetabat, quominus acciperent, ſi quid daretur honorarij loco & gratitudinis.

Hactenus de Mineruali Quæſtuoſo, nunc de Honorario breuiter agamus, quod *Honorariū.* in promotione ad honores Palatinos & Publicos, atque in immunitatibus conſiſtebat. Ipſa certè profeſſio per ſe honeſta ſemper habita eſt: quid enim eſt honeſtius, inquit Quintilianus l. 12. c. vlt. quàm docere, quod optimè ſcias? Sic ad ſe Cœlium deductum à patre Cicero profitetur. Sic Panſam, Hirtium, Dolabellam in morem præceptoris exercuit. Nec Conſtantius Dignitati Magiſtri memoriæ & libellorum ſupplicum derogari credidit, cum Eumenium Rhetorem ad reſumendam profeſſionem oratoriam & ſcholarum Æduenſium præfecturam induxit.

Iam verò quid dicemus de iis, qui è ſcholarum profeſſione ad ſupremos Reip.

Digitized by Google

pub. Magiſtratus honoreſque prouecti ſunt ? quorum tantus eſt numerus, vt nullâ quantumuis accuratâ & curioſâ diligentiâ iniri poſſit. Nam vt Othonem prætereamus, cui teſte Tacito l. 3. Ann. Litterarium ludum exercere vetus ars fuerat: Iulium Pertinacem, qui Grammaticam publicè profeſſus: Eugenium Rhetorem, qui Imperator conſalutatus, quis neſcit M. Antonium cognomento Philoſophum Iunio Ruſtico Profeſſori Rhetorices & præceptori ſuo binum Conſulatum detuliſſe, eique poſt obitum à Senatu ſtatuas poſtulaſſe ? quem Imperatorem legimus apud Capitolinum, tantùm honoris Magiſtris ſuis detuliſſe, *vt imagines eorum aureas in Larario ſuo haberet, ac ſepulcra eorum aditu, hoſtiis, floribus ſemper honoraret.* Quis verò enumeret quàm multi è Gallis noſtris ad ſupremas Dignitates promoti ſint, præter Eumenium, qui è Rhetoricâ profeſſione Magiſter ſacræ memoriæ factus eſt, & Auſonium, qui à Grariano ad Conſulatum aliaſque præfecturas euectus eſt ? Quis referat, quàm multi ſimiliter è Græcis ſuprema honorum Palatinorum & Imperij conſecuti ſint ! Anatolius cognomento Azutrio omnibus, vt ait Eunapius, Regiæ honoribus Muneribuſque perfunctus, demum Præfectus Prætorio conſtitutus eſt, qui Magiſtratus Imperatoria dignitas eſt ἡ δὲ ἀρχὴ βασιλεία ἐςὶν ἀπόρφυρος. Proæreſio ſtatua in foro decreta eſt, cum hac inſcriptione REGINA RERVM ROMA REGI ELOQVENTIÆ. Celſo, qui Romæ Profeſſionem publicam pollicebatur, procurat Symmachus apud Theodoſium l. 10. Ep. 18. locum inter Senatores. *Celſus*, inquit, *Archetymo patre, quem memoria litterarum Ariſtoteli ſupparem fuiſſe conſentit, Iuuentuti noſtræ Magiſterium bonarum Artium pollicetur, nullum quæſtum profeſſionis affectans. Atque ideo dignus in Ampliſſimum Ordinem cooptari, vt animum vitiis auaritiæ liberum Dignitatis præmio muneremur. Sunt huiusrei exempla nobilia, quæ prudens æmuletur imitatio. Nam & Carneadem Cyreneum, & Pœnum Clitomachum Athenienſis Curia ſocietate dignata eſt: itidem vt noſtri Zaleucum Legum Locrenſium Conditorem Ciuitate donarunt. Dignum eſt igitur æternitate numinis veſtri Celſum genere, eruditione, voluntate laudabilem adiudicare nobilibus cum pignore Dignitatis, cum prærogatiua ſcilicet Conſulari, ne ſumptum eius magis, quam Magiſterium quæſiſſe videamur.* Hinc Imperatorem vehementer laudat, quod tantum virum *Optimatem ſapientiæ Romanis Gymaſiis arrogaſſet.*

Priuilegia. Quod vero ad Priuilegia ſpectat & immunitates vacationeſque, fuſè de iis agunt Iureconſulti lib. 10. Cod. ad tit. 46. 47. 49. & 52. vna hæc Conſtantini conſtitutio ad Voluſianum ſufficiat. *Medicos & maximè Archiatros, vel ex Archiatris, Grammaticos & Profeſſores alios litterarum & Doctores Legum vna cum vxoribus & filiis, nec non & rebus quas in Ciuitatibus ſuis poſſident, ab omni functione, & ab omnibus muneribus, vel Ciuilibus vel publicis immunes eſſe præcipimus, & neque in prouinciis hoſpites recipere, nec vllo fungi munere, nec ad iudicium deduci*, id. Non alio trahi ad iudicium, *nec eximi vel exhiberi, vel iniuriam pati: vt ſiquis eos vexauerit, pœna arbitrio Iudicis plectatur: & Mercedes etiam eis & Salaria reddi iubemus, quo facilius Liberalibus ſtudiis & memoratis artibus multos inſtituant.*

Shcolaſtici. Diximus de Magiſtris. Nunc operæ pretium eſt nonnihil quoque dicere de Scholaſticis, quorum duplex cernitur in veteribus Academiis diuiſio. Vna ratione Gentis ſeu Nationis: altera ratione generis, ſeu ſortis & ſtatus. Prior inuenta ab Athenienſibus ob ingentem ſcholarium multitudinem ex omnibus orbis partibus confluentium, Aſiaticorum, Ægyptiorum, Scytharum, Græcorum, Latinorum, Gallorum moribus & linguis differentium: quos ad maiorem profectum Magiſtris ſuæ quoſque Nationis diuidebant. Id videtur innuere Gellius l. 18. c. 2. *conueniebamus ad eandem cœnam compluſculi*, inquit, *qui Romani in Græciam veneramus, quique eaſdem, auditiones eoſdem Doctores colebamus.* Ibi Gellius cum aliis Latinis audiuit Phauorinum Arelatenſem, qui è Gallia Athenas profectus fuerat: & Taurum philoſophum etiam Latino-græcum eò libentiùs, quod illi Latinè & Græcè loquebantur, ſeque eo modo ſuis Diſcipulis magis idoneos præſtabant ad docendum.

Mira autem erat, imo importuna in comparandis conquirendiſque ſcholaribus ſedulitas. Nam pro variis ſectis Philoſophi præſertim & Sophiſtæ ac Rhetores ſuos habebant Procuratores, quos vocabant τοὺς τῶν διατριβῶν προστάτας id. Scholarum Duces, qui tirones de nouo aduenientes, ad ſuum quiſque Collegium & Pro-

feſſorem deducere ſatagebant, etiam vi adhibitâ. Imo ipſas vrbes prouinciaſque exteras præoccupabant teſte Gregorio Naz. in Orat. de laudibus Baſilij. Vbi de Procuratoribus illis loquens qui in id incumbebant, vt Scholæ Magiſtrorum ſuorum numero Diſcipulorum creſcerent locupletioreſque fierent, *ea res*, inquit, *vehementer abſurda eſt. Præoccupantur vrbes, viæ, portus, ſumma montium, planities, ſolitudines, omnes; denique Attica & reliquæ Græciæ partes, atque adeo incolarum permulti: nam & illos quoque in partes ac ſtudia diſtractos habent.* Ita Libanius adoleſcens exceptus à Diſcipulis Diophanti, & ad eum perductus, qui ſi ſponte ſua Doctorem eligere potuiſſet, ad Proæreſium, vel ad popularem ſuum Epiphanium ſe contuliſſet, vt legitur apud Eunapium.

Inter iſtas autem Factiones ſæpe rixa cædeſque oriebantur, dum adoleſcentes aduenientes alij alio diſtrahebantur; hincque tota Ciuitas turbabatur; inſurgentibus in Scholaſticos proteruos Ciuibus, & Scholaſticis in Ciues: vt accidit tempore Iuliani Sophiſtæ, quo Sophiſtarum nemo in publicum aliquandiu prodire auſus eſt, tanta fuit tamque vehemens ſeditio inter Ciues & adoleſcentes, vt docet Eunapius in eius vita. Nec minor accidit eo defuncto: quippe cum de ſucceſſore deligendo ageretur, & plurimi docendæ Sophiſtices munus ambientes nomen ſuum profeſſi fuiſſent, vrbs in contraria ſtudia diuiſa eſt; donec tandem iſti quatuor, Proæreſius, Hephæſtion, Epiphanius & Diophantus, veluti præſtantiores communibus omnium ſuffragiis delecti ſunt & comprobati. Atque ne deinceps factionum illarum occaſione turbæ exurgerent, ſingulis aſſignatæ ſunt Nationes, & ex illis Nationibus quotquot aduenirent Scholaſtici. Itaque totus Oriens ceſſit Epiphanio. Diophantus Arabiam ſortitus eſt. Hephæſtion Atticam; ſed breui exceſſit. Proæreſius Pontum, Bityniam, Helleſpontum, Lydiam, Cariam, Pamphyliam, Ægyptum & Libyam. Et quam quiſque partem accepit, veluti Magiſtratum quendam reputauit, καθάπερ τι γέρας inquit Eunapius in Proæreſio: qui de hac re ſic habet.

ἡ μὲν γὰρ ἑώα καθάπερ τι γέρας Ἐπιφανίῳ σαφῶς ἐξῄρητο· τὴν δὲ Ἀραβίαν εἰλήχει Διόφαντος. Ἡφαιστίων δὲ καταδείσας Προαιρέσιον ἀπῆλθεν ἐξ Ἀθηνῶν τε καὶ ἀνθρώπων. Προαιρεσίῳ δὲ ὁ πόντος ὅλος, καὶ τὰ ἐκείνῃ προσοικα τοὺς ὁμιλητὰς ἀνέπεμπεν, ὥσπερ οἰκεῖον ἀγαθὸν τὸν ἄνδρα θαυμάζοντες· προσετίθει δὲ καὶ Βιθυνία πᾶσα καὶ Ἑλλήσποντος id. *Orientem quidem veluti Magiſtratum aliquem aut Præmium Epiphanius delegit. Diophantus Arabiam ſortitus eſt. Hephæſtion reueritus Proæreſium abiit Athenis & homines reliquit. Proæreſio Pontus vniuerſus & finitimæ Gentes Diſcipulos ſubmiſere, virum illum tanquam vernaculum, bonum & apud ſe natum admiratæ. Adiunxit ſe illi cum tota Bithynia Helleſpontus.*

Ex his & ſequentibus apud Eunapium, liquet Academiam Athenienſem tunc fuiſſe diuiſam in 4. primarias Nationes, ſingulas verò earum multas continuiſſe & complexas fuiſſe prouincias. Puta Syriacam ſeu Orientalem, cuius Princeps erat Epiphanius è Syria oriundus, continuiſſe Syriam, Armeniam, Perſidem, Indiam &c. Arabicæ, quæ Diophanto Arabi ceſſerat, adiunctas fuiſſe tres Arabias & totam illam plagam: Atticæ, quæ Ephæſtioni obtigerat, totam Græciam; Ponticæ omnes illas Gentes & Prouincias, quas enumerat Eunapius, quaſque ait Proæreſio ex Armenia Pontica oriundo obueniſſe.

Hac ratione putarunt Athenienſes ſe ſatis prudenter occurriſſe turbis & rixis, quæ ex eiuſmodi ſcholaſticorum extraneorum conquiſitione & deductione oriebantur: quippe futurum arbitrati, vt vnuſquiſque nouus ſponte & liberè ad profeſſorem ſe conferret ſuæ quiſque Nationis. Verum quam difficile ſit conſuetudinem antiquam præſertim ludicram & delectabilem ex iuuenum animis eradicare, probauit euentus. Nam Libanius adoleſcens Antiochenus & Syrus paulo poſt Athenas profectus, inſidiis exceptus Diſcipulorum Diophanti Arabicæ Nationis Principis, ad eum deductus eſt, qui ad Epiphanium vt ad popularem ſe contuliſſet, ſi ei licuiſſet. Quæ praua conſuetudo multos deterrebat à Scholis Athenienſibus, vt nihil dicamus de ludicra deductione ad Balnea, deque ſumptu & conuiuio, quod Scholæ Procuratori & deductoribus apparare tenebantur. Nam initio Nouus ſeu Tiro pendebat tantummodo nouem obolos ad vnguenta, coronas, ſacrificia, ad ſuſtinendam Muſarum ſeu Scholæ Procuratoris & Ducis dignitatem *δαπάνας φανερὰς εἰς τοὺς τῶν ἀγελαρχῶν προστάτας*,

vt legitur apud Athenæum l. 22. Verum abiit tandem iſte iocundus aduentus, ſeu ius, quod pro eo penſiare neceſſe erat (Ius Bejaunij Maiores noſtri vocaue. runt) abiit inquam in ſumptus immodicos, primuſque Lycon contemptis legibus ſumptuariis, in Peripato opiparam cœnam exhibuit tanta cum oſtentatione, & pompa, vt nemo non execraretur & ipſum & Athenas, quæ tam immodicos ſumptus fieri paterentur, vt refert idem author l. 12. c. 25. Et iſte Lycon factus ſuo tempore Muſatum Procurator τῶν ἀγωνοθετῶν τεχνιτῶν, in loco Ciuitatis celeberrimo, in Cononis ædibus Triclinium cum 20. lectis ſtratis parauit ad faſtum & arrogantiam. Hæc & plura Athenæus.

Hunc tandem inſanum morem ſuſtulerunt Imperatores Romani, extatque in hanc rem Conſtitutio l. 3. Cod. de Veteri iure enucleando, & in Cod. Theod. l. 1. De Studiis liberalibus Vrbis Romæ. Hoc autem modo rem peragi voluerunt, vt legitur in Reſcripto Valentiniani ad Olibrium Præfectum Vrbis.

1. Enim Scholaſtici antequam è patria pedem efferrent, adibant Magiſtrum Cenſus Prouincialium Iudicum & ab eo litteras ad Præfectum Vrbis obtinebant, in quibus exprimebatur nomen, oppidum, natales, ne parentibus inuitis digreſſi viderentur, vtque Romæ Magiſtros idoneos & ſuæ certæ Gentis nanciſcerentur. *Quicumque ad vrbem diſcendi cupiditate veniunt, primitus ad Magiſtrum Cenſus Prouincialium iudicum, à quibus copia eſt danda veniendi, eiuſmodi litteras proferant, vt oppida hominum & Natales & merita expreſſa teneantur.*

2. His muniti litteris Romam ibant, traditiſque Præfecto vrbis & Magiſtro Cenſus declarabant, quâ potiſſimum in facultate ſtudere vellent. Tum ille in Album ſeu Matriculam referebat eorum nomina, vt hoc pacto ſciret quinam homines & ex qua Gente, quibuſue ſtudiis vacaturi eſſent. *Deinde vt in primo ſtatim profiteantur introitu, quibus potiſſimum ſtudiis operam nauare propenant.*

3. Idem Magiſter Cenſus per ſe vel alium luſtrabat hoſpitia ſtudentum, inquirebatque, num ſedulò ſtudiis vacarent, eique facultati, quam initio profeſſi fuerant, incumberent; an cœtus & quaſdam conſociationes facerent, an ludos & ſpectacula frequentarent. 3. *Vt hoſpitia eorum ſolicitè Cenſualium norit Officium: quò ei rei impertiant curam quam ſe aſſeruerint expetiſſe. Iidem immineant Cenſuales, vt ſingulis eorum tales ſe in Conuentibus præbeant, quales eſſe debent: qui turpem inhoneſtamque famam & conſociationes, quas proximas putamus eſſe criminibus, æſtiment fugiendas: neue ſpectacula frequentius adeant, aut appetant vulgò intempeſtiua conuiuia.*

4. Si quem inueniebat aduerſus præſcriptas leges peccantem, nec officio fungentem, idem Imperator voluit, vt publicè caſtigaretur, & ex vrbe expelleretur. *Quinetiam tribuimus poteſtatem, vt ſi quis de his in vrbe ſe ita non geſſerit, quemadmodum Liberalium Rerum dignitas poſcat, publicè verberibus affectus, ſtatimque nauigio ſuperpoſitus abyciatur Vrbe, domumque redeat.*

5. Idem Imperator Præfecto vrbis mandauit, ne pateretur Iuuenes vltra 25. ætatis annum in ſtudiis commorari, niſi forte neceſſitas exigeret: quo pacto volebat inertes & ignauos atque perditos ganeones, qui vt alios corrumperent, ſæpe in Academiis remanebant, expelli. *His ſane, qui ſedulò operam Profeſſionibus nauant, vſque ad 25. ſuæ ætatis annum Romæ liceat commorari. Poſt id verò tempus, qui neglexerit ſponte remeare, ſolicitudine Præfecturæ etiam impurius in patriam reuertatur.*

6. Voluit confici ſingulis menſibus à Magiſtro Cenſus Matriculam ſeu Catalogum tum Nouitiorum, tum eorum qui ſtudiorum curſum abſoluiſſent, quos in vrbe remanere nolebat, niſi forte Academicis oneribus eſſent adſtricti. *Verum ne hæc perfunctoriè fortaſſe curentur, Perceſſa ſinceritas tua Officium Cenſuale commoneat, vt per ſingulos menſes, qui vel vnde veniant, quiue ſint pro ratione temporis ad Africam, vel ad cæteras prouincias remittendi, Breuibus comprehendat. His duntaxat exceptis*, QVI CORPORATORVM *ſunt oneribus adiuncti.* Hoc eſt ſine dubio, præter eos qui de corpore ſunt Academiæ, eiuſque oneribus adſtricti.

7. Voluit Breues eiuſmodi ſeu Matriculas ad ſe mitti, vt agnito vniuſcuiuſque Scholaſtici merito, in Imperij adminiſtratione eo vti poſſet, quo modo mirifice accendit adoleſcentum animos ad ſtrenue ſtudendum. *Similes autem*

Breues ad Scrinia manſuetudinis noſtræ annis ſingulis dirigantur: quo meritis ſingulorum inſtitutionibuſque compertis vtrum quandoque nobis ſint neceſſarij, iudicemus.

Porro Scholaſtici cuiuſcumque Nationis eſſent, triplicis omnino generis fuiſſe videntur apud Veteres, nimirum Externi, Conuictores & Alimentarij. Circa externos non moramur, & alios ex aliis hoſpitiis Collegia ſeu Scholas frequentantes, quos certum eſt fuiſſe magno numero.

Conuictores autem ſic diſtinguimus ab Alimentariis, vt diuites à pauperibus, quod illi propriis, iſti alienis ſumptibus & impenſis in ſtudio alerentur. Negari certè non poteſt, quin vel profeſſores, vel Gymnaſiarchæ Contubernium habuerint ingenuorum adoleſcentum, quemadmodum hodie vulgo vſurpari ſolet. Neminem Pythagoras qui non eſſet apud ſe conuictor, in ſcholam ſuam admittebat, teſtis Aulus Gellius *Sed id*, inquit, *prætereundum non eſt, quod omnes ſimul, qui à Pythagora in cohortem illam Diſciplinarum recepti erant, quod quiſque familiæ pecuniæque habebant, in medium dabant. Et coibatur ſocietas inſeparabilis, tanquam illud fuerit antiquum Conſortium, quod in re atque verbo Romano appellabatur* K.. :6.9. Conuictores

Charondas Legiſlator apud Thurios voluit vt Ciuium liberi omnes in ipſo Ludo ſeu Collegio inſtituerentur, conductis ad id mercede & ære publico præceptoribus, teſte Diodoro l. 12. vtque plures vnius Magiſtri curæ & Diſciplinæ mandarentur, qui ſimul Magiſter eſſet & Comes; ſicut de Thuſcis & Maſſilienſibus traditur. Ait quoque Suetonius lib. de Illuſt. Rhetorib. cap. 6. C. Albucium Silonem Nouarienſem receptum fuiſſe in Planci Oratoris Contubernium, breuique ipſi Planco ſilentium impoſuiſſe. Et Seneca Ep. 6. ad Lucilium præclare docet conuictum formandis moribus plus prodeſſe quam ſcholam ipſam. *Plus tibi viua vox & conuictus, quàm oratio proderit: in rem præſentem venias oportet. Primum quia homines amplius oculis quàm auribus credunt, deinde quia longum eſt iter per præcepta, breue & efficax per exempla. Zenonem Cleanthes non expreſſiſſet, ſi eum tantummodo audiſſet. Vita eius interfuit, ſecreta proſpexit, obſeruauit illum, an ex ſua formula viueret. Plato & Ariſtoteles & omnis in diuerſum ituri ſapientum turba plus ex moribus, quàm ex verbis Socratis traxit. Metrodorum & Hermachum & Polienum magnos viros non ſchola Epicuri, ſed contubernium fecit.*

Nec prætereundum, quod dum cœnabant Conuictores, ſolebat aliquis eorum, aut ſeruus è ſuggeſtu vel menſæ aſſiſtens legere Græcarum aut Latinarum aliquid: cumque ſi quid occurreret difficultatis, magiſtri explicabant, Conuictores interrogabant, & Quæſtiones proponebant. Teſtis Gellius l. 3. c. 19. de Contubernio Phauorini Arelatenſis in Athenienſi Gymnaſio publici profeſſoris. *Apud cœnam Phauorini Philoſophi cum diſcubitum fuerat, cœptuſque erat apponi cibus, ſeruus aſſiſtens menſæ eius legere inceptabat aut Græcarum quid litterarum, aut Noſtratium. Velut eo die quo aſſui legebatur C. Baſſi eruditi viri liber de origine verborum... Tum Phauorinus, vbi hæc audiuit, ſuperſtitioſè, inquit, hæc... Et l. 9. c. 19. Sicut nuperrime apud menſam cum legerentur vtraque ſimul Bucolica Theocriti & Virgilij.*

Quod verò attinet ad Scholaſticos Alimentarios, quos hodie vulgo *Burſarios* appellamus, id fuiſſe videtur inſtitutum à Ptolomæo illo Muſæi Alexandrini Conditore, qui non modò Præceptores ſumptibus Regiis vndequaque euocauit, ſed eoſdem eum iuuenibus bonarum artium ſtudioſis ad neceſſarios Reipub. vſus publicis impenſis ali voluit: vnde Thimon Phliaſius apud Athenæum Iuuenes illos auibus comparat pretioſiſſimis, quæ in Cauea paſcuntur. Apud Romanos Nerua, teſte Eutropio pueros & puellas egenis natos parentibus publico ſumptu per Italiam ali & inſtitui iuſſit. Traianus Neruam imitatus, vt legitur apud Aurelium Victorem, quinque mille adoleſcentes bonæ indolis ex omni Imperio ſelectos publicè ali & parentis affectu paribus diſciplinis erudiri curauit. Adrianus quoque incrementum liberalitatis adiecit pueris ac puellis, quibus Traianus alimenta detulerat, inquit Spartianus. Plinius in panegyrico Traiani meminit huiuſce Liberalitatis his verbis. *Paulominus P. C. 5000. ingenuorum fuerunt, quos Liberalitas Principis noſtri conquiſiuit, inuenit, adſciuit. Hi ſubſidium bellorum, ornamentum pacis publicis ſumptibus aluntur, patriamque non vt patriam tantum, verum vt altricem amare condiſcunt. Ex his Caſtra, ex his Tribus replebuntur, ex his aliquando naſcentur, quibus alimentis opus non ſit.* Burſarij.

K iij

Digitized by Google

Immortale principis ſui factum imitatus Plinius Secundus non ludos aut gladiatores, ſed annuos ſumptus in alimenta ingenuorum dedit, prouiditque, vt ex reditu agri quem Actori publico mancipauerat & impoſito vectigali receperat, pauperes pueri & ingenui alerentur atque educarentur. Cuius rei extat memoria apud Mediolanum in lapide vbi hæc verba leguntur. HOC AMPLIVS DEDIT IN ALIMENTA PVERORVM ET PVELLARVM PLEB. VRBANÆ HS. CCC. IN TVTELAM BIBLIOTHECÆ HS. C. addit Cataneus in notis ad Ep. 8. l. 1. extare adhuc huiuſce Plinianæ liberalitatis veſtigium Comi, vnde ipſe originem duxerat. Ipſe verò de hoc ſuo facto ſic ſcribit ad Caninium Ep. 18. l. 7.

Equidem nihil commodius inuenio, quàm quod ipſe fecit. Nam pro quingentis millibus nummûm, quæ in alimenta ingenuorum ingenuarumque promiſeram, agrum ex meis longè pluris Actori publico mancipaui: eundem vectigali impoſito recepi ccc. millia annua daturus. Deinde hæc aurea verba ſubiungit; *nec ignoro me plus aliquanto quam donaſſe videor, erogauiſſe, cum pulcherrimi agri pretium neceſſitas vectigalis infregerit. Sed oportet priuatis vtilitatibus publicas, mortalibus aternas anteferre; multoque diligentius muneri ſuo conſulere, quàm facultatibus.*

Hæc Laudabilia Exempla imitati ſunt deinde Principes Chriſtiani vbique paſſim. Alexius Comnenus Muſæum inſtituit, in quo pueros iubebat erudiri pecuniâ ex Regio vectigali datâ. Victor III. Pontifex Max. Grammaticorum ſcholam, in quâ publicè docerentur pauperum liberi, conſtituto tam Magiſtris & pædagogis, quàm Diſcentibus ad victum vectigali: teſte Zonara. quid vero Reges Franciæ præſtiterint, dicetur in Hiſtoria.

Digitized by Google

DE
SCHOLIS COENOBIALIBVS ET EPISCOPALIBVS.

HACTENVS de Scholis, ſeu Accademiis à veteribus Gallis & à Romanis inſtitutis egimus. Nunc tertium ſcholarum genus longè à prioribus diuerſum, quod eſt Cœnobialium & Epiſcopalium, ſe ſe nobis offert examinandum. Quandiu Romani Gallias rexerunt, ſatis belle & feliciter cum litteris actum eſt: vt enim erant bonarum artium amantiſſimi, amabant quoque earum cultores: honoribus, beneficiis & opibus cumulabant: atque idcirco florebant illæ, erantque in pretio, & honore alebantur. At poſtquam à Barbaris expulſi ſunt, in Gallias magno impetu exundantibus, & ab ijs occupatæ vrbes primariæ, cum deſierunt præmia ſtudioſis retribui, deſierunt & artes exerceri. Quis enim virtutem amplectitur ipſam, inquit Iuuenalis, præmia ſi tollas? Et quia pluscæteris Galliarum Prouincijs Aquitania & Narbonenſis optimarum artium exercitio florebant, primæ quoque earundem cladem ſenſerunt & viderunt occupatæ à Gothis & Wiſigothis ab anno circiter 419. & iiſdem ſubditæ per 80. & amplius annos. Ita vt iam temporibus Sidonii Apollinaris circa an. ſcilicet 470. omnis pœne germana latinitas multis in locis exularet. Quanquam ille & nonnulli alij nobili ardore & ſtudio ducti diſcedentes Muſas retinere conarentur, & reuera aliquandiu retinuerint.

Verum ſuccreſcentibus bellis inter Romanos, Gothos, Francos, Vandalos & Gallos, & Romanis tandem ex omni Galliarum parte depulſis, Gothis verò ex Aquitania, quam occupauerant, Franci victoriâ & imperio Gallicano potiti, homines rudes & ignari litterarum, pluſque armis confiſi quàm artibus, vt pote qui partum armis Regnum, iiſdem tueri conabantur; publicam illam, quæ ante viguerat litterarum profeſſionem vaneſcere, imò pœne extingui paſſi ſunt in plurimis locis ſummo Reipub. Chriſtianæ detrimento.

Tum verò veriti proceres Eccleſiaſtici, ne ſublatis litteris fides Catholica vacillatura eſſet, ſcholas in omnibus paſſim Epiſcopiis ad Clericorum ſaltem inſtructionem inſtituere cœperunt. Opportunè quoque iiſdem temporibus Benedictus Ordinem ſuum inſtituit, & propter innumerabilem hominum ad eum confluentium multitudinem, vbique paſſim Cœnobia erexit & in Cœnobiis ſcholas priuatas ad Monachorum inſtructionem, quas deinde neceſſitate cogente publicas facere & externis atque Laicis aperire coacti ſunt: quo argumento vtebantur olim Dominicani aduerſus M. Guillelmum de S. Amore & Academicos Pariſienſes, cum eis obiiciebatur nimio ſtudio & ambitione affectata publicè docendi profeſſio.

Eodem & Ieſuitæ cum initio ſui Inſtituti Scholas habere prohiberentur. Qua de re ſic ſcribit Ribadeneira l. 2. vitæ Ignatianæ c. 24. *Quod præclarum inuentum imitatus eſt B. Benedictus Monachorum & ipſe in Occidente parens, qui*

pueros in Cœnobiis educabat, informabatque ad pietatem, ad eum ferme modum, quo Societas noſtra in quibuſdam Collegiis ſeparatim nunc facit: ſic Placidum & Maurum puerulos à B. Benedicto receptos legimus, & omni genere virtutum excultos atque perfectos. Quæ conſuetudo diu poſtea tenuit. Nam D. Gregorius Anglos pueros magnâ diligentiâ conquiri iubebat & in ſui Ordinis Cœnobiis ali atque educari. Et D. Thomas Aquinas longo poſt tempore in Caſſinenſi Monaſterio à puero inſtitutus eſt. Neque vero pueros fingebant Monachi S. Benedicti ad omnem tantummodo virtutis laudem, ſed etiam Diſciplinis & omni ſcientiarum genere inſtruebant. Nam & in Germania & in Gallia & in Anglia magna cum laude docuerunt, authore & principe huius Inſtituti venerabili Beda, qui ante annos 800. in Anglia docuit & ſchola præfuit.

Sed omnium curioſiſſimè & diligentiſſimè rem iſtam examinauit Trithemius in Chronico Hirſaugienſi & alibi paſſim, vbi air Benedictinos ab omni æuo ad Litterarum profeſſionem ſe contuliſſe, duplicesque ſcholas inſtituiſſe: in minoribus quidem Monaſteriis *Minores*: in Maioribus verò & Locupletioribus *Maiores*, & in his omnium Diſciplinarum emporium arque profeſſionem: arque ad has confluere ſoliros ex toto orbe Monachos, qui deinde ad Epiſcopia, & ad alias Eccleſiæ dignitates promouebantur. In illis porro Maioribus vnum aliquem doctrinâ & ſolertiâ præcellentiorem rei Scholaſticæ præfectum fuiſſe, qui non modo docebat ipſe, ſed & curabat vt alij Commonachi litterarum profeſſioni addicti ſuum in docendo Munus exequerentur. audiamus ipſum. Sic ergo habet in Chronico Hirſaug. *In omnibus Ordinis noſtri Cœnobiis in Germania & Gallia maximè Monachorum Scholaſtici ex Monachis habebantur, qui Iuniores quoſque & ingenio præſtantes in primitiuis litterarum ſcientiis erudirent, & poſtea qui habiles inuenti fuiſſent, ad altiora tranſmitterent.* En Minores Monachorum Scholas, ſubiungit de Maioribus. *In ſolis autem famoſioribus Cœnobiis, quibus & abundantia rerum temporalium erat copioſior & Monachorum numerus maior, conſtituebantur ad officium docendi alios Monachi omnium doctiſſimi, & non ſolum in Diuinis, ſed etiam in ſecularibus litteris eruditi, ad quos mittebantur Monachi altioribus Diſciplinis inſtituendi.* Inter Maiora vero Cœnobia commemorat hæc præſertim Fuldenſe, Sangall. S. Dionyſii Pariſienſe, Turonenſe, Antiſſiodorenſe &c.

Cum autem hæ ſcholæ Monachis & Oblatis ſolummodo edocendis inſtitutæ fuiſſent, quia tamen Epiſcopi & alii Eccleſiarum prælati ſuas exercère neglexerunt, aut exerceri non curarunt, nec habebant Laici & ſeculares quo liberos ſuos commodè mittere poſſent ad eruditionem, eos præſertim, quos Eccleſiaſticis Ordinibus deſtinabant, proceſſu temporis intra ipſa Monaſteria recipi & hoſpitari poſtularunt, aut ad Cœnobiales Scholas Externos miſerunt. At Monachi veriti, ne ſi Seculares Regularibus miſcerentur, in Monaſticum ordinem confuſio & peruerſitas irreperet, duplices ſcholas exercitio litterarum addixerunt: interiores quidem Cœnobitis inſtituendis, exteriores vero Secularibus edocendis. de vtriſque clarè Enkexardus Monachus in lib. de Caſibus S. Galli c. 1. *traduntur*, inquit, *poſt tempus Marcello ſcholæ Clauſtri cum Notkero poſtea cognomine Balbulo & cæteris Monaſtici habitus pueris. Exteriores autem id. Canonicæ, Iſoni cum Salomone & eius Comparibus.* Quæ verba referens & expendens Fileſacus in lib. de Sacrâ Epiſcoporum authoritate c. 15. ſubdit. *Sed hinc diſcimus Clauſtrales iſtas ſcholas in intimis Monaſterii penetralibus conſtitutas fuiſſe, alias vero extra Monaſterium.*

Tales quoque fuerunt ſcholæ S. Benedicti ad Ligerim ſeu Floriacenſes, nimirum interiores & exteriores: ad has verò miſſus eſt Abbo filius Ciuis Aurelianenſis, vt in eius vita apud Aimonium legitur c. 1. *talibus ergo Abbo*, inquit *ortus parentibus in Floriacenſi Monaſterio Scholæ Clericorum Eccleſiæ S. Petri obſequentium traditur litteris imbuendus.* Et has ſcholas ait Ioannes de Boſco in Bibliotheca Floriacienſi, plus quinque millibus ſcholaſticorum olim abundaſſe. Sed de his alias.

Porro in illis Maioribus Cœnobiis toti rei Scholaſticæ vnum aliquem Monachum præfuiſſe nomenque Scholaſtici habuiſſe, teſtis eſt idem Trithemius, *è quorum Collegio*, inquiens, *in ſingulis Cœnobiis maioribus vnus cæteris in ſcien-*

ila ſcripturarum excellentior Scholaſticus ponebatur. Quod ſiquem non habebant idoneum, quem aliis præficerent, aliunde, hoc eſt ex aliis Monaſteriis euocabant eodem teſte. *Quoties autem idoneum ad hanc ſubeundam prouinciam in ſuo Cœnobio Monachorum Abbas minimè haberet, de aliquo alio Monaſterio petere aptum non erat verecundum. Maximum enim dedecus indicabat dociles animos Monachorum negligere, quos vt moribus & litteris bene inſtituere poſſent, nullis laboribus, nullis parcebant impenſis. Sic namque doctiſſimus ille Gemblacenſis Monachus Sigebertus multo tempore in Cœnobio S. Vincenty Metenſis Monachorum præceptor, quanquam de alio Monaſterio fuit. Ita Strabus Monachus Fuldenſis in Hirsfeldia; Notgerus S. Galli in Stabulenſi, Albinus Monachus Anglus in Fulda, Milo S. Amandi in Corbeia, atque alij complures in aliis Monaſteriis docendi ad tempus tenuerunt Officium.*

Imo nonnunquam ſi deeſſent Monachi ſatis periti, è ſecularibus aſſumebantur, qui id muneris præſtarent. Refert enim Hedio l. 6. c. 9. Hiſtor. Eccleſ. *Doctos viros è Græcia in Galliam veniſſe, & à Pipino ac Carolo M. in Monaſteria miſſos eſſe, vt Græcam linguam docerent Monachos: atque ita Ægidium in Galliis, Apollonium Ratisbonæ in Cœnobio Hemerani, Vergilium apud Salzburgenſes inclaruiſſe*: Hæc de Scholis Cœnobialibus.

Quod ad Scholas Epiſcopales ſpectat, non eſt dubium, quin antiquiſſimæ ſint, vt pote tum inſtitutæ, cum Eccleſia liberior eſſe cœpit in exercitio Chriſtianæ religionis. Et in iis non modo profeſſores ab Epiſcopis aduocatos, ſed Epiſcopos etiam ipſos docuiſſe legimus: vt videtur innuere Syneſius Ptolemaidis Cyrenaicæ Epiſcopus Ep. 57. contra Andronicum, quo loco Epiſcoporum facta improbans, qui ſe negociis temporalibus applicabant, ait de ſe ipſo: *ſed quemadmodum nec Philoſophus fui publicus, neque theatri ſpectaculis deditus, neque ludum litterarium aperui.* Quaſi dicat ſe non exercuiſſe ſcholas publicas ad oſtentationem & gloriæ aucupium, vt multi facere ſolebant. Id tamen poſtea prohibitum fuit, legimuſque à Gregorio Pontif. Max. quendam Epiſcopum obiurgatum fuiſſe, quod Grammaticam profiteretur. *Scholæ Epiſcopales.*

Itaque, vt Epiſcopi ſe totos Eccleſiæ regimini traderent, ſuis ſcholis viros doctos præfecerunt, qui futuros Chriſti milites ſeu Clericos inſtituerent liberalibus Diſciplinis, dum ipſi Paſtorum officium agerent, ſacriſque concionibus vacarent. Quod inſtitutum in Eccleſia Alexandrina viguit maximè, vbi teſte Euſebio functi ſunt eo munere Pantænus, Origenes, Achillas, aliique viri doctiſſimi; Epiſcopi verò Gymnaſij Moderatores erant & profeſſorum Coryphæi. Antiochenæ quoque ſcholæ præfuit Malchion, eodem Euſebio teſte. Et hoc inſtitutum conſtituendis in ſingulis Epiſcopiis Scholarchis, qui ſub Epiſcopo ſcholas regerent, occaſionem dediſſe communis fert ſententia.

Renatus Choppinus l. 1. de Sacra Politia originem huius rei repetit à D. Paulo his verbis. *Paulus ille magnus Eccleſiæ propugnator & diuinitus electum Organum Euangelicæ Philoſophiæ refert alios eſſe in Eccleſia doctores, & paſtores alios, nonnullos Miniſtros inferiores Epheſ. 4. Ex quo antiquitus prodiere Eccleſiaſticæ ſcholæ ad Clericorum cæterorumque Egentium eruditionem. Quibus litterariis Gymnaſits præficiebantur viri lectiſſimi, qui non Theoſophiam modò, ſed Grammoticam quoque & humaniores Diſciplinas edocerent. Vetuſtæ huius conſuetudinis in Alexandrina Eccleſia meminit Euſebius l. 5. ſacræ Hiſtor. c. 10. quâ in Eccleſia functos eo profeſſionis munere Achillam, Pantænum & Origenem ſcriptum eſt ab Eugenio ipſo* l. 6. c. 3. & l. 7. c. 29. *Vnde continuus fuit hic & ad longas ætates mos perductus, vt à Presbyterorum Collegio pueris erudiendis functio mandaretur Litterato Gymnaſiarchæ, illiuſque officio incumbebat proſpicere, vt politiori doctrinâ iuuentus imbueretur. Can. de Quibuſdam 37. diſtin. qui deſumptus eſt è ſacra Synodo Eugenij 1. PP. Hodie etiamnum in Cathedrali quolibet ſacerdotum Cœtu Scholiarchos videmus Ludo Litterario præpoſitos, qui Doctores elegantiorum artium ſeligant, cæteraque Muſæi publici commoda promoueant. Imo & ſacram hanc dignitatem eſſe in Pontificoli templo quolibet notat Innocentius III. Moguntinenſi reſcribens Studiorum Præfecto.*

Vt autem tum ſcholæ illæ facilius exercerentur, tum Epiſcopi & Canonici decentius & religioſius viuerent, inſtitutum eſt regnante in Francia Pipino, vt more Cœnobitarum iuxta Clauſtri ſepta commorarentur & conueſcerentur. In eam rem à Pipino Romam miſſus eſt ad Stephanum Papam Chrodegangus

Digitized by Google

olim in Palatio Caroli Martelli eruditus, deinde Referendarius, tum vero Epiſcopus Metenſis: iſque effecit vt Stephanus in Franciam veniret. Qui ſalutato Pipino, aliquandiu in Abbatia San-Dionyſiana commoratus præclaram illam Conſtitutionem Clauſtralem edidit, teſte Paulo Warnefrido Diacono Foro-Iulienſi lib. de Epiſcopis Metenſibus, vbi de Chrodegango verba faciens, *Is*, inquit, *in Palatio maioris Caroli ab ipſo enutritus eiuſdemque Referendarius extitit, ac demum Pipini Regis temporibus Pontificale decus promeruit.* (an. 743.) *fuit autem omnino clariſſimus omnique nobilitate coruſcus, forma decorus, eloquio facundiſſimus, tam patrio quàm Latino ſermone imbutus, ſeruorum Dei nutritor, orphanorum viduarumque non ſolum altor ſed & clementiſſimus tutor. Cumque eſſet in omnibus Locuples à Pipino Rege omnique Francorum Cœtu ſingulariter electus Romam directus eſt, Stephanumque venerabilem Papam, vt cunctorum vota anhelabant, ad Gallias euocauit. Hic Clerum adunauit & adinſtar Cœnobij intra Clauſtrorum ſepta conuerſari fecit, normamque eis inſtituit, qualiter in Eccleſia militare deberent, quibus annonas vitaque ſubſidia ſufficienter largitus eſt, vt perituris vacare negotiis non indigentes, Diuinis ſolummodo Officiis excubarent. Ipſumque Clerum abundanter Lege Diuina, Romanaque imbutum Cantilena morem atque Ordinem Rom. Eccleſiæ ſeruare præcepit: quod vſque ad id tempus in Metenſi Eccleſia factum minimè fuit.*

Quæret iam Curioſus aliquis, quo loco eſſent illæ Scholæ conſtitutæ & quomodo regerentur. De loco, hoc legendo accepimus, conſtitutas fuiſſe in inferiori Baſilicæ naui, vel in Atrio ſeu in aliquo Conclaui atrij iuxta Canonem 23. Concilij Toletani 4. habiti circa annum Chriſti 624. in quo hæc habentur verba. *Quicumque in Clero puberes aut adoleſcentes exiſtunt, omnes in vno conclaui atrij commorentur, vt lubricæ ætatis annos non in Luxuria, ſed in Diſciplinis Eccleſiaſticis agant deputati probatiſſimo ſeniori, quem & Magiſtrum Doctrinæ & teſtem vitæ habeant.*

Hinc ab edocendis Paruis locum illum, ſeu Atrium volunt aliqui vocatum fuiſſe PARVIS, cuiuſmodi eſt Atrium Baſilicæ Pariſienſis, quod vulgò dicitur *le Parvis Noſtre-Dame.* Et Mathæus Pariſienſis ad an. 1250. Vbi de quibuſdam exactionibus Legatorum Apoſtolicorum in Francia loquitur, deque miſerrimo quodam Magiſtro Clericorum, qui pendere tributum cogebatur. *Pro illa ſubſtantiola perſoluenda*, inquit, *cogebatur ille pauperibus multis ædibus Scholas exercens venditis in Paruiſio libellis vitam famelicam & Codrinam protelare.* Quæ verba explicans Iacob. Watſius in Gloſſario, *Sanè*, inquit, *aliquando Pars quædam in inferiore Naui Eccleſiæ Scholæ exercendæ deſtinata à Paruis Pueris ibi edoctis* PARVIS *vel* PARVISIVM, *Angl.* THE PARVIS *dicebatur. Senſus igitur eſt pauperculum iſtum non tantùm coactum fuiſſe Scholam docere, ſed & exemplaria libellorum pro paruulis ſuis exſcribere eiſque vendere. Adhuc in celeberrima Oxonienſi Academia poſtquam Magiſtri Quodlibeta ſua ſiue diſputationes magnas in Scholis publicis abſoluerint, Iuniores paruis ſuis pomeridianis ſe exercent, & Paruiſias appellant. Etiam & in Collegiis Iuriſperitorum Noſtratium exercitium ſiue Colloquium ſtudentium* THE PARVILE *vocatur, quod nunc Moote dicimus.*

Regimen Scholarum Epiſcopaliū

Talis ergo Scholarum illarum locus, quale verò regimen? hoc quoque ex Variorum Authorum ſcriptis collegimus, plures aliquando fuiſſe in Atrio Cellulas Magiſtrales, hodie vulgò *Claſſes* vocamus, pluresque Magiſtros pueris, adoleſcentibus, Clericis & Presbyteris in Grammaticalibus & aliis artibus liberalibus, in cantu & pſalmodia, in intelligentia Sacrarum Scripturarum, Sacramentorum, Ritualium & Ceremonialium inſtituendis addictos: omneſque illos Vni è Canonicis ab Epiſcopo vel à Capitulo ad id muneris electo paruiſſe, qui in aliquibus locis *Scholaſticus*, in aliis *Scholaſter*, alibi *Capiſchola*, ſeu Caput Scholæ, alibi *Decanus*, vel *Cancellarius* appellatur. Et de eo intelligendus Canon Concilij Toletani IV. quo præcipitur, vt pueri probatiſſimo alicui Seniori ad cuſtodiendum deputentur. Ad cuius Canonis explicationem hæc habet Chrodegangus in lib. de Regula Canonicorum c. 48. quem publici iuris fecit Lucas Dacherius in Spicilegio tom. 1. SOLERTER *Rectores Eccleſiarum vigilare oportet*, inquit, *vt pueri & adoleſcentes, qui in Congregatione ſibi commiſſâ nutriuntur vel erudiuntur, ita iugibus Eccleſiaſticis Diſciplinis conſtringantur, vt eorum laſciua ætas & ad peccandum valde*

procliuis nullum poſſit reperire locum, quo in peccati facinus prorunt. Quapropter in huiuſcemodi cuſtodiendis & ſpiritualiter erudiendis talis à Prælatis conſtituendus eſt Frater, qui eorum curam ſummâ gerat induſtriâ, eoſque ita arctiſſimè conſtringat, qualiter Eccleſiaſticis Doctrinis imbuti & armis ſpiritualibus induti & Eccleſiæ vtilitatibus decenter parere & ad gradus Eccleſiaſticos quandoque dignè poſſint promoueri. Libuit præterea ob ædificationem congruam & inſtructionem negotij, de quo agitur, quandam SS. Patrum ſententiam huic operi inſerere quæ ita habet (Conc. Tolet. 4.) *Quiſquis autem in Clero Puberes aut Adoleſcentes exiſtunt, omnes in vno Conclaui Atrij commorentur, vt lubricæ ætatis annos non in luxuriâ, ſed in Diſciplinis Eccleſiaſticis agant deputati Probatiſſimo Seniori quem & Magiſtrum Doctrinæ & teſtem vitæ habeant..... His ita præmiſſis oportet vt Probatiſſimo Seniori, pueri ad cuſtodiendum, licet ab alio erudiantur, deputentur. Frater verò, cui hæc cura committitur, ſi eorum curam parui penderit, & aliud quàm oportet, docuerit, aut his aliquam cuiuſlibet læſionis maculam ingeſſerit, ſeueriſſimè correptus ab officio amoueatur & Fratri alij hi committantur, qui eos & innocentis vitæ exemplis informet & ad bonum opus peragendum excitet.*

Initio quidem Archidiaconi hanc videntur habuiſſe curam, dicebanturque *Primicerij Scholæ*. Ita legitur in Ep. 4. S. Remigij Tomo 1. Conciliorum Eccleſiæ Gallic. *Cum igitur Leuitas feceris, Presbyteros conſecraris, Archidiaconum inſtitueris Primicerium Scholæ clariſſimæ militiaque Lectorum.* legitur etiam apud Chrodegangum hic titulus, *De Archidiacono ſeu Primicerio.* Poſtea ſpecialis hæc inſtituta eſt in Capitulo Cathedrali Dignitas cum Præbenda, vocataque in aliquibus locis *Scholania* vel *Scholaſtria*: de qua extat quædam Decretalis Alexandri III. Quæ tamen inter eas non legitur, quæ ex ipſo in Decretalibus Gregorianis referuntur. Titulum habet De Magiſtris Collect. 2. *Peruenit ad Nos, quod cum in Eccleſia Laudunenſi & Eccleſia Tornacenſi ad ſuſtentationem eius qui Scholas regit, Beneficium olim deputatum fuiſſet, ſicut per omnes fere alias Maiores Gallicanas & fuiſſe quondam, & in quibuſdam adhuc eſſe dignoſcitur.*

Talem autem Primicerium ſeu Magiſtrum Scholarum Hoſpinianus comparat cum Rectore Academiæ: nam ille Scholarum Epiſcopalium & Clericalium præfectus erat, vt iſte Publicarum. *Erat Scholaſticus* inquit, *Scholæ Eccleſiaſticæ inſpector & moderator primæ Dignitatis: qualem in Scholis Publicis, quas Academias iam nuncupant, dicere poſſumus Rectorem.* Ille autem cæteris Magiſtris tam qui in Scholis Atrienſibus, quàm qui in vicanis docebant, authoritate Apoſtolica vel Epiſcopali licentiam docendi impertiebatur: quam Dignitatem & poteſtatem etiamnum habet ſub Cancellarij nomine in Vniuerſitatibus plurimis, in aliis ipſi Epiſcopi Cancellarij munere funguntur: quâ de re ſic habet Gregorius Toloſ. Syntag. l. 15. c. 19. *Toloſæ poſt Præpoſitum ſecundus in Dignitate eſt Cancellarius Academiæ, & Canonicus in choro & alibi. Cadurci non ita: ſed poſt Archidiaconos duos & Cantorem Officium gerit. Hic in Diplomatibus ſummorum Pontificum, qui Priuilegia Academiæ noſtræ Cadurcorum largiti ſunt, dicitur Magiſter Scholarum. Nam antequam Academia eſſet, erat inter Canonicos vnus Magiſter, aut Canonica portio vni Magiſtro dabatur, qui docendi prouinciam ſuſciperet, & ſuâ curâ alios Præceptores & Magiſtros docendi cauſa deligeret iuxta Concilij Generalis & Lateranenſis Decreta. Subinde in inſtitutione Academiæ ex Magiſtro Scholarum factus eſt Cancellarius, eiuſque Dignitas, vt aliarum Dignitatum Ordo, metienda eſt ex conſuetudine Eccleſiarum, in quibus ſunt inſtituti.* Sed nos ea de re ad calcem primi ſeculi Vniuerſitatis Pariſienſis, vbi de Rectore & Cancellario pluribus agemus.

DE SCHOLIS PARISIENSIBVS ANTE Carolum Magnum.

CIrca Scholas Pariſienſes triplex eſt Scriptorum opinio. Aliqui eas reponunt inter celebres, præſertim ex quo Gallia Chriſtianam fidem amplexa eſt. Scribunt enim Dionyſium Areopagitam relictis Athenis Romam primum contendiſſe: deinde à Clemente Pontifice in Gallias miſſum ad prædicandum Chriſti Euangelium Lutetiæ reſediſſe, litteraſque humanas & diuinas cum fide ſeminaſſe. Addunt authoritatem Boëtij ſcribentis in lib. de Diſciplina Scholarium *ſe in Ciuitate Iulij Cæſaris, quæ Pariſius dicebatur, multos artes mendicare* perſpexiſſe, *nullis eis pocula Philoſophiæ adminiſtrantibus*. Vnde inferunt olim fuiſſe Pariſiis celebre litterarum Emporium, ſed tempore Boëtii, licet ad illud Germani, Itali, Hiſpani confluerent, minus floruiſſe.

Verum iſta duo fundamenta nimis caduca ſunt & incerta, quàm vt ad hanc ſententiam accedere debeamus. Primum quidem, quod Ludouici Pii temporibus inualeſcere cœpit, tam validis rationibus & coniecturis impugnatur, vt ſi non falſum, certe falſo & commentitio proximum appareat. Alterum verò, quod Seuerini Boëtij authoritate nititur, plurimum quidem ponderis haberet, ſi libellus iſte Boëtij fœtus eſſet. Verum tria euincunt non eſſe, Titulus, Elocutio & Inuentio: Titulus quidem, quia opuſculum inſcribitur nomine Boëtij illius viri conſularis, tam celebris in Hiſtoria, qui ſtatim in proëmio ait ſe inhumani Regis Gothorum, nempe Theodorici *cruciatu corroſum* fuiſſe: deinde cap. 2. cauſa ſanitatis recuperandæ in Galliam ſe tranſtuliſſe, in Ciuitate Iulij Cæſaris nempe Pariſiis multos artes mendicare perſpexiſſe. At conſtat Boëtium, paulo poſtquam Theodoricus Romam aduenit, ab eo quorundam Improborum impulſu relegatum, non Pariſios neque in Galliam, ſed Ticinum ſeu Papiam: neque inde egreſſum: nonoque demum anno in carcerem cum Symmacho Socero coniectum, ibidemque obtruncatum.

Elocutionem quoque non redolet Boëtij opuſculum iſtud, puritatem elegantiamque ſermonis, quæ cernitur in libris de Conſolatione Philoſophiæ, quos ille Ticini conſcripſit, aliiſue eiuſdem authoris oper.bus. Non poteſt autem eiuſdem hominis tam diſpar eſſe ſtylus, etiam ſi maximè conetur.

Inuentio denique non poteſt tribui Boëtio; cuius temporibus non erat ea certè frequentia Scholarium Lutetiæ, quam author ille fingit tum fuiſſe. Meminit enim c. 2. non modo Gallorum, ſed Britonum, Germanorum, Hiſpanorum atque Romanorum, quorum paucos, quia proterui erant & diſcholi, Magiſterij Gradu & honore donari viderat. Prætereа de Determinationibus agit Terminorum Philoſophiæ; de Archiſcholaribus, quos Baccalaureos appellamus; de Incipientibus, deque deductione eorum ad Scholas Magiſtrorum, aliiſque eiuſmodi circunſtantijs ſtudiorum, quas temporibus Boëtij nondum vſurpatas fuiſſe Pariſiis manifeſtum eſt; nec forſan alibi.

Prætereа opus iſtud inter Boëtiana à nemine veterum Scriptorum recenſeri legimus: & quanquam non diffitemur antiquum eſſe, nec contemnēdum putamus, non tamen Caroli M. ſeculo vetuſtius eſſe credimus. Quis vero ſit illius author, nihil audemus affirmare. Sed ſi coniecturâ vti licet, videtur eſſe vetus aliquis profeſſor Academiæ Pariſienſis, qui præcepta quidem tradit de Diſciplina Scholarium, ſed ſuppreſſis nominibus multorum mores arguit: & corruptiſſimam quorumdam Magiſtrorum conſuetudinem reprehendit, quorum ne incurreret offenſionem, nominibus pepercit. Adde quod licet videatur de Gymnaſio Athenienſi loqui, omnino tamen Pariſienſem Diſciplinam, indigitat, quam cernimus antiquitus obſeruatam, & qualis fuiſſe videtur à temporibus Caroli M. ad Ludouici IX. Ætatem. Itaque ſi in re tam antiqua diuinationi & conie-

ĉturæ locus eſt, credibile eſt libelli memorati authorem eſſe Ioannem Scotum ſeu Erigenam, qui Caroli Calui temporibus Lutetiæ publicè docebat: quippe tria illi conuenire videntur, quæ in illius opuſculi auctore deprehenduntur. Quod ſcilicet ſtuduerit Athenis, Græcaſque litteras amauerit: at Ioannes è Græco in Latinum multa opera iuſſu Calui conuertit. Quod Dialecticæ ſtudium maximè commendet: cui Ioannes impenſiſſimè addictus fuit, & Sophiſticis cauillationibus etiam nimium. Quod denique Magiſtros ſugillet: quia non placebat eorum in docendo conſuetudo. Vnde Ioannes multorum inuidiam & odium incurrit. Sed de his pluſquam ſatis.

Aliorum eſt opinio, nullas omnino fuiſſe Scholas Pariſienſes antiquitus: atque ideo Ciuitati Pariſienſi nimis quippe priſcis temporibus anguſtæ & ignotæ omnem derogant litterarum profeſſionem, cum nullus veterum Authorum illius meminerit: non Auſonius Burdigalenſis, non Sidonius Apollinaris, qui tam curioſè tamque ſtudioſè celebres ſuorum temporum ſcholas præſtantiſſimoſque profeſſores commemorant.

Certe mirum videri debet hanc Galliæ Celticæ partem, ſi litterarum exercitium habuit, nulla famâ inclaruiſſe. De Belgica minus mirum; quæ à cæteris Galliarum partibus longius abeſt: ideoque minus culta ſemper fuit, hincque cæteris fortior exiſtimata: vnde miratur Sidonius l. 4. Ep. 17. in Arbogaſte Belga tantam facundiam fuiſſe *Tu*, inquit, *Quirinalis impletus fonte facundiæ, potor Moſella Tiberim ructas. Sic Barbarorum familiaris, quod tamen neſcius Barbariſmorum. Par Ducibus antiquis lingua manuque; ſed quorum dextera ſolebat non minus ſtylum tractare, quàm gladium. Quocirca Sermonis pompa Romani, ſi qua adhuc vſpiam eſt, Belgicis olim ſiue Rhenanis abolita terris, in te reſedit: quo vel incolumi, vel perorante, & ſi apud limitem ipſum Latina iura ceciderunt, verba non titubant.*

Narbonenſis verò & Aquitania ampliſſimum olim tenuerunt Litterarum Imperium. Itaque cum vetuſti authores Gallicanam facundiam prædicant; de illis certè Galliarum partibus vulgo intelligendi ſunt. Ipſa quoque quæ tribuunt epitheta, ingenij Vaſconici & Prouincialis naturam exprimunt. M. Cato lib. 2. Origin. apud Catiſium, *Pleraque Gallia duas res induſtrioſiſſimè perſequitur, rem militarem & argutè loqui*. Hieronymus ad Ruſticum Monachum. *Ac poſt ſtudia Galliarum quæ vel florentiſſima ſunt.* & paulo poſt *vbertas Gallici nitorque ſermonis*. Et ad Paulin. quàm eleganter Aquitanum hominem & Vaſconici ingenij pompam exprimit, de Hilario loquens, *S. Hilarius Gallicano cothurno attollitur*. Et in proœmio Ep. 2. ad Galatas eum vocat *Eloquentiæ Latinæ Rhodanum*.

At Celtis noſtris nihil tale legimus attributum: imò potius ruditatem quandam & impolitiam. Sulpicius Seuerus Dialog. 1. c. vlt. *Tu verò vel Celticè, aut ſi mauis Gallicè loquere, dummodo iam Martinum loquaris*. Irenæus in Præfat. l. 1. aduerſus hæreſes. *Non autem exquires à nobis qui apud Celtas commoramur, & in Barbarum ſermonem plerumque auocamur, Orationis Artem, quam non didicimus*. Quæ verba non ita tamen intelligenda ſunt, vt Lugduni, vbi tum ſedebat Epiſcopus, nullum eſſet litterarum exercitium, fuiſſe enim celeberrimum antea demonſtrauimus: ſed quod homo Græcus Latini ſermonis elegantiam non potuiſſet nec poſſet perfectè callere, ſatis quippe occupatus in addiſcenda lingua Gallicana, cuius ipſi neceſſarius erat vſus in negotiis ſuæ Diœceſeos tractandis. Sidonius Apollinaris l. 3. Ep. 3. Hecdicium nobilem Aruernum laudat, quod in Aruernia Latinis Muſis cauſam dediſſet & occaſionem inſtituendi exercitij. *Mitto iſtic ob gratiam pueritiæ tuæ vndique Gentium confluxiſſe Studia litterarum, tuaque perſonæ quondam debitum, quod ſermonis Celtici ſquamam depoſitura Nobilitas nunc Oratorio ſtylo, nunc etiam Camænalibus modis imbuebatur.* Quid eſt autem illa ſermonis Celtici ſquama, niſi ruditas & impolitia?

Itaque præter Lugdunenſes & Æduenſes Scholas raras videmus in tota Celtica fuiſſe alicuius celebritatis & famæ, nomenque meruiſſe Gymnaſij Publici, aut Academiæ. Quanquam tamen non videtur poſſe negari, quin in Metropolibus & in in aliis Vrbibus, vbi Romani Præſides Tribunal habebant, Liberalium Artium profeſſio exercita fuerit. Nam vt ait D. Auguſtinus l. 19. de Ciuit. c. 7. *Opera data eſt vt imperioſa Ciuitas* (Romana) *non ſolum iugum, verum etiam linguam ſuam domitis Gentibus imponeret*. Et Gratianus Imperator edixit, *vt ſaltem in Me-*

tropolibus Galliæ nobilium Profeſſorum electio celebraretur : cuius Reſcriptum ante retulimus.

Iam verò quis neſcit Lutetiam Pariſiorum fuiſſe Præſidum Cæſarianorum ſedem? Iulianus, qui Apoſtata dictus eſt, cum in Gallia degeret, Ciuitatem illam, poſthabitis ſuæ Dirionis vrbibus, delegiſſe videtur ad habitandum : vnde illam vocat in Encomio Barbæ *Caram Lutetiam* τὴν φίλην λουκετίαν, eiuſque laudat ſitum & temperiem ; ibidem extruxit Palatium, quod diuturnis temporibus Palatij Iuliani Thermarumque nomen retinuit. Expulſis verò è Gallia Romanis Primi Francorum Reges, ſi ſtudia litterarum non amplificarunt, ſaltem non abſtulerunt : imò poſtquam à bello quieuerunt & Chriſtianam fidem amplexi ſunt, in primariis ſuis ſedibus eas exerceri voluerunt. Belforeſtius ſingularis diligentiæ vir & Antiquitatum Gallicarum Indagator ſolertiſſimus atque accuratiſſimus ait in ſua Coſmographia, eo loco vbi de Vniuerſitate Pariſienſi fusè diſſerit, Clodouæum I. è Pagano factum Chriſtianum in monte, qui nunc Locutitius ſeu Leucotitius, deinde verò San-Genoueſianus dictus, Baſilicam extruxiſſe magnificam in honorem SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, ibique conſtituiſſe Canonicos, vt vocant, ſeculares, & SEMINARIVM LITTERARVM. Item in Eccleſia S. Vincentij, quæ nunc S. Germani Pratenſis appellatur, inſtitutam olim fuiſſe Scholam Eccleſiaſticam.

Childebertus I. dicitur amauiſſe litteras, ſatiſque commodè Latinè locutus ; atque è Tribunali Ius ſubditis reddidiſſe. Sic enim de eo Fortunatus apud Maſſonium, *Cum bella odiſſet, pacem & litteras ac iuſtitiam amabat : primus enim Regum Noſtrorum Latinè ſciuit, cum parens atque auus Sicambricè locuti fuiſſent.*

Chilperico Childeberti ſucceſſori hoc imprimis illuſtre glorioſumque fuit, quod Francigenarum Regum primus poëſim excoluerit, & poëticè compoſuerit ; quodque teſte eodem Fortunato, nullo interprete multarum Gentium linguas diſcernere ſoleret. Gregorius verò Turonenſis l. 5. c. 45. ſcribit eum addidiſſe quinque litteras Alphabeto, vt ſuauior commodiorque foret idiomatis Francici pronunciatio, præcepiſſeque omnibus Magiſtris, vt eas Diſcipulis diligenter inculcarent. *Addidit & litteras litteris noſtris*, inquit, *id eſt ω ſicut Græci habent Æ*, The, W WI. *quarum Characteres ſubſcripſimus : hi ſunt* O, ↓, Z, π. *& miſit Epiſtolas in Ciuitates Regni ſui, vt ſic pueri docerentur, ac libri antiquitus ſcripti planati pumice reſcriberentur.*

Alij aliter ſcribunt, aiuntque illum has quinque Græcorum Duplices θ χ φ ξ ψ. in Alphabetum noſtrum tranſcripſiſſe ad exprimendas vno Charactere haſce geminas TH, Ch, PH, Cs, PS. quod quidem in vſu fuiſſe quandiu vixit, teſtatur Gregorius ; cum eo verò inſtitutum illud interiſſe

Idem refert ab eo conſcriptos fuiſſe duos libros verſibus, ſed nullo certo pede, nec obſeruatâ quantitate, conſtantibus. *Confecit*, inquit, *duos libros, quaſi Sedulium imitatus, quorum verſiculi debiles nullis pedibus ſubſiſtere poſſunt : in quibuſdam non intelligebat : pro longis ſyllabas breues poſuit, & pro breuibus longas ſtatuebat ; & alia opuſcula, vel hymnos, ſiue Miſſas, quæ nulla ratione ſuſcipi poſſunt.* Aimoïnus tamen Hiſtoriæ Francicæ ſcriptor longè aliter de Chilperici Poemate ſentit, eo ſcilicet conſtitiſſe, quàm non illi Poëtici ingenij ſpiritus deeſſet, queriturque ſua ætate quæſitum iam reperiri non potuiſſe. In exemplum vero venæ illius non infelicis refert Epitaphium, quod ille in honorem S. Germani Pariſienſis Epiſcopi compoſuiſſe dicebatur, quod legitur in vita S. Germani à Fortunato Pictauorum Epiſcopo ſcripta : ſed venam Fortunati, vt arbitror, ſapit magis, quàm Chilperici. Vt vt ſit, illud ad venerandæ antiquitatis commendationem referre non pigebit.

Eccleſiæ ſpeculum, Patriæ vigor, Ara reorum :
Et Pater & Medicus, Paſtor amorque Gregis.
Germanus virtute, fide, corde, ore beatus,
Carne tenet tumulum, mentis honore polum.
Vir cui dura nihil nocuerunt fata ſepulcri :
Viuit enim, nam mors quem tulit, ipſa timet.
Creuit adhuc potius Iuſtus poſt funera. Nam Qui
Fictile vas fuerat, Gemma ſuperba micat.

Huius opem ac meritum multis data verba loquuntur
Redditus & cæcis prædicat ore Dies.
Hic vir Apoſtolicus rapiens de carne trophæum
Iure triumphali conſidet arce poli.

Obiit Germanus 28. Maij an. 576. ſcribit quoque idem Fortunatus Charibertum optimè didiciſſe Latinè loqui, itavt Romanos ipſos benedicendi facundia ſuperaret.

Cum ſis progenitus clara de ſtirpe Sicamber,
Floret in Eloquio lingua Latina tuo.
Qualis es in propria doctè ſermone loquela?
Qui nos Romanos vincis in Eloquio.

Clotarius Iunior Chilperici filius, qui regnare cœpit an. 587. erat teſte Sauarone in litteris verſatiſſimus, Diuini cultus amantiſſimus, benignus, mitis, liberalis, omnique virtutum genere decoratus. Addamus ex Fredegario c. 92. *Fuiſſe patientiæ deditum, timentem Deum, Eccleſiarum & ſacerdotum magnum Muneratorem, pauperibus eleemoſynas tribuentem, ſeque omnibus benignum & pietate plenum oſtendere ſolitum: quæ virtutes ſolent Muſas comitari.*

Eodem anno, aut certe ſequente Guntranus Aurelianorum Rex in vrbe ſua exceptus eſt Orationibus omnis generis, Syriacis, Hebraïcis, Iudaïcis & Latinis. Teſtis Gregorius l. 8. c. 1. *Proceſſit*, inquit, *ei obuiam immenſa turba cum ſignis atque vexillis canentes laudes: & hinc lingua Syriaca, hinc Latinorum, hinc etiam ipſorum Iudæorum in diuerſis laudibus variè increpabat.* Hunc præterea ſcribunt fuiſſe benignum erga pauperes & eleemoſynarum largitorem. Notat idem Gregorius l. 4. c. 24. Gondobaldum Gontrani filium Profeſſoribus Aurelianenſibus traditum fuiſſe in Diſciplinam.

De Dagoberto commemorat Maſſonius l. 1. Annal. ex communi omnium ſcriptorum ſententia neminem illo fuiſſe *ad ſtudia litterarum animo propenſiorem, & boni æquique amantiorem, aut erga Deum magis pium.* Rigordus verò ait eum fuiſſe eloquentiſſimum: quod quidem eò credibilius videri poteſt, quia Clotarius pater eum ſeuerè voluerat educari ſub Diſciplina Sandrageſili Præceptoris.

Iam verò quis dubitet, cum legit Reges iſtos fuiſſe litteris deditos, quin Aureliæ & Lutetiæ Scholas haberi voluerint, in quibus vrbibus primariam Regni ſui ſedem poſuerant? de Lutetia quidem teſtis Gregorius l. 1. c. 37. & 38. Clodouæum excluſis Gothis & partâ de Alarico victoriâ Pariſios veniſſe, ibique *Cathedram Regni conſtituiſſe.* Aimonius, ſeu potius Continuator l. 5. c. 51. de eadem ſic ſcribit. Pariſiana ſedes propria Regum eſt, *eamque ſicut in antiquis legitur ſcriptis Reges Francorum Regiam habere conſueuerunt.*

Quod ad Epiſcopos verò Pariſienſes attinet, quorum curæ maximè incumbebat Clerum inſtruere & fidem propagare, non eſt dubium, quin ſcholas quoque in Epiſcopio habuerint. Et de S. Germano communis eſt ſententia, multos eum habuiſſe Diſcipulos. Non enim erubeſcebant olim Epiſcopi cum fidei dogmatis litterarum peritiam teneris mentibus infundere. Vnde Fortunatus, qui ex Italia poſt B. Maurum Benedicti Diſcipulum in Galliam ſe contulit, quique Turonis publicè docuit, & tandem ad Pictauienſem ſedem promotus eſt, de Germano deque Clero Pariſienſi verba faciens, ait Beatum Epiſcopum tam ſenes rexiſſe quàm iuuenes. *Epiſcopi Pariſienſes*

Carmine Dauidico Diuina Poëmata pangens
Curſibus aſſiduis dulce reuoluit opus.
Inde Sacerdotes, Leuiticus hinc micat Ordo:
Illos Canicies, hos ſtola longa tegit.
In medio Germanus adeſt Antiſtes honore,
Qui regit hinc Iuuenes, ſubrigit inde ſenes.

Quæ poſtrema verba interpretatur Hemeræus de Scholis, quas B. Præſul regebat, è quibus ait prodiſſe viros eximia pietate illuſtres, & inter alios Briocum & Clodoaldum, huncque in Eccleſia Pariſienſi Clericali gradu refulſiſſe. Briocus autem natione Hibernus S. Vincentij in Aremorica regione creatus eſt Epiſcopus.

Ad hunc Beatum virum mittebantur ex omnibus Regni partibus nobiles ado-

leſcentes, quos pietas parentum ſacerdotio deſtinabat, vt ab eo humanâ litteraturâ, moribus Eccleſiaſticis & pietate Chriſtianâ imbuerentur. Ita Bertranus à Parentibus ipſi traditus, ab eo inſtructus & inſtitutus fuit, vt ipſemet in teſtamento ſcribit: de Germano enim verba faciens, *ille*, inquit, *me dulciſſimè enutriuit, & in ſuâ ſanctâ oratione ad ſacerdotij honorem perduxit.*

At præclaram illam Germani ſcholam, in qua non modò artium liberalium, verum etiam Cantus & Pſalmodiæ profeſſio celebrabatur, pœne ſuſtulit Euſebius quidam natione Syrus Epiſcopatum pecuniâ conſecutus anno circiter 565. de quo ſic ſcribit Gregorius l. 10. *Ragnemundus Pariſiacæ vrbis Epiſcopus obit: cumque Germanus eius Faramundus presbyter pro Epiſcopatu concurreret, Euſebius Quidam negotiator genere Syrus datis multis muneribus in locum eius ſubrogatus eſt: iſque accepto Epiſcopatu omnem Scholam Deceſſoris ſui* Germani & Ragnemundi, *abiiciens Syros de genere ſuo Eccleſiaſticæ Domui Miniſtros ſtatuit.* Sic ſchola Pariſienſis, quæ Germano præſule & Childeberto Rege floruerat, ſub hoc Epiſcopo Syro plurimum defloruit.

Nec prætertire æquum eſt, quod ſcribit Fortunatus ad laudem inſignis Regis Childeberti, illum ſcilicet ſuperbam Baſilicam ſeu Eccleſiam Epiſcopalem extruxiſſe quæ cum templo, Salomoniaco certaret, de cuius dedicatione licet nihil dicat, certum tamen eſt eam fuiſſe Diuæ Virgini communi Pariſienſium patronæ dedicatam. Idque clarè teſtatur Aimoinus l. 3. c. 57. de geſtis Francorum. *Interea*, inquit, *Fredegundis Regina Marito viduata ad Baſilicam Pariſiaca vrbis in honorem S. Mariæ dicatam cum Theſauris quos ſecum habebat, ſe conferens, à Ragnemundo ſuſcipitur Epiſcopo.* Fortunatus ergo ſic habet l. 2. de Templo illo fide & Religione Chriſtianâ permagnifico.

Si Salomoniaci memoretur Machina Templi,
Arte licet par ſit, pulchrior iſta fide.
Nam quæcunque illic veteris velamine Legis,
Clauſa fuere prius, hîc reſerata patent.
Floruit illa quidem vario intertexta Metallo,
Claruit hæc Chriſti ſanguine tincta nitens.
Illam aurum, lapides ornarunt, Cedrina ligna.
Hîc venerabilior de cruce fulget honor.
Conſtitit illa vetus ruituro ſtructa Metallo:
Hæc pretio mundi ſtat ſolidata Domus.
Splendida marmoreis attollitur aula columnis,
Et quia pura manet, gratia maior ineſt.
Prima capit radios variis oculata feneſtris
Artificiſque manu clauſit in arce diem.
Curſibus auroræ vaga lux laquearia complet,
Atque ſuis radiis & ſine ſole micat.
Hæc pius egregio Rex Childebertus honore
Dona ſuo populo non moritura dedit.
Totus in affectu Diuini cultus inhærens
Eccleſiæ viles amplificauit opes.
Melchiſedech noſter merito Rex atque ſacerdos
Compleuit Laïcus Religionis opus.
Publica iura regens ac celſa Palatia ſeruans
Vnica Pontificum gloria, norma fuit.
Hinc abiens illic meritorum viuit honore;
Hîc quoque geſtorum laude perennis erit.

Ex dictis igitur intelligimus à primis Chriſti ſeculis, maximè vero ab inſtitutâ Monarchiâ Francorum ad annum circiter 600. perpetuum fuiſſe Lutetiæ litterarum exercitium, non eo quidem ſplendore, quo poſt Carolum Magnum fuit, ſed aliquo certe & laudabili; atque adeo non ita fuiſſe Barbaros Pariſienſes, vt Angli prædicant, quandoquidem vt teſtantur eorum Annales, Lutetiam commigrare ſolebant ad primariam Regni Francici ſedem, vt ſuauioribus Diſciplinis, ciuilitate morum, ſanâ Doctrinâ, Diuinarumque ſcripturarum intelligentiâ imbuerentur.

Non

Non eſt verò diſſimulandum, quod ſcribunt aliqui à Dagoberto ad Carolum M. fuiſſe quaſi duorum ſeculorum caliginem, & valde paucos in tota Gallia litteris excelluiſſe: quod ex eo factum exiſtimant, quia Reges conſecuti, aut deſides, aut qui eorum vice regebant, Maiores Palatij, plus Laïcis hominibus, quàm Eccleſiaſticis, plus illiteratis, quàm litteratis tribuebant. Quo quidem vitio imprimis laboraſſe legitur Martellus: ille enim teſte Flodoardo l. 2. c. 11. non ſolum Remenſem, ſed & alios etiam Epiſcopatus Laicis hominibus dabat: itaut Epiſcopis in rebus Eccleſiæ nihil fere iuris & authoritatis permitteret. Quamobrem cum illi propè ſoli litterarum curam tunc haberent, ſoleatque Beneficium Eccleſiaſticum eſſe merces ſtudioſorum, neceſſe eſt magnam tunc temporis iacturam paſſas fuiſſe litteras, mercede & Mecenatibus deficientibus. Adde bella ciuilia, frequenteſque Regni viciſſitudines, & Regum mutationes, Litterarum quieti & profeſſioni omnino inimicas. *Clades litterarum.*

Temporum illorum miſerabilem ſtatum deſcribit Antiſſiodorenſis in Chronico ad an. 700. vbi de Carolo Martello. *Antiſſiodorenſi Eccleſiæ*, inquit, *poſt Clementem præfuit Adulphus ex Cantore Epiſcopus: vir in Diuinis Officiis ſtrenuus, & Epiſcopali largitate famoſus. Huius tempore res Eccleſiaſticæ ab Epiſcoporum poteſtate per Carolum Principem abſtractæ in Dominatum Secularium ceſſerunt. Siquidem centum tantummodo Manſis Epiſcopo derelictis, quidquid villarum ſuperfuit, in ſex Baioarios diſtributum eſt. Abbatiæ verò ſingulis Abbatibus dilargitæ. Quam Eccleſiæ humiliationem idem Religioſus Pontifex pœne exitialiter doluit: adeo vt Paraliſis morbo correptus vniuerſis ſui corporis officiis priuaretur.*

Narrat idem Author paulo poſt Maurinum eiuſdem vrbis Epiſcopum ea de re conqueſtum apud Carolum M. ſub initia regiminis obtinuiſſe, vt res Eccleſiæ decedentibus Poſſeſſoribus Laïcis ad veros & legitimos poſſeſſores redirent. *Hic Carolum Regem adiit, & ab eo obtinuit, vt decedentibus ſingulis, qui tunc res Eccleſiaſticas obtinebant, paulatim cuncta reciperet: ſicque annuente Deo res proſperè ceſſit, vt fere intra biennium nullus pœne eorum reſtiterit, quibus prædia Eccleſiaſtica contra licitum deſeruiebant.* Obtinuit quoque ab eodem Leidradus Archiepiſcopus Lugdunenſis reſtitutionem bonorum Eccleſiæ ſuæ conceſſorum, quæ à Laïcis poſſidebantur. Sed non ita cæteri Epiſcopi & Abbates, quos ſœpe conqueſtos legimus apud conſecutos Reges & Imperatores, quod contra fas omne Laïci Beneficia Eccleſiaſtica poſſiderent & retinerent: vt in ſynodo Meldenſi an. 845. & ſœpe aliàs.

Cauſa tamen retinendi initio videbatur illis eſſe legitima, aut ſaltem tolerabilis, eaque duplex. Vna, quia Epiſcopi plerique & Abbates bonis illis ſacratis abutebantur, & ad profanos vſus ea conuertebant, ſœpe etiam impios & ſacrilegos. Cui malo Chrodegangus Martelli Referendarius & magnæ in Palatio authoritatis, vir eloquio facundiſſimus, & tam patrio quàm etiam Latino ſermone imbutus, deinde Antiſtes Metenſis, mederi curauit obtentâ per Stephanum ſummum Ponificem Cleri Reformatione, quem vt ante retulimus, in Gallias euocarat. Hic eiim, vt refert Paulus Diaconus, *Clerum adunauit & ad inſtar Cœnobij intra Clauſtrum ſepta conuerſari fecit: normamque eis inſtituit, qualiter in Eccleſia militare deberet: quibus annonas vitæque ſubſidia ſufficienter largitus eſt, vt perituris vacare negotiis non indigentes Diuinis ſolummodo Officijs excubarent, ipſumque Clerum abundanter lege Diuina Romanaque imbutum cantilenâ morem atque Ordinem Romanæ Eccleſiæ ſeruare præcepit.* Nec dubium quin Scholas in Epiſcopiis haberi quoque præceperit. Et vt ipſe exemplo præiret, Romam reuerſus poſt recuperatam SS. Dionyſij Ruſtici & Eleutherij Martyrum inuocatione & auxilio ſanitatem, Academiæ Romanæ Collegium addidit, quod Scholam Græcorum nuncupauit: Paulus verò eius ſucceſſor opus inchoatum perfecit.

Altera prædiorum Eccleſiaſticorum alienandorum cauſa hæc fuit. Cum Gallia à Saracenis, Danis & poſtea à Normanis frequenter vexaretur: nec poſſent Epiſcopi & Abbates eos repellere, imò ſœpe cogerentur aut illis ſe ſubmittere, aut ex Epiſcopiis & Abbatiis fugere, quibus poſtea Barbari tanquam præſidiis & propugnaculis vtebantur ad vlterius procedendum & deprædandum, æquum viſum eſt ea vrgente neceſſitate Epiſcopatus, maximè verò Abbatias commendare Ducibus Laïcis, ſeu cuſtodiendas committere aduerſus Barbarorum incurſationes

Digitized by Google

& inſultus, eiſque ad militum ſuſtentationem prædia ſacraſque poſſeſſiones aſſignare. Idque intelligimus ex priuilegio, quod longo poſt tempore Henricus I. an. 1058. Foſſatenſibus Monachis impertiuit: quo ſcilicet indicat Hugonem Capetum auum ſuum eatenus Burchardo Comiti Corbolienſi eorum Abbatiam conceſſiſſe, vt eam contra hoſtes tueretur. *Comes Burchardus*, inquit, *nihil aliud ab Auo noſtro Hugone de illo loco habuit, neque tenuit: niſi vt prouidentiam atque defenſionem aduerſus hoſtem & inimicos ſanctæ Dei Eccleſiæ atque peruerſores prædiorum ipſius loci haberet: & vt ipſum locum ſublimare atque ditare terrarum ſuarum beneficiis atque poſſeſſionibus liceret.*

Atque hinc originem ſumpſiſſe liquet Abbatias, quæ vulgò *Commendatariæ* appellantur. Fuit enim *Commenda vetus*, vt definiunt Iuriſconſulti in Gloſſa verbi *Commendare* in cap. Nemo deinceps de Elect. l. 6. *Eccleſia cuſtodia alicui commiſſa ad tempus euidentis neceſſitatis gratia*. At poſtea citra neceſſitatem Commendæ datæ ſunt in titulum. Vnde Ioannes Andreas Commendarum duo facit genera: quaſdam ſcilicet ait eſſe in Titulum, quaſdam verò in Cuſtodiam.

DE INSTITVTIONE SEV FVNDATIONE VNIVERSITATIS PARISIENSIS.

IAM inquirendum, quis ſit inſtitutor & aurhor Academiæ, ſeu vr obtinuit loquendi vſus, Vniuerſiraris Pariſienſis, omnium quotquot olim fuerunt, aut deinceps inſtitutæ ſunr, florenriſſimæ & celeberrimæ. Certè ſi priora illa Imperatorum Ro. & Regum Francorum rempora cum ætate Caroli Magni conferanrur, affirmare licebit Muſas olim deliruiſſe, & ſi quid auſæ fuerunr, balbutire tanrummodo didiciſſe: Regnanre vero Carolo ex occulto in aperrum, è priuatis cellulis in publicum forum, è renebris ad lucem, ex vmbra ad Solem prodiſſe, fronremque vernâ quadam amœnitate hilarem oſtentaſſe, ac demum veluti ſolutâ linguâ liberè, ſuauirer & eloquenter loqui cœpiſſe. Itaque Artium ſplendorem ac dignitarem, litterarum ornamentum, Diſciplinarum omnis generis extra Canonicorum, Epiſcopiorum, & Cœnobiorum ſepra profeſſionem, & vt more iam recepto loquamur, Vniversitatis Parisiensis inſtirutionem atque erctionem Carolo M. deberi ram certum eſt, quàm quod certiſſimum.

Vnde mirum videri deber, quod quibuſdam viris Doctis & Antiquitatum noſtrarum non incurioſis ſcrutatoribus venerir in menrem, non Carolum, ſed Philippum Auguſtum, aut ad ſummum Ludouicum VII. eius parentem duodecimo Chriſti-ſeculo fuiſſe huius Vniuerſiraris inſtirurorem, cum nullus vererum ſcriprorum, nullus quoque recentiorum, exceptis forſan tribus aur quatuor, in ranto numero de Carolina fundatione dubiret. In eo ſcilicet pauculi iſti hallucinari ſunt, quod nullum authorem Vincenrio Bellouaco antiquiorem eſſe crediderunt, qui id aſſereret, fictamque putauerunt eſſe hiſtoriam, quæ Carolum in haccecondenda Vniuerſitare Anglorum & Scororum quorumdam opera vſum fuiſſe commemorar.

Nos igitur cum nouem prope ſeculorum fide indubitanter aſſerimus Carolum verè Magnum, omnium Regum maximum, ſapientiſſimum, litteratiſſimum eſſe huius principis Academiæ verè Parentem, Inſtiturorem & Fundatorem. Non quod nûllæ fuiſſent omnino ante ipſum Litteræ Luteriæ, fuiſſe enim ſupra demonſtrarum eſt; ſed quia paucis cognitas & in Cœnobiis ac Clauſtris Epiſcopiiſque larenres eduxit in lucem, ſeculares quodammodo reddidir & communes, eaſque propoſuir omnibus ad amplectendum, quæ ſolis fere viris Eccleſiaſticis & Cœnobiris antea patebant. Poſtremo quia illuſtriori & nobiliori quodam ordine modoque illarum profeſſionem exercitationemque diſpoſuit, Profeſſoribus præmia & Priuilegia conceſſit, & profeſſioni loca commodiora, ſalubriorem ſtationem in vrbe Regni primaria Regumque ſede longè à belli tumultibus & ho-

ſtium finibus remota aſſignauit, adeo vt ad Præcellentis Academiæ abſolutiſſimam perfectionem nihil deſideratum fuiſſe videatur.

Hoc autem antequam demonſtramus, quatuor nobis præſtanda incumbunt. Imprimis enim examinandum qui fuerint Caroli mores erga litteras. Deinde quo inſtituto & exemplo rem tam præclaram meditatus ſit. 3. Quid ad Academiæ ſeu Vniuerſitatis litterariæ erectionem inſtitutionemque neceſſarium ſit. Poſtremo quid Academia publica à Scholis priuatis differat.

Igitur hoc præmittendum, quod in confeſſo eſt apud omnes, Carolum ſupra omnes prædeceſſores ſuos ſingulari animi affectu litteras earumque Profeſſores coluiſſe. Sed quod mirum videri debet, quodque pauci forſan aduerterunt, eas non puer didiciſſe videtur, ſed adultus; non priuatus adhuc, ſed iam Rex factus, victor hoſtium & triumphator. Regnare enim cœpit cum Carlomanno fratre an. 769. quo tempore nec primordiales quidem Diſciplinas prælibarat: tum deinde à M. Petro Piſano Grammaticam didicit, qui relictâ Papiâ vbi docebat, à Rege accitus in Galliam venit; & in Palatio non tantum Carolum, ſed alios quoque inſtituit vt infra dicemus.

At vnde Piſanus tam procul à Gallia remotus Carolo notus fuit? ab Alcuino forſan, qui cum adhuc adoleſcens Romam proficiſeretur & aliquandiu Papiæ commoratus fuiſſet, Magiſtrum Petrum audiuerat, & diſputantem viderat: vt ipſe teſtatur Ep. 15. ad Carolum. *Dum Ego adoleſcens Romam perrexi & aliquantos dies in Papia Regali Ciuitate demorarer, Quidam Iudæus Iulius nomine cum Petro Magiſtro habuit diſputationem: & ſcriptam eſſe eandem controuerſiam in eadem Ciuitate audiui. Idem Petrus fuit, qui in Palatio veſtro Grammaticam docens claruit.*

Ab illo igitur Magiſtro iam ſene in Grammaticis bellè inſtitutus, ab Alcuino Leuitâ Rhetoricam, Dialecticam, cæteraſque Liberales Artes cum Aſtronomia percepit, vt teſtatur Eginhartus Abbas. *In diſcenda*, inquit, *Grammatica Petrum Piſanum Diaconum ſenem audiuit, in cæteris Diſciplinis Albinum cognomento Alcuinum item Diaconum de Britannia Saxonici generis hominem, virum vndequaque doctiſſimum præceptorem habuit: apud quem Rhetoricæ & Dialecticæ, præcipuè tamen Aſtronomiæ ediſcendæ plurimum & temporis & laboris impertiuit.* Eginharto conſentit Poëta quidam Saxonicus illius ſeculi, qui hiſtoriam ab ipſo ſolutâ oratione conſcriptam verſibus mandauit. Sic ergo ille lib. 5. de Geſtis Caroli Magni.

Artibus ipſe quidem cunctis inſtructus honeſtis
Harum Doctores mirificè coluit.
A ſene Leuitâ quodam cognomine Petro
Curauit primò diſcere Grammaticam.
Artis Rhetoricæ, ceu cui Dialectica nomen
Sumpſit ab Alcuini dogmate notitiam.
Hic etiam Leuita gradu multumque peritus
Ex Anglis veniens Saxo fuit genere.
A quo præcipuè ſtuduit totam rationem
Et legem curſus noſcere ſiderei.

Ab hiſce hominibus inſtitutus vir iam grandæuus breui tempore ita profecit, vt Latinam linguam non minus familiarem habuerit, quàm vernaculam, Græcam quoque didicerit, & eloquentiſſimus euaſerit: cuius rei locuples teſtis eſt Eginhartus. *Erat eloquentiâ copioſus & exuberans, poteratque quidquid vellet, apertiſſimè exprimere: nec patrio tantum ſermone contentus, etiam peregrinis linguis ediſcendis operam impendit; in quibus Latinam ita didicit, vt æque illâ ac patriâ linguâ orare eſſet ſolitus. Græcam verò melius intelligere, quàm pronunciare poterat. Adeo certè facundus erat, vt Didaſcalus appareret.*

Auxit magni Principis ingentem animum, & ſciendi deſiderium Adrianus I. Pontifex Max. quocum arctiſſimam contraxit neceſſitudinem ab ipſo Pontificatus initio ad extrema vſque vitæ tempora (cœpit autem Adrianus ſedere an. 772. & ſedit annos 23. cum 10. menſibus & 17. diebus) Etenim ille collapſam cernens Eccleſiæ Diſciplinam, eam quo potuit modo inſtaurare & reſtituere conatus eſt. Imprimis verò ſeipſum dedit omnibus in exemplum doctrinæ, modeſtiæ, caſtitatis, liberalitatis, conſtantiæ & fortitudinis: centum pauperibus quotidianum victum in Atrio Lateranenſi aſſignauit: Captiuos liberauit, templa extruxit,

Academiam Romanam iam à Stephano III. & Paulo I. amplificari cœptam & Græcorum Scholâ auctam accitis vndequaque viris doctis celebritate & frequentiâ nobilitauit. Has virtutes magni Pontificis Magnus Princeps ſibi propoſuit ad imitandum, & ita propoſuit vt in omnibus fere ſe non æmulum modò, ſed parem ſuperioremque præſtiterit. Hinc vt fit inter amicos alter alterius honorem procurabat & promouebat, alter alterius virtutes & dotes imitari ſtudebat.

Atque imprimis Carolus Eccleſiasticæ libertatis acerrimum ſe protectorem exhibuit, cum anno Regni ſui 5. ab Adriano rogatus in Italiam cum exercitu profectus Deſiderium Longobardorum Regem Romæ exitium minitantem & Eccleſiæ iura opprimentem compreſſit & debellauit: qui cum in iſtâ expeditione Cantus Eccleſiaſtici diſſonantiam inter Romanos & Gallos agnouiſſet, ſequente anno duos Clericos Romam miſit teſte Sigeberto, qui Authenticum Cantum à Romanis Cantoribus diſcerent, & cæteros Gallos reuerſi edocerent. Tunc autem Carolus ab Adriano Patricij Romanorum nomen accepit & Regis Longobardorum: quos titulos Regi Francorum addidit & per 26. annos geſſit, donec creatus eſt Imperator.

Aliquanto poſt compoſitis in Francia rebus Romam proficiſci cogitauit, & Lutetiâ relictâ, vbi tunc ſedebat, anno vt aliqui ſcribunt 776. vel vt alij 779. in Italiam rediit, vt teſtatur ille Scriptor Anonymus qui ab Ademaro Caroli & Ludouici filij Geſta hiſtoriamque ſe audiuiſſe teſtatur, ſicque ille ad an. 779. *Quibus rite peractis Ligerim cum reliquis tranſmeauit Copiis, & Lutetias quæ alio nomine Pariſius vocatur, ſe ſe recepit. Poſt non multum ſane tempus incidit ei deſiderium Dominam Orbis viſere Romam.* Eo autem forte tempore Pariſiis cum conuenerunt Doctores Angli ſcientiam vænalem clamitantes, de quibus infra dicetur.

Anno 787. Romam tertiò profectus perquam honorificè ab Adriano tunc adhuc ſedente, receptus eſt, ibique Paſcha celebrauit, non tamen ſine tumultu & contentione inter Romanos & Gallos Cantores ortâ de præeminentia Cantus Eccleſiaſtici, ſymphoniâ & conſonantiâ. Romani quidem Cantum Gregorianum edocti ſuauius & elegantius ſe cantare arbitrabantur, & Gallos præ ſe ruſticos appellabant. Galli contra authoritate Caroli freti, & ab iis edocti, quos ipſe Romam ante miſerat ad diſcendum, ſe hac re longè Romanos ſuperare contendebant. Diſſidium diremit Carolus his verbis vſus ad ſuos, vt notat Monachus Engoliſmenſis, *Dicite quis purior eſt & quis melior, aut fons viuus, aut riuuli eius longè decurrentes? reſponderunt omnes vna voce fontem velut caput & originem puriorem eſſe, riuulos autem eius, quanto longius à fonte receſſerint, tanto turbulentos & ſordibus ac immundiciis corruptos. Et ait Domnus Rex, reuertimini vos ad fontem S. Gregorij, qui manifeſtè corrupiſtis Cantilenam Eccleſiaſticam.* Denique, vt breuiter abſoluamus, ab Adriano obtinuit, vt in Franciam mitteret egregios Cantores Romanos Theodorum & Benedictum, quorum alterum Rex Metis, alterum Sueſſione Scholam Cantus Eccleſiaſtici habere voluit.

Atque ne vlla parte Eccleſiæ deeſſe videretur, ſecum exinde quoque plures Magiſtros & præſertim Artis Grammaticæ profeſſores adduxit in Franciam, Literaſque publicè profiteri præcepit, vt teſtatur idem Author ad an. 787. *Et Domnus Rex Carolus iterum à Roma Artis Grammaticæ & Computatoriæ Magiſtros adduxit in Franciam, & vbique ſtudium litterarum expandere iuſſit. Ante ipſum enim Domnum Regem Carolum in Gallia nullum ſtudium fuerat Liberalium Artium.* Iterum, inquit, quia iam ante ex Italia & aliunde complures viros in Artium profeſſione verſatos euocarat.

Cum autem ait prædictus Author nullum fuiſſe Studium Liberalium Artium in Gallia ante Carolum, id non abſolutè de quocunque ſtudio, ſed de ſtudio publico & Generali intelligendum eſt. Quo modo quoque interpretanda mens eſt Roberti Gaguini ſic aientis de hac Inſtituione. *Ante id tempus*, (ſcilicet ante Carolum) *nulla ſcholæ Conuentio apud Pariſios fuerat inſtituta. Quare miror quoſdam Doctrinæ ſibi ſcientiam arrogantes iactitare ab Athenis D. Dionyſium Areopagitam ſecutam Scholaſticorum multitudinem, Romam primum, deinde Pariſium demigraſſe. Cuius rei veriſimilitudo nullo vel Græcæ locutionis, vel Collegij, vel eruditi hominis veſtigio confirmatur. Nam ante Caroli M. ætatem apud Pariſios Scholaſticorum conuentum fuiſſe nemo Scriptorum prodit. Alioquin ex Scotia venientes Bedæ Diſcipuli Pariſienſis Scho-*

la authores fruſtra fuiſſent à Carolo inſtituti. Illa, inquam verba de ſcholis publicis, deque conuentu atque concurſu celeberrimo intelligenda ſunt, non de priuatis & Clauſtralibus, aut Vicanis ſcholis, quas certum eſt fuiſſe Pariſiis & in Gallia paſſim ante Caroli M. ætatem. At his non contentus Carolus Publicas & Maiores in certis locis conſtituit & collocauit.

Quod vt euidentius pateat, operæ pretium eſt animaduertere 1. Carolum non tantum ſibi Liberiſque ſuis ac Nepotibus erudiendis Magiſtros euocaſſe, ſed Vniuerſis ſubditis & omnibus Chriſtianæ Religionis Amatoribus, omnibus quoque ſtudioſis & Artium Liberalium Cultoribus prodeſſe voluiſſe. Quippe certum eſt eum ex omnibus mundi partibus viros Doctos & docendi peritia inſignes euocaſſe, eoſque ad publicè docendum præmijs & honoribus inuitaſſe, quod nobile & immortale ſtudium mirificè prædicat Alcuinus Ep. 23. *Veſtram optimam ſollicitudinem, Domine mi Dauid, ſemper amare & prædicare ſapientiam cognoſcebam, omneſque ad eam diſcendam exhortari, imo & præmiis honoribuſque ſollicitare; atque ex diuerſis mundi partibus amatores illius, veſtræ bonæ voluntatis adiutores conuocare ſtuduiſſe: inter quos me etiam infimum eiuſdem ſanctæ ſapientiæ vernaculum de vltimis Britanniæ finibus adſciſcere curaſtis.*

2. Hinc patet Carolum non qualeſcunque ſcholas inſtituere voluiſſe, non inquam priuatas tantummodo & ſibi, liberis, Aulicíſque ſuis deſtinatas, quibus nempe ſuffeciſſent pauci præceptores; ſed publicas, patentes omnibus & omnium Diſciplinarum: quibus exercendis neceſſarij erant multiplices profeſſores, quos quidem tanto numero vndequaque euocauit, vel qui præmijs allecti ſponte ipſi ſua tanto concurſu confluxerunt, vt non Aulæ tantum, aut vni Ciuitati, ſed toti Regno oneroſi eſſe viderentur: vt teſtatur Eginhartus. *Amabat*, inquit, *peregrinos & eorum ſuſcipiendorum magnam habebat curam: adeo vt eorum multitudo non ſolum Palatio, verum etiam Regno non immerito videretur eſſe oneroſa. Ipſe tamen præ magnitudine animi huiuſmodi pondere minimè grauabatur, cum etiam ingentia incommoda laude liberalitatis ac bonæ famæ mercede compenſaret.*

3. Certum eſt Carolum tam multis Magiſtris conuocatis, alios & præſertim Grammaticos, Arithmeticos & Cantores in diuerſis Regni ſui vrbibus ſcholas habere voluiſſe: Alios verò & peritiores atque omni Doctrinarum genere excellentes Lutetiæ in Scholis Palatinis docere præcepiſſe. Atque ita ſcholas eſſe voluiſſe duplicis generis, Minores & Maiores. Minores autem in Epiſcopiis, Canonicorum Clauſtris, Monaſteriis aliiſque locis collocaſſe: quemadmodum ante ipſum in iiſdem locis fuerant. Maiores vero in Publicis locis commodis & idoneis ad docendum: in quibus non modò qui Eccleſiaſtici eſſe vellent, ſed & Nobiles, Nobiliumque filij, item & pauperes; omnis denique generis; ſortis & Gentis Scholares erudirentur.

Haſce duplicis generis Scholas nemo eſt qui non agnoſcat, ſi attendere voluerit: ſed omnium curioſiſſimè & doctiſſimè de iis diſſerit Ioannes Fileſacus huius Academiæ Rector creatus an. 1586. menſe Martio, poſtea Doctor Sorbonicus, in lib. de Sacra Epiſcoporum authoritate cap. 15. vbi poſtquam fusè de Scholis, quæ in Epiſcopiis & Monaſteriis erant antiquitus, diſſeruit, in fine hoc addit. *Præter has ſcholas Epiſcopi Gallicani Concilij Pariſienſis l. 3. c. 12. poſtulant à Ludouico Pio Imperatore, vt Exemplo patris ſui Caroli M. in tribus congruentiſſimis Imperij locis Scholas Publicas conſtituat.*

Porro ad hanc rem videtur vſus duplici exemplo & inſtituto. Primo quidem eoque antiquiſſimo veterum Scholarum. Nam certe, vt erat vir curioſus cupiduſque ſciendi, quique cum viris Doctis frequenter verſabatur & multorum mores viderat & vrbes, ignorare non poterat fuiſſe olim ſcholas illas duplices vbique paſſim, quaſdam ſcilicet ex iis numero pauciores, publicas, celeberrimas, priuilegiiſque munitas, in certis tantum locis, iiſque celebrioribus & frequentioribus collocatas. Quales fuerunt Alexandrina in Ægypto: & Athenienſis in Græcia, toto Orbe decantatiſſimæ, Qualeſque deinde fuerunt ſub Imperatoribus Romanis Romana, Conſtantinopolitana, Berythenſis, quas certum eſt fuiſſe frequentiſſimas & plurimis priuilegiis decoratas à Theodoſio, Iuſtiniano & aliis Principibus Romanis. Alias vero longè maiori numero, in omnibus paſſim vrbibus, oppidis etiam & vicis ignobilioribus, certè in frequentiores & minus celebres.

Digitized by Google

Et ne extra Galliam pedem efferre neceſſe ſit, non adeò deploratæ erant tum in ea litteræ, nec ita memoria deleta prateritorum, vt non diſcere potuiſſet fuiſſe quoque in Gallia ſcholas duplices, Romanæ Ditionis. Vnas veluti Emporia publica, vt in Aquitania Burdigalenſem: in Occitaniâ Toloſanam: in Prouincia Narbonenſem: in Celtica Lugdunenſem. Alias in aliis Metropolibus, oppidis & vrbibus minoris famæ & celebritatis.

Alterum Exemplum ſumere potuit Carolus à Monachorum inſtituto & conſuetudine, ſi talis vſquam erat. Nam vt ante docuimus ex Trithemio, Benedictini, qui à ſui inſtituti primordiis ad litterarum profeſſionem ſe contulerunt, ſcholas habere voluerunt duplicis generis in ſuis Monaſteriis: in Minoribus quidem & infrequentibus Minores & priuatas, in Maioribus vero & famoſioribus Maiores, quas propter penuriam Profeſſorum Laïcorum & ſecularium, omnibus patere & publicas fieri voluerunt, ita vt vnicuique liberum eſſet etiam Extraneis, Secularibus, Laïcis, Clericis ad eas conuolare, vt de San-Gallenſi & Floriacenſi antea confirmauimus, vbi de ſcholis Cœnobialibus fusè egimus.

Quanquam autem pueri ab infantia Monachis ita traditi nullo voto ſe Cœnobiis adſtringebant, ſed exire poterant, cum lubebat, & vel vxores ducere, vel aulas Principum, aut militiam ſequi, vt ait Bruſchius in Monaſterio Augienſi, nihilominus plurimi acutioris ingenii Monachorum conſortio, legibus & inſtitutis aſſueti, partim verò à Monachis ineſcati & illecti Aſceticam vitam profitebantur, & Monaſticum habitum induere non grauabantur. Atque ita firmiſſimis quidem columnis Eccleſia fulciebatur: Reſpublica vero Temporalis, vt vocant, viris prudentibus, litteratis & peritis priuabatur, quorum conſilio, prudentiâ & peritiâ gubernari potuiſſet. Vnde ſæpenumero cogebantur Principes aſſumere Monachos ad tractanda Reipub. Gubernacula, quia illi ſoli ſatis ad id muneris periti eſſe videbantur.

Igitur Carolus communiori & generaliori bono conſulens ſeculares quodammodo litteras fecit & e Cœnobiis ad Palatium euocauit: vno verbo Vniuerſale Studium Romano ſimile Pariſiis inſtituit & collocauit. Hincque Vniuerſitatis nomen antea in Occidente pœnè incognitum inualeſcere cœpit, vt ait Langius in Chronico Citizenſi. *Nuſquam* inquit, *eo tempore per Germaniam inſtituta fuerunt Gymnaſia, imò & aliquot poſt ſeculis Academia, vel vt aiunt, Vniuerſitatis nomen illuſtre in omni pœne Occidentis Imperio incompertum fuerat. Præter enim Romanum vetuſtiſſimum & Pariſienſe tunc nouum, vt pote Caroli M. iuſſu, opitulamine & authoritate per noſtros Doctores Monachos fundatum, nullum in Hiſtoriis aliud Vniuerſale legimus extitiſſe ſtudium. Floruit itaque illâ ætate Sapientiæ in Cœnobiis ſtudium: proinde Reges, Principes cæterique nobiles ad diſcendum Dei timorem cum litteris liberos ſuos Monachis intra clauſtra tradiderunt inſtituendos.*

Non ademit verò Monachis Carolus docendi & profitendi licentiam, ſed certè reſtrinxit & coërcuit, probè intelligens Monachorum profeſſioni & Aſceticorum diuinis occupationibus varietatem ſcientiarum humanarum & profanarum, quas in Academiis ſecularibus docere neceſſe eſt, aduerſari: atque idcirco eorum inſiſtens veſtigiis & inſtituto, ſi quod tale tamen ante ipſum fuit, minores ſcholas in Epiſcopiis & Monaſteriis aut erigi voluit, ſicubi non eſſent, aut retineri, vbi iam fuiſſent inſtitutæ, ſimulque quot & quas artes in iis doceri vellet, præſcripſit. Qua de re ſic l. 1. Capitul. *Carolus ſiquidem conſtituit in ſingulis Monaſteriis & Epiſcopiis Scholas eſſe, vbi ingenuorum & ſeruorum filij Grammaticam, Muſicam & Arithmeticam docerentur.* Item c. 72. *Schola legentium puerorum fiant, pſalmos, horas, cantus, computum, Grammaticam per ſingula Monaſteria, vel Epiſcopia diſcant.* Item in Concil. Moguntino cap. 45. *dignum eſt vt filios ſuos donent ad Scholam, ſiue ad Monaſteria, ſiue foras Presbyteris, vt fidem Catholicam rectè diſcant & orationem Dominicam.* Idque repetitur l. 5. Capit. c. 59. Amplius vero an. 815. Aquiſgrani reſtrinxit Ludouicus Pius Monaſteriorum licentiam, ad ſolos Oblatos: ſic enim legitur in Additione *Conſtituit, vt Schola in Monaſterio non habeatur, niſi eorum qui Oblati ſunt.* En igitur quo prædicti Imperatores extendi voluerunt profeſſionem Monachorum, itaut ſi quid amplius auſi ſunt deinceps, neceſſe ſit eos contra Conſtitutiones feciſſe.

Quod verò ad ſcholas Epiſcopales attinet, circa eas ſtatuitur Capitul. l. 2. c. 5. *Schola ſanè ad filios & Miniſtros Eccleſia inſtituendos vel edocendos, ſicut nobis præte-*

Digitized by Google

ritotempore ad Attiniacum promiſiſtis, & vobis iniunximus, in congruis locis, vbi nec-dum perfectum eſt, ad multorum vtilitatem & profectum à vobis ordinari non negligantur. Et in Actis Synodi 2. Cabillonenſis, ſeu apud Cabillum Æduorum eodem Carolo regnante habitæ Patres ſic loquuntur. *Oportet etiam, vt ſicut Domnus Imperator Carolus præcepit, Scholas conſtituant, in quibus & litteraria ſolertia Diſciplina, & Sacræ Scripturæ documenta diſcantur; & tales ibi erudiantur, quibus meritò dicatur à Domino Math. 5. Vos eſtis Sal terræ, & qui condimentum plebibus eſſe valeant, & quorum doctrina non ſolùm diuerſis hæreſibus, verum etiam Antichriſti monitis & ipſi Antichriſto reuitantur.*

Ex his & aliis pluribus locis Fileſacus probat loco ſupra laudato in Epiſcopiis Scholas fuiſſe duplices; àlias pueris erudiendis deſtinatas; alias Clericis & Preſbyteris, quas & Theologicas iure appellari poſſe contendit; in quibus ſcilicet Sacra Scriptura docebatur, vt eius intelligentiâ muniti Clerici & Preſbyteri hæreticis facilius & fortius reſiſterent. Clerici, inquam, & Preſbyteri, non enim alij, quàm qui vel ſacræ militiæ deſtinabantur, aut qui iam ei nomen dederant, in iis ſcholis inſtrui ſolebant. Quod quidem non tantùm Caroli temporibus, ſed longè ante vſurpatum fuiſſe legimus. Nam Concilium Toletanum 2. quod circa an. 530. celebratum eſt, Cano. 1. ſic habet. *De his quos voluntas parentum à primis infantiæ annis in Clericatus officio poſuit, pariter ſtatuimus, vt mox cum Miniſterio electorum traditi fuerint, in Domo Eccleſiæ ſub Epiſcopali præſentia à Præpoſito ſibi debeant erudiri vſque ad annum ætatis* 18. Et concilium Toletanum 4. anno Chriſti 631. vel vt alij ſcribunt 636. habitum, *Prona eſt omnis ætas ab adoleſcentia in malum. Nihil enim incertius vitâ adoleſcentum. Ob hoc conſtituendum oportuit, vt ſi qui in Clero pueri aut adoleſcentes exiſtunt, omnes in Conclaui Atrij commorentur, vt lubricæ ætatis annos omnino non in luxuria, ſed in Diſciplinis Eccleſiaſticis agant, deputati probatiſſimo ſeniori, quem vt Magiſtrum Doctrinæ & teſtem vitæ habeant.*

Scholæ Publicæ. Iam vero ſcholas eiuſmodi nemo certe dixerit eſſe publicas, aut poſſe Academias vocari. Alia verò res eſt de Maioribus & Publicis, quas non vbique paſſim Carolus inſtitui voluit, vt priores, nec in Epiſcopiis aut Monaſterijs erexit, ſed in certis tantum locis, iiſque celeberrimis & frequentatiſſimis; nec plures tribus in toto Imperio, vnam quidem Lutetiæ, antequam eſſet Imperator, ſcilicet circa an. 790. vt vulgò ſcribunt Hiſtorici: reliquas duas in Italia, Papiæ & Bononiæ, poſtquam à Leone Pontifice proclamatus eſt circa an. 801. Occidentis Imperator. Ad has autem veluti ad Celebria quædam Emporia liberum patere voluit aditum & confluxum è minoribus quibuſcumque tanquam è ſeminariis, & veluti canaliculis ad fontem, & è riuulis ad Oceanum. Atque vt conſilium de Pariſienſis Vniuerſitatis erectione notum faceret omnibus ſuis ſubditis, hoc diplomate declarauit.

Diploma Caroli M. Carolvs Dei fretvs avxilio Rex Francorvm et Longobardorvm, ac Patricivs Romanorvm Religiosis lectoribvs nostræ Ditioni svbiectis. *Cum nos Diuina ſemper Domi foriſque Clementia ſiue in bellorum euentibus, ſiue pacis tranquillitate cuſtodiat, etſi rependere quidquam eius beneficiis humana tenuitas non poteſt, quia eſt ineſtimabilis miſericordiæ Deus noſter, deuotas tamen ſuæ ſeruituti approbat voluntates. Igitur quia cura nobis eſt, vt noſtrarum Eccleſiarum ad meliora ſemper proficiat ſtatus, obliteratam pæne Maiorum noſtrorum deſidiâ reparare vigilanti ſtudio* Litterarvm *ſatagimus* Officinam *& ad pernoſcenda* Artivm Liberalivm Stvdia *noſtro etiam inuitamus exemplo.*

Hoc ſolemne diploma quod alicubi ſeruatur in Bibliothecis Germanicis, (ad quod certè alludit Alcuinus Ep. 23. cum ait ad Carolum. *Vos ſemper amare & prædicare ſapientiam cognoſcebam, omneſque ad eam diſcendam* (Veſtro ſcilicet exemplo.) *exhortari*) legitur apud Middendorpium, vbi de Academia Pariſienſi: eiuſque meminit Auentinus (qui Lutetiæ ſtudebat circa an. 1485.) l. 4. Hiſtor. Bohem. vbi de Carolo M. verba faciens, *liberalia*, inquit, *Litterarum ſtudia pænè iam, vt ipſe Carolus ait, incuria Maiorum obliterata inſtaurare ſummopere connisus eſt, & vt ſui exemplo ad ea amplectenda cæteros inuitaret, ex Hibernia duos Scotos Clementem & Albinum acciuit, vt tum erant tempora, eruditiſſimos.*

Dolendum eſt certè Maiores noſtros tam parum rerum ſuarum fuiſſe curioſos, ſeu verius tam negligentes fuiſſe in conſignandis memoriæ & poſteritati ſuorum

rum temporum monumentum, vt ſi quid nobis in eis lucis & intelligentiæ affulget, eruendum ſit ex annalibus & ſcriptis Fxtraneorum: qui tamen quidquid habebant doctrinæ, e Gallia haurire ſolebant. Nec verò dubitamus, quin præallatum Caroli diploma longius ſit, quàm quod à Middendorpio refertur, idque ſatis patet ex verbis Auentini, & ex tota hiſtoria quam contexit. Vtinam aliquando totum quale fuit, veniat in manus noſtras, aut alicuius ex Academicis Pariſienſibus, qui hiſce Annalibus addere curet. Certè non tam conſtanter adſcriberent ſcriptores Germanici Carolo M. huius Vniuerſitatis inſtitutionem, niſi ex litteris ipſius, & ex diuturno, quod cum eo maiores ſui habuerunt, commercio, dum Aquiſgrani degeret, Saxonas debellaret, ad fidem conuerteret, & Oſnabrugenſem ſcholam fundaret, notum & perſpectum haberent.

Ex huiuſce autem Diplomatis verbis duo certiſſimè colliguntur. Vnum eſt, à Carolo ſcriptum fuiſſe & editum, cum eſſet Rex Francorum & Longobardorum ac Patricius Romanorum, nondum verò Imperator creatus, hoc eſt ante an. 800. quo vero anno præciſè illud ab eo editum ſit, non eſt facile dictu: quippe per annos 26. hæc nomina prætulit antequam fieret Imperator. Communis tamen opinio eſt ſcriptum & editum circa an. 790. aut certè illo tempore fundatam ab eo fuiſſe hanc Vniuerſitatem.

Alterum eſt, vnam aliquam ſcholam Maiorem & Publicam alicubi inſtitutam fuiſſe, non plures: cum dicat ſe velle *Litterarum Officinam* reparare, non *Officinas*: ad quam, non ad quas ſuos omnes ſubditos inuitat, ac proinde Conuentum & Emporium aliquod Publicum omnibus tam Clericis, quam Laïcis, tam Regularibus, quàm Secularibus patere voluiſſe. At per Deum immortalem, vbi officinam illam erexit & reparauit, niſi in Francia? quod omnes fatentur: & in Francia, vbi niſi Lutetiæ? quæ à Clodouæi temporibus Regni Francici ſedes primaria ſemper fuit teſte Gregor. Turon. l. 2. c. 38. & vbi multum elanguerant Muſæ incuriâ Martelli & deſidiâ Principum, vt ante retulimus. Nam de Papienſi ſeu Ticinenſi, aut de Bononienſi eum hîc loqui, ne ſuſpicioni quidem locus eſſe poteſt; cum certum ſit ex omnium Hiſtoricorum confeſſione illas aut inſtituiſſe aut inſtauraſſe poſt adeptum Occidentis Imperium.

Diſcrimina inter ſcholas Publicas & priuatas.

Quodnam eſt igitur, inquies, diſcrimen inter ſcholas illas Minores quæ in Epiſcopiis & clauſtris, aliiſque vrbibus ac oppidis, & Maiores Officinas, quæ in certis tantum quibuſdam locis pauciori numero collocantur? Multiplex eſt. 1. Ratione diſciplinæ, Nam in minoribus non exercentur vulgò omnes Artes omneſque diſciplinæ, ſed paucæ, & ad ſummum 7. artes Liberales: atque idcirco pauci ſunt profeſſores. At in Maioribus ſeu Academiis non modò Artes prædictæ, ſed & altiores quoque Diſciplinæ, Medicina, Ius canonicum aut Ciuile, & Theologia doceri ſolent. Vnde Vniuerſitatis nomen habuiſſe videntur, ſiquidem vniuerſa optimarum Artium ſtudia complectuntur, & multiplices in omni genere Diſciplinæ profeſſores.

2. Ratione loci. Scholæ enim Minores & vulgares vbilibet locorum conſtitui poſſunt, & reuera conſtituuntur in omnibus Epiſcopiis, oppidis, villis & vicis. At Academiæ ſeu Vniuerſitates non vbique paſſim, ſed ſelectis in locis collocari debent. Cum enim ad eas vndequaque fieri ſoleat diſcentium frequens concurſus, conſtitui neceſſe eſt in maiori aliqua ciuitate, ſalubri, à tumultu & ſtrepitu bellorum atque à finibus hoſtium remotâ. *Maiori* quidem, quales ſunt vrbes Regiæ & Regnorum Primariæ; quales olim Roma, Conſtantinopolis, Berytus, Athenæ, Alexandria: quales in noſtra Gallia Burdigala, Toloſa, Narbona, Lugdunum, Proconſulum Præſidumque Romanorum ſedes Primariæ. Hinc apud Iudæos tempore Ioſue Academia Dabir vocabatur, & antea Cariathſepher, hoc eſt Ciuitas litterarum, vt habent Biblia Græca: τὸ δὲ ὄνομα Δαβεὶρ ἦν πόλις γραμμάτων. *Salubris* quoque ſit neceſſe eſt, quia nihil æque nocet corporibus & proinde Studiis, ac corruptus aer: Qualis eſſe ſolet in paludoſis & inſalubribus locis. Hinc olim Muſæ in Montibus Parnaſſo, Pindo, & Helicone habitaſſe dicuntur. Poſtremo debet eſſe à turba tumultuque armorum remota: quia ſeceſſum amant & otia Muſæ, ſilentque inter arma bellorumque ſtrepitus. Hinc Philo ait 70. Interpretes Bibliorum ſecretum ac puriſſimum locum delegiſſe. Et Academia cæteraque Athenienſium Gymnaſia in ſuburbii loco nemoroſo ab vrbis ſtrepitu remota ſita erant.

3. Ratione Conditorum, Fundatorum & Inſtitutorum. Scholas enim priuatas & minores Monachus in Cœnobio, Canonicus in clauſtro, Epiſcopus in Epiſcopio, quilibet verò in priuatis locis accedente authoritate Principis, Magiſtratus aut Epiſcopi collocare poteſt. At Academias, ſeu Vniuerſitates inſtituere & fundare Soli Pontifices Max. Reges, Imperatores & ſupremi Principes, Reſpub. aut Senatus poſſunt, ne ſi à priuatis inſtituantur, ad ſeminanda potius vitia, quàm ad propagandas virtutes, ad euertendam Eccleſiam potius, quàm ad conſeruandam veram Religionem inſtitutæ videantur. Nam vt poſt Ariſtotelem ait D. Tho. in Tract. contra impugnantes Religionem, *ad eum qui Rempub. regit, pertinet ordinare de nutritionibus & inſtructionibus Iuuenum, in quibus exerceri debeant, vt dicitur 1. Eth. & Politia ordinat Diſciplinas, vt habetur. 1. Eth. quas debitum eſt eſſe in Ciuibus, & quales vnumquemque addiſcere, & vſquequo habeat.*

Renatus Chopinus l. 1. de ſacra Politia ait Regum & Principum eſſe dare Populo Doctores & adminiſtratores, adeoque ſingulariter curare Scholas. Et l. 3. de Domanio Franciæ tit. 27. ait in Regno Franciæ Academiarum erectionem ad ſolum Regem pertinere. *Regum planè munus eſt*, inquit, SCHOLASTICAS VNIVERSITATES *inſtituere, non Principum Galliæ inferiorum. Et ſanè in partibus Regaliorum percenſendis hanc non tranſmiſerunt ſilentio Raphael in Conſil. 162. Barbati. in Cap. per tranſlationem de Offic. Legat. Baldus* in l. 2. Cod. de Seruit. & Aq. *Vnde ſi fiduciarius Regulus Muſai Publici reſtituendi ac reformandi quibuſdam munus delegarit ſuo diplomate, puta in Ciuitate fiduciaria, exiſtimo Regiæ authoritatis ius imminutum. Siquidem & omnia alia Collegia eorumque Decreta illicita ſunt, niſi mandatis Principalibus indulgeantur, permittantur.*

Denique in hoc conueniunt omnes Authores, qui in L. Deo Authore C. de veteri iure enucleando, Doctorem creare Pontificis aut Principis eſſe affirmant. Azo Lucerna Iuris C. de Profeſſ. eligendos & præficiendos eſſe docet authoritate publica, cum Decreti interpoſitione. Hinc Solon Athenis legem tulit, vt neque Scholæ erigerentur, neque Philoſophorum quiſquam præeſſet, niſi id Magiſtratus decreuiſſet. Hinc quoque Ptolomæus Rex Alexandrinam Academiam inſtituit. Ninias Aſſyriorum Imperator Templa Deorum ornauit, & eruditorum hominum Scholas liberaliter auxit, nouaque quædam Gymnaſia erexit teſte Beroſo. Sic Romæ Athenæum Adrianus Cæſar condidit, & Athenis Romam Philoſophiæ ſtudia tranſtulit. Antoninus Romanam Academiam Authore Xiphilino fundauit, Conſtantius Æduenſem in Galliâ, Theodoſius Conſtantinopolitanam: alij alias.

4. Ratione Priuilegiorum, priuati enim homines priuilegia dare non poſſunt; nec proinde Scholæ Minores vlla ab iis accipere. Contra Academiæ, quia eriguntur & fundantur à ſummis Principibus: atque ideo Studia Generalia dicuntur, quia vt ait Guimerius in proœmio Pragmat. Sanct. ſtudium habent ex Priuilegio, vel ex conſuetudine, cuius ſcilicet initij non eſt memoria. & citat Gloſſ. & Doctores in Clem. Dudum §. in Stud. de Sepul. Doct. in Cap. 2. de Priuileg. in 6. *Et licet*, inquit, *iura poſſint legi in villis aut Caſtris & vbique, non enim eſt timor vt peruertantur, cum volumina ſint hodie notiſſima & multum commentata, talis tamen locus non habebit Priuilegia* STVDII GENERALIS, *niſi ei indulgeatur à Principe, vel conſuetudine immemoriali, vt notat Barthol. in Præmio FF. Panormit. in C. de Cleric. non reſid.* Hinc Goblinus Perſona qui vixit vſque ad an. 1418. quinque tantum ſtudia Generalia Priuilegiata commemorat: cætera vocat Studia particularia. *Sciendum*, inquit, *quod quinque ſint Studia Generalia ſingulariter Priuilegiata. Videlicet Romanum, vbi Papa cum Curia ſua reſidet: Pariſienſe in Francia: Bononienſe in Italia: Oxonienſe in Anglia, & Salmaticenſe in Hiſpania. Cætera verò Studia aliter quàm per Apoſtolicam ſedem Priuilegiata, particularia reputantur.* hodie longè plura ſunt.

Denique non plus ſtare poſſunt Studia Generalia ſine Priuilegiis, quàm corpus ſine anima. Et in hoc conſentiunt omnes, qui de Academiis ſcripſerunt. Vnde fit, vt eò celebriores eſſe ſoleant Academiæ, quò plura & ampliora obtinuerunt & poſſident priuilegia. Hinc tam celebris olim Athenienſis, Alexandrina, Conſtantinopolitana, Berytenſis, Romana, apud quas eò dignitatis Præfecti Auditorio Scholaſtico efferebantur, vt iidem eſſent Magiſtri ſacræ memoriæ in Palatio, ſeu Magiſtri libellorum, qui in Schola erant Profeſſores, inquit Chopinus. Hinc Cæſareis legibus Profeſſores Legum donati ſunt Comitiua primi Ordinis, vt vocant,

& Vicaria illa dignitate, quæ Prouinciarum olim Rectoribus deferebatur. Leg. Iuſtin. De Priuilegiis Publicorum Profeſſorum in Titulo de Profeſſoribus vrbis Conſtantinopolitanæ. Et Titulo de Profeſſor. & Medic.

5. Denique diſcrepant Scholæ Priuatæ & minores à Publicis & maioribus ſeu Studiis Generalibus ratione regiminis. Nam Priuatæ non habent eam regendi Muſæi & exercendæ diſciplinæ rationem, quam habent Studia Generalia, ſeu Academiæ & Vniuerſitates. *Academia enim*, vt rectè notat Adamus Contzen, *conſtat Docentium & Diſcentium multitudine, priuilegiis & quadam veluti Republica litterarum.* Hinc Academiæ ad ſui regimen multiplici Magiſtratuum ſeu Officiariorum, item & Miniſtrorum genere, Rectoribus, Cancellariis, Conſeruatoribus priuilegiorum; & ſecundum varias diſpoſitiones & inſtitutiones, Decanis, Procuratoribus Facultatum variarum & Nationum. Item Procuratore Generali, Scriba, Quæſtore, Apparitoribus ſeu Bidellis, qui faſces præferant Magiſtratibus, Nunciis aliiſque eiuſmodi. In iis habentur Comitia certis temporibus, leges & ſtatuta conduntur. Ius certis diebus dicitur, & alia multa obſeruantur, quæ certè in priuatis & minoribus Scholis non reperiuntur.

Iam verò ſi quis quinque iſta diſcrimina, quæ inter Scholas vulgares, ſeu Priuatas, & Academias ſiue Studia Generalia atque Publica intercedunt, accuratè examinet & perpendat, facilè iudicabit non Scholam qualemcumque, nec Officinam priuatam litterarum Lutetiæ fuiſſe à Carolo M. inſtitutam, ſed Veram Academiam, Publicam Scholam, Studium Generale, vno verbo Nobiliſſimam Vniuerſitatem. Nam in ipſis etiam incunabulis, & vix bene incboato Embrione nullum eſt fere diſciplinarum genus, quod in Scholis Palatinis non fuerit exercitum: vt ex dicendis conſtabit.

De Amplitudine verò Vrbis Pariſienſis, deque celebritate, ſalubritate & amœnitate dubitari non poteſt. Abbo San-Germano-Pratenſis Monachus, qui Caroli ſeculo vixit, Obſidionem vrbis à Normanis, cuius ipſe ſpectator fuit, deſcribens ad an. 886. de ea ſic habet,

Nam medio Sequanæ recubans, culti quoque Regni
Francigenum temet ſtatuis, Præcelſa, canendo
Sum Polis, vt Regina micans omnes ſuper vrbes.
Quæ ſtatione nites cunctis venerabiliori;
Quiſque cupiſcit opes Francorum, te veneratur.
Inſula te gaudet. Fluuius ſua fert tibi gyro
Brachia complexo muros mulcentia circum:
Dextra tui Pontes habitant, Tentoria lympha
Lænaque claudentes.

Tunc ergo Regina Vrbium iam erat Lutetia; tunc iam erat celeberrima & opulentiſſima, ab omnibus etiam extraneis frequentata. Itaque ſi Carolus in celebri loco litteratum Officinam collocare voluit, quo in celebriori potuit? Sed omnium optimè & elegantiſſimè Lutetiæ laudes complexus eſt Ioannes Hautiuillenſis, vulgo dictus Archithrenius, qui licet longè poſt Carolum vixerit, nempe circa an. 1170. non videtur tamen nouas afinxiſſe Lutetiæ laudes, cum ſic loquitur.

Exoritur tandem locus, altera Regia Phœbi,
Pariſius, Cyrrhæa viris, Chryſæa metallis,
Græca libris, Inda Studiis, Romana Poëtis,
Attica Philoſophis, Mundi roſa, balſamus Orbis,
Sidonis Ornatu, ſua menſis & ſua potu,
Diues agris, fæcunda mero, manſueta Colonis,
Meſſe ferax, inoperta rubis, nemoroſa racemis,
Plena feris, fortis Domino, pia Regibus, aurâ
Dulcis, amœna ſitu, bona cuilibet, omne venuſtum,
Omne bonum, ſi ſola bonis fortuna faueret.

De authoritate Fundatoris neque fas eſt dubitare, aut detrahendum illi nomen Caroli Magni. Quod autem Vniuerſitati ſuæ priuilegia conceſſerit, nobiliorique & illuſtriori regimine, quàm ſcholas vulgares & Priuatas regi & adminiſtrari voluerit, ad calcem primi ſeculi docebimus.

Porro licet ea quæ hactenus retulimus, ſatis clarè demonſtrate videantur Academiam Pariſienſem a Carolo M. inſtitutam fuiſſe & erectam : quia tamen hæſitant id aſſerere nonnulli, proptérea quod nullum Inſtitutionis extat huiuſmodi Diploma præter illud quod ſupra relatum eſt, ſcilicet antiquiora illa tempora ſuis temporibus & hodiernâ conſuetudine metientes: Alij verò, fuiſſe quidem ab eo inſtitutam aliquam Academiam fatentur, ſed Turonis, non Lutetiæ poſitam fuiſſe contendunt. Alij denique Scholas ab illo Principe Lutetiæ inſtitutas fuiſſe non negant, at non alîus generis, quàm quæ in aliis vrbibus erant, Academiam vero noſtram ſeu Vniuerſitatem à Philippo Auguſto aut eius ſeculo erectam arbitrantur: idcirco operæ pretium eſſe ducimus, vt omnem ex animis ſcrupulum euellamus, antequam Annales noſtros contexere aggrediamur, tres producere Scriptorum acies, primæ, mediæ & poſtremæ ætatis: atque Academiæ Pariſienſis fundationem inſtitutionemque antiquam & Carolinam conſtanti eorum authoritate confirmare. Prima ergo acies Scriptorum erit eorum, qui à temporibus Caroli M. hoc eſt ab an. circiter 790. vſque ad annum 1200. ſcripſerunt. Secunda eorum qui ab an. 1200. vſque ad an. 1400. fuerunt & floruerunt. Poſtrema denique eorum, qui ab anno 1400. ad noſtra vſque tempora eidem veritati ſubſcripſerunt. Quibus peractis Dubitantium & Negantium rationes aut falſas eſſe, aut nullius eſſe momenti demonſtrabimus.

VNIVERSITATIS PARISIENSIS INSTITVTIOnem, ſeu fundationem Carolo Magno deberi probatur authoritate Scriptorum primæ ætatis.

Authores 1. ſeculi ab an. 790.

IGitur prodeant in arenam Scriptores primæ ætatis: & primum illi, qui regnante Carolo, & toto primo Vniuerſitatis ſeculo ſcripſerunt, ſcilicet ab anno Chriſti circiter 790. vſque ad annum 900. à quibus par eſt veritatis, quam aſſerimus, fundamentum accipere. Agmen vero ducat Dux ipſe Carolus, qui publicatum litterarum ſignificatione notum eſſe voluit ſuis omnibus Subditis velle ſe Muſarum Officinam reparare. *Igitur*, inquit, *quia cura nobis eſt, vt noſtrarum Eccleſiarum ad meliora ſemper proficiat ſtatus, obliteratam pæne Maiorum noſtrorum deſidia reparare vigilanti ſtudio Litterarum ſatagimus Officinam.* Integrum Diploma, quale refert Middendorpius, ſupra retulimus. Ecce ergo Litterarum Officinam procul dubio in Gallia: non enim in Saxonia aut Lombardia, quas Ditiones nondum tunc planè ſibi ſubiecerat: non in Germania, tunc enim erat ſolummodo Rex Francorum & Patricius Romanorum, nondum Imperator. Adde quod credibile non eſt eum ſpretâ Galliâ, quam auito iure poſſidebat, Officinam illam alibi extra collocaſſe.

Ac ne quis de Gallia dubitet, facit Alcuinus Caroli Præceptor, qui Ep. 10. eum laudat mirificè, ſupraque cæteros Mortales extollit, quod Officinam celebrem, quam ille Athenen nouam vocat, in Francia inſtitutam abſoluere conaretur. *Nec faſtidioſa*, inquit, *ſegnicies Legentium beneuolentiæ Magiſtri iuſtè deputari debet, ſi plurimis inclytum veſtræ intentionis ſtudium ſequentibus forſan Athene noua perficeretur in Francia: imò multò excellentior: quia hæc Chriſti Domini nobilitata Magiſterio omnem Academicæ exercitationis ſuperat ſapientiam. Illa tantummodo Platonis erudita Diſciplinis, ſeptenis informata claruit Artibus, hæc etiam inſuper ſeptiformis S. Spiritus plenitudine ditata omnem ſecularis Sapientiæ excellit dignitatem.*

Hæc verba qui leget, poterit ne dubitare, quin famoſa illa Officina fuerit in Gallia conſtituta? Quod ſi nomen Franciæ hic accipiatur, vt accipi debet iuxta vocabuli proprietatem, *Pour le Pays de France*, quis inficias ire poſſit, quin Athene illa noua Lutetiæ collocata fuerit, quæ Franciæ propriè dictæ caput eſt, & Regum ſedes Primaria iam inde à primis Francorum Regibus? vt ſupra ex Gregorio Turon. probauimus: vnde hæc Alcuini verba referens & explicans Ioannes Colgannus in lib. de Actis Sanctorum Hiberniæ, vbi de S. Clemente, ſubdit. *Vbi enim tum in Francia eſſet hæc Athene noua & excellentior veteri Græcorum, niſi Pariſius?*

vbi conſtat Academia nobiliſſima Lutetiarum iacta tum fundamenta, antequam Alcuinus vel hac ſcripſit, vel in Franciam venit. Contendit enim hic Author Claudium Clementem, qui Antiſſiodorenſis fuit Epiſcopus, ante Alcuinum fuiſſe ſcholæ Pariſienſis inſtitutorem : quâ de re nos alibi.

De eadem certe ſchola intelligendus Ionas Epiſcopus Aurelianenſis, qui & Carolum videre potuit, & ſub Ludouico Pio floruit. Is lib. de Cultu imagin. ait, ex eo quod Carolus litterarum Diuinarum & Humanarum Gymnaſium in Gallia fundauerat, Galliam abundaſſe viris doctis, qui Hæreticorum aſtutias & ſophiſmata retunderent, atque eam ob rem non infectam fuiſſe hæreſi & peſte Felicianâ. *Quoniam*, inquit, *non ſolum apud Germaniam ſtudium Litterarum & amor Diuinarum ſcripturarum, verum etiam apud eandem Galliam eiuſdem memorabilis viri*, ſcilicet Caroli *M. ſolertiſſimo ſtudio & feruentiſſimo deſiderio actum eſt, vt Domino opem ferente in ſibi commiſſis Eccleſia filiis & Liberalium artium apprimè Diſciplina & Diuinarum ſcripturarum perfecta polleret intelligentia.*

Ex his verbis videtur apud Germaniam quoque fuiſſe publicum aliquod ſtudium à Carolo inſtitutum. Et reuera docet Crantzius lib.1. Metropol. eum in Saxonia Eccleſiam Oſnabrugenſem tum primum ædificaſſe, in eaque ſcholas Græcæ & Latinæ facundiæ fundaſſe : atque id colligit ex verbis Imperatorij Diplomatis quæ ſunt eiuſmodi. *Et ea de cauſa ſtatuimus, quod in eodem loco Græcas & Latinas Scholas in perpetuum manere ordinauimus: nec vnquam clericos vtrinſque Lingua gnaros deeſſe confidimus. Et vt hæc authoritas firmior habeatur & diuturnis temporibus melius conſeruetur, manu propria ſubter ea roborare decreuimus & annulo noſtro ſigillare iuſſimus. Datum 3. Kal. Ian. an. 4. Chriſto propitio Imperij noſtri, 37. Regni noſtri in Francia.* Videatur ſi lubet integrum Diploma.

Sed quibus Adiutoribus hanc Academiam Carolus inſtituit, & vnde Magiſtros acciuit? Conſtans eſt omnium veterum opinio eum Anglorum Scotorumque quorundam opera vſum fuiſſe, atque ex Italia quoque plurimos Magiſtros mercede propoſita euocaſſe. Item ex vrbe Româ, ſeu potius ex Academia Romana formam quandam Regiminis mutuatum in ea inſtituiſſe. Multos vero Extraneos fama liberalitatis excitos oſtentandi ingenij & doctrinæ exercendæ cauſa Lutetiam vndequaque confluxiſſe.

Teſtantur Annales Anglici, Germanici, Italici & Noſtrates Complures Alcuinum Natione Anglum, patria Eboracenſem, ordine & ſtatu Diaconum, Bedæ olim Diſcipulum ad Carolum noſtrum primò miſſum fuiſſe ab Offa II. Merciorum Rege Legati nomine: deinde poſt obitam Legationem aſſumptum ab eo in Præceptorem: demumque rogatum, vt inſtituendæ iuuentutis curam ſuſciperet: cuius precibus cum ille acquieuiſſet, ſociis Diſciplinæ aduocatis tantam ſibi famam tum in Artibus Liberalibus, tum in Theologia comparaſſe, vt veluti ad rem nouam & pœne Diuinam Omnes vndique diſcendi ſtudio concurrerint.

Nonnulli tamen contendunt Alcuinum non primum fuiſſe Publici ſtudii inſtitutorem, ſed duos Monachos ſeu Scotos, ſeu Hibernos qui cum Mercatoribus Anglis in Galliam aduenerant clamitantes ſe ſcientiam habere vænalem: atque ex iis quæſiuiſſe Carolum, quid & quantum vellent, pactoque demum pretio illis loca ad docendum idonea aſſignaſſe, victum honeſtum prouidiſſe, & Diſcipulos eorum curæ & Diſciplinæ commiſiſſe. Mox verò peruulgatâ eius rei famâ Alcuinum cum aliis multis operam laboreſque ſuos Regi obtuliſſe, ab eoque ſcholarum Pariſienſium regimini deputatum. Equidem valde probabile eſt Alcuinum non veniſſe cum Hibernis illis, nec ſcientiam vænalem clamitaſſe, tum quia Ep. 23. ad Carolum ait ſe inter cæteros Adiutores ad inſtituendam in Francia Sapientiæ Scholam de vltimis Britanniæ finibus adſcitum : tum quia certum eſt ex hiſtoria Legatum ab Offa fuiſſe miſſum, vt de fœdere inter eos ineundo, commeatuque conſeruando ageret: ac proinde cum Alcuinus Lutetiæ Scholam inſtituere & aperire meditatus eſt, non potuit eſſe Carolo ignotus.

Hiſtoriam autem vænalis ſcientiæ, quæ inſtituendæ huic Academiæ occaſionem dediſſe dicitur, è veteribus omnium fuſiſſimè proſequitur Monachus Sangallenſis, quem proprio nomine Notkerum Balbulum Goldaſtus appellat, quemque ſupra diximus in Scholis publicis San-Gallenſibus docuiſſe. Is duos libros de Geſtis Ca-

rolli Magni conſcripſit ; quos ait l. 2. c. 26. balbum ſe & edentulum ſcripſiſſe, eoſque Carolo Craſſo Caroli noſtri pronepori dedicauit. Ac proinde ſi Carolum M. non vidit, ſaltem ab iis qui ſcholarum Pariſ. regimini inter initia præpoſiti fuerant, aut ab aliis, qui quid geſtum fuiſſet, audierant, id quod refert accipere potuit. Et reuera citat Hiſtoriæ ſuæ teſtes locupletiſſimos. Nam librum primum quem de RELIGIOSITATE & ECCLESIASTICA DOMINI CAROLI CVRA inſcripſit, ait in præfatione lib. 2. proceſſiſſe ex ore Wernberti Sacerdotis. Quaſi eo dictante excepérit. Alterum, cui hunc titulum præponit DE REBVS BELLCIS CAROLI M. affirmat ſe conſcripſiſſe ex narratione ADALBERTI patris eiuſdem Wernberti, qui cum Domino ſuo Kerardo Huniſco & Sclauico bello interfuerat.

Porro Adalbertus ille filius erat Sigulfi veteris, Alcuini quondam Diſcipuli : & ipſemet eundem quoque valde ſenem cum multis aliis Condiſcipulis Turonis docentem audiuerat. Wernbertus verò Adalberti filius cum Hardinundo fuerat Rabani Diſcipulus teſte Trithemio in Chronico Hirſaugienſi, & ipſius Notkeri Balbuli Magiſter: ſiquidem in illa præfatione ait Balbulus eum deceſſiſſe ſeptem dies antequam partem illam hiſtoriæ ſcriberet : & ipſâ die quâ ſcribebat quæ erat 3. Kal. Iunij commemorationem illius eſſe agendam *Filiis orbis & Diſcipulis.*

Itaque non videtur vlla rei præteritæ memoria ſeu hiſtoria pluribus poſſe fulciri indiciis & circonſtantiis veris aut veriſimilibus, quam San-Gallenſis : ſiquidem tota nititur fide duorum Diſcipulorum Alcuini & Rabani, qui de primis fuerunt Academiæ Pariſienſis Doctoribus & Magiſtris. Quæ quidem hiſtoria licet non ignoraretur à primæ & mediæ ætatis ſcriptoribus, quia tamen incuriâ ſucceſſorum diu iacuit in tenebris, à nonnullis poſtremæ ætatis vt falſa & fictitia relecta eſt, donec tandem è veteribus Bibliothecis Germanicis eruta eſt ab Henrico Caniſio & in lucem emiſſa an. 1601. ſed hac de re infra. Igitur Monachus ille San-Gallenſis præmiſſo Titulo lib. de Religioſitate Caroli, ſic incipit cap. 1.

OMNIPOTENS *Regum diſpoſitor, ordinatorque Regnorum, & temporum cum illius admirandæ ſtatuæ pedes ferreos vel teſtaceos comminuiſſet in Romanis: alterius non minus admirabilis ſtatuæ caput aureum per illuſtrem Carolum erexit in Francis. Qui cum in occidui mundi partibus ſolus regnare cœpiſſet, & ſtudia litterarum vbique propemodum eſſent in obliuione, contigit duos Scotos de Hibernia cum mercatoribus Britannis ad littus Galliæ deuenire, viros & in ſecularibus & in ſacris ſcripturis incomparabiliter eruditos. Qui cotidie cum nihil oſtenderent vanale, ad conuenientes emendi gratia turbas clamare ſolebant,* SI QVIS SAPIENTIÆ CVPIDVS EST, VENIAT AD NOS ET ACCIPIAT EAM, NAM VÆNALIS EST APVD NOS. *Quam tamen idcirco ſe vanalem habere profeſſi ſunt, quia populum non gratuita ſed vanalia mercari viderunt: vt ſic vel ſapientiæ ſicut cæteris rebus coëmendis eos incitarent, vel ſicut ſequentia probant, per tale præconium in admirationem verterent & ſtuporem. Denique tandiu conclamata ſunt iſta, donec ab admirantibus vel inſanos illos putantibus ad Caroli Regis ſemper amatoris & cupidiſſimi ſapientiæ perlata fuiſſent. Qui ſub omni celeritate ad ſuam eos præſentiam euocatos interogauit, ſi verè, vt ipſa fama comperit, ſapientiam ſecum haberent: Qui dixerunt,* ET HABEMVS EAM, ET IN NOMINE DOMINI DIGNE QVÆRENTIBVS DARE PARATI SVMVS. *Qui cum inquiſiſſet ab illis, quid pro ipſâ peterent, reſponderunt,* LOCA TANTVM OPPORTVNA, ET ANIMAS INGENIOSAS, ET SINE QVIBVS ISTA PEREGRINATIO TRANSIGI NON POTEST, ALIMENTA ET QVIBVS TEGAMVR. *Quo ille percepto ingenti gaudio repletus, primum quidem apud ſe vtrumque paruo tempore tenuit; poſtea verò cum ad expeditiones bellicas vrgeretur, vnum eorum nomine Clementem in Gallia reſidere præcepit, cui & pueros nobiliſſimos, mediocres, & infimos ſatis multos commendauit, & eis prout neceſſarium habuerunt, victualia miniſtrari præcepit, habitaculis opportunis ad habitandum deputatis. Alterum vero in Italiam direxit, cui & Monaſterium S. Auguſtini iuxta Ticinenſem vrbem delegauit, vt qui illuc ad eum voluiſſent, ad diſcendum congregari potuiſſent.*

Audito autem Albinus de natione Anglorum, quod gratanter ſapientes viros religioſiſſimus Regum ſuſciperet, conſcenſâ naui venit ad eum. Qui erat in omni latitudine ſcripturarum ſupra cæteros modernorum temporum exercitatus, vt pote Diſcipulus doctiſſimi Bedæ peritiſſimi poſt S. Gregorium Tractatoris. Quem vſque ad finem vitæ iugiter ſecum retinuit, niſi quando ad ingruentia bella proceſſit, adeo vt ſe Diſcipulum eius & ipſum Magiſtrum

Digitized by Google

ſuum appellare voluiſſet. Dedit autem illi Abbatiam S. Martini iuxta Turonicam Ciuitatem, vt quando ipſe abſens eſſet, illic requieſcere & ad ſe confluentes docere deberet. Cuius in tantum Doctrina fructificauit, vt moderni Galli ſiue Franci antiquis Romanis vel Athenienſibus æquarentur.

Cumque victorioſiſſimus Carolus poſt longum tempus in Galliam reuerteretur, præcepit ad ſe venire pueros, quos Clementi commendauerat, & offerre ſibi Epiſtolas & carmina ſua. Mediocres igitur & infimi præter ſpem omnibus ſapientiæ condimentis dulcoratas obtulerunt; Nobiles verò omni fatuitate tepentes præſentarunt. Tunc ſapientiſſimus Carolus æterni Iudicis Iuſtitiam imitatus, bene operatos ad dextram ſegregatos his verbis allocutus eſt, MVLTAS GRATIAS HABETE FILII, *quia iuſſionem meam & vtilitatem veſtram iuxta poſſibilitatem exequi fuiſtis intenti. Nunc ergo ad perfectum attingere ſtudete, & dabo vobis Epiſcopia & Monaſteria permagnifica, & ſemper honorabiles eritis in oculis meis. Deinde ad ſiniſtros cum magna animaduerſione vultum contorquens & flammato intuitu conſcientias eorum concutiens, ironicè hæc terribilia verba intonando potius quàm loquendo iaculatus eſt in illos.* VOS NOBILES, *vos Primorum Filij, vos delicati & formoſuli in natales veſtros & poſſeſſiones confiſi mandatum meum & glorificationem veſtram poſtponentes, litterarum ſtudiis neglectis, luxuria, ludo & inertiæ vel inanibus exercitiis indulſiſtis. Et his præmiſſis ſolitum ſibi iuramentum, Auguſtum caput & inuictam dexteram ad cœlum conuertens, fulminauit. Per Regem Cœlorum non Ego magnipendo Nobilitatem veſtram & pulchritudinem veſtram, licet alij vos admirentur. Et hoc procul dubio ſcitote, quia niſi citò priorem negligentiam vigilanti ſtudio recuperaueritis, apud Carolum nihil vnquam boni acquiretis.*

Ita promouebat Carolus ſtudia litterarum, præmia bene meritis proponens, pœnas & indignationem pigris & deſidibus minitans. In rebus verò ſacris dolebat ſe paucos habere Theologos qui excellerent; quique longè abeſſent à doctrina & virtutibus SS. Hieronymi & Auguſtini, vt narrat idem author c. 9. *Generoſiſſimus*, inquit, *Carolus per totum Regnum ſuum ſtudia litterarum florere conſpiciens, ſed ad maturitatem patrum præcedentium non peruenire condolens, & plusquam mortale laborans in hanc tædiatus vocem erupit. O vtinam haberem 12. Clericos ita doctos omnique ſapientia ſic perfectè inſtructos, vt fuerunt Hieronymus & Auguſtinus: ad quod doctiſſimus Albinus ex illorum comparatione meritò ſe indoctiſſimum iudicans, in quantum nullus mortalium in conſpectu terribiliſſimi Caroli audere præſumeret; maximâ indignatione conceptâ & parumper oſtenſâ*, CREATOR COELI ET TERRÆ SIMILES ILLIS PLVRES NON HABVIT, ET TV VIS HAEERE DVODECIM.

Hæc hiſtoria, vt dictum eſt, cum Authore ſuo diu ſub puluere iacuit, nec ante an. 1601. prodiit in lucem, cum ſcilicet Henricus Caniſius excuſſam, & ex codice Monacenſis Bibliothecæ Bauaricæ exſcriptam, deinde cum alio MS. Cœnobij Moiſſiacenſis diligenter collatam publicauit. Et tum agnitum eſt plagium Chronologiſtæ Arelatenſis, qui non modò hiſtoriam illam refert, ſed eadem plane verba tranſcripſit exceptis paucis, ſuppreſſo germani & veri nomine authoris. Vnde factum, vt quotquot mediæ ætatis Hiſtorici ea de re ſcripſerunt, eam omnes ex Chronico Arelatenſi referant, & ad illud remittant Lectorem: quod quia non extabat, nec vllibi reperiri poterat, nec vllus authorum aiebat ſe illud vidiſſe & legiſſe, idcirco à nonnullis Poſterioribus habitum eſt pro commentitio, præſertim à Paſchaſio: ſed tandem Caniſij diligentiâ verus Author repertus, qui legitur in 2. Tomo veterum Hiſtoriæ Francicæ ſcriptorum, omnem dubitandi locum abſtulit.

Ad eandem hiſtoriam Hibernorum alludit Erricus Antiſſiodorenſis in Epiſtolâ dedicatoria ad Carolum Caluum, quam alio loco integram referemus, nimirum ad an. 870. Sic autem habet inter cætera. *Multa ſunt tuæ monumenta clementiæ, multa ſymbola pietatis: illud vel maximè tibi æternam parat memoriam, quod famatiſſimi aui tui Caroli ſtudium erga immortales Diſciplinas non modo ex æquo repræſentas, verum etiam incomparabili feruore tranſcendis, dum quod ille ſopitis eduxit cineribus, tu fomento multiplici tum Beneficiorum, tum authoritatis vſquequaque prouehis.* Et paulo poſt. *Quid Hiberniam memorem contempto pelagi diſcrimine pæne totam cum grege Philoſophorum ad littora noſtra migrantem? quorum quiſquis peritior eſt, vltro ſibi indicit exilium, vt Salomoni ſapientiſſimo famuletur ad votum.* Hinc intelligitur plurimos alios Scotos & Hibernos diuulgatâ Carolinæ inſtitutionis famâ toto illo ſeculo Pariſios conuolaſſe.

At, inquiet aliquis, Eginhartus qui tam ſtudioſè & accuratè Caroli vitam hiſtoriamque contexuit, neque Scotorum neque hibernorum illorum meminit, qui tamen longè certius, quàm qui deinde ſcripſerunt, rem eiuſmodi ſcire potuit & referre, cum eſſet Carolo à Secretis & ab Epiſtolis, eique ſuperſtes vixerit. Diſtinctè quidem non meminit, ſed paucis tamen verbis & generalibus hiſtoriam prætallatam comprehendit. Clarè hæc de Alcuino. *In diſcenda Grammatica Petrum Piſanum Diaconum ſenem audiuit: in cæteris Diſciplinis Albinum cognomento Alcuinum, item Diaconum de Britannia Saxonici generis hominem virum vndecumque Doctiſſimum præceptorem habuit.* Et alio loco ſuppreſſis aliorum Magiſtrorum nominibus, quos Carolus peregrè aduenientes, aut euocatos ſuſcipiebat, ait tantam eorum fuiſſe multitudinem, vt non modò Palatio, ſed toti ipſi Regno eſſet grauis & onerosa. *Amabat*, inquit, *Peregrinos & eorum ſuſcipiendorum magnam habebat curam: adeo vt eorum multitudo non ſolum Palatio, verum etiam Regno non immeritò videretur onerosa. Ipſe tamen pro magnitudine animi huiuſmodi pondere minimè grauabatur, cum etiam ingentia incommoda laude liberalitatis & bonæ famæ mercede compenſaret.* Itaque Eginhartus, breuiter & generatim, vt ſolent Epitomaſtæ, rem complexus eſt: vt & multi alij, qui eo ſæculo ſcripſerunt, quorum abſtineo verba referre, quia non apertius loquuntur.

Nec ab eadem Hiſtoria abludit Alcuinus Ep. 23. ad Carolum: quanquam enim nihil de ſcientia illa vænali dicit, ſatis tamen indicat complures viros Doctos ex Britannia, vt & complures alios aliunde à Carolo præmiis & honoribus ad emigrandum ſollicitatos fuiſſe. *Veſtram optimam ſollicitudinem D. mi David ſemper amare & prædicare ſapientiam cognoſcebam, omneſque ad eam diſcendam exhortari; imò & præmiis honoribuſque ſollicitare, atque ex diuerſis mundi partibus Amatores illius, veſtræ bonæ voluntatis adiutores conuocare ſtuduiſſe: inter quos me etiam infimum eiuſdem Sanctæ Sapientiæ vernaculum de vltimis Britanniæ finibus adſciſcere curaſtis.*

Poſſemus prædictis authoritatibus addere ea quæ habentur in Actis Concilij VI. Pariſienſis an. 829. habiti, vbi fit mentio trium Scholarum Publicarum à Carolo inchoatarum: authoritatem Lupi Ferrarienſis in Ep. ad Æneam Epiſcopum Pariſienſem: Nicolai I. Pontificis de Ioanne Scoto Studij Pariſienſis Capitali: Flodoardi & aliorum, qui Scholarum Pariſienſium meminerunt aut meminiſſe videntur. Verum in hiſtoria primi ſeculi eorum teſtimonia ſuis locis commodius referemus, ne quam nunc tractamus Quæſtionem, authoritatum numero obruamus.

Schola Publica in Palatio.

At ſi Lutetiæ Pariſiorum Scholam Publicam inſtituit Carolus, quo in loco quaque in parte vrbis collocauit? In Palatio: vt ſuâ præſentiâ Magiſtros ad fideliter docendum impelleret, & iuuenes exemplo ſuo ad ſtrenuè & impigrè ſtudendum incitaret & accenderet. Si quando enim belli curas intermittebat, concertationibus & diſputationibus Scholaſticis intereſſe delectabatur, & tam Magiſtros quam diſcipulos variis quæſtionibus exercebat; quas ſi diſſoluere non poterant, earum ſolutionem ab Archididaſcalo Alcuino repetebat, etiam poſtquam relictis ſcholis Palatinis Turonas conceſſit: imo nonnunquam vt veniret ipſe, flagitabat. Qua de re ſic Alcuinus Ep. 25. ad Homerum ſuum. *Miror cur Flaccinæ pigritiæ ſocordiam ſeptiplicis ſapientiæ decus Dulciſſimus meus David* (Sic ſæpe Carolum vocat, & Ludouicum filium, Salomonem) *interrogare voluiſſet de Quæſtionibus Palatinis emeritæque hominem militiæ in caſtra reuocare pugnantia, vt tumultuoſas militum mentes ſedaret: dum ſecularis litteraturæ libri & Eccleſiaſticæ ſoliditatis ſapientia, ſicut iuſtum eſt, apud vos inueniuntur; in quibus ad omnia quæ quæruntur, veræ inueniri poſſunt reſponſiones.*

Et Ep. 106. ad Carolum ipſum Imperatorem, a quo per litteras de quibuſdam fuerat Quæſtionibus interrogatus Academicorum ſeu Magiſtrorum Palatinorum nomine, ſic reſpondet. *Mirabilis ſapientiæ veſtræ litterarum ſerie perlecta inuenimus eas eloquentiæ nitore ſplendidas & profunditate ſenſuum ſubtiliſſimas, & inquiſitionis gratiâ iocundiſſimas. Vnde patenter agnoſci poterit non tantum Imperatoriam veſtræ prudentiæ poteſtatem à Deo ad ſolum mundi regimen, ſed maximè ad Eccleſiæ præſidium & ſapientiæ decorem conlatam, & Iuuenum mentes, quadam inertiæ rubigine obductas ad acumen ingenij per veſtram ſanctiſſimam ſolertiam elimandas.*

Siquidem

Siquidem præter Imperiales & Publicas curas, Euangelicas Quaſtiones Academicis veſtris à nobis enucleandas requiritis.

Irem Ep. 9. ad eundem Imperatorem ait ſe moleſtè & grauiter ferre, ſe à Profeſſoribus Palatinis, quos ipſe inſtituerat, quoſque in Palatio docentes reliquerat, abſentem in rebus Mathematicis fuiſſe reprehenſum, & imperitiæ atque ignorantiæ accuſatum, ſe inquam, qui alios docuerat quidquid in illa profeſſione ſcire videbantur. Itaque illos ironicè vocat *pueros*, ſeque graui Entello comparat, qui exultantem animis & viribus fidentem Dareta proſtrauit. *Ego*, inquit, *imperitus, Ego ignarus, neſciens Ægyptiacam Scholam in Palatio Dauiticæ verſari gloriæ. Ego abiens Latinos ibi dimiſi, neſcio quis ſubintroduxit Ægyptios. Nec tam indoctus fui Memphiticæ ſupputationis, quàm beniuolus Romanæ conſuetudinis.*

Moleſtè inquam ferebat Alcuinus & iniquo animo ſe ab illis Magiſtris, quos dimiſerat, argui ignorantiæ in eâ re, quâ cæteris præcellere vulgò putabatur; & ob quam Diſciplinam Carolo eiuſdem valde ſtudioſo gratiſſimus erat: imò cuius opera factum erat, vt quemadmodum Romani Gallis cantandi peritiâ præcellebant, ſic contra Galli Romanis mathematicâ doctrinâ potiores eſſe viderentur: vt videtur ipſe Alcuinus innuere Ep. 2. ad Carolum. *Audiui dum Romæ eſſem, quoſdam dicentes Magiſtros, quod Orientales populi 9. hebdomadas, & Græci 8. & Latini 7. ieiunare ſoleant: & inde conſuetudinem Romanam ſumpſiſſe Eccleſiam ſeptuageſimos, ſexageſimos, & quinquageſimos dies nuncupare Dominicos; Hoc quia à talibus non audiui Magiſtris, quorum authoritati me tradere auderem, omnino confirmare non fui auſus.*

Quod autem Alcuinus in Scholis Palatinis docuerit, iiſque præfuerit, teſtatur Anonymus Quidam, qui vitam S. Aldrici Abbatis Ferrarienſis & Archiepiſcopi quondam Senonenſis, ipſius Alcuini Diſcipuli, ſcripſit, hæc enim habet de Alcuino. *Super quibus iocundatus Imperator Auguſtus eum Præceptorem Palatinum inſtituit, vt vita Imperialis Aulæ & maiora negotia ſuæ diſcretionis arbitrio definirentur.* In iiſdem Scholis non tantum Carolum, Caroli filios & alios adoleſcentes edocuit, ſed & ipſius quoque Regis filias Giſlam & Recthrudam liberalibus artibus, imò nonnullis etiam Sacræ Scripturæ tractatibus informauit: itaque illæ poſtquam Turonas receſſit, ab eo Commentaria in Ioannis Euangelium ſibi Pariſios mitti poſtularunt: ac ne cauſaretur abſentiam aut itineris longitudinem, B. Hieronymi exemplo vſæ, qui in Bethleem degens Matronis Romanis & ſacris virginibus ſua ſcripta dirigebat, ac proinde e loco longius diſtanre ab vrbe Roma, quàm Turonica ciuitas diſtet à Pariſiaca, impetrarunt quod petebant. Inirio verò Epiſtolæ ſic eum compellant. *Poſtquam Venerande Magiſter, aliquid de mellifica S. Scripturæ cognitione veſtrâ ſagacitate exponente hauſimus, ardebat nobis, vt fatemur, de die in diem deſiderium huius ſacratiſſimæ Lectionis, in qua purificatio eſt animæ, ſolatium mortalitatis noſtræ & ſpes perpetua beatitudinis.* Et ſub finem. *Memento clariſſimum in Sancta Eccleſia Diuinæ ſcripturæ Doctorem, Beatiſſimum ſiquidem Hieronymum, Nobilium nullatenus ſpernere fæminarum preces, ſed plurima nominibus illarum in Propheticas obſcuritates dedicaſſe opuſcula, ſæpiuſque de Bethleem Caſtello Chriſti Dom. noſtri Natiuitati conſecrato ad Romanas arces Epiſtolaribus, iiſdem petentibus, volare Chartulis, nec terrarum longinquitate vel procelloſis Adriatici maris fluctibus territum, quominus ſanctarum Virginum petitionibus annueret. Minori vadoſum Ligeri flumen, quam Tyrrheni maris latitudo periculo nauigatur. Et multò facilius Chartarum Portator tuarum de* TVRONIS PARISIACAM *Ciuitatem, quàm illius de Bethleem Romam peruenire poterit.* Hæc qui leget, poterit dubitare, quin Alcuinus Pariſiis in Palatio Regio docuerit? & quin ipſe de Palatio Pariſienſi loquatur, cum ſic ait ad librum.

Perge libelle ſacer, cunctis præclarior odis
Et pete Præclari præclara Palatia Regis.

De eodem certe intelligenda ſunt hæc verba Ep. 1. *Ad ſapientiam omni ſtudio diſcendam & quotidiano exercitio poſſidendam exhortare Domne Rex Iuuenes quoſque in Palatio Excellentia veſtra: quatenus in ea proficiant ætate florida, vt ad honorem caniciem ſuam perducere digni habeantur.* In eodem igitur Athene noua conſtitura eſt Academiâ Platonicâ præſtantior, vt habetur Ep. 10. In iiſdem Scholis docue-

runt Æneas Pariſienſis, Lupus Ferrarienſis, Ioannes Erigena, Manno Philoſophus, cuius in iis Diſcipulus fuit Ratbodus Guntharij ſeu Guntheri Archiepiſcopi Colonienſis ex ſorore nepos. De quo ſic legitur apud Surium ad 29. Nouemb. *Primæ ætatis tempus exegit apud Guntherum Colonienſem Archiepiſcopum auunculum ſuum litteris operam nauans. Sed cum illi Epiſcopo res aduerſa accidiſſent, puer egregiæ indolis hortantibus ſuis, pleriſque etiam adiuuantibus, quippe quem Dei gratia quâ præditus erat, omnibus charum efficeret, primò ad Caroli Regis Francorum, inde ad Ludouici eius filij aulam ſe contulit: non quod Palatinos ambiret honores, ſed quod intra* REGIS PALATIVM LIBERALIVM DISCIPLINARVM STVDIA PRÆCLARE COLERENTVR. *Præerat autem Collegio illi Manno Philoſophus, cui ſanctus puer feruens diſcendi ſtudio ſedulus adhærebat.*

Palatium Schola dictum.

Ab hocce autem litterarum exercitio & profeſſione Domus Regia vocari cœpit Antonomaſticè & per excellentiam SCHOLA: vt colligitur ex verbis Epiſcoporum ſynodi Cariſiacæ anno 858. habitæ, vbi ſpecialem articulum de adminiſtratione Domus Regiæ conſcribentes, ſatis innuunt Palatium Regium vulgari nomine tum SCHOLAM appellatum. *Et ideo*, inquiunt, DOMVS REGIS SCHOLA *dicitur & Diſciplina: quia non Scholaſtici modò Diſciplinati & bene correcti ſunt, ſicut alij: ſed potius ipſa* SCHOLA, *quæ interpretatur* DISCIPLINA *& correctio dicitur.* Quid clarius? Adſtipulatur Erricus Antiſſiodorenſis in Epiſtola ad Carolum Caluum, totâ ad Imperatoris laudem compoſitâ, maximè propterea quod ad ſplendorem litterarum plus contuliſſet, quàm Pater Ludouicus, quàm ipſe Carolus Magnus, quodque & pacis & belli tempore curaret eas in Palatio exerceri. *Hinc eſt*, inquit, *quod cum ſit perantiqua Sententia* SILENT LEGES INTER ARMA, *hæ tamen tam belli quàm pacis tempore apud vos ſemper plurimum obtinent dignitatis: itaut meritò vocitetur* SCHOLA PALATIVM; *cuius Apex non minus* SCHOLARIBVS, *quàm militaribus conſueſcit quotidie diſciplinis.*

Et qui primi Palatium Pariſienſe ita voluerunt appellari, videntur procul dubio præ oculis habuiſſe Regiam illam Alexandrinam, quæ pariter SCHOLA dicta eſt, Μυσεῖον locus Muſis & ſtudiis conſecratus: vt & ipſe Carolus videtur imitatus fuiſſe præclarum Ptolomæi inſtitutum, qui ex omnibus mundi partibus viros Doctos ad publicam profeſſionem acciuit, & in Regia collocauit, vt ante diximus.

Vniuerſitas filia Regis.

Neque malè forſan ſuſpicari poſſumus inde primùm Vniuerſitati nomen impoſitum FILIÆ REGIS PRIMOGENITÆ: quòd nempe in Regia Domo collocata ſit veluti de familia Regia; quòd ab Inſtitutore non minus dilecta, quàm propriæ filiæ; & quod iiſdem propè iuribus gaudeat, ac Regiæ ſtirpis proceres: cum quoties lubet Regem, vt patrem adeat non petitâ licentiâ, & ipſi etiam iniuratæ credatur, vt ſuo loco dicemus. Atque vt Rex ſine liberis, magnâ ſui parte mancus eſt, ita & Regnum abſque Academia Pariſienſi maximopere deformatum videretur. Eſt enim illa vnum e tribus Lilijs quæ Teſſeram ſymbolicam Regis Regníque componunt; quod ſi deeſſet, reliqua duo omnino deformia remanerent. Quemadmodum olim Ludouico IX. ſub initia Regni VIRI SAPIENTES quos aduocauerat in conſilium, exponendo demonſtrarunt, cum propter iniuriam Vniuerſitati factam de deſerenda Lutetia & Regno Magiſtri ſimul & Diſcipuli cogitarent. Qua de re ſic Nangius in vita Ludouici. *Si tam pretioſiſſimus theſaurus Sapientiæ ſalutaris, qui olim de Græcia ſequendo Dionyſium Areopagitam Pariſius ad partes Gallicanas deuenerat cum fide & militiæ titulo, de Regno Franciæ tolleretur, maneret vtique Liliatum ſignum Regis Franciæ, quod trini floris folio depictum eſt, in vnâ parte ſui miſerabiliter deformatum.* Et paulo poſt. *Duplex enim par Flos Lilij Sapientiam & Militiam ſignificat: quæ duo ſequentes de Græcia in Galliam Dionyſium Areopagitam cum Fide, quam ibidem Dei gratia ſeminauit, tertium Florem Lilij facientem cuſtodiunt & defendunt.*

Nec diſſentit Rebuffus in Proœmio Concordatorum, imò eandem planè ſententiam adſtruit, vbi quærens quamobrem Rex Franciæ dicatur Filius Eccleſiæ primogenitus, reſpondet dici eo modo quo Vniuerſitas Pariſienſis Filia Regum vocatur, quia ſcilicet ſicut illa primò fidem & honorem Regis, vt primò nata tuetur, ita & Reges Franciæ dicti Filij Eccleſiæ, quia primò Fidem Catholicam ante omnia tutati ſunt. *Dicuntur Reges Franciæ primi filij ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ (ſicut*

Digitized by Google

Vniuerſitas Pariſienſis vocatur prima filia & Primogenita Regis; quia primo ei nata eſt, & primo fidem ac Regis honorem tuetur) quia ſanctam ſedem primo & ante omnia tutati ſunt, vt eſt in hiſtoriis multa videre.

Verum vt ad Palatium Caroli redeamus, vbinam ſitum erat? Aliqui ſcribunt vetuſtiſſimum Regum Palatium ab omni æuo fuiſſe eo in loco, vbi nunc eſt Forenſe, in Inſula ſcilicet. Vbi quoque fuit olim Arx Pariſiorum, & vbi ſuos conuentus agere ſolebant Pariſini, egitque Cæſar conſilium totius Galliæ, vt habetur l. 6. Comment. In ea ergo Arce Clodouæum I. habitaſſe ferunt, & pro ſacra Capella Ædem D. Bartholomæi habuiſſe, in qua aiunt Clotildem Coniugem intinxiſſe liberos luſtrali aqua Baptiſmatis antequam migrarent in montem Leucotitium, qui San-Genoueſianus poſtea dictus eſt, vbi Regiam ſibi & poſteris extruxit. An verò conſecuti Reges eadem Palaria inhabitarint, res eſt adhuc in dubio.

Locus palatij Caroli-ni.

Illud ſaltem certum eſt Reges olim duplex habuiſſe Palatium, vnum Vrbanum, alterum Suburbanum. Nam Clodouæus præter veterem Regiam in Inſula ſitam, aliam in monte, quem nunc diximus San-Genoueſianum, condidit ad captandum ſalubriorem aërem vitandoſque ſtrepitus & tumùltus vrbis. Nec videtur quoque dubitandum, quin alij Reges aliud extruxerint eo propè loco, vbi hodie Luparæa Regia ſita eſt; ad quod ſtatuendum pluribus adducor argumentis.

1. Quia vt ex dictis patet, certum eſt Carolum M. in aliqua Palatij Regij parte Muſas collocaſſe: eamque vocatam Scholam: at ille locus nomen etiamnum hodie retinet Gallicè *l'Eſchole*, & portus illius loci, Scholæ portus appellatur *le port de l'Eſchole*. Imo vt legitur in antiquitatibus Pariſienſibus, S. Germani Antiſſiodorenſis Eccleſia vocabatur antiquitus Schola: & apud Iuuenalem de Vrſinis in vita Caroli VI. Schola S. Germani dicitur; quod nomen certè non habuit aliunde, quam à vicina Regia Suburbana, quæ à Caroli temporibus Schola dicta eſt. At in Palatio vrbano, vbi veſtigium vllum Scholarum?

2. Luparæa Regum Domus vetuſtior eſt, quàm vulgo creditur. Scribunt enim aliqui, ſed malè & ignorantiſſimè, fuiſſe à Franciſco I. conſtructam, cum conſtet Philippi Auguſti temporibus iam Regiam fuiſſe Domum. Luparæ quidem nomen legitur in priuilegio, quod Monachis San-Dionyſianis indulget Dagobertus anno 5. Regni ſui 7. Kal. Iunij: videturque de hacce Domo Surburbana loqui, cum ſcribit velle ſe Reos immunitatem conſequi, qui ab vrbe Pariſiaca Montem Martyrum prætericrint, aut qui è Palatio egredientes viam, quæ tendit ad Luparam tranſierint. *Quiſquis fugitiuorum pro quolibet ſcelere ad præfatam Baſilicam Beatorum Martyrum fugiens Tricenam pontem aduenerit, vel ex parte Pariſius veniens Montem Martyrum præterierit, vel de Palatio Noſtro egrediens Publicam viam qua pergit ad Luparam, tranſierit.*

Ad Luparam, inquam, quæ vulgo dicitur *Louure en Pariſis*. At quis non videt Regiam ſuburbanam propinquiorem eſſe viæ Lupareæ, quæ nunc D. Honorati dicitur, quàm Vrbanam? Et forſan ipſa iam tum Dagoberti temporibus Luparea ſeu Lupara dicebatur. Nam non erat nomen illud nouum, cum Philippus Auguſtus an. 1214. Ferrandũ Flandriæ Comitem in Arce ſeu Turri Luparæa quam ædificauerat, ſeruari & cuſtodiri voluit, de qua Guillel. Brito in ſua Philippide.

—— Pariſianis
Ciuibus offertur Luparæ claudendus in Arce.

Hancce Domum Guillelmus Carnotenſis S. Ludouici Cappellanus *Caſtrum Lupara* appellat. *Apud Caſtrum Luparæ Pariſius D. Petrus de Landuno Miles Cuſtos puerorum D. Regis Philippi.* Et Nangius de eadem in eiuſdem Principis vita verba faciẽs & de Domino Couciaeenſi, qui tres ſcholaſticos capi & ſuſpendio affici iuſſerat, quod in Nemore ſuo Cuniculos ſectari viſi fuiſſent, ſcribit Regem *per Clientes Aulicos eum feciſſe capi, & in Domo ſua Pariſius, quæ Lupara dicitur, in cuſtodia reſeruari.* Ex quibus patet antiquitus illam Domum Reges inhabitare maluiſſe, quod eſſet commodior, quàm vrbana, & à ſtrepitu vrbis remotior.

3. Eandem veritatem confirmant antiquiſſima Vniuerſitatis Collegia in illis locis ſita, ſcilicet S. Nicolai & S. Thomæ de Lupara: Item Bonorum puerorum S. Honorati. Adde proximum Pratum Clericorum, quod à Carolo M. Scholaribus & Magiſtris, veluti Campum Martium ad deambulandum, conferendum

ſeu diſputandum & ludendum conceſſum fuiſſe alio loco docebimus. Neque verò, ſi non temporibus ipſis Caroli M. aut ſaltem primo illo ſeculo ea loca poſſedit Vniuerſitas, facile inuenitur quandonam poſſidere potuerit aut debuerit. Nam certum eſt, eam, poſtquam Suburbia à Normanis vaſtata ſunt, Atrienſes Scholas & vicinas occupaſſe; item & in Colle San-genoueſiano ac valle ſubiectâ Caſtra ſua poſuiſſe: quod ſecundo ſeculo & aliis conſequentibus factum videmus, nec ex iis locis aliò deinceps commigraſſe legimus. Vnde procul dubio euincitur Luparæam illam Regionem ab ipſâ primitus fuiſſe poſſeſſam & habitatam.

4. Quia Collegia, præſertim verò Bonorum Puerorum & D. Nicolai Luparæi omnium antiquiſſima eſſe creduntur, idque de poſteriore conſtanter aſſeruit Natio Gallicana an. 1420. (cum Exceſtriæ Dux tunc Franciæ Prorex ſub Anglis Collegij præfecturam concedere voluit M. Rogero Scoto) ſuum eſſe dicens & ad ſe ſuoſque Nationales pertinere, vt ſcribit M. Petrus de Credulio tunc eiuſdem Nationis Procurator, *Narrani vlterius*, inquit, *quod Collegium S. Nicolai de Lupara erat Collegium antiquius fundatum Pariſius: quod etiam Collegium illud erat Nationis, quia maior pars Scholarium debent eſſe de Natione: quapropter oportebat quod Magiſter eſſet de Natione.* Eiuſdem Collegij antiquitatem agnoſcit Brolius lib. 3. Antiquit. Pariſ. *En l'Egliſe & ceinture de S. Nicolas du Louure il y auoit anciennement exercice des Lettres, & des Eſcholiers rentez, que nous appellons Bourſiers, leſquels Iean Du Bellay 104. Eueſque de Paris en l'an 1542. erigea en Chanoines, & doiuent eſtre neuf auec vn Preuoſt pour Chef*: additque ſe non potuiſſe eiuſdem Eccleſiæ fundationem accipere propter ſummam eius antiquitatem.

Collegium quoque Bonorum Puerorum antiquiſſimæ Originis eſſe ſemper creditum eſt. Iacobus Mazerius Procurator Nationis Gallicanæ electus 3. Non. Iunij an. 1521. tam de ſua electione, quam de illo Collegio ſic ſcribit. *Non denique minis territi aut allecti fauore, motiue extremo odio Iacobum Mazerium Pariſienſem iuuenes in celebratiſſimo Bonorum Puerorum Muſæo Pariſius primitus fundato à multis iam annis edocentem elegerunt Procuratorem.* Eiuſdem collegij Burſarios Ludouico IX. qui Sanctus dictus eſt, chariſſimos fuiſſe diſcimus ex Gaufrido de Bello-loco. *Conuocabat pluries in anno Clericos electos & gratioſè cantantes, & maximè de Bonis Pueris, qui in ſanctâ congregatione Pariſius morabantur: quibus in receſſu denarios erogabat: illiſque magna ex parte anni in ſtudio ſuſtentabantur.* Eorundem meminit bonus ille Rex in ſuo teſtamento. *Item Pauperibus Scholaribus S. Honorati Pariſius 10. libras.* Ex his igitur conſtat Vniuerſitatem Pariſienſem in Luparæa Regione fuiſſe primitus à Carolo collocatam. Quomodo verò & quando inde migrauerit, ex Annalibus parebit.

Authores 1. ſeculi. 900. Hactenus produximus authores, qui primo Vniuerſitatis noſtræ ſeculo floruerunt & ſcripſerunt. In ſecundo verò, quod ab omnibus Hiſtoricis infeliciſſimum vocatur & meritò, licet paucos habeamus, non deſunt tamen qui Scholarum Pariſienſium meminerint. Imprimis Ioannes Cluniacenſis B. Odonis Abbatis Diſcipulus in eius vita ſic ſcribit. *Decimo nono ætatis ſuæ anno apud B. Martinum Turonis eſt tonſus, ibique Grammaticæ laribus*, forſan legendum Grammaticalibus *educatus: deinde apud Pariſium Dialecticam Muſicamque à Remigio doctiſſimo viro eſt inſtitutus.* Is eſt celeberrimus ille Remigius Antiſſiodorenſis, qui à Fulcone Archiepiſcopo Remenſi e Scholis Pariſienſibus euocatus Remis Scholas inſtituit, vt ſuo loco referemus.

Idem teſtatur Anſelmus Leodienſis Canonicus de Huboldo in vita S. Notgeri Epiſcopi Leodienſis, quem ait Lutetiam veniſſe, Canonicis San-Genoueſianis adhæſiſſe, & multorum ibi ſcholarium Doctorem fuiſſe. *Quid de Huboldo dicam*, inquit, *qui dum adoleſcentulus è Scholari Diſciplina aufugiſſet Pariſius veniens, S. Genouefæ Canonicis adhæſit* (qui tum Seculares erant & publicè profitebantur,) *& in breui multorum Scholarium inſtructor fuit. vbi cum aliquandiu à D. Notgero ignoraretur, tandem Canonica Epiſcopalis ſententia executione compulſus eſt redire, relictis ibi pluribus ſtudiorum & moralitatis inſignibus.*

Eandem Scholarum Pariſienſium celebritatem euidentiſſimè probat Aimoïnus Floriacenſis in vita Abbonis Abbatis ſui, cui in peregrinationibus comes aſſiduus fuit, & mortis oculatus teſtis an. 1004. Eum enim ait relictis Floriacenſibus

Scholis, in quibus ipſe docuerat, & quæ tum maximè florebant, ad Pariſienſes, tanquam ad Maiorem litterarum Officinam ſe contuliſſe. Sic ergo habet c. 3. *Verum ipſe maiora gliſcens Scientia ſcrutari arcana, diuerſorum adiit Sapientiæ Officinas locorum: quapropter Pariſios atque Remos, ad eos qui Philoſophiam profitebantur, profectus, aliquandiu quidem in Aſtronomia, ſed non quantum cupierat, apud eos profecit.*

Circa eadem tempora Olbertus, qui Abbas Gemblacenſis poſtea factus eſt, e Lobienſi Cœnobio, vbi à puero euutritus fuerat, Pariſios venit, deinde ad Fulbertum Carnotenſem profectus eſt, qui tunc in exercitio litterarum inter celeberrimos habebatur. Hinc ergo patet ex aliis oppidis & vrbibus Lutetiam ad Maiores Scholas & altiores Diſciplinas conuenire ſolitos, quicunque vellent virorum doctorum famam ſibi comparare.

In 3. Seculo cuius initium ducimus ab an. 1000. habemus inter cæteros Scrip- *Authores 3. ſeculi.*
tores Ademarum S. Eparchij Engoliſmenſis Monachum, qui Chronicum ſuum 1000.
ad an. 1028. perduxit: ac proinde pœne ſuppar primis Academiæ Pariſienſis Doctoribus & Magiſtris, quorum catalogum & ordinem contexit in vita Ludouici Pij, de Rabano ſic ſcribens. *Imperatori ipſi porrexit librum valde mirabilem de Theologia S. Crucis Rabanus Magnentius doctiſſimus Monachus Magiſter Alcuini. Beda enim docuit Simplicium, Simplicius Rabanum, qui à tranſmarinis oris à Domino Imperatore Carolo ſuſceptus & Pontifex in Francia factus docuit Alcuinum, & Alcuinus Smaragdum imbuit. Smaragdus autem docuit Theodulfum Aurelianenſem Epiſcopum. Theodulfus vero Heliam Scotigenam Engoliſmenſem Epiſcopum. Elias autem Heïricum, Heïricus Remigium & Vcbaldum Caluum Monachos hæredes Philoſophiæ reliquit.*

Paulum inuertit Ademarus ſeriem & ordinem ſucceſſionis, vt rectè notat Andreas Ducheſnius: ſed nec iſte aſſecutus eſt, cum corrigere voluit. Sic ergo putauerim inſtituendum. Rabanus Magnentius doctiſſimus Monachus M. Alcuini Diſcipulus fuit. Beda enim docuit Simplicium, Simplicius Alcuinum, Alcuinus Theodulfum & Rabanum, Theodulfus Smaragdum, Smaragdus Heliam Scotigenam &c. Certum eſt enim Rabanum Magnentium nullatenus Magiſtrum eſſe potuiſſe Alcuini, ſed ad ſummum Diſcipulum. Item Theodulfus non potuit eſſe Smaragdi diſcipulus: vt ex Chronologia patebit. Verum quocunque tandem modo ſit contexenda ſeries illa Magiſtrorum, hoc ſaltem colligimus illos omnes docuiſſe Pariſiis primo ſeculo Vniuerſitatis, & Ademari ætate hiſtoriam illam peregrinorum Doctorum à Carolo M. euocatorum & ad docendum conſtitutorum pro vera & certa fuiſſe habitam.

Porro euellendus hic ſcrupulus, qui de Ademaro oriri poſſet. Nam Myræus ait eum Caroli M. & Ludouici Pij temporibus vixiſſe & floruiſſe, eique Chronicum vetuſtiſſimum Engoliſmenſe tribuit: ſed vel ex ſupra relata Profeſſorum ſerie erroris conuincitur: cum in ea Magiſtros enumeret, qui 60. & amplius poſt Ludouicum annis floruerunt. Verus itaque author Chronici eſt Ademarus S. Eparchij Monachus, qui temporibus Roberti Regis ſcripſit. Neque idem confundendus eſt cum Ademaro Epiſcopo Engoliſmenſi, qui ſub finem eiuſdem ſeculi Cathedram tenuit, & obiit an. 1001.

In 4. Seculo plurimos citare poſſemus authores, qui Carolinæ fundationis me- *Authores 4. ſeculi.*
minerunt, ſed quatuor ſufficiunt: quorum vnus initio ſeculi floruit; alter in medio: duo reliqui ſub finem. Duo priores ab Ademaro Magiſtrorum Pariſienſium 1100.
Ordinem ſeriemque mutuati fuiſſe videntur, aut ſaltem ab eodem authore, a quo Ademarus. Primus quidem author Chronici S. Maxentij, ſeu Malleacenſis, qui ſcribere deſiit an. 1134. ſic habet ad annum 816. *In illo tempore Rabanus Magnentij Monachus doctiſſimus Magiſter Alcuini Imperatori ipſi* Ludouico, *porrexit librum valde mirabilem de Theologia S. Crucis. Beda enim doctus a Benedicto Abbate & nutritus docuit Simplicium, & Simplicius Rabanum, qui à tranſmarinis oris à D. Imperatore Carolo ſuſceptus eſt, & Pontifex in Francia factus. Item Rabanus docuit Alcuinum: & Alcuinus Smaragdum imbuit. Smaragdus autem docuit Theodulfum Aurelianenſem Epiſcopum. Theodulfus verò Heliam Scotigenam: Helias autem Henricum; Henricus Remigium & Vcbaldum Caluum hæredes Philoſophiæ reliquit.*

Alter Scriptor paulò recentior, Canonicus ſcilicet quidam Engoliſmenſis 1150.
Anonymus, qui Hiſtoriam Pontificum & Comitum Engoliſmenſium conſcripſit vſque ad an. 1159. ſic habet c. 8. de Helia Scotigena Epiſcopo quondam

Engoliſmenſi. *Defuncto Launo ſuſcepit Helias Scotigens Cathedram Engoliſmenſem, qui in Gallia mirificè Scholas rexit. Hic attulit ſacroſanctum corpus ſanctiſſimi Martyris Benigni Engoliſmam; quo tempore Caluus Imperiale ſolium aſcendit: ſub quo Rege Helias Scotus vita egreditur. Ita ſiquidem inuenitur in quodam libro, Scotigenam fuiſſe Doctorem in Galliis. Beda docuit Simplicium, & Simplicius Rabanum, qui à transmarinis oris ab Imperatore Carolo vocatus in Pontificem in Gallia promouetur: qui Alcuinum docuit; Alcuinus Maragdum; Maragdus Theodulfum Aurelianenſem Epiſcopum: Theodulfus Heliam Scotigenam Engoliſmenſem Epiſcopum: Helias Henricum; Henricus Remigium & Hugbaldum hæredes Philoſophiæ reliquit.*

1130. Sub finem eiuſdem ſeculi florebant in Academia Pariſienſi duo percelebres viri, Helinandus & Alexander Nekam, qui ambo de eiuſdem fundatione & inſtitutione ſcripſerunt. Helinandus quidem tranſactâ magnâ vitæ ſuæ parte inter Laïcos & ſæculares, tandem vanitates mundi pertæſus ad Frigidum Montem ſe contulit, & Monachus obiit an. 1212. Ille ergo ab Orbe condito ad finem vſque vitæ Hiſtoriam longiſſimam perduxit; ſed nondum e tenebris & e puluere emerſit. Vincentius Bellouacus Dominicanus Helinando ſuppar ſœpe eundem citat, & ex eius Hiſtoria tranſcribit in ſuam non pauca. Hæc verò inter alia de Alcuino, deque Monaſterio S. Martini Turonenſis, quod ei Carolus regendum commiſit. *Hoc itaque Monaſterium poſt hoc, vt dictum eſt, regnante Carolo ſuſcepit regendum Alcuinus ſcientiâ vitaque præclarus, qui & ſapientiæ ſtudium de Roma Pariſius tranſtulit, quod illuc quondam à Græcia tranſlatum fuerat à Romanis: fueruntque Pariſius fundatores eius ſtudij 4. Monachi Bedæ Diſcipuli, ſcilicet Rabanus & Alcuinus, Claudius & Ioannes Scotus.*

Hæc ſcribebat Helinandus regnante Philippo Auguſto, vir Academiæ Pariſienſis Alumnus, in hiſtoria Gallicana verſatiſſimus, Principi ſuo gratiſſimus & chariſſimus. Itáne verò ſcripſiſſet, ſi, vt ſomniant aliqui, Philippus aut Pater eius Vniuerſitatem inſtituiſſet? ei-ne gloriam hanc immortalem inuidiſſet, & tam inſigniter mentiri auſus fuiſſet, in cæteris tam ſtudioſus veritatis? tam impudenter inquam aſſerere fundationem iſtam antiquam, quæ tot contradictores habuiſſet oculatos, quot erant in Francia homines? credat Iudæus apella, non ego.

1180. Alexander verò Nekamus Natione Anglus, Pariſienſis quoque Vniuerſitatis alumnus & Magiſter ac Profeſſor circa an. 1180. quique reuerſus in Angliam & factus Epiſcopus obiit an. 1227. in libro de Naturis rerum tria commemorat loca vetuſtiſſima, in quibus olim ſtudia magno concurſu & frequentia floruerunt, in Græcia Athenas, in Italia Romam, & in Gallia Lutetiam. *O felicia*, inquit, *Antiquorum tempora, in quibus ipſi Imperatores mundum ſuberrantes ſeipſos Philoſophiæ dederunt; vt patuit de Alexandro, de Iulio Cæſare, de Ptolomæo Rege Ægypti, qui fuerunt ſapientiæ ſtudioſi... Cuiuſlibet Regni gloria creuit in immenſum, & quandiu Artium ingenuarum in ipſo floruerunt ſtudia, hoſtibus Regni reſtiterunt: vt patet de Græcia, quando floruerunt ſtudia Athenis, de Roma, de Regno Francorum, ex quo floruerunt ſtudia in illo. Victoria enim militiæ & gloria Philoſophiæ quaſi ſimul concurrebant: & hoc meritò, quia Philoſophia vera docet iuſtè & rectè regulare.*

Tum fusè illa perſequitur: quæ ſic in compendium contrahit author Anonymus apud Brianũ Thuynum. *Viguerunt ſtudia in Ægypto, vt probat Alexander Nekam in libris de naturis rerum. Abraham docuit Quadriuiũ, id eſt 4. Artes, ſcilicet Arithmeticam, Geometriam, Muſicam & Aſtronomiam. Demum cœpit Græcia nobilitari Philoſophorum frequentia & conſecrata ſunt Athenæ Deæ ſapientiæ Mineruæ, vt dicit Auguſtinus 18. de Ciuit. c. 9. Demum Carolo M. regnante cœpit ſtudium florere Pariſius; cuius fundatores fuerunt Rabanus, Alcuinus, Claudius & Ioannes Scotus. Poſtea Oxoniæ in Anglia ſtudia floruerunt: & ſicut dicit Alexander Nekam iuxta Vaticinium Merlini, Ad vada Boum vigent ſtudia, ad partes Hiberniæ ſuo tempore tranſitura.*

Idem Alexander l. 2. comparans Academiam Pariſienſem cum Bononienſi & aliis Italicis, ait eam Theologiæ & Artium Liberalium doctrinâ longè eſſe præferendam. *Iuris Ciuilis peritiam ſibi vindicat Italia; ſed cœleſtis Scriptura & liberales Artes Ciuitatem Pariſienſem cæteris præferendam eſſe conuincunt.* Hæc verba in manuſcripto Bibliothecæ Magdalanenſis apud Oxoniam ſe legiſſe ait Brianus Thuynus.

IDEM PROBATVR AVTHORITATE *Scriptorum Mediæ ætatis.*

MEdiæ ætatis initium ducimus ab an. 1200. & producimus ad an. 1400. re- *Authores Seculi.*
ferimuſque ad veritatis eiuſdem confirmationem, non omnium quidem, 1240.
ſed celebriorum tantum Authorum teſtimonia, qui ducentorum annorum ſpatio ea de re ſcripſerunt. Agmen vero ducet Vincentius Bellouacus, natione vt multi volunt, Burgundus, profeſſione Dominicanus, qui antequam ad illum Ordinem ſe conferret, in Academia Pariſienſi ſtuduerat regnante adhuc Philippo Auguſto, cuius proinde hiſtoriam compertiſſimam habuit. A Ludouico IX. Philippi nepote aſſumptus in Præceptorem filiorum, eiuſque iuſſu & ſumptibus Specula 4. compoſuit, Doctrinale, Hiſtoriale, Naturale & Morale; quorum Hiſtoriale perduxit ad an. vſque 1244. ipſe vero obiiſſe dicitur an. 1256. Ille ergo poſtquam Helinandi authoritatem & verba ex Chronicis retulit lib. 23. Speculi Hiſtorial. c. 173. ſubiungit ex Chronico Arelatenſis Metropolis eandem plane hiſtoriam, immo eadem omnino verba, exceptis paucis, quæ ex Monacho San-Gallenſi ſupra retulimus. Sic ergo ille.

In Chronicis Metropolis Arelatenſis legitur, Omnipotens rerum diſpoſitor ordinatorque Regnorum & temporum, cum illius admirandæ ſtatuæ, & cætera, vt in Chronico San-Gallenſi: & paulo poſt de Carolo verba faciens ſubiungit. *Qui cum in Occiduis partibus regere ſolus cœpiſſet, & ſtudia litterarum vbique eſſent in obliuione, adeoque veræ Deitatis cultura teperet, contigit duos Scotos Monachos de Hibernia cum mercatoribus Britannis littus Galliæ aduenire, viros & in ſacris & in ſecularibus ſcripturis eruditos. Qui quotidie cum nihil oſtenderent vænale, ad conuenientes emendi gratia turbas clamare cœperunt.* SI QVIS SAPIENTIÆ CVPIDVS EST, VENIAT AD NOS ET ACCIPIAT. NAM VÆNALIS EST APVD NOS. *Tandiu conclamata ſunt iſta, donec ab admirantibus, licet inſanos putantibus ad aures Regis Caroli ſemper amatoris ſapientia ſunt perlata: qui celeriter illos ad præſentiam ſuam euocatos interrogauit, ſi verè ſcientiam haberent vt ipſe compararet. Sapientiam, inquiunt, habemus, & in nomine Domini eam quærentibus dare parati ſumus. Qui cum quæſiſſet ab his, quid pro ipſa peterent, reſponderunt. Loca tantum opportuna, & animas ingenioſas, & ſine quibus iſta peregrinatio tranſiri non poteſt, alimenta & quibus tegamur. Quo ille accepto, ingenti gaudio repletus primùm quidem apud ſe paruo tempore tenuit: poſtea verò cum ad expeditiones bellicas vrgeretur, vnum eorum nomine Clementem in Gallia, Pariſius ſcilicet, reſidere fecit, cui & pueros nobiliſſimos, mediocres & infimos ſatis multos commendauit, & eis prout neceſſarium habuerunt, victualia miniſtrari præcepit, habitaculis opportunis ad metandum deputatis. Alterum vero in Italiam direxit, cui & Monaſterium S. Auguſtini iuxta Ticinenſem vrbem delegauit, vt illic ſi voluiſſent, ad diſcendum congregari poſſent. Audito autem Albinus de natione Anglorum, quia gratanter ſapientes ac Religioſos viros ſuſciperet Carolus, conſcenſâ naui venit ad eum cum Sociis in omnibus ſcripturis exercitatus, vt pote Doctiſſimi Bedæ Diſcipulus. Quem vſque ad finem regni iugiter ſecum retinuit, niſi cum ad ingruentia bella proceſſit: deditque & illi Abbatiam S. Martini, vt quando ipſe abſens eſſet, illic reſideret, & ad ſe confluentes doceret. Cuius in tantum doctrina fructificauit, vt Franci antiquis Romanis & Athenienſibus æquipararentur.* Hæc Vincentius.

Eadem hiſtoria legitur in Chronico Lemouicenſi, & in Memoriali Hiſtoria- 1270.
rum, vt refert Ducheſnius inter teſtimonia de B. Alcuino Abbate. Et quia deinceps Doctorum manibus teri cœpit Vincentius, propter multiplicem quæ continetur in 4. ſpeculis doctrinam, quotquot fere poſt eum de illa Academiæ Pariſienſis inſtitutione ſcripſerunt, omnes Chronicon Arelatenſe, vel Vincentium citare contenti fuerunt ad ſententiæ ſuæ confirmationem, nec vltra ſcrutari curarunt. Ita Chronicon San-Gallenſe & alia multa iacuerunt in puluere-

re Bibliothecarum, donec ea viri docti & curioſi excuſſerunt: ſpeſque iam affulget maxima, longe plura quæ nondum in lucem prodierunt opera, poſterorum, & eorum, qui nunc viuunr, diligenti & indefeſſo labore praditura.

Eandem veritatem confirmat Martinus nomine & natione Polonus ad an. 787. ſic ſcribens in Adriano Papa. *Hoc tempore floret Albinus, qui & Alcuinus Caroli eruditor. Hic genere Anglicus fuit, ingenio clarus & philoſophia excellentiſſimus non tantum ſcientia, ſed etiam morum honeſtate præclarus. Ab eo Carolus didicit omnes artes liberales, qui etiam ſtudium de vrbe Roma Pariſius tranſtulit, quod de Græcia illuc tranſlatum fuerat a Romanis.* Hæc Martinus: at hîc lacunam eſſe putat Suffridus Petrus Leouardienſis Friſius, qui Martinum an. 1574. edidit Antuerpiæ cum annotationibus, eumque ſupplet inſertâ hiſtoriâ aduentus Scotorum in Galliam hoc modo. *Fueruntque Pariſienſis ſtudy fundatores 4. Monachi Bedæ Diſcipuli, Rabanus, Alcuinus, Claudius & Ioannes Scotus.* Tum ſubiungit ſeriem verborum Poloni de Monaſterio S. Martini Turonenſis, quod Carolus Alcuino dedit regendum. Porro totam hiſtoriam & ipſiſſima verba Helinandi Polonus vſurpat, prout leguntur apud Vincentium loco citato.

Atque vt obiter moneam, errant qui Martinum Polonum Innocentij IV. Pœnitentiarium fuiſſe dicunt, propterea quod initio præfationis ſic ait *Ego F. Martinus D. Papæ Pœnitentiarius & Capellanus*: quem aliqui Ciſtercienſem Monachum, alij Benedictinum, Scotum aut Italum faciunt. Fuit ille natione Polonus, patriâ Corſulanus, profeſſione Dominicanus, Officio Pœnitentiarius & Capellanus Nicolai III. qui Ioanni XXI. an. 1277. ſucceſſit, ſuumque Chronicon ad Ioannem vſque perduxit, vt ait ipſe in præfatione. A Nicolao promotus Viterbij an. 1278. die 10. Kal. Iulij ad Archiepiſcoparum Gneſnenſem in Polonia: ſed eo anno obiit.

Iiſdem temporibus florebat M. Iordanus natione Germanus & Germanis impensè addictus, ſcripſitque libellum de tranſlatione Imperij Romani: in quo probat inter cætera Eccleſiam ſeu Religionem Catholicam tribus fultam columnis ſubſiſtere: Rom. Pontifice, Imperatore & Academia Pariſienſi: atque idcirco ſummum Pontificem imprimis curare debere, vt tres iſtæ columnæ firmæ ſtabileſque permaneant. Præterea ait Carolum M. Statuto perpetuo ſanxiſſe, vt futuri Romanorum Imperatores ab Electoribus Germanicis eligerentur, relicto Regibus Francorum iure ſucceſſionis. Quia vero videbatur iiſdem Regibus ſuâ lege Imperium adimere, quandoquidem Imperatoris Electio ab Electoribus pendebat, Regnumque Francicum quod ipſe tenuerat & tenebat, magna ſui parte priuare compenſationis cuiuſdam loco adieciſſe illi ſtudium Liberalium artium, & Luteriæ in ſede Regni primariâ collocaſſe; prætereaque omni obſequio, & vt vulgo dicitur, homagio erga Imperatorem exemiſſe. Sic igitur habet.

Porro quod ipſe Carolus Rex Francorum extiterit, & ab illis Regnum ex ſucceſſione ad eum fuerit deuolutum deinde Imperium, fuiſſet indecens, quod ipſe filios & eorum hæredes dignitate Regia penitus denudaſſet: ſtatuit igitur, vt Francigenæ cum quadam Regni portione Francorum Regem haberent de Regali ſemine iure hæreditario ſucceſſurum, qui in temporalibus ſuperiorem non recognoſceret; cui videlicet tanquam Imperatoris poſteritas ad homagium vel aliud obſequium non teneretur. Sequitur deinde iſte titulus.

Quomodo ſtudium ſit Pariſius tranſlatum? pergit. *Hinc Regi & ſuo hæredi in recompenſationem Regni defalcati adiecit ſtudium Philoſophiæ & Liberalium Artium, quod ipſe de vrbe Romana in ciuitatem Pariſienſem tranſplantauit. Et eſt notatu dignum, quod debitus & neceſſarius ordo requirebat, vt ſicut Romani tanquam ſeniores, Sacerdotio; ſic Germani, vel Franci tanquam Iuniores Imperio: & ita Francigenæ & Gallici tanquam perſpicaciores ſcientiarum ſtudio ditarentur. Et vt fidem Catholicam, quam Romanorum conſtantia firmiter tenet, virtus & Germanorum magnanimitas imperialiter tenere præciperet: & fidem eandem Gallicorum argutia & facundia ab omnibus eſſe tenendam firmiſſimis approbaret rationibus & demonſtraret.* Multa alia habet præclara ad laudem Vniuerſitatis, quæ ſuo loco referentur.

1280. Facit & ad rem noſtram quod ſcribit Nangius ad an. 1281. tantam ſcilicet in Vniuerſitate fuiſſe diſcordiam inter Scholares Anglicanæ & Picardicæ Nationis, vt totum Pariſienſe ſtudium pœne conulſum fuerit. De cauſa Seditionis nihil

Nangius

Nangius:at quidã Hiſtoricus Anglus hanc affert, quod vtraque Natio de primatu
contenderet: Picardica quidem, quod eſſet Regi Francorum ſubdita, deque Regno
Gallicano: Anglica vero, quod in Vniuerſitate ·ariſienſi origine prior fuiſſet & à
Beda primum collocata. Ad hanc autem diſcordiam ſedandam Martini V. Le-
gatum acceſſiſſe & re diſcuſſa pro Anglicana pronunciaſſe. *Veniens autem Legatus
controuerſiam audiens pro lege promulgauit eſſe Anglos primariam illius ſtudij Natio-
nem. Nam Beda, ait, Romam petens primus omnium Scholas Pariſius tenuit.* De
hocce diſſidio alibi plura, interim intelligimus conſtantem hanc fuiſſe ſem-
per opinionem de Anglis, tanquam de primis Academiæ Pariſienſis Pro-
feſſoribus.

Tranſeamus iam ad ſextum Vniuerſitatis noſtræ ſeculum; in quo plurimos *Authores*
quoque eidem veritati ſuffragantes habemus. Imprimis igitur Eduardus II. *6. ſeculi.*
Angliæ Rex Ep. ad Ioannem XXII. pro mutuâ Pariſienſem inter & Oxo-
nienſem Vniuerſitatem Societate idem conteſtatur. Cum enim Bonifacius
VIII. Priuilegium hoc ſingulare Pariſienſi conceſſiſſet, vt quicunque Magi-
ſtri in ea Gradum accepiſſent, vbiuis terrarum nullo præuio examine do-
cere poſſent; Eduardus exiſtimans huiuſmodi Priuilegium Oxonienſi ſuæ 1320.
iniurioſum eſſe, petiit à Ioanne, qui ſedere cœpit an. 1315. vt idem illi concede-
ret pro mutuâ vtriuſque ſtudij Societate: hancque inter cæteras rationem af-
fert, quod Pariſienſis ab Anglicanis duxiſſet originem. *Verum quia dubium
non eſt ſecundum veterum teſtimonia ſcripturarum* GALLICANVM STVDIVM AB
ANGLICANIS NOSTRIS ORIGINALE TRAXISSE PRINCIPIVM, *conſtatque talem Apo-
ſtolicæ diſpenſationis gratiam in Anglicani Studij redundare diſpendium, ſi Vniuer-
ſitas noſtra Oxonienſis cum prædictis Vniuerſitatibus Regni Franciæ in Libertatibus
& Scholaſticis Actibus non concurrat, Sanctitati veſtræ affectuoſâ inſtantiâ ſupplica-
mus, quatenus ad pacem mutuam inter Scholaſticos nutriendam, Vniuerſitatem præ-
dictam conſimili velitis priuilegio decorare.*

Conqueritur quoque ipſa Vniuerſitas apud eundem Pontificem, quod ſe
ſpretâ ſuiſque neglectis Magiſtris beneficia Eccleſiaſtica Pariſienſibus conce-
deret. *Intelligimus quod nuper ad ſtudium Pariſienſe miſericordes oculos conuertiſtis.
Nos autem P. S. diuina inſtitutione formati audemus dicere, quod noſtrum* STVDIVM
*Oxonienſe illo Pariſienſi Studio, quamuis excellenter nobili, eſt quidem antiquius
tempore, prius origine, & prout credimus non poſterius dignitate. Conſtat namque
Albinum Philoſophum & Doctorem Catholicum Natione Anglum, famoſiſſimi Prin-
cipis Caroli M. Magiſtrum, & per eundem Carolum de Anglia accerſitum fuiſſe
Pariſius* STVDII FVNDATOREM *: quod non Anglica modò, imò Gallicæ atque Ro-
manæ Hiſtoriæ conteſtantur.*

Ioannes Brompton Abbas Iornalenſis Scriptor Anglus, qui ſub Eduardo 1340.
III. florebat circa an. 1340. quique Chronicon ſcripſit ab an. 588. quo Au-
guſtinus iuit in Angliam ad mortem Richardi, ſcilicet ad an. 1199. Poſtquam
de Academiæ Oxonienſis per Alfredum inſtitutione verba fecit, & Alexan-
dri Nekami locum de tribus famoſiſſimis STVDIIS Generalibus retulit, de
Pariſienſi idem prorſus ſcribit, quod authores præallati. *Deinde*, inquit, *reg-
nante Carolo M. cœpit florere* STVDIVM PARISIVS. *Vt enim dicitur in Tractatu,
quod Speculum vocatur, Alcuinus de Roma* STVDIVM PARISIVS *tranſtulit, quod
illuc de Græcia à Romanis fuit tranſlatum: fuerunt autem 4. fundatores huius ſtu-
dij Rabanus, Alcuinus, Claudius & Ioannes. Et vbi recitatur in Chronicis Metro-
polis Arelatenſis, dicitur quod caput aureum ſtatuæ, de qua Daniel. 2. per Carolum
M. erexit Deus in Francis. Qui cum regnaret, & ſtudia litterarum deeſſent, &
eſſent in obliuione, & cultus Diuinitatis teperet, contigit duos Scotos, &c.*

Cum anno 1366. Vrbanus V. Pontifex Max. relictâ Auenione ſedem Pon- 1366.
tificiam Romam referre cogitaret, Rex Carolus V. celebres Legatos ad eum
miſit, qui reditum diſſuaderent. Extat in M.S. Bibliothecæ Victorinæ notato P.
10. & hiſce Characteribus 686. quædam, vt ibi legitur PROPOSITIO NO-
TABILIS ex parte Regis Franciæ: Inter rationes autem plurimas quæ ibi in-
feruntur, vna petitur ex Vniuerſitate Pariſienſi eiuſque antiquitate, his ver-
bis. *Item dicebatur quod iſte locus* (nim. Francia) *eſt in omnibus præeligibilior
pluribus rationibus. 1. Siquidem floret locus iſte pluribus ſtudiis Eccleſiaſticis, &*

aliis ſcientijs & diſciplinis ; per quas præ cæteris aliis Reguis Orbis fides noſtra & vera Iuſtitia informantur , prout cuicunque patet , quod STVDIVM TRANSLATVM FVIT A ROMA PARISIVS PER B. CAROLVM MAGNVM , *& hac Gloria Romanorum Pariſius in Gallos eſt tranſlata : quod etiam diutius ante fidem ſuſceptam erat præfiguratum.*

1380 Præallatis authoribus accenſere poſſumus Goblinum Perſonam. Hic author Decanus erat in Bilenvede in Bœdeken, natus an. 1358. factus preſbyter an. 1386. hiſtoriam compoſuit, quam Coſmodromium, id eſt mundi curſum inſcripſit: in qua componenda 40. annos inſumpſit. Ait vero ad an. 1340. ſe quidquid ante prædictum annum ſcripſit, totum fere ex libris famoſis conſcripſiſſe , pauca de ſcripturis priuatis, pauciora ex relatu, pauciſſima propriâ imaginatione. Ille ergo qui tot annos in componenda hiſtoria ſua impendit, potuit maturè & cum otio in rei noſtræ veritatem inquirere : ſic autem de ea ſcribit.

Carolus eruditus in Liberalibus artibus ſtudium tranſtulit de vrbe Roma ad Pariſios , quod de Græcia Romam tranſlatum fuerat à Romanis : non tamen ſic tranſtulit , vt ipſum ſtudium vrbi Romæ auferret, ſed modum & ſolemnitatem quæ in vrbe ſeruabatur, tranſlatis inde Pariſios Doctoribus & Magiſtris inſtaurauit & priuilegiis confirmauit. Pro quo ſciendum, quod quinque ſunt ſtudia generalia ſingulariter priuilegiata , videlicet Romanum , vbi Papa cum curia ſua reſidet : Pariſienſe in Francia : Bononienſe in Italia : Oxonienſe in Anglia : Salmaticenſe in Hiſpania. Cætera vero ſtudia aliter quàm per ſedem Apoſtolicam priuilegiata , particularia reputantur. Hæc Goblinus, qui Chronicon ſuum perduxit ad an. 1417. obiit vero an. 1418.

1390. Iiſdem temporibus florebat Iacobus Magnus patria Toletanus , vir in Diuinis ſcripturis eruditiſſimus Philoſophiæ naturalis cognitione inſignis , ac veterum lectione copioſus , vt ait Trithemius. Ille autem l. 1. Sophologij c. 15. de ſtudiis atque ſectis Philoſophorum agens , circa finem de tribus celeberrimis ſtudiis Athenienſi, Romano & Pariſienſi fusè diſſerit: quæ omnia ex Alexandro Ne-
„ kamo tranſcripſiſſe videtur. Ex quo , inquit, Græci Romanique ſtudia perdide-
„ runt , ex tunc ſemper deciderunt. Vnde regnantibus Athenienſibus Minerua id.
„ Sapientia colebatur , vt refert Auguſtinus l. 18. de Ciuit. Dei. Numeremus ergo
„ quã Philoſophorum famoſa ſtudia fuerunt: & cum Hiſtoriographis tria dicamus
„ fuiſſe cæteris ſolemniora. Quorum primum Athenienſe: ſecundum, Romanum:
„ tertium, Pariſienſe. De ſtudio autem Athenienſi refertur , quod ſolemniſſimum
„ extitit. Vnde ciuitas Athenarum nutrix fuit Liberalium Artium atque Philoſo-
„ phorum.... Aliud ſtudium ſolenne fuit dictum Romanum , in quo floruit Itali-
„ cum genus Philoſophorum , ibique refulſerunt Iulius Cæſar , Cato , Virgilius,
„ Tullius. Nam de Iulio patet in vita Cæſaris. De Catone narrat Solinus l. 1. De
„ Virgilio & Tullio , nulli eſt dubium. Ibique docuit Rhetoricam Aurelius Au-
„ guſtinus , vt ipſemet fatetur l. 5. Conf. Cæterum aliud ſtudium & tertium dictum
„ Pariſienſe , quod florere cœpit tempore Caroli M. quod quidem Alcuinus de
„ vrbe Roma perduxit. Huiuſque quatuor fuerunt Fundatores , ſcilicet Raba-
„ nus , Alcuinus , Claudius & Ioannes Scotus. Et prout narratur in Chronicis,
„ tempore Caroli Magni duo Monachi Scoti cum mercatoribus ad Fran-
„ ciam acceſſerunt, & interrogabant ſiquis ſapientiam emere vellet. Ob hoc pluri-
„ mi ſtultos illos putabant. Nihilominus tamen hæc verba ad Regem peruenerunt.
„ quibus adductis interrogauit , an ſapientiam haberent , quam vendere vel-
„ lent : qui reſponderunt , quod ſic. Quibus Rex , quid pro ea vultis ? cui reſ-
„ ponderunt , tria petimus , locum opportunum, Diſcipulos ingenioſos & vi-
„ ctum cum veſtitu. Quibus conceſſis ſtudium Pariſienſe inceptum & ex tunc
„ dilatatum eſt.

Digitized by Google

IDEM PROBATVR AVTHORITATE SCRIPTOrum poſtremæ ætatis.

REſtat vt Vniuerſitatis noſtræ fundationem & inſtitutionem authoritate Scriptorum poſtremæ ætatis confirmemus, eorum ſcilicet qui ab an. 1400. ad hæc noſtra tempora ea de re ſcripſerunt: quorum quidem tantus eſt numerus, vt nemo quantumuis curioſus & diligens omnes dicendo percenſere poſſit. Præcipuos igitur tantum commemorabimus, & eo ordine quo vixerunt, aut ſcripſerunt quàm poterimus diligentiſſimè, vt omnes intelligant nihil vnquam fuiſſe tam concorditer tamque vnanimiter creditum & ſtabilitum. *Authores 7 ſeculi. 1400.*

Initium ducamus à M. Ioanne Gerſonio Eccleſiæ & Vniuerſitatis Pariſienſis Cancellario, qui ab an. circiter 1380. vſque ad an. 1429. quo obiit, ingentis nominis & famæ fuit. Ille autem in quadam oratione quam Gallicè habuit ad Senatum Pariſienſem an. 1404. Vniuerſitatis nomine conquerentis de cæde ſuorum Scholarium à Sauoiſianis perpetratâ, ipſam ſic inducit loquentem. *Helas ie ſuis celle, qui premierement en Adam feus inſpirée en ſa nouuelle creation. Ie ſuis celle, qui depuis par ſucceſſion feus foudée & renouuellée en Egypte par Abraham & autres fils de Noë. Puis feus tranſpoiſée à Athenées & nommée Pallas ou Minerue: puis vins à Rome, quand Cheualerie y ſeiguoriſoit: puis par Charlemagne le Grand feus plantée à grands labeurs en France en la Cité de Paris.*

Franciſcus Zabarella Patauinus Eccleſiæ Rom. Preſbyter Cardinalis, qui eodem quoque tempore florebat & vixit vſque ad an. 1417. vir in Iure Canonico verſatiſſimus, & tam in Diuinis ſcripturis, quàm in ſecularibus inſigniter doctus, in Clementina de Magiſtris quæſt. 5. de Studio Pariſienſi, eadem prorſus ſcribit, quæ ſupra ex Alexandro Nekamo, Ioanne Bromptone & Iacobo Magno Toletano retulimus; nimirum quod ſtudium Pariſienſe florere incepit regnante Carolo M. & quod huius ſtudij fundatores fuerunt 4. Monachi. *Nam legitur*, inquit, *quod Caput aureum ſtatuæ, de qua Daniel. 2. per Carolum M. exercuit Deus in Scotis. Quia cum Franci regnarent & ſtudia litterarum non haberent & eſſent in obliuione & cultus Dei deperiret, contigit duos Scotos Monachos de Hibernia cum mercatoribus Britannis venire ad littus Gallicum, in ſacris & ſecularibus litteris eruditos; qui cum nihil venale oſtenderent, ad turbas venientes cauſâ emendi clamabant, Si quis ſit auidus ſapientiæ veniat ad nos, & accipiat eam. Nam apud nos eſt Venalis. Et aliis putantibus illos inſanos eſſe, venit ad aures Regis, vocatique ſunt ad eum: & cum interrogarentur, an haberent Sapientiam, dixerunt quod ſic: & ſe paratos eam dare petentibus in nomine Domini. Quo quærente quid pro ea vellent, reſponderunt tria, ſcilicet bona loca, animas ingenioſas & alimenta... Et ſic Franci æquati ſunt Romanis & Athenienſibus quo ad gloriam ſtudiorum in liberalibus Artibus.*

Antoninus Dominicani Ordinis Archiepiſcopus Florentinus in 2. par. Hiſt. tit. 14. c. 4. §. 12. de ſtudio Pariſienſi quomodo inſtitutum ſit Pariſius, ſic habet. *Narrat Iacobus de Colonia in hiſtoria ſua, quod tempore Caroli M. Alcuinus natione Anglus à Regibus Angliæ pro pace miſſus ad Carolum Francorum Regem, apud illum benignè exceptus eſt & in Gallia apud eum remanſit, vir vndecumque doctiſſimus: cuius præcipuè Magiſterio Rex omnes artes liberales, maximè Aſtronomiam didicit, in qua valde delectabatur. Hic igitur Alcuinus ſcientia vitaque præclarus & ſapientia litterarum ſtudium de Roma Pariſios tranſtulit, quod illuc de Græcia tranſlatum fuerat à Romanis. Fuerunt autem Pariſius fundatores huius ſtudij 4. Monachi Bedæ Diſcipuli, ſcilicet Rabanus & Alcuinus, Claudius & Ioannes Scotus. In Chronicis autem Metropolis Arelatenſis ſic legitur. Omnipotens rerum diſpoſitor & ordinator Regnorum & temporum*, &c. 1450.

Idem paulo poſt c. 5. vbi ſpeciatim de Alcuino. *De hoc etiam Alcuino dicitur in Martiniana* id. in hiſtoria Martini. Poloni, *Quod origine fuit Anglus, Philoſophia excellentiſſimus, qui ſtudium ab Vrbe tranſtulit Pariſios: quod ſtudium à Græcia ad vrbem ipſam Romanam tranſlatum fuerat à Romanis. Huic Alcuino Carolus M. monaſte-*

Digitized by Google

rium S. Martini, quod eſt Turonis, commiſit regendum.

Author Chtonici Belgici Magni, qui ſeripſir vſque ad an. 1474. nihil de ſuo
1470. promir, ſed Martini Poloni & Goblini Perſonæ teſtimoniis & aurhoritate vtitur.
*Iſto tempore floruit Albinus, qui & Alcuinus Caroli eruditor, genere Anglicus: clarus
ingenio, in Philoſophia excellentiſſimus, non tantum in ſcientiâ, ſed & morum ho-
neſtate præclarus, à quo Carolus didicit omnes artes Liberales, qui & ſtudium de vrbe
Roma tranſtulit Lutetiam: quod de Græcia illuc tranſlatum fuerat à Romanis.* Hæc
Martinus. *Non tamen ſic tranſtulit, vt ipſum ſtudium vrbi Romæ auferret, ſed mo-
dum & ſolemnitatem, quæ in vrbe ſeruabatur, tranſlatis inde Pariſius Doctoribus &
Magiſtris inſtaurauit & priuilegiis confirmauit.* Hæc Goblinus.

Anno 1473. ptomulgatum eſt à Ludouico IX. Edictum aduerſus Nominales,
in quo Rex iuxta comunem ſententiam & monimentorum fidem, quæ ſibi ab
Vniuerſitate tradita fuerant, ſic habet. *Prædeceſſores noſtri qui Chriſtianæ Religionis
& Catholicæ veritatis fuerunt feruentiſſimi Zelatores, meritò Chriſtianiſſimi vocati ſunt.
Sic Carolus M. Rex & Imperator glorioſiſſimus ſtudioſos quidem viros, Bedam ſcilicet,
Rabanum, Strabum, Alcuinum alioſque complures famoſiſſimos atque eruditiſſimos ex vr-
be Roma ad inclytam vrbem Pariſienſem idcirco tranſduxit, quò ille generale ex omni na-
tionum lingua ſtudium inſtitueret. Qui profectò Doctores præclaris moribus, doctrina &
Diſciplinis ibidem ſtudium ita refertum reliquerunt, vt eorundem prædeceſſores Franco-
rum Regum ope atque auxilio in hunc vſque diem non modo celeberrimum, verum etiam
fructuoſiſſimum vbique terrarum habitum ſit, ab omnique ſuperſtitionis & hæreſis ma-
cula alienum.*

Robertus Gaguinus Franciæ Hiſtoriographus, ſcholæ Iuris Canonici olim De-
1480. canus, qui ab an. 1470. vſque ad an. 1501. quo obiir, ingenti nominis fama cla-
ruit, in vitâ Caroli M. ſic ſcribit. *Eo authore Pariſienſis ſchola, quam Vniuerſitatem
vocant, hac occaſione cœpit. Delati naue ex Scotia Claudius & Ioannes, Rabanus quoque
& Alcuinus ex venerabilis Bedæ Diſcipulis in Galliam cum veniſſent, nec quicquam
præter bonas diſciplinas patria exportaſſent, ſe ſapientiam profiteri eamque venalem habere
conclamant: quâ re ad Carolum perlatâ illos ad ſe vocat: vocati libere profitentur ſapientiam
illis eſſe, quam adipiſci cupientes gratis edocerent, ſi vita locuſque tantum eis præberetur.
Intellexit Imperator ingenuam hominum mentem, eoſque cum aliquot dies apud ſe tenuiſ-
ſet, Claudium, cui nomen erat Clemens, Pariſiis conuerſari & generoſos adoleſcentes bo-
nis diſciplinis inſtituere iubet: Ioannem vero Papiam miſit. Hoc initium habuit Pariſien-
ſis ſchola, celebre mox Philoſophis atque Theologis Gymnaſium, vnde prodiere inſignes do-
ctrina & eruditione viri, qui non ſecus atque illuminatiſſimæ faces mirum Chriſtianæ
Religioni fulgorem diffuderunt. Itaut non abs re bonorum ſtudiorum parens, non quidem
annis, ſed liberalibus religioſiſque diſciplinis, antiqua à pleriſque nominetur.*

Et in gratiarum actione ad Guillelmum de Rupeforti Franciæ Cancellarium,
cum Pariſios primum adiret an. 1483. pro remiſſâ Vniuerſitatis cauſa ad
Senatum Pariſienſem, *Enimuero*, inquit, *quicumque Scholaſticorum Conuentus,
ſeu apud Chaldæos, vel apud Ægyptios, vel inde apud Græcos, addam & Druidas fuit olim
conſtitutus, ex eo velut ex confertiſſimo promptuario grana, viri ſapientes prodierunt,
qui Reipub. gubernacula capeſcerent. Cuius rei ſcientiſſimus Diuinus ille Rex atque Im-
perator Carolus cognomento Magnus hoc potiſſimum ſupra 700. annos curauit in hac Pa-
riſiorum vrbe toto orbe terrarum celebri alteram poſt Athenas litterarum Academiam col-
locare, facereque prudentiſſimorum virorum latè diffuſam ſementem. Vnde in omnes mun-
di Prouincias doctrina prodiret, & ſapientia: atque ita plus fama atque gloriæ in conden-
do vno erudiendorum hominum contubernio, quàm in dilatandis Imperij finibus ſibi para-
tum iri putauit.*

Authores 8. ſeculi Ioannes Trithemius vir multitudine ſcriptorum ſatis notus, qui obiit 3. dec.
an. 1516. multis in locis meminit eiuſdem fundationis. lib. autem de viris Illuſtri-
1500. bus Ordinis S. Benedicti c. 26. de Alcuino ſic loquitur. Hic iuſſu Caroli ſtudium
Pariſienſe à Roma tranſlatum Pariſius primus inſtituit. Vbi multos etiam ex Mo-
nachis Diſcipulos inſignes educauit.

Baptiſta Mantuanus Carmelitarum Generalis, inſignis Poëta, qui eodem quo-
que anno id. 1516. obiit, lib. 2. Dionyſiados eandem hiſtoriam refert; atque vt
eam pigmentis Poëſeos exornet, fingit Dionyſio apparuiſſe D. Paulum futura-
que prædixiſſe, & ſic de Carolo noſtro deque Alcuino vaticinatum.

Maximus hic igitur Terra Pater & Pater vnde
Ante graueſcentes ætas quàm virgat in annos,
Ante virum, primis fruticat dum frondibus aeuum
Per ſeuis Albiui gradiens veſtigia Montes
Aonas intrabit, nec-non Parnaſſida Cyrrham
Et fontes Libetra tuos, ac Phocida totum,
Romanumque loqui Cicerone diſertius ipſo
Diſcet & anteibit Reges facundia & armis.
Vertet ad Annales animum vetereſque nouoſque
Dulcibus emungens ſtudiis, ceu lactea quadam
Vbera nectareo conferta volumina ſucco.
Hauriet hinc rerum cauſas, hinc hauriet omnem
Vim naturæ hominum & regnandi intelliget Artem.
Hac dape nutritam mentem ſupponet agendis
Imperij rebus, non conficienda labore,
Non hebetanda metu, non vi ſuperanda, nec aſtu
Supplantanda, ferens forti ſub pectore corda.
Neu deſit Gallis vllum decus, illa per orbem
Clara, per Æthiopes nigros audita, per Indos,
Illa tua quibus in cœlum tolluntur Athenæ,
Tot Sophiæ fœcunda bonis, tot lucida claris
Scriptorum ingeniis, quæ tanquam ſidera lumen
Æterno ſplendore ferunt, Gymnaſmata primus
Transferet ad Gallos, ſicut Tiryuthius hortis
Veſter ab Heſperiis tulit auricoloria mala;
Sicut & à Colchis olim Pegaſæus Iaſon
Vexit ad Argolicos pecudis velamina fuluæ.
Et tua de Graiis migrans Academia campis
Ibit ad occaſum, vacuaſque relinquet Athenas.

Ioannes Auentinus, qui ſe litteris olim & Philoſophiæ operam dediſſe ait in Academia Pariſienſi lib. 4. Annal. Boiorum de Carolo M. poſt multa ſic habet. *Vtraque linguâ Romanâ & Germanicâ facundus ac promptus; nam linguam Latinam iuxta patriam, hoc eſt Teutonicam calluit: Græcas quoque litteras attigit, quas tamen melius intelligeret, quàm pronunciaret. Artes liberales ſtudioſiſſimè coluit. Audiuit in eis Albinum Saxonem Anglicumque virum optimum eius tempeſtatis vndecumque doctiſſimum, quem fere ſecum, vbi à bellis feriæ erant, in Aula magno honore detinuit.... Artium Liberalium Doctores præter cæteros egregiè veneratus eſt, magnis illos afficiebat honoribus, plurima in illos beneficia conferens. Conſtat quoſdam celebres e Ludo litterario in Aulam receptos Sacerdotia locupletiſſima & Pontificatus conſecutos fuiſſe.... Liberalia litterarum ſtudia pæne iam vt ipſe ait, incuriâ Maiorum obliterata inſtaurare ſummopere conniſus eſt; & vt ſui exemplo ad ea amplectenda cæteros inuitaret, ex Hibernia duos Scotos Clementem & Albinum acciuit, vt tum erant tempora, eruditiſſimos. Item ex Anglia alterum Albinum euocauit. Albinum Scotum Ticinum miſit, ibique Ludum litterarium aperire iuſſit. Commilito Clemens mandato Caroli in Lutetia Pariſiorum conſedit, eique Magnus annonam & ſtipendia e fiſco tradit. Procerum pauperumque pueros ingenuos modo erudiendi cauſâ tradidit, commiſit. Albinum Anglicum ſecum detinuit. Idem D. Martini Cœnobio in agro Turonum ſito, vbi doceret cum in Aula non eſſet, condonauit, Waldonemque Augiæ maioris Magiſtrum ad D. Dionyſij Templum in agrum Pariſiorum e Suevia docendi ergo transtulit, &c.*

Prætereo quæ habet Ioannes Maior Doctor Theologus Facultatis Pariſienſis l. 2. de Geſtis Scotorum c. 13. Iacobus Almainus in Tractatu de ſuprema poteſtate Eccleſ. & Temporal. q. 2. c. 5. Mathæus Maxerellus ſacræ Theologiæ & Præmonſtratenſis ordinis Profeſſor in Epiſtola Præliminari ad Ioannem Fiſcherum Epiſcopum Roffenſem Cantabrigienſis Academiæ Cancellarium: Baptiſta Egnatius & alij eiuſdem ætatis ſcriptores.

Polydorus Vergilius lib. 5. Hiſtor. Anglic. ea de re ſic quoque habet. *Alcuinus Lutetiæ Pariſiorum bonas litteras profiteri cœpit, eoque authore non multo poſt ipſe Carolus in ea vrbe primus Gymnaſium collocauit, & in Italia Ticini, quæ nunc* 1530.

Papia nuncupatur, alterum. Fuit is annus ſalutis noſtræ circiter 792. cum duos ferunt Monachas ex Hibernia, ſiue ex Scotia, vt quibuſdam placet, in Galliam delatos ſe ſapientiam vanalem habere magnâ vace teſtantes mercedis loco cibaria & veſtiaria duntaxat petiiſſe: & iſtorum alterum, qui Clemens nominabatur, à Carolo Lutetiæ retentum, eique ex omni Ordine Ciuitatis traditos Iuuenes in diſciplinam: alterum verò in Italiam tranſiiſſe & Ticini docuiſſe.

Idem lib. 4. eiuſdem Hiſtoriæ in fine de Achaio Scotiæ Rege Ethini filio verba faciens, cum quo Carolus M. fœdus & amicitiam inierat, *Non ſine Dei numine*, inquit, *id factum prædicant, quod etiam nunc amicitia inter Scotum & Gallum inuiolata manet, itavt alter cum altero in perpetuum conſentiat: id quod etiam ferunt aßignandum odio inter vicinos ſuis ſemper finibus timentes arto: & idcirco illud vtriſque in Anglum, & Anglo vicißim in vtroſque commune eſſe. Ille item ad Carolum, qui nouas conditurus Academias ad ſe ab extremis vſque orbis partibus eruditos viros aduocabat, Clementem & Ioannem homines doctißimos miſit, per quos Carolus poſtea & Lutetiæ & Ticini bonas artes cunctos mortales docendos curauit.*

1537. Anno 1537. die 29. Decemb. in Comitiis Mathurinenſibus frequentiſſimis M. Petrus Duval Academiæ Pariſienſis Rector præſentibus egregiis Senatoribus DD. Iacobo de la Barde & Nicolao Sanguin à Curia Pariſienſi ad dirimendam litem, quæ Vniuerſitati cum Facultate Decretorum intercedebat, miſſis verba fecit in hunc modum. *Liberales Diſciplinas, quas Artes vocant, ex Græcia primum, imo ex ipſis Athenis fuiſſe in Gallias Caroli M. quondam huius Francorum Regni inclyti Regis tempore adſcitas Pariſiiſque collocatas: quo in loco hacque florenti Academia quantum authoritate, gloria, Diſciplina pariter & diligentia ac honore floruerint, quantoſque fœtus aluerint, fouerintque, nemo eſt qui ignoret, vt pote quæ Artium Facultas omnium Diſ-*
1540. *ciplinarum parens non immerito dicta fuerit.*

Ioannes Balæus Scriptor Anglus lib. de ſcriptoribus Anglicis. *Alcuinus Bedæ primum, Egberti Archiepiſcopi poſtea obſequentißimus olim diſcipulus, Theologorum ſuæ ætatis, imo omnium Anglorum ab initio poſt Bedam & Adhelmum longè eruditißimus credebatur: itavt eſſet Caroli M. præceptor & Pariſiorum Academiæ inſtitutor primus. Gymnaſii Cantabrigienſis Annales habent, quod omnes illic artes liberales publicè poſt Bedam docuerit Latinè, Græcè & Hebraicè peritus: & quod tandem Eboraci ſub Egberto prælegerit Philoſophorum ſui temporis anteſignanus... Gymnaſium ex Roma circiter annum Salutis 791. Lutetiam Pariſiorum tranſtulit, quod & illuc Athenis perſimili prius cura venerat, & coniectis primum ſtudii fundamentis per Ioannem & Claudium mirificè illud Lecturis colluſtrabat Publicis.*

Anno 1543. edita eſt à M. Euſtathio Knobeſldorfio Pruteno apud Chriſtianum Wechelum Pariſiis deſcriptio Lutetiæ, in qua poſtquam de Antiquitate Oppidi egit, deque Catolo M. ante cuius tempota nullum ait honorem fuiſſe Muſis, & de Alcuini in Galliam aduentu, ſic tandem ſubdit.

Fama viri Regis venerandas perculit aures:
Cæſaris aſcitus conſtitit ante pedes.
Voce Senis multum captus Pipinius Heros
Grandia Doctrinæ præmia conſtituit.
Gentibus ignaris ſtudij inſinuabat amorem,
Dum doctos coleret non ſine fruge viros.
Incerto ſed adhuc errabant limite Muſæ,
Quas tulit huc docti candida cura ſenis.
Nec dum fixa piis ſedes conceſſa Camœnis,
Exilij ſpecies Gallica terra fuit.
Inclytus exulibus proſpexit Magnus, eiſque
Iſto conſtituit digna Lycæa loco.
In patriam ſacras recipis dum Carole Nymphas,
Imperio ſciſti conſuluiſſe tuo.
Mitibus errantem pacaſti legibus orbem:
Nulla tuam temere terra propoſcit opem.
Acribus inuictos ſtrauiſti viribus Hunnos,
Tutaque te ſaltem vindice Roma fuit.

Grandia quis neget hæc? ſuperat tamen, auſpice quod te
Gallam Barbaries fœda reliquit humum.

Ioannes Bodinus in Otatione de inſtituenda Iuuentute, quam habuit ad Se-
natum populum que Toloſanum, quæque impreſſa eſt Toloſæ an. 1559. in Officina
Petri Putei ſub ſigno Pontis, probat vrbes quæ litteris floruerunt, etiam fre-
quentia, imperio, potentia, rerum omnium vbertate & copia floruiſſe, profert-
que exempla Athenarum, Alexandriæ Ægyptiacæ, Romæ, Lutetiæ, Toloſæ;
ſic igitur præſertim de Academia Pariſienſi. Teſtis eſt Lutetia in qua Carolus
Magnus cum litterarum Officinam, vt illa tempora ferebant, inſtituiſſet, ſedem
Imperij Gallorum eſſe voluit, ac eius Imperij, cui Germania quæ nunc Impe-
tij ſpeciem præ ſe fert; Italia, quæ quondam Orbi terrarum præfuit; Hiſpania,
quæ ab Afris turpiſſimâ ſeruitute premebatur, obediit. Quis tantum Impe-
rium vnà cum littetis ad nos delatum non vider? Vrbs autem illa, quæ non
multò ante exiguâ inſulâ continebatur, poſtea ad tantum faſtigium excreuit,
vt hoc tempore, quo ſtudia bonarum litterarum ardentius amplexatur, ma-
gnitudine quidem Romam, numero Ciuium Conſtantinopolim, mercaturâ
Alexandriam, opibus Venetiam, magnificentiâ Babylonem, artium varietate
veteres Athenas, ingeniorum multitudine cæteras vrbes ſuperaſſe videatur.

Rodulphus Hoſpinianus in Tractatu de Academiarũ Origine ſic eadem de re 1580.
ſcribit. Carolus M. quoque Studia Publica Liberalium Artium ac diſciplina-
rum, quæ propter diuturna & grauia bella diu in Galliâ oppreſſa iacuerant,
reſuſcitare volens, vt erat Princeps litteratus, nec non propagandæ Religionis
Chriſtianæ pro virili ſua ſtudioſus Pariſienſem Academiam inſtituiſſe an. 791.
hac occaſione dicitur. Ex Scotia in Galliam venerant Claudius, Ioannes, Ra-
banus & Alcuinus &c. Hanc Scholam à ſe ſic inſtitutam tantâ prouentuum &
poſſeſſionum amplitudine ipſum locupletaſſe etiam quantum vix omnes Galliæ
& Germaniæ, quæ inde poſtea natæ ſunt Academiæ poſſent æquare, Curio
l. 2. teſtatur.

Authores 9i ſeculi.

Poſſemus longè plurium anthorum huius ſeculi authoritates & teſtimonia re-
ferre, Hectoris Boethii, Petri Gallandij, Petri Rami, Henrici Pantaleonis, 1600.
Genebrardi, Iacobi Vſſeri, Donati Accioli, Sethi Caluiſij. Sed ad vltimum ſe-
culum tranſeamus. Autonius Poſſeuinus Ieſuita, qui ſcribebat adhuc an. 1608. in
ſuo Apparatu de Beda, Alcuino & aliis ſic loquitur. Nunquam Beda ex Anglia
pedem extulit, quidquid ſecus aliquis dixit: erat enim natione Anglo-Saxo,
quamuis à Gregorio II. Pontifice Max. vt Romam iret, inuitatus fuiſſet.
Fratres enim duo fuère Strabo & Haimo viri docti piique, quorum hic ſacras
Homilias, ille commentarios in Geneſim ſcripſit. Diſcipulos reliquit eruditiſ-
ſimos, Rabanum, Albinum ſiue Alcuinum, Claudium & Ioannem Scotum,
qui primi Lutetiæ Pariſiorum docuerunt: vnde poſtea in reliquum Chriſtia-
num Orbem doctrina fluxit vberrima. Et alio loco. Quod autem in Chronico
Chronicorum Regularium Alcuinus dicitur Gallus & præceptor Caroli M. in-
de fieri potuit, quod in Gallia diu vixerit, quod eum de multis docuerit, quod-
que Pariſienſis Academiæ fuerit Author ſiue Director.

Rodolphus Boteræus in magno Franciæ Conſilio Aduocatus, in ſuo de Lute- 1610.
tia poëmate egregiis verſibus Academiæ noſtræ laudes amplificat, eamque
omnibus Academiis veteribus longè anteponit.

Proxima debetur tibi gloria FILIA REGVM
(Nam tu liligero ſoboles de ſanguine Regum)
Docta Parens ſtudiorum, Altrix Diua ingeniorum,
Non fictus Muſarum Helicon, Cyrrha altera Phœbi,
Palladis hoſpitium, vel quod præponat Athenis;
Artium amica domus, Sophiæque ſcientia & omnis
Attici, Idumæi, Latiique magiſtra leporis
Lugdunenſem aram formidatumque Tribunal
Rhetoribus Priſcis luituris amne propinquo
Probra ſchola, aſſiduas nec olentia ſcripta lucernas;
Maſſiliam & ſuperas, quam viſere Romula plebes
Sueuit, vt ingenuas à Gallis diſceret Artes,

Bardorum vt numeros, quoque exequiale canebant
Carmen in Heroas Patria pro vindice functos,
Et Druidum ſolis commiſſa oracula ſiluis,
Quercubus in ſacris, qua viſcum falce putabant,
Quo ritu & quantos viſcus legeretur in vſus
Per Carnutum agros, Sophia loca amica latenti
Tunc ſiluoſa, vt nunc glabra & populata ſecuri.
Tu ſtudiorum incus, quam tundere ſæpe ſolebat
Ante faber ſolers. Tu Cos, qua reddis acuta
Ingenia, attrituque tuo facis apta ſecundi;
Sarmata, Teuto, Italus; fuſcique coloris Iberus,
Anglus, & æterno ſociatus fœdere nobis
Scotus, (& à Scotis tua prima putatur origo)
Te cauſa ſtudiorum adeunt & amore ſciendi,
Tu decus Europa, tu Gallia & Vrbis ocellus,
Tu facis omne genus ſapientum, in iure peritos,
In fidei arcanis, ſophiaque, & in arte medendi
Inque poli motu noſcendo Aſtriſque notandis.
Non tibi CARLE, *minor laus* MAGNE *dicaſſe Camœnis*
Partem vrbis longéque viros quaſiſſe, docerent
Qui Sophiam & triplicis tunc dona incognita lingua,
Gloria non minor eſt, quàm armis & Marte potenti
Sæpe rebellantes populos domuiſſe, tuaſque
Victorem leges orbi impoſuiſſe ſubacto.
At tandem Arctois Scotorum emerſit aboris
Alcuinus, qui Palladias formator ad Artes
Maximus, & ſolers cultor fuit Ingeniorum:
Fundamenta operis tanti Carlo auſpice primus
Iecit, & Aonias neglecto Helicone Sorores,
Pindo & laurigeris Eurota ac Phocidos vndis
Primus Sequanis iuſſit conſidere ripis.
Iure Caledonios in fœdus traximus, Artes
Per quos Palladias, nulliíque Helicona recluſum
Ante datum, & Sophiæ nouiſſe arcana latentis.

Quid cæteros commemorem, qui hoc ſeculo floruerunt & ſcripſerunt? quos Paſchaſii & quorundam aliorum de Pariſienſis Vniuerſitatis inſtitutione & origine aliter ſentientium authoritas non deterruit, quo minus communi & receptæ ſententiæ ſubſcriberent? Inter cæteros vero Claudius Hemeræus Doctor Sorbonicus
1637. & Regalis Eccleſiæ S. Quintini Canonicus, in ſuo de Academia Pariſienſi libello, poſt quam in Ep. ad Lectorem dixit difficile eſſe internoſcere Claſſes Artiũ atque ſcientiarum primis Academiæ temporibus, & colores linearumque ductus diſciplinarum & legum ornatum, qui poſterioribus annis auguſta quadam venerabilique Maieſtate plenus illuxit, ſubiungit.
» Non ideo tamen ambigimus antiquiſſima eſſe initia, & natales annos Academiæ Pariſienſis, & erectæ ac fun-
» datæ illius laudem ad Carolum Imperatorem eſſe referendam: hoc affirmamus
» 1. cap. Commentarij noſtri. Et in maximo potentiſſimoque Rege infinita diſ-
» cendi cupiditas, beneuolentia & munificentia Regalis, qua coluit ille opti-
» mas quaſque Diſciplinas, earumque Profeſſores amplexatus eſt, ſanctioneſque
» quas de litteris ab obliuione & ſitu reuocandis frequentiſſimas tulit: à maio-
» tibus denique tradita per manus fides, fuere argumenta nobis totidem, quibus
» ſuaderemur à communi & iamdiu recepta opinione non eſſe recedendum.
» Et cap. 1. eiuſdem commentarij ſic ſcribit. Fuit autem iſta, vt ego iudico,
» prima configuratio atque inſtitutio Academiæ Pariſienſis, quæ à D. Dionyſio
» initia, exigua illa quidem ac perobſcura: à Germano Præſule ſuccum paulò
» pleniorem: ab erudito denique Imperatore ſtatum illum accepit, quo & lit-
» terarum VNIVERSITAS dici, & QVIDAM GENERALIS STVDIORVM MERCATVS vi-
» deri poſſet. Quam ob cauſam eidem Reſtauratori Litterarum, nobiliſſimoque
» Gymnaſij Fundatori, vbi fuiſſet ille authenticatus & in Cœlitum numerum

an. 1166.

an. 1166. relatus. erectæ in eodem Lycæo aræ ſunt, eique in publicum Academiæ Calendarium adſcripto ſolennes preces Chriſtiano ritu, veluti Patrono ac Numini Litteraturæ Pariſienſis ſtatis diebus decantari conſuetæ ſunt.

Fidem ſententiæ ſuffragatur Petrus Berthaldus Preſbyter Oratotij Archidiaconus & Canonicus Eccleſiæ Carnotenſis lib. 2. Flori Francici c. 11. ſub 1660. finem ad an. 791. *Ceterum*, inquit, *hoc anno Carolus M. Pariſiorum ſcholam*, ſtudiorum altricem & cuiuſcumque eruditionis parentem Alcuini præceptoris opera conſilioque vſus inſtituiſſe fertur. Erat enim tam elegans Liberalium ſtudiorum omniſque Doctrinæ & author & admirator, vt quod de Scipione Africano dicitur, præcellentes ingenio viros domi militiæque ſecum haberet. Eo facto prouidit Carolus in poſterum, vt qui cæteris orbis gentibus bello ſuperiores euaſerant, ingenio non vincerentur: vtrobique verè Magnus, firmato Francicæ Gentis Imperio non armis modo aduerſus hoſtes, ſed quod maius eſt & auguſtius bonis pacis & Artibus.

RESPONDETVR QVORVNDAM RATIONIBVS contra Carolinam fundationem.

ANte Stephanum Paſchaſium, Andream Ducheſnium & Antonium Loiſelium neminem video, qui Pariſienſis Academiæ inſtitutionem Carolo M. non adſcribat. Octingentorum annorum conſtans ea fides fuit, quam illi hoc nono ſeculo leuibus coniecturis argumentiſque conuellere conati ſunt, negantes Carolum aut vllius Vniuerſitatis eſſe parentem, aut ſi alicuius fuit, non certè Pariſienſis, atque ita poſteris non ſatis in Antiquitate verſatis dubitandi, non nullis etiam veritatem non vltra ſcrutantibus idem ſcribendi & ſentiendi occaſionem dederunt. Ne quem ergo ſcrupulum in animis relinquamus, operæ pretium eſt triplici hominum generi reſpondere, quorum aliqui negant legi vſpiam Carolum Magnum habitaſſe Pariſiis, multoque minus ibi Vniuerſitatem inſtituiſſe contendunt. Alij fatentur quidem à Carolo fuiſſe inſtitutam Athenem aliquam & publicam litterarum officinam ſeu Vniuerſitatem, At Turonis non Lutetiæ. Alii denique cum Paſchaſio fabuloſum eſſe putant, quod de Anglorum & Scotorum aduentu in Galliam vulgo refertur: propterea quod nullus veterum Scriptorum ante Vincentium Bellouacum qui 400. poſt Carolum annis natus eſt, eius rei meminit.

Contra eos qui negant Carolum habitaſſe vnquam Pariſiis, ſufficiunt ea quæ ante retulimus de loco Vniuerſitatis: ex quibus patet Carolum habuiſſe Lutetiæ Palatium more maiorum ſedemque Regni, antequam Saxonas debellaret, & Imperium Occidentale ſibi vindicaret. Tunc autem Lutetiæ degebat, cum viſendæ Romæ deſiderium animo concepit, vt teſtatur ille ſcriptor Anonymus qui ab Ademaro Caroli & Ludouici Hiſtoriam ſe audiuiſſe affirmat. Sic enim ille ſcribit ad annum 779. *Quibus rite peractis Ligerim cum reliquis tranſmeauit copiis, & Lutetias quæ alio nomine Pariſius vocatur, ſe ſe recepit. Poſt non multum ſane tempus incidit ei deſiderium Dominam quondam orbis videre Romam.* Idem habet Aimoinus l. 5. c. 1. *Quibus rite peractis Ligerim cum reliquis tranſmeauit copiis & Lutetias quæ alio nomine Pariſius vocatur, ſe ſe recepit. Tunc eius adiit præſentiam venerabilis Robertus Abbas S. Vincentij ſanctique Germani, petens quatenus præceptum immunitatis ipſius Eccleſiæ, quod olim D. Pipinus Genitor eius fecerat, ipſe ſua benignitate confirmaret.* ſequitur Priuilegium eodem anno datum.

Carolus D: G. Francorum Rex & Longobardorum atque Patricius Romanorum omnibus *Epiſcopis, Abbatibus, Comitibus, ſiue Iunioribus noſtris*. Et in fine *Data 6. Kal. April. an. vndecimo Regni noſtri, & 5. Patriciatus noſtri. Actum Hariſtallo in Palatio, reintegratum vero Pariſius*. Ex quibus verbis manifeſtum eſt ſedem & Palatium habuiſſe Pariſiis, ibique ſolitum inhabitare, cum à bellis ceſſaret. Adde Giſlæ & Recthrudis filiarum eiuſdem Caroli in Palatio Pa-

ſienſi ab Alcuino inſtitutarum, vt ſupra retulimus, & infra adhuc referemus.

Rationes Andreæ Ducheſnij.

Verum Andreas Ducheſnius in præfatione ad B. Alcuini opera, poſtquam locum illum Epiſtolæ primæ Alcuini ad Carolum retulit, vbi mentionem facit Athenes nouæ à Carolo inſtitutæ, non fatetur propterea, imo diſertè & ex-
„ preſſè negat fuiſſe Pariſiis inſtitutam. Sic enim ille. Sed in quibus Franciæ Pro-
„ uinciis eiuſmodi litterarum ſemina iecit? aut vbinam Vrbiũ vel Ciuitatũ Galli-
„ carum hæc Athene perfecta fuit? Forte in facundiſſima Pariſiorum Lutetia, ad
„ quam Carolus Rex ſtudium de vrbe Roma tranſtuliſſe, quod de Græcia illuc
„ tranſlatum fuerat à Romanis, in Magno Chronico Belgico legitur. Plurima
„ ſunt, quæ vetant credere. 1. quod Alcuinus vel Pariſiorum, vel Lutetiæ nul-
„ libi meminit. 2. quod cum in pluribus Galliæ locis fuerit, aut cum Carolo
„ Rege, vt Aquiſgrani apud authorem vitæ S. Ludgeri l. 1. c. 34. aut ſine Re-
„ ge Carolo, vt in Belgica latitudine ep. 11. Turonis ep. 1. 13. 15. 17. in Centu-
„ lo apud S. Amandum & alibi, nunquam tamen docuiſſe ſe verbis apertis in-
„ dicat, niſi vel in Palatio Regis, vel Cæſaroduni Turonum. In palatio enim ſcho-
„ lam fuiſſe demonſtrant hæc eius ad Carolum verba Ep. 11. Ego ignarus neſ-
„ ciens Ægypriacam ſcholam in Palatio Dauiticæ verſari gloriæ. Ego abiens
„ Latinos ibi dimiſi, neſcio quis ſubintroduxit Ægyptios.

Antequam quid ille de ſua Turonica Ciuitate dicat, examinemus, operæ pretium eſt, quid de Pariſienſi aſſerat, diſcutere. Primum igitur negat Alcuinum vllibi Lutetiæ ſeu vrbis Pariſienſis meminiſſe. At mirum non meminiſſe ipſum qui Alcuini opera edidit, ſe legiſſe in Homilia de natali S. Willibrodi Archiepiſcopi, inter vrbes quæ Cœlitum quorundam corporibus celebres habentur, Pariſienſem referri. Sic enim ibi habetur, *Roma vrbs orbis caput Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli ſpecialius quodammodoglorioſiſſimis lætatur triumphis: vnde ad eandem & gentes & populi cum deuoto pectoris officio quotidie concurrunt, vt maiori quique apud beatos Apoſtolos fidei compunctione vel ſua defleant crimina, vel cæleſtis vitæ abundantiori ſpe ſibi aditum aperiri depoſcant. Mediolana olim ciuitas Imperialis S. Ambroſio gaudet defenſore. Alpes Agaunia SS. Thebæorum felicius ſanguine quam in proceritate exaltantur. Beatius fæcunda Pictauia B. Hilarij Pontificis Reliquiis exultat, quàm venditionum & emptionum alteratione in quibus ſæpe verſatur iniquitas. Quid te Turonica ciuitas loquar? muris quidem paruula & deſpectibilis, ſed S. Martini patrociniis magna & laudabilis? quis propter te adierit te? nonne propter illius certiſſima ſuffragia turbæ ad te confluunt Chriſtianorum? Omnia Pariſiaca ciuitatis ſuburbana S. Dionyſii vel S. Germani magnificis iucundantur auxiliis & feſtiuos illorum dies maiori populorum celebrant frequentiâ.* In vita S. Martini apud eundem Alcuinum hæc habentur verba *Leproſum in porta Pariſiaca ciuitatis à deformitate ſui corporis ſolo ſaluauit oſculo.* Item in Ep. filiarum Caroli ad Alcuinum Pariſiacæ ciuitatis mentio fit. Itaque non ſatis cogitanter dixit Ducheſnius apud Alcuinum nullibi Pariſienſis ciuitatis verbum inueniri.

Hæc de nomine. Ad rem veniamus. Fatetur Ducheſnius Alcuinum ex ſcriptis propriis conuinci docuiſſe in Palatio Regio & Cæſaroduni Turonum, tanquam in duobus locis diſtinctis & diſſitis, vt reuera diſtincta fuiſſe conſtat, tum ex Ep. 9. in qua ait Alcuinus ſe abeuntem è Palatio reliquiſſe inibi Latinos profeſſores: tum ex Ep. 15. vbi vtriuſque loci meminit ſic aiens ad eundem Carolum. *Ego itaque licet parum proficiens cum Turonica quotidie pugno ruſticitate, veſtra vero authoritas Palatinos erudiat pueros vt elegantiſſimè proferant quidquid veſtri ſenſus lucidiſſima dictauerit eloquentia.* Item Turonis multa opera compoſuit, commentaria ſuper Eccleſiaſten, interpretationes in lib. Geneſ. Commentaria in Euangelium Ioannis, Pſalterium Dauidicum per hebdomadæ dies diſpoſuit; & alia quædam edidit. Antea vero in Palatio Grammaticas, Rhetoricas, Dialecticaſque præceptiones elaborarat: vt fatetur ipſe Ducheſnius.

Reſtat igitur inquirendum vbi & qua in ciuitate Palatium illud Regis eſſet. Certè non Turonis, vt ex ſupra dictis patet: ipſe enim Alcuinus cum Turonicâ ruſticitate pugnabat, dum Rex in Palatio curabat inſtitui nobiles

adoleſcentes, ſuoque illos exemplo inuitabat. Non Aquiſgrani, quia Athene noua de qua ante dictum eſt, in Francia fuit à Carolo collocata. Et quanquam propter bella Germanica & Saxonica frequenter habitaret Aquiſgrani, nuſquam tamen legitur ibi litterarum exercitium poſuiſſe, quod inter hoſtilium armorum ſtrepitus florere facile non potuiſſet: quod ſi ibi poſitum fuiſſet, extaret certè aut extitiſſet ſaltem eius rei veſtigium aliquod poſt Carolum, nec omiſiſſent Germanici Scriptores hanc illi loco laudem arrogare: quam tamen ei nemo tribuit. Supereſt igitur vt cum omnibus Hiſtoricis Muſas Lutetiæ collocatas fuiſſe concludamus.

Nec mouet Ducheſnij argumentum à commoditate loci petitum, ſic aientis. *Et ſi aſcititiis etiam vti teſtimoniis licet, vbi Athene illa noua, de qua nunc dixi, melius collocari poteſt, quàm in eiuſmodi ſchola Turonenſi? Nam San-Gallenſis Monachus ſic ea de re. Dedit autem Albino Carolus Rex Abbatiam S. Martini iuxta Turonicam Ciuitatem, vt quando ipſe abſens eſſet, illic requieſcere & ad ſe confluentes docere deberet. Cuius in tantum Doctrina fructificauit, vt moderni Galli ſiue Franci antiquis Romanis vel Athenienſibus æquarentur.* Non inquam, mouet iſtud argumentum: neque enim negamus Alcuinum docuiſſe Turonis, ſed negamus Athenem Palatinam, & Academicos Magiſtros & Iuuenes fuiſſe Turonis: vt patet tum ex his quæ hactenus dicta ſunt, tum ex hiſce verbis Ep. 106. qua reſpondet Carolo, a quo rogatus fuerat Academicorum nomine quandam enodare quæſtionem de Hymno poſt cœnam Domini, eumque laudat, quod præter Imperij curas Muſis etiam intenderet, Academicoſque ſuos in aſſiduo ſtudiorum exercitio detineret.

Mirabiles ſapientiæ veſtræ litterarum ſeries perlectas inuenimus eas eloquentiæ nitore ſplendidas & profunditate ſenſuum ſubtiliſſimas, & inquiſitionis gratia iocundiſſimas. Vnde patenter agnoſci poterit non tantum Imperatoriam veſtræ prudentiæ poteſtatem à Deo ad ſolum mundi regimen, ſed maximè ad Eccleſiæ præſidium & ſapientiæ decorem collocatam & Iuuenum mentes quadam inertiæ rubigine obductas ad acumen ingenij per veſtram ſanctiſſimam ſolertiam elimandas. Siquidem præter Imperiales & publicas curas, Euangelicas Quæſtiones Academicis veſtris à nobis enucleandas inquiritis. Non dicit *Academicis noſtris* ſed *veſtris*, nempe iis, qui in Palatio, non Turonis verſabantur, de quo etiam intelligendi ſunt hi verſus eiuſdem Alcuini, ex Poemate 257. quo videtur alloqui Academiæ Palatinæ Diſcipulos & Profeſſores.

Tu qui pergis iter per ſacra Palatia lector,
Dic duo, quæ moueant totas Monoſyllaba lites:
Dic duo, quæ ſanctam rumpant pronomina pacem:
Dic duo, quæ faciant pronominà nomina cunctis.

Huc reuoca Epiſtolam Giſlæ & Rechtrudis Caroli filiarum ad Alcuinum, quam ſupra retulimus. Certo enim certius eſt eas ab eo in Palatio Pariſino, vbi tum erant, inſtitutas fuiſſe. *Multo facilius Chartarum Portator tuarum de Turonis Pariſiacam ciuitatem, quàm illius (Hieronymi) de Bethleem, peruenire poterit.* Ipſe quoque Alcuinus in Epigrammate ad Libellum quem Palatinis mittebat, ſic ait.

Perge Libelle Sacer, cunctis præclarior Odis,
Proſper pacificè nunc miſerante Deo.
Et pete Præclari præclara Palatia Regis,
Vt maneas Chriſti ſemper in æde ſacra.
Atque Dei famulis pacis fer munera cunctis,
Dextera quos Domini protegat atque regat,
Quos colo, corde, fide, ſancto quoque ſemper amore,
Cum lachrymis optans, vt vigeant, valeant.

Veniamus ad Paſchaſij aliorumque qui Paſchaſium ſequuntur rationes, negantium ſcilicet vllam à Carolo M. inſtitutam fuiſſe Vniuerſitatem, Hiſtoriamque Anglorum cum ſcientia venali in Galliam appulſorum fabuloſam eſſe contendentium.

Prima eorum ratio hæc eſt, quod nec Aimoïnus, nec Rhegino, nec Ado, nec Sigebertus illius inſtitutionis, meminerint: imo nec Eginhartus Caroli Conſiliarius & ab intimis ſecretis, cuius certè mentionem facere non omiſiſſent,

ſi vera fuiſſet, atque ad eius gloriam illuſtrandam conferre putauiſſent. Achillicum hoc argumentum ſæpe nullius eſt roboris; quam multa enim quotidie contingunt, quorum apud Hiſtoricos nulla vnquam mentio futura eſt? id inde accidere ſolet: prout ſcilicet quiſque affectus eſt, ita ſcribit: alij alia poſteritate digna putant. Aimoïnus ne quidem de ſtudiis Caroli verbum vllum facit, nec de vllis ſcholis ab eo aut eius iuſſu inſtitutis. At cæteri ſcriptores ob id eum mirificè extollunt: & quam multa de iis Alcuinus? Reuera Eginhartus nihil expreſſè & disertè de aduentu Anglorum ſeu Scotorum Doctorum ſcribit, præterquam vnius Alcuini: at videtur tamen id ſatis innuere, cum ait Carolum amauiſſe Peregrinos, eorum ſuſcipiendorum magnam habuiſſe curam, eorumque ingentia incommoda laude liberalitatis ac bonæ famæ mercede compenſaſſe, vt ſupra retulimus.

Prætetea potuit exiſtimare Eginhartus hiſtoriam illam ſi ſcriberet, nocituram famæ tam Illuſtrium Magiſtrorum, cum multi è ciuibus, multo verò magis ex Aulicis conclamationem illam ſcientiæ vænalis fatuorum hominum, non prudentum virorum factum eſſe putarent. Alij verò, qui poſt eorum obitum ſcripſerunt, non indignam relatu arbitrati ſunt, nempe San-Gallenſis & Erricus Antiſſiodorenſis, quorum teſtimonia inter Scriptores primi ſeculi ſupra retulimus.

Hinc ergo 2. ratio Paſchaſii exploditur, ſcribentis nempe, quod Vincentius Bellouacus ordinis Dominicani, qui poſt quadringentos & amplius à Caroli temporibus annos ſcripſit, primus ſit author Carolinæ illius inſtitutionis, nec aliud habeat ſententiæ ſuæ fundamentum, quàm Chronicon quoddam Arelatenſe authoris Anonymi, quod lapſu temporis periit. Ratio inquam iſta facile exploditur, quippe ſupra oſtendimus authoritate 4. ſeculorum talem ſemper fuiſſe de Pariſienſis Vniuerſitatis fundatione opinionem: atque regreſſu facto à Vincentio Bellouaco ad Carolum, ita ſenſiſſe Helinandum, Alexandrum Nekamum, Chronologiſten Malleacenſem, Ademarum Engoliſmenſem, Erricum Antiſſiodorenſem & Monachum San-Gallenſem, qui primos Academiæ Pariſienſis Profeſſores aut viderunt, aut iis certè ſuppares fuerunt. Quæ vero fuiſſet Sangallenſis impudentia non modò affingere Carolo quod falſum fuiſſet, ſed ad id quoque aſſerendum eorum hominum authoritate vti, qui Carolo familiares fuiſſent? neque credendum eſt vni San-Gallenſi commiſſum hoc fuiſſe ſecretũ ab Adalberto & Werenberto; at eum, quæ nota erant pluribus, & ab iiſdem authoribus prolata, ne perirent & obliuione vaneſcerent, omnibus patefeciſſe.

3. Ratio eſt, quod neque in Conciliis quinque Eccleſiæ Gallicanæ quæ habuit Carolus, neque in iis quæ Ludouicus Pius & Carolus Caluus, vlla mentio fit vllius Vniuerſitatis ſeu ſcholæ publicæ Pariſiis inſtitutæ. Reuera in iis Conciliis non fit expreſſa mentio ſcholarum Pariſienſium, ſed Epiſcopalium tantum & Cœnobialium, quarum curam, regimen & adminiſtrationem ad Epiſcopos & Monachos remiſerunt Imperatores: & de iis agit fuſè Ioannes Fileſacus in lib. de ſacra Epiſcoporum authoritate c. 15. §. 2. At alia ratio eſt de Scholis Palatinis, quarum ipſe Carolus fundator, & conſecuti Imperatores curam ſuſceperunt, imo vt ſuſciperent, ab Alcuino & ab Epiſcopis deinde rogati ſunt. Alcuinus certè multis in locis Imperatorem laudat ob curam & diligentiam, quam circa Athenen ſuam nouam impendebat: cumque paſſim hortatur, vt Iuuenes Academicos ad amorem impellat Sapientiæ. *Ad hanc*, inquit epiſt. 1. *omni ſtudio diſcendam & quotidiano exercitio poſſidendam exhortare Domne Rex iuuenes quoſque in Palatio excellentiæ veſtræ, quatenus in ea proficiant ætate florida, vt ad honorem caniciem ſuam perducere digni habeantur, & per eam ad perpetuam valeant peruenire beatitudinem.*

In Synodo Pariſienſi habita an. 829. Epiſcopi Ludouicum rogant, vt tres Scholas Publicas authoritate ſua perficiat in tribus congruentiſſimis Imperij ſui locis. Et in Synodo Cariſiaca an. 858. exhortantur Caluum ad fouendas in Palatio virtutes & Diſciplinas, à quarum exercitio *Domus Regis Schola dicitur & Diſciplina*. Vnde etiam Erricus Antiſſiodorenſis eundem Imperatorem laudat, quod multiplici gratia & priuilegio complures doctos viros ex omnibus

mundi etiam partibus allexiſſet ad Scholas Palatinas, quæ non minus ſcholaribus quam militaribus conſueſcebant quotidie diſciplinis. Talis ergo fuit Schola Regia primo illo ſeculo, Regiis ſcilicet curis adminiſtrata: cum interim ſuam Epiſcopus Pariſienſis in Atrio, ſuas forte Canonici San-Genoueſiani & ſuas Cœnobitæ exercerent.

Prætereo quod aliqui dicunt Vniuerſitatis nomen ante Philippi Auguſti tempora ignotum fuiſſe. Quid enim refert quo nomine Studium Generale appelletur. Alcuinus vocat *Athenem nouam*, Academiam, Scholam Palatinam. Carolus Mag. *Litterarum Officinam*. Patres Synodi VI. Pariſienſis *Scholam Publicam*. Patres Synodi Cariſiacæ antonomaſticè *Scholam*. Aimoinus Floriacenſis, *Maiorem Artium Officinam*. Philippus Abbas Bonæ ſpei, qui florere cœpit circa an. 1150. Lutetiam appellat *Ciuitatem Litterarum*. Ne ſit ergo quæſtio de nomine, ſed de re. Vniuerſitatem facit non nomen, ſed numerus ſtudentium & multiplex Artium variarum profeſſio, Principis inſtituentis authoritas, priuilegia, forma, loci celebritas. At quis neſcit ad Scholam Pariſienſem primo etiam ſeculo Vniuerſa optimarum artium Studia confluxiſſe?

4. Ratio eſt, quod Paulus Emylius, Ioannes Tillius Claudius Falcetus quorum authoritates plurimi facit Paſchaſius, nihil de illâ Caroli inſtitutione ſcripſerunt. Quid tum? plusne adhibendum erit fidei quibuſdam authoribus rem ſubticentibus, aut etiam negantibus, quam conſtanti nouem prope ſeculorum authoritati? præſertim cum non ſatis firma ratione nitantur. Nonnullos quoque emouit Paſchaſii authoritas, & Antonij Loiſelij ſententia, atque inter alios Gabrielem Naudæum: at non impediit, quominus innumeri, qui poſt eos ſcripſerunt, vt è noſtris ſunt Gujjonius, Boteræus, Brolius, Hemeræus, Grangæus, Bertaldus, ex Anglis Brianus Thwynus, è Germanis Hottingerus communi & receptæ ſuſcriberent.

At iſti vnde habent non Carolo, ſed Philippo Auguſto aut Ludouico patri adſcribendam eſſe Vniuerſitatis huiuſce fundationem? eſto enim tum maiori ſplendore refloruerit, nullus tamen Scriptor coætaneus (plurimi autem fuerunt & magnæ famæ) nullus ſuppar hanc illis laudem attribuit, ſed omnes Carolo, vt ſupra retulimus. Quamobrem cum Antonius Loiſelius in quadam Lite de Collatione Parochiæ SS. Coſmæ & Damiani apud Senatum Pariſienſem dicens communem opinionem impugnaſſet & Innocentio III. Pontifici Max. Philippi Auguſti temporibus hanc fundationem attribuiſſet, à Ludouico Seruino, qui pro M. Ioanne Hamiltone, quem ad Curiam illam nominauerat ſeu præſentauerat Vniuerſitas, orauit, confutatus eſt toto Senatu applaudente. Extant ipſius Seruini orationes, quarum quæ de Hamiltone eſt, an. 1586. 12. Auguſt. ab eo habita eſt. Ex qua quæ ſequuntur, ad præſentem materiam omnino faciunt.

Contendebat ergo Loiſelius Vniuerſitatem Pariſienſem purè dici debere Corpus Eccleſiaſticum, ſummo Pontifici præcipuè ſubditum eſſe, Papam Scholarum & Scholarium curam habere præcipuam, Scholas Pariſienſes ab Innocentio III. inſtitutas fuiſſe, eaque de re ad Philippum Auguſtum ſcripſiſſe, & licet iam à temporibus S. Dionyſij nonnulli fuiſſent, qui pietate & bonis moribus Clerum informarunt, nullum tamen fuiſſe Collegium, nullam Domum exercitio litterarum vſque ad Innocentij tempora, fuiſſe deſtinatam. Hæc & alia plura Loiſelius: contra quæ ſic Seruinus.

Ie me veux arreſter au point principal de ma cauſe, qui eſt que le Roy Charlemagne & ſes Succeſſeurs eſtans Fondateurs de l'Vniuerſité, on ne la peut appeller autre que Laye: & ſi nous diſions autrement & reconnoiſſions d'autres Fondateurs que les Roys, nous ſerions ingrats, non ſeulement enuers le Roy Charlemagne, qui eſt canonizé pour ſa ſainte vie, & duquel nous ſolemniſons le iour en ce Palais; mais nous offenſerions tous les autres Roys. Et que diroit Louys le Begue, s'il ſe reueilloit, affin de nous demander ce que nous deuons à ſon nom? I'entends ce grand Hincmarus Archeueſque de Rheims, qui eſt à ſon coſté, lequel ſe plaint de ce que l'on a décrié l'Vniuerſité, en la nommant Fille d'autre que du Roy. Liſons ce qu'a eſcrit ce Saint Perſonnage, nous verrons qu'il a eu ſoin de faire inſtruire le Roy; & entre ſes Epiſtres il y en a vne à Charles le Gros, des Pedagogues du Roy. Mais où prenoit-on les Pedagogues? il n'a

pas dit, qu'il en falloit chercher hors du Royaume pour en recouurer de propres, il a prié celuy auquel il eſcrit de donner aux enfans de France des Maiſtres iuſtes & prudens, qui leur monſtraſſent à ſeruir Dieu, à obeïr à ſes Commandemens, & honorer ceux qui le ſeruoient. Où en pouuoit-on trouuer, s'il n'y en auoit à Paris ? Venons au temps de Hugues Capet, voyons quel a eſté Robert ſon Succeſſeur, le plus ſçauant de tous les Roys. Qui l'auoit rendu tel ? l'Vniuerſité Fille de ſon Pere. Vray eſt que cettuy-cy a fait florir l'Eſchole de Rheims à cauſe de l'authorité de Gerbert, mais cela n'a diminué la grandeur de l'Vniuerſité de Paris. Elle s'eſt touſiours maintenuë en toutes ſortes. Et non ſeulement nos Chreſtiens s'y ſont exercez & monſtrez excellens en la connoiſſance des ſciences, leſquelles peuuent confirmer noſtre foy: mais auſſi les Iuifs eſtant à Paris lors qu'il eſtoit permis à leur nation d'habiter en France.

Et poſt multa. *Si donc les Roys ſont Fondateurs de l'Vniuerſité & Conſeruateurs des droits qui luy appartiennent; & vous Meſſieurs, par l'authorité des Roys, le Pape ne peut oſter aux Eſcholiers ce qu'il ne leur a pas donné. Et s'il pouuoit déroger au droit de Patronage de l'Vniuerſité, il entreprendroit connoiſſance de cauſe contre la Pragmatique & Concordats. Que ſi le Pape Alexandre III. a fait vne Decretale* De Magiſtris, *elle n'a lieu ſinon és Eſcholes des Egliſes Cathedrales pour le reglement des Scholaſtiques, comme il appert par la lecture d'icelle. Mais elle ne s'eſtend aux Eſcholes publiques de cette Vniuerſité, qui n'eſt tant Eccleſiaſtique comme Royale. Car bien qu'elle ſoit en l'Egliſe*; Non habet Eccleſiam, & non eſt in Cleto, ſed Clerus in ea. *La protection de l'Vniuerſité n'appartient à autre qu'au Roy. Et c'eſt la vraye marque de bonté & Puiſſance Royale, plus grande & plus ſignalée que celle que le meſme Pape Alexandre III. dont on a allegué la Decretale, a reconnu à vn Roy d'Angleterre par le Chap.* Ex diligenti de Iure Patron. *qui n'eſt imprimé en nos Decretales communes, & ſe trouue és anciennes Collectes commentées par Antoine Auguſtin docte Eueſque d'Iſerde, auquel Chap. addreſſant* Decano, Præceptori & Capitulo Vellen. *le Pape confeſſe qu'apres le deceds d'vn Eueſque* Reditus Epiſcopatus ad fiſcum Principis deuoluti fuerant. *Car les Roys de France ont ce meſme droit donc vſent les Roys d'Angleterre, & donnent les Eueſchez à ceux qu'ils en eſtiment capables: mais ils ont encore cet auantage par deſſus tous autres Rois, qu'ils ſont les premiers Peres & deffenſeurs de l'Vniuerſité de Paris, qui eſt plus grande que toutes celles des autres Royaumes, & qu'ils la maintiennent comme leur Fille tres-aymée, voulans que les droits de nomination & preſentation à elle appartenans, ayent autant de force que le droit qu'ils ont à cauſe de la Couronne, que nous appellons le droit de Regale.*

Ce n'a donc pas eſté ce Pape Alexandre lequel a fondé les Eſcholes de France: Auſſi ne ſuiuons nous le chap. quanto de Iudic. *ne autres Decretales qu'il a fait, par leſquelles il s'eſt attribué la connoiſſance de toutes cauſes, & meſmement du droit de Patronage Laïc. Ceux qui ſe ſont ſoumis à luy ont eſté ſuiets à ſes loix, comme le Roy d'Angleterre, auquel eſt écrit ce* C. quanto. *mais nous n'auons iamais ſuy les armes de Rome, auſſi ne ſommes nous aſtreints à ſuiure ſes loix en ce qui regarde le temporel, comme le droit de Patronage. I'excepte l'obeiſſance ſpirituelle deuë par le* C. Mos antiquus diſt. *65. & que nous auons rendu & rendons encore à preſent. Mais ie ne puis accorder que le Pape Alexandre III. ait eſté Fondateur des Eſcholes de Paris, & moins Innocent III. auquel M. Antoine Loiſel a donné le titre de Fondateur de l'Vniuerſité de Paris. Car lors que ce Pape preſidoit en l'Egliſe Romaine, Philippe Auguſte regnoit en France. En ce temps, comme Vincent Hiſtorien témoigne en ſon 30. l. Les Eſtudes floriſſoient tellement à Paris, que de toute l'Europe y arriuoit grand nombre d'Auditeurs, non ſeulement pour le bon air du lieu, & pour l'abondance de toutes choſes, mais pour l'honneur que leur portoit ce Roy Philippe, à l'exemple de Louis ſon pere.*

Ex his & pluribus aliis, quæ habet idem Seruinus, intelligimus ſententiam illam cuius ſe Paſchaſius Authorem profitetur, in ipſo ortu fuiſſe oppugnatam; & ita oppugnatam, vt in maximo Scriptorum, qui poſt Paſchaſium ad hæc vſque tempora floruerunt numero, vix quatuor reperias, qui eidem ſubſcripſerint, neſcio quo ſpiritu ducti derogandæ Alcuino & extraneis quibuſdam laudis iſtius nobiliſſimæ, quod Carolo noſtro in Academia Pariſienſi formanda opem & operam præſtiterint. Quiſquis Hiſtoriam ſcribit, veritati litare de-

bet expers omnis affectus : haud enim animus verum prouidet, qui odio aut amicitia, ira aut miſericordia ducitur. Carolus noſter vndequaque viros Doctos acciuit, & præmiis inuitauit, quid mali ſi quoſdam quoque Anglos & Scotos, vt & Græcos atque Italos? præſertim illis temporibus, quibus incuriâ Deceſſorum Regum in Francia res litteraria pœne contabuerat. Reddiderunt Angli, Scoti & Hiberni par pari: & quas ab omni æuo ſolebant e Gallia haurire diſciplinas, eidem quodammodo reſtituerunt accepti beneficij memores. Nec video quale aut quantum inde redundet in Galliam noſtram dedecus. Talis eſt litterarum natura, vt ament communicari, vtque qui eas poſſident, ſibi ſolis poſſidere non poſſint. Academias olim Gallicanas ſub Imperio Romanorum magno concurſu frequentabant Græci, Itali, Romani, vt ſupra confirmauimus: de Anglis verò, Scotis & Hibernis facile quoque eſt confirmare. Id enim imprimis fatentur eorum Scriptores, Beda, Lelandus, Balæus, Pitſæus & omnes fere Hiſtorici: patetque inſuper exemplis.

Mellanius Probus, qui circa an. Chriſti 260. floruit, cum maturos ætatis annos attigiſſet, non contentus illis Artibus & Diſciplinis, quas in patriâ didicerat, ſtudiorum cauſa Galliam peragrauit & Italiam; & tandem Romæ ad exquiſitiſſimam in ſacris litteris cognitionem aſcendit, vt ſcribit Pitſæus, ac proinde à Stephano I. Pontifice factus eſt Rothomagenſis Epiſcopus.

Kibius Korinnius natione quoque Britannus in Galliam Iuuenis ſeceſſit & S. Hilarij Pictauienſis Epiſcopi Diſcipulus fuit. Floruit circa an. 380. Et cum illis temporibus Hæreſis Pelagiana Britanniam infeſtaret, nec Angli eam per ſe ſatis confutare poſſent, à Gallis opem & arma validiora, quàm quæ habebant, per legatos petiuerunt. Sic enim ea de re venerabilis Beda veritatis amator ſcribit l. I. Hiſtor. Angl. c. 17. *Hæreſis Pelagiana per Agricolam illata Seueriani Epiſcopi Pelagiani filium, fidem Britannorum fœdâ peſte commaculauerat. Verum Britanni cum neque ſuſcipere dogma peruerſum gratiam Chriſti blaſphemando vllatenus vellent, neque verſutiam nefariæ perſuaſionis refutare verbis certando ſufficerent, inueniunt ſalubre conſilium, vt à Gallicanis Antiſtitibus auxilium belli ſpiritualis inquirant.* Et reuera obtinuerunt: nam Galli celebrato Concilio duos è ſuis elegerunt, Germanum Antiſſiodorenſem & Lupum Trecenſem, vt præclare deſcribit Erricus l. 3. vitæ S. Germani.

Hinc Synodus numeroſa coit: communibus illic
Cauſa ſubeſt lachrymis: contundunt pectora quiſque
Quodque negat ſermo, peragunt ſuſpiria voto.
Flent peſtem cuncti, nequeunt ſuccurrere cuncti.
Quæriturè cunctis, releuet qui vulnere cunctos,
Et ſanctum meritis & acuto dogmate cautum
Et ſignis facilem poſcit lis tanta Patronum.
Te, Pater exſpectant; Tu rebus natus agendis
His quoque ſuccedas repetitâ ſorte periclis.

At Robertus Antiſſiodorenſis ad an. 440. ait B. Germano prima vice Lupum Trecenſem, alterâ Seuerum Treuirenſem Epiſcopum adiunctos fuiſſe comites. *Hoc tempore*, inquit, *ex Britannia directa legatio Gallicanis Epiſcopis renunciauit Pelagianam peruerſitatem in locis ſuis latè populos occupaſſe, & quamprimum Catholicæ fidei debere ſuccurri. Ob quam cauſam Synodus numeroſa collecta eſt, omniumque indicio duo præclara Religionis lumina vniuerſorum precibus ambiuntur, Germanus ac Lupus Apoſtolici Sacerdotes terram corporibus, cælum meritis poſſidentes. Hi itaque Oceanum mare Chriſto duce conſcendentes Britanniam peruenerunt, eamque ſuis prædicationibus atque virtutibus impleuerunt. Tandem peracto conflictu cum Pelagianis confirmant fidem verbo veritatis ſimul & miraculorum ſignis. Sed & bellum Saxonum Pictonumque aduerſus Britones eo tempore iunctis viribus ſuſceptum Diuinâ virtute retundunt, cum Germanus ipſe Dux belli factus non tuba clangore, ſed clangore Alleluya totius exercitus voce ad ſidera leuatâ hoſtes in fugam vertit immanes. Compreſſâ itaque peruerſitate dogmatis beatiſſimi ſacerdotes reuerſi ſunt. B. Germanus cum Seuero Treuerenſi Epiſcopo iterum miſſus in Britanniam transfretat, ibique renaſcentem Hæreſim Pelagianam extirpat.*

S. Patricius cognomento Succetus Diſcipulus primus fuit S. Martini Turo-

Digitized by Google

nenſis; deinde S. Germani Antiſſiodorenſis, ſub cuius Magiſterio cum ſacris litteris impendiſſet operam, ad Glaſconienſe Monaſterium ſeceſſit, ibique obiit an. 490. Eiuſdem Diſcipulus fuit S. Gildas Albanius, qui cum in patria humaniores litteras ad vnguem didiciſſet, & Artes Liberales delibare cœpiſſet, adhuc adoleſcens Studiorum causâ transfretauit in Galliam, vt loquitur Pitſæus, ibi autem & linguam & Philoſophiam omneſque ſcientias tum ſacras, cum profanas accurate didicit, & rediens in patriam vnâ cum multiplici Doctrinâ copioſam retulit librorum ſupellectilem. Eiuſdem quoque Diſcipulus fuit S. Olcanus, de quo ſic Ioſſelinus Barclandus in Chronico. *Grandiuſculus factus diſcendi auiditate Gallos adyt, ibique diutius legens, multa litteraturæ ſcientiam adeptus repatriauit, repatriatus Scholas erexit, innumeros Diſcipulos, quorum plures Epiſcopi ſancti fuerunt, erudiendos in litteraturæ copiam prouexit.*

Ilcutus ſeu Elcutus Diſcipulus quoque dicitur fuiſſe B. Germani, & ab eo ſacerdos ordinatus. Merlinus Caledonius in Scotiæ finibus natus Galliam diſcendi cauſa de more peragrauit, euaſitque vir pietate & doctrinâ clarus, Philoſophus inſignis & Mathematicorum ſui æui, ſcilicet circa an. 570. facile princeps: quo tempore Fortunatus ex Italia in Galliam veniens, Turonis docere cœpit, ibique Actus B. Martini 4. libris Heroïco metro contexuit, quóque tempore B. Maurus obijt. Alius autem eſt Merlinus ille Caledonius ab Ambroſio Merlino, qui ſub Vortiguo ſeu Vorciguo Rege Britannorum circa an. 440. ſpiritu Prophetico afflatus multa cecinit de Regibus Angliæ, more Sibyllarum. In cuius Prophetias plurimi viri Docti Commentaria ediderunt, & inter alios Alanus Magnus de Inſulis, qui in Academia Pariſienſi florebat circa an. 1170. multa quoque earumdem loca explicat Willielmus Brito in ſua Philippide.

Sigebertus Pius Orientalium Anglorum Rex, à quo Cantabrigienſium Academiam inſtitutam ferunt an. circiter 630. à Patre eiectus, exilium ſibi delegit in Gallia, vbi litteras apprime didicit: deinde in patriam reuerſus ac Rex creatus, in Anglia more Gallorum Scholas inſtituit ope S. Felicis, vt notat Henricus Huntidonenſis l. 3. Chron. Felix autem iſte Burgundus erat Natione in Luxouienſi S. Columbani Monaſterio educatus & litterarum peritia conſpicuus. In illo quippe Monaſterio, quod à S. Columbano extructum fuerat, Euſtaſius Columbani Diſcipulus celebres Scholas habuit: vnde plurimi Epiſcopi & alij Eccleſiæ præſules prodierunt.

Porro de Cantabrigienſis Academiæ inſtitutione S. Felicis conſilio facta ſic loquitur Polydorus Vergilius l. 4. Hiſtor. vbi de Sigeberto verba facit. *Item Princeps Sapientiſſimus ſciens nihil eſſe æque hominibus ornamento ac litteras, & eas quidem per id tempus in inſula admodum raras, hortante Felice Epiſcopo Burgundione viro doctiſſimo Scholas paſſim in ſuo Regno poſuit: & imprimis Cantabrigiæ: vt pueri ab ineunte ſtatim ætate erudirentur. Quare breui multi mortales doctiſſimi euaſerunt, floruitque deinde Cantabrigiæ Gymnaſium bonarum omnium Diſciplinarum perpetuò. Quamobrem Anglia, quod poſtea claros ſemper doctrina viros tulerit, haud dubie Sigeberto imprimis acceptum referre debet; vt pote qui in ea litterarum fundamentum primus iecerit.*

Quid amplius quærimus? & quid opus eſt alios innumeros recenſere, qui ſuam omnem in Artibus peritiam Galliæ noſtræ debent? S. Adhelmus vel Adelinus Anglus Inæ Occidentalium Saxonum Regis ex fratre Kenteno nepos ab ipſa pueritia Litterarum ſtudijs addictus, adoleſcens miſſus eſt primùm in Galliam, deinde in Italiam vt artes liberales diſceret, teſte Pitſæo ad an. 709. Benedictus Biſcopius Anglo-Saxo vir litteratus & bonarum litterarum, Litteratorumque fautor maximus ingentem optimorum librorum copiam & ſelectiſſimos quoſque authores, tum Græcos tum Latinos ex Gallia & Italia comportauit in Angliam, vt docet idem Pitſæus ad an. 703. Ex quibus omnibus liquidò conſtat non Gallos Anglis, ſed contra Anglos Gallis debere, quidquid olim habuerunt doctrinæ & eruditionis: Alcuinumque & ſocios refudiſſe tantummodo in Galliam, quod ab ea Angligenæ, Scoti & Hiberni per tot ſecula acceperunt.

Verum

Digitized by Google

Verum in Hiſtoriam illam fundationis noſtræ lapſu temporis irrepſit ſuppoſititium neſcio quid: cum Alcuinus & alij Magiſtri, qui ſeu cum ipſo, ſeu poſt ipſum in Franciam venerunt, fuiſſe dicuntur Monachi: quod tamen ante annum circiter 1200. ſcriprum non inuenimus. Nam quod Alcuinus nunquam fuerit Monachus, luce meridiana clarius patet: 1. enim nullibi ſe in ſcriptis Monachum dicit, nec vllus authorum coæuorum, aut ſuppariuni talem eum prædicat: vt ante nos notarunt Ducheſnius in eius vita, & Petauius in Chronico. Imprimis ergo ipſe quo loco pueritiam & adoleſcentiam ſuam tranſegerit ad virilem vſque ætatem commemorat Ep. 98. nimirum in Eboracenſis Eccleſiæ Schola: ſic enim ſcribit ad Fratres ſeu Canonicos Eboracenſes. *Vos fragilis infantiæ meæ annos materno fouiſtis affectu, & laſciuum pueritiæ tempus piâ ſuſtinuiſtis patientiâ & paterna caſtigationis diſciplinis ad perfectam viri edocuiſtis ætatem, & ſacrarum eruditione diſciplinarum roboraſtis.* Ibi Egbertum Archiepiſcopum Magiſtrum habuit, cui deinde in ſcholarum exercitio ſucceſſit, vt ſcribit ad Eambaldum diſcipulum ſuum Elcberti in Cathedra Eboracenſi ſucceſſorem, apud Willelmum Malmeſburienſem. *Laus & gloria Deo, qui dies meos in proſperitate bona conſeruauit, vt in exaltatione filij mei chariſſimi gauderem, qui laboraret vice mea in Eccleſia, vbi ego nutritus & eruditus fuerim, & præeſſet theſauris ſapientiæ, in quibus me Magiſter meus dilectus Egbertus Archiepiſcopus hæredem reliquit.* Ep. 1. ad Carolum vocat eundem Egbertum Magiſtrum ſuum; qui quidem Egbertus fuerat Bedæ Diſcipulus; & hinc factum, vt Alcuinus Bedæ quoque diſcipulus fuiſſe dicatur, cum reuera fuerit tantum Diſcipuli Diſcipulus. Eboracenſis igitur Scholæ factus Rector ſub Elcberto Egberti ſucceſſoro multos habuit ipſe Diſcipulos, & inter alios, Eambaldum, qui deinde fuit Ar-Archiepiſcopus, Ludgerum, qui fuit primus Monaſterienſium Epiſcopus, & Ioſephum quendam, qui verſibus aliquot eundem Ludgerum laudauit. Ibidem factus Diaconus, poſtea in Franciam venit & Carolo innotuit; ab eoque licet quibuſdam Abbatiis præpoſitus fuerit, nunquam tamen Monachum induit, vt teſtatur Anonymus in eius vita paulo poſt deceſſum ſcriptâ: ſic enim habet. *Cum ſenectute vnaque infirmitate plus ſolito ſe ſentiret affectum, diu vt ſecum tractauerat, velle ſe ſignificauit Regi Carolo ſeculum relinquere, poſtulans licentiam apud S. Bonifacium Monaſticam vitam ſecundum regulam S. Benedicti ducere, Monaſteriaque ſibi commiſſa ſuos vt inter Diſcipulos diuideret, ſi fieri poſſet. Sed Rex terribilis & pius vnum cum omni poſtulationis affectu denegauit: alterum libenter audiuit flagitans, quietiſſimus Turonis æquè honorificentiſſimè vt reſideret, ſibique & omni ſanctæ Eccleſiæ commiſſæ non detrectaret. Onera verò ſeculi quæ ipſe habuerat, diſcipulis, vt petierat, libentiſſime diſpertiit. Fecit ergo & ipſe Albinus, vt Rex ſapientiſſimus rogauerat, non quærens quod ſibi foret vtile, ſed quod multis: ac Turonis diem nouiſſimum præſtolatus fuit. Vita denique eius non Monaſticæ inferior fuit.*

Hic ſcriptor, quem Andræas Ducheſnius ex vetuſto codice S. Mariæ Remenſis norum fecit, ait in Epiſtola dedicatoria ſe quæcunque de Alcuino ſcriſit, accepiſſe à Sigulfo Magiſtro ſuo, eiuſdem Alcuini diſcipulo: ibidemque S. Benedictum Monachis, Canonicis Alcuinum ad imitandum proponit: & cum obiit Alcuinus, ait eius animam ad Chriſtum Leuitarum cœleſtium, protomartyris quoque Stephani & Laurentij Archidiaconi miniſterio perductam, eademque hora qua obiit, viſum fuiſſe euidam ſolitario in Italia Leuitarum Cœleſtium exercitum. Adeo verum eſt Alcuinum nunquam fuiſſe Monachum. Prætermittimus itaque plura teſtimonia, quæ videre eſt à Ducheſnio Alcuini operibus præfixa; quorum aliqua Diaconum, nonnulla Abbatem, nulla Monachum ante Helinandum vocant. Reuera fuit Abbas: at tunc non omnes Abbates erant Monachi, ſed plurimæ Abbatiæ à ſecularibus Clericis, quædam etiam à Comitibus laïcis poſſidebantur, vt ante dictum eſt.

Verum neque cæteri Doctores ſeu Angli ſeu Scoti, qui vænalem ſcientiam clamitaſſe dicuntur, Monachi fuiſſe videntur, licet forſan in Monaſteriis olim Inſtituti. Nam San-Gallenſis, qui primus Hiſtoriam illam edidit, hoc ait tantùm *Duos Scotos de Hibernia cum Mercatoribus Britannis ad littus Galliæ deueniſſe*, eorumque alterum nempe Clementem in Gallia reſediſſe, alterum Papiam à Carolo miſſum: credibile autem non eſt eum qui Monachus erat, præteriturum

R

fuiſſe hoc de Scotis illis commemorare, ſi reuera Monachi fuiſſent, præſertim cum Cœnobitæ omnem ſibi vulgò litterarum laudem arrogare ſoleant, interque ſuos numerare omnes fere illorum temporum, qui illa prædicatione claruerunt. Poſteriores igitur Scriptores, Chronicon Arelatenſe, Helinandus & Vincentius Scotis illis Monachiſmum affinxerunt de ſuo, non aliâ vt credibile eſt, authoritate fulti: quibus proinde fides eſt adhibenda eò minus, quod non aliunde quàm ex fonte San-gallenſi hiſtoriam illam hauſiſſe videantur, cui paucula de ſuo addiderunt, non tam forte malâ mente, quàm probabili coniecturâ ducti, quod illos nempe Abbates fuiſſe legerent, hinc ſuſpicati fuiſſe Monachos.

His addere liceat tam parum maioribus noſtris perſuaſum fuiſſe, quod Monachi hanc Vniuerſitatem inſtituiſſent, vt cum lis inter eos & Dominicanos ardebat de ſocietate inſtituenda, conſtantiſſimè ſemper aſſeruerint nullum ſecularibus magiſtris eſſe poſſe cum Regularibus conſortium & commercium: imò nec D. Thomas Dominicanorum Athleta fortiſſimus eo argumento vſus ſit vſquam, quod tamen in materia de qua agebatur, peremptorium fuiſſet. Quanquam enim temporibus illis ſuam iam edidiſſet Hiſtoriam de Monachis Scotis Vincentius Bellouacus, maluit tamen Thomas antiquiora & certiora, quàm incerta & dubia fundamenta proferre. Itaque in Opuſculo contra Impugnantes Religionem, vbi ex profeſſo refellit rationes Academicorum aientium Publicum litterarum exercitium non eſſe Monachicæ profeſſionis, ſic ait. *Ex quibus accipi poteſt, quod Monachi poſſint ſuſcipere docendi Officium. Hoc idem oſtenditur exemplis ſanctorum, qui in Religione viuentes docuerunt: ſicut patet de Gregorio Nazianzeno, qui cum Monachus eſſet, Conſtantinopolim eſt adductus, vt ſacram ſcripturam ibi doceret, vt Eccl. narrat Hiſtoria. Hoc etiam patet de Damaſceno, qui cum Monachus eſſet, Scholares docuit, non ſolum in ſacra Scriptura, ſed etiam in Liberalibus Artibus, vt patet in lib. de miraculis B. Virginis. S. Iero. etiam in prologo Bibl. licet Monachus eſſet, doctrinam ſacræ Scripturæ promittit Paulino Monacho, ſcilicet quod eum docebit, quem etiam ad ſtudium ſacræ Scripturæ hortatur. De Auguſtino etiam legitur, quod poſtquam Monaſterium inſtituit, in quo cœpit viuere ſecundum regulam ſub ſanctis Apoſtolis inſtitutam, ſcribebat libros & docebat Indoctos. Hoc etiam patet de aliis Eccleſiæ Doctoribus ſcilicet Gregorio, Baſilio, Chryſoſtomo & aliis multis qui Religioſi fuerunt, & præcipui Eccleſiæ Doctores.* Quàm facile illi fuiſſet addere Alcuinum & Scotos primos ſtudij Pariſienſis Magiſtros, ſi Monachos fuiſſe credidiſſet?

Itaque ex his duobus alterum neceſſarium eſt, vt aut poſt mortem Vincentij inſerta fuerint Arelatenſi & Helinandi Chronico hæc verba de Scotis Monachis, aut pro falſis & ſuppoſititiis credita: quandoquidem Academici tam conſtanter negabant eſſe poſſe cum Monachis ſocietatem, nec Dominicani Scotorum exemplum proferebant in illo diſſidio, quod accidit circa an. 1250.

PRIMVM SECVLVM VNIVERSITATIS PARISIENSIS.

CHRONOLOGIAM inſtituimus Vniuerſitatis Pariſienſis, quam ſperamus non iniucundam fore lectoribus ob rerum quas continet varietatem & multiplicem complurium virorum doctorum, qui ad eam vndique confluxerunt, eruditionem & celebritatem. Licet autem eius ætatem commodius ſit ab anno octingentesimo computare, quia tum cœpit eſſe cumulatior & frequentior, altius tamen eius incunabula repetenda ſunt, & inſtitutionis ſeu fundationis occaſio retexenda. Imprimis igitur hoc notare conuenit, quod iam ante monuimus, Carolum M. ad reprimendam Deſiderij Longobardorum Regis tyrannidem ab Adriano Pontifice Max. in Italiam aduocatum circa an. 774. Romæ, vbi omnia celeberrima loca luſtrauit & ſcholas liberalium Artium inuiſit, videri concepiſſe deſiderium aliquod Academiæ quoque in Gallia inſtituendæ. Nam primùm cum quibuſdam aliis præceptoribus ſecum adduxit in Franciam M. Petrum Piſanum iam aliunde famâ ſibi notum, & quem Papiæ publicè docentem inuenit: a quo ipſe Grammaticam didicit. Deinde poſt aliquot annos Romam reuerſus inuiſendi Adriani cauſâ, cum quo neceſſitudinem contraxerat arctiſſimam, Cantores inde & Grammaticos plurimos adduxit, vt teſtatur ſcriptor S. Eparchij Engoliſmenſis ad an. 787. *Et Domnus Rex Carolus iterum à Roma artis Grammaticæ & Computatoriæ Magiſtros ſecum adduxit in Franciam, & vbique ſtudium litterarum expandere iuſſit. Ante ipſum enim Domnum Regem Carolum in Gallia nullum ſtudium fuerat Liberalium Artium.*

Tunc ergo formari cœpit Academia: poſtrema enim iſta verba, quod ante Carolum in Gallia nullum fuerit Liberalium Artium exercitium, de publico ſtudio, ſeu de Vniuerſitate intelligenda eſſe ſcribit Claudius Falcetus in Carolo M. & rectè: nam ante ipſum ſuas ſaltem habebant ſcholas Monachi in Monaſteriis, & Epiſcopi in Epiſcopiis, ad inſtructionem iuuentutis in dogmatis fidei & in ſacrarum intelligentiâ ſcripturarum. Carolus vero publicum & patens omnibus voluit eſſe Liberalium Artium ſtudium.

Addit prædictus author. *Tunc in inuicem Domnus Apoſtolicus & Domnus Rex glorioſus Carolus valedicentes benedictione aſſumptâ & oratione peractâ in Franciam cum gloria reuerſus eſt, adducens ſecum Cantores Romanorum & Grammaticos peritiſſimos & Calculatores.* Conſentit Enkecardus Iunior Monachus San-Gallenſis in lib. de Caſibus S. Galli c. 4. ſic ſcribens de Carolo M. *Carolus Imperator cognomine Magnus cum eſſet Romæ Eccleſias Ciſalpinas videns Romanæ Eccleſiæ multimodis in Cantu, vt & Ioannes ſcribit, diſſonare; rogat Papam tunc ſecundum quidem Adrianum, cum defuncti eſſent, quos antea Gregorius miſerat, vt iterum mittat Romanos Cantuum gnaros in Franciam. Mittuntur ſecundum Regis petitionem Petrus & Romanus, & Cantuum & ſeptem Liberalium Artium paginis admodum imbuti.*

Vetum iſti Cantores , vt hoc obiter moneam , licet à Carolo magnis fuiſſent muneribus locupletati & ſtipendiis, nihilominus perperam Gallos præ inuidia quadam cantare docebant : itavt Metis & apud Treuiros aliter quam Pariſiis & Turonis cantaretur , vt ipſe Carolus longo poſt tempore deprehendit. Nam cum vno anno feſtiuitatem celebraſſet Metis & Treuiribus , *ſequenti anno* inquit San-Gallenſis, *easdem feſtiuitates Pariſiis vel Turonis ageret, & nihil illius ſoni audiiſſet , quem priori anno in ſupradictis locis expertus fuerat* ; conqueſtus eſt apud Stephanum Papam Leonis ſucceſſorem, & Cantores iſtos partim exilio , partim ergaſtulis damnauit.

Hinc intelligimus Carolum impenſè curauiſſe, vt cantus Eccleſiaſticus apprime diſceretur. Itaque in ſingulis Epiſcopiis & Monaſteriis voluit eſſe ſcholas eiuſmodi , atque etiam Grammatices : vt legitur l. 1. Capitularij c. 72. vbi præcipit vt *Scholæ legentium puerorum fiant, Pſalmos, Horas, Cantus Computum, Grammaticam per ſingula Monaſteria vel Epiſcopia diſcant.* Habere & ipſe voluit ſcholam eiuſmodi in Palatio , vbi non tantum Cantus Romanus, ſed & Muſica quæ vna eſt ex ſeptem Artibus liberalibus, doceretur , vt ante retulimus. Leidradus Archiepiſcopus Lugdunenſis ſimiliter vnam Lugduni ad inſtar Palatinæ inſtituit, vt teſtatur in Ep. ad Carolum. *In Lugdunenſi Eccleſia eſt ordo pſallendi inſtauratus , vt iuxta vires noſtras ſecundum Sacri Palatij ritum omni ex parte agi videaturquidquid ad Diuinum perſoluendum Officium ordo expoſcit. Nam habeo ſcholas Cantorum , ex quibus plerique ita ſunt eruditi , vt alios etiam erudire poſſint.*. Sed hæc de ſcholis cantus ſufficiant.

Cum ſic ergo Carolus erga litteras affectus eſſet , commodè & opportunè factum eſt , vt quidam Aduenæ ſcientiarum propolæ cum mercatoribus Anglis in Galliam aduenerint , & Principi in condenda Academia Adiutores ſe præbuerint : quo vero anno illi venerint , non eſt facile dictu; veruntamen quia omnes ſcriptores Mercatorum Anglorum mentionem faciunt , cum quibus Doctores illi aduenisſe dicuntur, tempus notare non eſt difficile. Quo enim tempore Carolus Saxonas , Deſiderium Longobardorum Regem & Italos debellabat : eodem Offa II. Merciorum Rex Angliam totam expulſis quinque Regulis ſibi ſubiecit , vir magni quoque animi , Eccleſiaſticæ pariter diſciplinæ reparator & litterarum ſtudioſus. Vnde ex morum ſimilitudine inter vtrumque Regem magna interceſſit neceſſitudo , & tanta, vt poſtquam Carolus Deſiderium debellauit, Saxonumque Duces ad fidem conuertit, ea de re Offam per legatos & litteras certiorem fecerit , vt teſtatur Mathæus Pariſienſis in vita Offæ.

Contigit tamen inter Anglicani belli moras , vt Reguli quos Offa hoſtiliter vrgebat , ad Carolum confugerent opemque peterent : ſed quia ille bellis ſuis detinebatur , ſcripſit ad Offam tantummodo , poſtulans mitius vt cum vicinis ageret , interminatus nihilominus ſe ſi ab illis perſequendis non deſiſteret , in eum arma conuerſurum. Verum nec minæ iſtæ Offam ab inceptis deterruerunt : & Carolus omni cum mercatoribus Anglis commeatu & negotiatione Gallis interdixit. At poſtquam victoriâ opimâ potitus Offa ſucceſſus pariter incredibiles intellexit Caroli , veritus ne ſibi iratum feciſſet & cupiens deinceps pacatius tranquilliuſque viuere & regnare, Legatos de pace & amicitia ad Carolum miſit , inter quos Alcuinus noſter fuiſſe perhibetur.

Extat apud Mathæum Pariſienſem in vita Offæ II. Epiſtola Regis ad Carolum quâ crimen expulſorum Regum à ſe amouens fœdus & pacem poſtulat. Eſt autem eiuſmodi.

Regi Francorum maximo , inuictiſſimo , Triumphatori Carolo Rex Merciorum Of-
Littera Offa ad Carolum M. *fanus ſalutem & honorem. Cum omnium Regum terrenorum potentiſſimus & iuſtiſſimus fama teſtificante prædiceris , indignum eſt & prorſus execrabile aliquibus proditoribus vel profugis à debito ſeruitio colla excutere volentibus ſinum aperire protectionis. Tu vero hoſtium meorum ſermocinationibus nimis credulus & ſuper hoc ignarus veritatis pro ipſis mihi ſcripſit tua Serenitas , vt eiſdem parcerem mihi ſuperbè & inſolenter reſiſtentibus. Cum igitur iniuſtum ſit , vt alicui ſua fraus ſuffragetur , noueris eorum falſis perſuaſionibus tuam manſuetudinem circumueniri & decipi fraudulenter. Oro igitur & ſiſtenter deſidero ſinceritatem amicitiæ & fœderis ſoliditatem inter nos re-*

Digitized by Google

ſormare, vt communis vtilitas & Reſpublica felix ſuſcipiat incrementum. Ipſos enim Reges cum ſuis fere omnibus complicibus potenter contriui mihi rebellantes, eos iterum reſpirare non permiſſurus. Hac omnia Domino noſtro Ieſu-Chriſto ſic valente & diſponente qui vincit, regnat & imperat, Regna & Imperia commutat, & cui vult tribuit ſapienter, cui etiam contraire ſe velle nullatenus arbitramur. Vale.

Plura Legati habebant exponenda, per quos, vt in vita Offæ legitur, munera concupiſcibilia tranſmiſit. Supplicans vt conceptam iram & indignationem deponeret. Motus eſt Carolus & precibus & muneribus: maximè vero quia Offam intellexit eſſe Chriſtianiſſimum, & iura libertateſque Eccleſiæ, quas Reguli illi ſubuertebant, ſuſtinere. Itaque cum eo fœdus iniit, & deinceps ad mortem vſque ſeruaſſe videtur. Legimus tamen in Chronico Fontanellenſi Carolum Offæ ſubiratum fuiſſe, propter denegatam Carolo Iuniori filiam quam petebat in vxorem: atque idcirco omnem voluiſſe edicto commeatum prohibere: at à Geruoldo Comite, Fontanellenſi Abbate diſſuaſum tandem non prohibuiſſe. Hac de re ſic habetur cap. 15. *Nouiſſimè propter filiam eiuſdem Regis quam in coniugium expoſtulabat Carolus iunior, ſed illo hoc non acquieſcente, niſi Bertha filia Caroli M. eius filio nuptui traderetur, aliquantulum Rex potentiſſimus commotus præcepit, vt nemo de Britannia inſula ac Gente Anglorum mercimonij cauſa litus Oceani maris attingeret in Gallia: ſed hoc ne fieret, admonitione ac ſupplicatione venerandi prædicti patris Geruoldi inhibitum eſt.*

Verum vt vt ſit de fœdere iſto Connubiali, de quo nihil legitur in vita Offæ, certum eſt inter eos interceſſiſſe magnum litterarum commercium, munerumque communicationem, peregrinorum ſuſceptionem & amicitiam valde ſinceram. Extat apud Malmesburienſem Epiſtola Caroli ad Offam in hæc verba.

Carolus D.G. Rex Francorum & Longobardorum & Patricius Romanorum, Viro venerando & Fratri Chariſſimo Offa Regi Merciorum ſalutem. Primo gratias agimus omnipotenti Deo de Catholica fidei ſinceritate, quam in veſtris laudabiliter paginis reperimus exaratam. De peregrinis verò qui pro amore Dei & ſalute animarum ſuarum BB. Apoſtolorum limina deſiderant adire, cum pace ſine omni perturbatione vadant. Sed ſi aliqui non Religioni ſeruientes, ſed lucra ſectantes inueniantur inter eos, locis opportunis ſtatuta ſoluant. Negotiatores quoque volumus vt ex mandato noſtro Patrocinium habeant in Regno noſtro legitimè. Et ſi in aliquo loco iniuſta affligantur oppreſſione, reclament ſe ad ad nos & noſtros iudices, & plenam iubebimus inde iuſtitiam fieri. Cognoſcat quoque Dilectio veſtra, quod aliquam benignitatem de Dalmaticis noſtris vel palliis ad ſingulas ſedes Epiſcopales Regni veſtri vel Etheldredi direximus in Eleemoſynam Domni Apoſtolici Adriani, deprecantes vt pro eo intercedi iubeatis: nullam habentes dubitationem beatam illius animam in requie eſſe: ſed vt fidem & dilectionem in amicum nobis chariſſimum præſtemus: ſed & de Theſauro humanarum rerum, quas D. Ieſus gratuita pietate conceſſit, aliquid per Metropolitanas ciuitates direximus. Veſtra quoque Dilectioni vnum Baltheum & vnum gladium Hunniſcum & duo Pallia ſerica duximus deſtinanda.

Ex iis igitur quæ retulimus, manifeſte intelligitur inter Carolum ac Offam diuturnam interceſſiſſe neceſſitudinem ab anno circiter 780. Ac proinde non eſſe mirum, ſi docti quidam Angli & Scoti cum Mercatoribus in Galliam aduenerint: præſertim cum intercedente tam ſincero inter Reges commercio facile potuiſſent accipere Carolum impenſè viros amare litteratos. Iis igitur & aliis quos ex Italia & aliunde paſſim euocarat, Adiutoribus Academiam ſuam Pariſienſem iam dudum incohatam formare & perficere cœpit circa an. 790. vt communis fert opinio Scriptorum: atque in eam rem litteras dedit ad Vniuerſos ſubditos, vt ſiqui vellent liberos ſuos in litteris humanioribus inſtitui, eos ad publicam Artium officinam, quam ſe reparare dicebat, mitterent, quos quidem ad pernoſcenda liberalium artium ſtudia proprio etiam ipſe inuitare voluit exemplo, vt habetur in eius Diplomate, quod ſupra retulimus, vbi de Pariſienſis Vniuerſitatis inſtitutione fuſè egimus.

Et quia toto vitæ ſuæ tempore nihil duxit antiquius, vt ait Eginhartus, quam vt vrbs Roma ſuo labore ſuaque operâ veteri polleret authoritate, & Chriſtiana Religio latè ſpargeretur & floreret: Athenem ſuam vt eſſe voluit publi-

eam Emportium Liberalium ſimul & ſacrarum ſcriptutarum, ſic Eccleſiæ & fidei tutiſſimum propugnaculum firmiſſiſimamque columnam efficere deſtinauit, adeo vt vel vna etiam naſcens ſuffecerit tuendæ fidei & peruerſis dogmaribus confutandis hæreſibuſque extirpandis: quod vt omnibus euidenter pareat, mihi propoſitum eſt ortas ſingulis ſeculis hæreſes & ab Academicis noſtris confutatas loco & tempore opportunis referre.

Igitur vt ab initio Scholæ noſtræ exordiamur, regnante Carolo in Hiſpania Felix quidam Vrgelitanus Epiſcopus contra communem Catholicam & veram de Chriſti diuinitate fidem inſurrexit. Quod vt ad aures Caroli peruenit, vt erat Catholicæ veritatis propugnator acerrimus, nec minus litterarum ornamentis, quàm armorum gloriâ conſpicuus, exiſtimauit ſibi hydram illam naſcentem eſſe debellandam & præfocandam. Eamque in rem Alcuinum Academiæ ſuæ moderatorem ſibi adiunxit, quem iuſſit primum experiri per litteras, num ad ſanius conſilium poſſet Felicem reuocare. Paruit Alcuinus: at Felix non Epiſtolam, ſed librum ſermonum ſerie prolixum ad Alcuinum direxit, quo peruerſa ſua dogmata conabatur adſtruere. Inter cætera autem negabat Chriſtum de ſacra Virgine natum proprium eſſe Dei filium, nec conſentiebat verum eſſe Deum, ſed nouo & inaudito ſanctæ Dei Eccleſiæ nomine, inquit Alcuinus l. 1. contra Felicem, *Nuncupatiuum Deum* appellabat: ſicque Chriſtum in duos Dei filios diuidens, vnum vocabat proprium, alterum adoptiuum nuncupabat, & in duos pariter Deos, vnum verum, alterum nuncupatiuum: atque ad confirmationem erroris ſui multa proferebat prauo ſenſu collecta Doctorum noui & veteris Teſtamenti dogmata & pronunciata: eamque Hiſpanorum Doctorum de Chriſto opinionem eſſe contendebat. Sed tamen præter vnum Elipantum Epiſcopum Toletanum neminem legimus huic errori ſubſcripſiſſe.

His auditis Carolus rectè iudicauit non poſſe monſtrum hoc aliter collidi, quàm Eccleſiæ authoritate: itaque Synodum Epiſcoporum, Abbatum, Legatorum Apoſtolicorum aliorumque Eccleſiæ Doctorum conuocauit, in qua poſt longam Alcuini cum Felice diſputationem damnata eſt Hæreſis prædicta, coactuſque Felix errorem abiurare. Non conſentiunt authores de anno deque loco Synodi per Carolum conuocatæ; at ſcire neceſſe eſt non vnam ſed tres eam ob rem ſynodos fuiſſe conuocatas. Primam quidem Aquiſgrani: ſeu vt Eginhartus ſcribit Rhegini an. 792. Secundam Ratiſbonæ, vel vt aliqui volunt, Romæ eodem anno. Tertiam Francofurti an. 794. de prima ſic loquitur Sigulfus Alcuini Diſcipulus.

Interea Hæreſis inimica Deo, partibus quæ pullulabat Hiſpaniæ, offerens adoptiuum filium Dei eſſe ſecundum carnem, ad aures perducitur Caroli: quod vt experimento nouit Rex Magnus & per omnia Catholicus totis niſibus decertauit, vt deſtrueretur ſemen Diaboli, Zizaniaque de frumento Dei funditus eradicarentur. Aduocans namque Alcuinum inſtitutorem ſuum Toronis, & miſerum Felicem hæreſis huius adſtructorem de Hiſpaniæ partibus, congregauit Synodum magnam Epiſcoporum in Aquiſgrani Imperiali Palatio, in quorum ipſe ſedens medio Felicem licet valde repugnantem de natura filij Dei ſecundum carnem cum Albino doctiſſimo diſputando rationabiliter confligere iuſſit. Tum quantum Epiſcoporum extitit tunc ſilentium! O quam clara & inexpugnabilis Caroli cum authoritate Magiſtri ſui fidei confeſſio, atque dſenſio! Per plura autem Felix fugiens latibula pluribus ab Albino confoſſus eſt ſpiculis in tantum, vt omnes pæne ciuitates Iſrael conſummaret, quo vſque filius hominis veniret. Nam à 2. vſque ad 7. ſabbati parum aliud geſtum eſt. Omnibus denique eius patefacta ſocordia atque ab Vniuerſis Apoſtolica authoritate hæreſi confutata ſoli ſibi latuit deformiter, vſque dum dicta Cyrilli Martyris ab Albino ſibi directa legit lamentabiliter, Ea natura quæ per Diabolum vitiata eſt, ſuper Angelos exaltata eſt propter triumphum Chiſti atque ad dexteram Patris collocata. *Hanc ergo legens ſententiam tandem ſe recognouiſſe & impié egiſſe voce & nimio fletu teſtatus eſt.*

II. Sinodus aduerſus eundem errorem congregata Ratiſbonæ anno eodem 792. vt teſtantur Annales Metenſes, & in eandem rem Romæ an. 793. quò Felicem Carolus per Angilbertum miſit ad Papam Adrianum. Ibi Felix commu-

nem fidem confeſſus eſt, & conceptam hæreſim factâ confeſſione damnauit. hac de re ſic habet Poëta Saxonicus l. 5. de Geſtis Caroli M.

Celſa Pyrenai ſupra iuga conſita Montis
Vrbs eſt Orgellis, præſul cui nomine Felix
Præfuit. Hic hereſin molitus condere prauam,
Dogmata tradebat fidei contraria ſanctæ,
Affirmans Chriſtus Dominus quia corpore ſumpto
Eſt homo dignatus fieri, non proprius ex hoc
Sed quod adoptiuus ſit filius Omnipotentis.
Reſponſumque Toletano dedit hoc Elipanto
Pontifici, de re tanta conſultus ab ipſo.
Atque ſuum ſcriptis defendere dogma libellis
Omni quo potuit ſtudio certauit & arte.
Hinc ad Catholici deductus Principis aulam
(Idem Rhegino nam tunc hiemauit in vrbe)
Et multis ibi præſulibus Synodoque frequenti
Eſt auditus, & errorem docuiſſe nefandum
Conuictus. poſt hac Adriano mittitur almo,
Sedis Apoſtolicæ fuit hoc qui tempore præſul,
Quo præſente Petri correctus in æde beati
Pontificum coram ſancto celebrique ſenatu
Damnauit Felix prius infeliciter à ſe
Ortam perfidiæ ſectam, meruitque reuerti
Ad propria rurſus retinendum ſedis honorem.

Roma teuerſus Felix, nihiloque melior factus in errorem tecidit. Itaque Carolus an. 794. collectâ Francofurti Epiſcoporum & doctorum virorum magna frequentia, eum pro tertia vice condemnari curauit. Cui Synodo miſſi ab Adriano Papa interfuerunt Theophilactus & Stephanus Epiſcopi Legati. 794.

In ea quoque Synodo reiecta eſt nona Græcorum, quam de adorandis imaginibus Conſtantinopoli habuerant: & in qua durius & audacius quàm decuiſſet ſtatuerant, *vt qui imaginibus Sanctorum, ita vt deificæ Trinitati ſeruitium aut adorationem non impenderent, anathema iudicarentur.*

In eadem Synodo duo videmus Carolum poſtulaſſe ab Epiſcoporum conſeſſu: vnum, vt ſecum in Palatio retinere liceret Angilramnum Archiepiſcopum & Hildeboldum Colonienſem Epiſcopum propter vtilitates, inquiebat, Eccleſiaſticas, idque ſuffragiis ſuis comprobarent: alterum, vt M. Alcuinum in ſuum conſortium admitterent, *eo quod eſſet vir in Eccleſiaſticis doctrinis eruditus*: & vtrumque obtinuit. Extant Capitula huiuſce Synodi ad calcem operum Alcuini.

Porro Alcuinus Hæreticos prædictos non voce tantum & verbo, ſed ſcriptis quoque confutauit; quippe varia ſacræ ſcripturæ ſanctorumque patrum teſtimonia collegit, & ſeptem libros aduerſus Felicem compoſuit; aduerſus Elipantum Toletanum, quatuor, qui hodie etiamnum extant in Confeſſione fidei quam Felix tandem conuerſus ad eos quos deceperat, direxit. At Elipantus in hæreſi contumax obiiſſe videtur, vt patet ex ea Epiſtola quam 82. annos natus ad Felicem ſcripſit iam conuerſum.

In confutanda autem hac hæreſi non parum quoque laboris impendit Alcuini ſuaſu & Caroli iuſſu Paulinus quondam Patriarcha Aquileienſis, quem occupata Italia Carolus ſecum in Franciam adduxerat: Theodulfus Epiſcopus Aurelianenſis & Richbonus, quos Alcuinus vocat Doctores & Magiſtros Ep. 4. ad Carolum. Eccleſia Lugdunenſis magnæ tunc temporis famæ propter ingentem eruditionem, ſed quia in diuerſas interpretationes vanâ quadam ingenij & doctrinæ præſumptione abire videbatur, admonita eſt ſuauiter & fortiter ab Alcuino per Epiſtolam, ne altum ſaperet, ſed tritam ab Eccleſia viam ſequeretur. Sic ergo ille ad fratres Lugdunenſes.

Religioſæ in Chriſto conuerſationis veſtræ per Laidradum electum Pontificem laudabilem audiens ſollicitudinem, magno eſſe me gaudio delibutum fateor. & paulo poſt

Nouas vero Fratres Chariſſimi, Hiſpanici erroris ſectas totâ vobis cauete intentione. SS. Patrum in fine ſequimini veſtigia, in Vniuerſali Eccleſia ſanctiſſima vos adiungite vnanimitate. Scriptum eſt, Terminos patrum tuorum ne tranſgrediaris. Et ſymbolo Catholicæ fidei noua nolite inſerere, & in Eccleſiaſticis Officiis inauditas priſcis temporibus traditiones nolite diligere. Per Apoſtolicæ Doctrinæ publicam pergite ſtratam, nec per diuerticula cuiuſlibet nouitatis in dextram vel in ſiniſtram à via Regia declinate. De adoptione verò quam quidam iniurioſè Deo ingerere contendunt, ex authoritate Synodali habetis reſponſum. En igitur primum Academiæ Pariſienſis beneficium erga Religionem Chriſtianam, debellata hæreſis.

795. *De Schola Anglorum in Academia Rom.*

Anno 795. Offa Rex Merciorum, de quo ſupra, Carolum noſtrum, vt magnitudine animi & præclarè factorum gloriâ imitari conabatur, ita ſanctitate, pietatis officiis & amore litterarum imitari contendens Romam ad Adrianum Pontificem profectus impetrauit, vt Albanus Anglorum Protomartyr inter cœlites referretur: Monaſterium in eiuſdem Sancti honorem extructurum ſe promiſit, eique priuilegium hoc obtinuit, ne vlli Prælato ſubiiceretur, niſi Romano Pontifici. Atque vt ſe beneficij memorem gratumque præſtaret, quia videbat Adrianum Academiam Romanam diligere viroſque doctos & pios ad Eccleſiæ regimina promouere, Scholam Anglorum inſtituit, ſeu vt aliqui ſcribunt iam ante inſtitutam dotauit, dotationemque ſuam Denarium S. Petri appellauit, & Anglicè Romscot: quem quidem denarium ad ſuſtentationem Scholarium & peregrinorum Anglicanæ nationis à Regni ſui familiis quotannis pendi voluit, & edicto ſanciuit. Ea de re ſic legitur in vita Offæ II. poſt titulum de Denario S. Petri.

His auditis Rex quid dignè tantæ benignitati compenſet, ſecum ſtudioſè pertractat. Tandem Diuina inſpirante gratiâ conſilium inuenit ſalubre, & in die craſtina Scholam Anglorum, *quæ tunc Romæ floruit, ingreſſus dedit ibi ex Regali munificentia ad ſuſtentationem Gentis Regni ſui illuc venientis ſingulos argenteos de familiis ſingulis omnibus in poſterum diebus, ſingulis annis. Quibus videlicet ſors tantum contulit extra Domos in paſcuis, vt 30. argenteorum pretium excederet. Hoc autem per totam ſuam ditionem teneri in perpetuum conſtituit. Excepta tota terra S. Albani ſuo Monaſterio conferenda, prout poſtea collata priuilegia proteſtantur: Vt illo Denario à Generali contributione ſic excepto & dicto Monaſterio ſic collato, memoria donatoris indelebiliter perpetuetur. Et hoc tali largitate obtinuit, & conditione, vt de Regno Angliæ nullus publicè pænitens pro executione ſibi iniunctæ pænitentiæ ſubiret exilium.*

Reuerſus in patriam Offa, & Cœnobio S. Albani extructo ex 23. Prouinciis, quas Angli Shiras appellant, Denarium prædictum percipi imperauit: qui Denarius ideo dictus S. Petri, quia die S. Petri ad vincula ſanctum Albanum Offa inuenerat, & ea die annuum illum reditum in ſuſtentationem Scholarium edicto inſtituit. Sic enim legitur ibidem. *Idcirco B. Petri Denarius appellatur, quia ſæpe dictus Rex Offa die S. Petri qui dicitur ad vincula, ipſum martyrem ipſo die meruit cælitus inuenire, & ipſum annuum reditum ipſo die Romanæ Eccleſiæ pro redemptione animæ ſuæ contulit ad ſuſtentationem videlicet ſcholæ memoratæ, propter Anglorum rudium & illuc peregrinantium eruditionem.*

Idem author qui hæc ſcribit, ait paulo poſt, Denarium iſtum vocari Anglicè Romscot, quaſi tributum Romanum: à quo penſitando Eccleſiam San-Albanenſem immunem eſſe voluit Offanus. Et in Gloſſario vocum Semibarbararum ad verbum Romſcot. *Denarius erat ex iuſſu Regis Offæ à ſingulis Regni ſui domibus exactus, & Romam in ſuſtentationem ſcholæ Anglorum ibi fundatæ annuatim miſſus: vnde Romſcot dicebatur. Scot enim Saxonibus noſtratibus erat impoſitio, vectigal, Symbolum. Vnde noſtrum ſcot & ſhot pro ſymbolo. Eſcot Gallicum eſt.*

Hæc ſchola proceſſu tandem temporis in Zenodochium mutata eſt, vt docet Mathæus Pariſienſis in vita Willegodi primi Abbatis San-Albanenſis. *Quæ ſchola*, inquit *propter peregrinorum confluxum ibidem ſolatia ſuſcipientium verſa eſt in Xenodochium, quod S. Spiritus dicitur: ad quod exhibendum Rex Offa ex regali magnificentia & pietatis affectu Denarium, qui dicitur S. Petri de maxima parte regni ſui conceſſit.*

Eodem anno 26. Decemb. obiit Adrianus Papa, cuius mortem defleuit Carolus

rolus acerbiſſimè : erant enim animis & moribus coniunctiſſimi, & vterque ad promouenda bonarum artium ſtudia Religionemque Chriſtianam amplificandam propenſiſſimus. De hoc obitu ſic Eginhartus. *Nunciato ſibi Adriani Pontificis obitu quem amicum praecipuum habebat Carolus, ſic fleuit ac ſi fratrem aut chariſſimum filium amiſiſſet.* Quinimo hos ipſe verſus ei voluit eſſe Epitaphij loco.

Hic Pater Ecleſiæ Romæ decus, inclytus auctor
Hadrianus requiem Papa beatus habet.
Vir, cui vita Deus, pietas lex, gloria Chriſtus,
Paſtor Apoſtolicus, promptus ad omne bonum.
Nobilis ex magnâ genitus iam gente parentum,
Sed ſacris longè nobilior meritis.
Exornare ſtudens deuoto pectore paſtor
Semper vbique ſuo Templa ſacrata Deo.
Eccleſias donis, populos & dogmate ſancto
Imbuit, & cunctis pandit ad aſtra viam.
Pauperibus largus, nulli pietate ſecundus,
Et pro plebe ſacris peruigil in precibus.
Doctrinis, opibus, muris erexerat arces
Vrbs caput, Orbis honos, inclyta Roma, tuas.
Mors cui nil nocuit, Chriſti quæ morte perempta eſt:
Ianua ſed vitæ quæ melioris erat.
Poſt Patrem Karolus lachrymis hæc carmina ſcripſi.
Tu mihi dulcis amor, Te modò, plango Pater.
Tu memor eſto mei, ſequitur Te mens mea ſemper.
Cum Chriſto teneas Regna beata Poli.
Te Clerus, Populus magno dilexit amore
Omnibus vnus amor, Optime Præſul eras.
Nomina iungo ſimul titulis, Clariſſime, noſtra
Hadrianus Karolus, Rex Ego, Tuque Pater.

Anno 796. Adriano ſucceſſit Leo III. qui ſtatim Legatos miſit de promotione ſua ad Carolum cum muneribus, nempe Claues Confeſſionis S. Petri & Vexillum vrbis Romæ. Suos vicissim Carolus ad Leonem item cum muneribus. Cuius legationis princeps fuit Angilbertus, vir generis nobilitate illuſtris animique induſtria ac probitate conſpicuus, à puero cum Carolo enutritus : Apocriſiarius & Archicapellanus ſacri Palatij Carolo dilectiſſimus, omnibus fere ad Pontifices legationibus functus. Alcuino quoque chariſſimus, quippe quem Filium ſuum appellabat & Homerum ſæpe vt Ep. 92. & 93. quo cum quoque nomine Carolus ipſe compellat. Ad quem extat hæc eius ad eum Epiſtola de legatione quam ad Leonem obibat. 796

CAROLVS Gratia Dei Rex & defenſor Sanctæ Eccleſiæ Homero Auricolario ſalutem. Diuina regente miſericordia iter tuum & proſperè te adducente ad Domnum Apoſtolicum Patrem noſtrum ammoneas eum diligenter de omni honeſtate vitæ ſuæ, & præcipue de Sanctorum obſeruatione Canonum. De pia ſanctæ Dei Eccleſiæ gubernatione ſecundum opportunitatem conſolationis inter vos, & animi illius conuenientiam. Ingeraſque ei ſæpius quàm paucorum honor ille quem præſentialiter habet, annorum, quam multorum eſt perpetualiter merces, quæ datur bene laboranti in eo. Et de Simoniaca ſubuertenda hæreſi diligentiſſimè ſuadeas illi, quæ ſanctum Eccleſiæ corpus multis male maculat in locis, & quidquid mente teneas ſæpius querelis agitaſſe inter nos. Sed qualis mihi eſſet conlatio cum B. Adriano Papa prædeceſſore illius, de conſtruendo Monaſterio ad B. Paulum nullatenus dimittas ſuggerere illi, vt volente Deo reuertens certum mihi reſponſum habeas referre. Dominus Deus ducat te & deducat cum omni proſperitate. Dominus Deus regat & dirigat in omni bonitate cor illius, vt faciens faciat, quod ſanctæ ſuæ proficiat Eccleſiæ. Vt ſit nobis pius pater, & pro nobis præcipuus interceſſor, vt idem Deus & Dominus noſter I. C. nos in ſua florere faciat voluntate, & curſum qui supereſt nobis vitæ noſtræ ad perpetuæ ſtabilitatis quietem perducere dignetur. Vade cum proſperitate, proficiens in veritate, reuerſurus cum gaudio Homeriane Puer.

Extant quoque eiuſdem Caroli litteræ ad Leonem congratulatoriæ de promo-

tione ad Pontificatum. Extant & Alcuini ad Angilbertum, quem vocat *dulciſſimū filium Homerum* de diſceſſu & profectione ad Pontificē, quas abſoluit hoc diſticho.

Proſpera cuncta precor faciat tibi Chriſtus, Homere,
Qui te conſeruet ſemper vbique. Vale.

Quamobrem autem Homeri nomen inditum fuerit Angilberto, non ſatis liquet. Peyratius in Antiquitatibus Capellæ Regiæ l. 1. exiſtimat ob id impoſitum fuiſſe, quod in arte Poetica excelleret eique ſummopere addictus eſſet. Sed quare non Virgilius potius vocatus eſt? crediderim hoc nomen à ſchola habuiſſe, quod Homerica lectione delectaretur; & Græcam eloquentiam aſſecutus fuiſſet, ob idque alterum Homerū dictum. Ille autem primum duxerat Bertham Caroli filiam, ex qua Nitardum genuit & Harnidum. Poſtea vero graui morbo affectus vouit ſe, ſi ſibi ſanitas reſtitueretur, Monaſticam vitam amplexurum. Exſoluit votum & volentem Bertham Deo conſecrauit loco congruenti intra cœnobium Centulenſe, & ipſe ibi veſtem Monachicam à Symphoriano Abbate ſuſcepit, quo defuncto tam fratrum precatu, quam Regis iuſſu, vt legitur in Chronico Centulenſi, Abbatiæ Centulenſis, ſeu S. Richarij regimen ſuſcepit, & ſtatim deſtructo vetere Monaſterio nouum commodius & amplius reædificauit. Alcuinus verò ab eo Centulam accerſitus Vitam S. Richarij antiqua ſimplicitate negligentius digeſtam venuſto ſermone compoſuit, vt legitur in eodem Chronico l. 2. præmiſſa operis præfatione ad Carolum.

Geruoldus quoque Abbas Fontanellenſis Principis ſui ſtudium erga litteras imitatus iiſdem temporibus ſcholam in Cœnobio inſtituit, vt legitur in Chronico his verbis. *Quoniam omnes pœne ignaros litterarum inuenit, ac de diuerſis locis plurimum Chriſti gregem aggregauit, optimiſque Cantilenæ ſonis, quantum temporis ordo ſinebat, edocuit. Erat enim præfatus Geruoldus quanquam aliarum litterarum non nimium gnarus, Cantilenæ tamen artis peritus vociſque ſuauitate ac excellentia non egenus.* Obiit ille an. 806. vt in eodem Chronico habetur.

799. Anno 799. Carolus Leonem à Romanis excæcatum & elinguem benigniſſimè excipit: cuius honorificentiſſimam receptionem deſcribit Alcuinus in Pœmate *De Carolo M. & Leonis Papæ ad eundem aduentu.* Extat & in hanc rem aliud Poëma à quodam Poëta illius temporis ſcriptum: quod primus ex Bibliotheca San-Gallenſi vulgauit Caniſius, quodque Alcuino adſcribit propter multas rationes quas profert: ſed profectò author ille quiſquis eſt, fœcundiorem & politiorem Alcuino venam habet, vt patet ex hiſce verſibus, quibus fingit Carolo fuiſſe viſum Leonem in ſomnio, eamque ob rem legatos Romam miſiſſe, qui eum e manibus Impiorum eriperent.

Portentum Rex triſte videt monſtrumque nefandum
In ſomnis. Summum Romano adſtare Leonem
Vrbis Pontificem, mæſtoſque effundere fletus,
Squallentes oculos, maculatum ſanguine vultum,
Truncatam linguam, horrendaque multa gementem
Vulnera.

His ſubiungit quomodo Legati Principis Leonem adierint, miraculumque reſtitutæ linguæ & viſus deſcribit, aduentum eius ad Carolum & ab eodem receſſum. Cuius etiam rei meminit Poeta Saxonicus.

Venit Apoſtolicus terrarum pœne ſupremas
Iam penetrans oras. Illi via tanta peracta
Viſa breuis fuerat, quia compenſauerat omnes
Intuitu Caroli quos pertulit ante labores.
A quo cunctorum ſolamina digna malorum
Danda ſibi merito ſpe certâ credidit olim.....
Cumque dies aliquot lætos ibi duceret, idem
Inſinuans Præſul ſua quæque negotia Regi,
Illius facilem cognouit ad omnia mentem
Concedenda piè voluit quæcunque precari.
Inde reducendum dignè Primoribus illum
Francorum commendauit, qui iuſſa replentes
Ingreſſi pariter Romam ſua reſtituerunt
Omnia Pontifici rurſum.

Digitized by Google

Anno 800. profectus eſt Romam Carolus ad ſedandum tumultum inter Papam & ciues Ro. ortum: quod conſilium cum mente concepit, voluit in re difficili & ardua comitem & adiutorem habere Magiſtrum ſuum Alcuinum, tum adhuc in extrema ſenectute docentem in ſcholis S. Martini Turonenſis. At illeſenium corpuſque variis laboribus fatigatum & fractum excuſat Epiſtola 12. ſequente vero, nempe 13. ſic eum alloquitur. *Sed & de hoc quod mihi improperare voluiſtis, me fumo ſordentia Turonorum tecta auratis Romanorum arcibus præponere, ſcio veſtram legiſſe, prudentiam* Salomonicum illud Elogium, Melius, inquit, ſedere in Angulo domatis, quam cum muliere litigioſa, in domo communi. *Et vt cum pace dicam, magis ferrum nocet oculis quam fumus: Turonis enim fumoſis tectis contenta Deo donante per veſtræ bonitatis prouidentiam in pace permanet. Roma vero quæ fraternâ diſcordiâ initiata eſt, inſitum diſſenſionis venenum huc vſque tenere non ceſſat, veſtræque venerandæ dignitatis potentiam ad huius peſtis compeſcescendam perniciem è dulcibus Germaniæ ſedibus feſtinare compellit.*

Antequam autem Carolus Romam proficiſceretur, celebrato apud S. Richarium Centulenſem cum Abbate Angilberto Paſchate, luſtratis oris maritimis Rothomagum venit: inde Turonas ad S. Martinum orationis gratia profectus, vbi Magiſtrum ſuum Alcuinum inuiſit, eiuſque ſuaui conſortio per aliquot dies vſus fuit, donec Luitgardam coniugem ibi defunctam humauit. Qui perſolutis Iuſtis Aureliam, deinde Lutetiam venit, vbi aliquandiu demoratus eſt, vt filias quæ in Palatio Pariſienſi habitabant, Academicos ſuos & Ciues amabili ſua præſentia exhilararet: tum Aquiſgranum rediit, & menſe Auguſto Moguntiam profectus, conuentuque celebrato Romam tetendit, quò cum eo profectus eſt Aaron Epiſcopus Antiſſiodorenſis vir illis temporibus ſpectatiſſimæ virtutis & doctrinæ, & Ieſſe è ſcholis Palatinis ad Epiſcopatum Ambianenſem eductus, vir quoque eloquentiſſimus & facundiſſimus, de quo alibi recurret dicendi occaſio.

Pridie vero quam adueniret Romam Carolus, Leo Papa apud Nomentum ei occurrit. Poſtero die idem Põtifex *in gradibus Baſilicæ S. Petri Apoſtoli*, inquit Eginhartus, *cum Epiſcopis & Vniuerſo Clero conſiſtens aduenientem Regem eoque deſcendentem Deo laudes dicendo & gratias agendo ſuſcepit.* Hæc breuiter Eginhartus: at Anaſtaſius Bibliothecarius in vita Leonis III. inter cæteros, quos huic pompæ receptiuæ affuiſſe dicit, commemorat 4. ſcholas peregrinorum, ſeu vt omnino probabile eſt 4. nationes Scholaſticorum, qui in Academia Romana litteris operam dabant. Sic enim ille. *Tunc Romani præ nimio gaudio ſuum recipientes paſtorem omnes generaliter in vigilia B. Andreæ Apoſtoli tam proceres Clericorum cum omnibus Clericis, quamque Optimates & Senatus, cunctaque militia & vniuerſus populus Romanus cum ſanctimonialibus & Diaconiſſis & nobiliſſimis matronis ſeu vniuerſis fœminis. Simul etiam & cunctæ ſcholæ Peregrinorum, videlicet Francorum, Friſonum, Saxonum atque Longobardorum, ſimul omnes connexi ad Pontem Miluium cum ſignis & bandis & canticis ſpiritalibus ſuſceperunt, & in Eccleſiam B. Petri Apoſtoli eum deduxerunt, vbi & Miſſarum ſolemnia celebrauit.*

Ex hoc loco intelligimus ſine dubio Academiam Romanam fuiſſe primitus diuiſam in Nationes ſeu in ſcholas diuerſarum Nationum: atque inde Carolum M. exemplum accepiſſe diuidendi pariter ſuam in Nationes: vt ſuo loco fuſius exponetur. Nam quod hîc ſcholarum nomine intelligendæ ſint ſcholaſticorum nationes, patet ex alio loco eiuſdem Authoris in vita Adriani I. vbi de alio aduentu Caroli & receptione verba faciens *direxit* inquit, *Adrianus vniuerſas ſcholas militiæ vna cum Patronis ſimulque & pueris qui ad diſcendas litteras pergebant, deportantes omnes ramos palmarum atque oliuarum laudeſque omnes canentes cum acclamationum earundem laudum vocibus ipſum Francorum ſuſceperunt Regem.* Militiæ inquit, certè non Caſtrenſis, ſed Palladiæ & Muſarum: quis enim dixerit his verbis ſignificari Caſtrenſem ſeu ſcholas militum Caſtrenſium? quorum eſt arma geſtare, non ramos palmarum, ludos militares agere; non laudes canere & acclamare cum melodia. Nec enim inſolens eſt Iureconſultis in re litteraria nomen militiæ, vt notat Wolfangus Lazius, l. 4. Commentar. Reipubl. Rom. c. 1. *Ad hæc*, inquit, *commemoratur Iuriſconſul-*

tis & militia litteraria, quam modò ludum & Scholam dicimus. Meminit Seruius Sulpicius ff. de Orig. Iur.

Scio quidem Scholæ quoque nomen conuenire & commune eſſe Militiæ Caſtrenſi & littetarum exercitio; item quibuſuis Officiis & Corporibus. Vnde Scholares milites Vegetio dicuntur tirones, qui in campo ſeu in caſtris, veluti in ludo litterario ſcholaſtici exercentur. Hinc dicta Schola Martia Tironum, qualem adhuc Turcarum Tyrannus habet: optimum ac robuſtiſſimum quemque ex captiuis curans ad militiæ difficultatem exerceri, inquit Lazius. Schola quoque multiplex erat Scutariorum, Sagittariorum, Speculatorum, Agentium in rebus, Domeſticorum, Notariorum &c. Erat quoque Schola Palatina variorum Officiariorum, qui ſcilicet munere & officio aliquo quod ad Principis & Aulæ miniſterium pertineret, fungebantur, vt tradunt Iureconſulti. Verum ſi rectè perpendatur locus præallatus Anaſtaſij, & alij, vbi mentionem facit Scholarium occurrentium Principi Francorum, ſine dubio non poſſunt intelligi niſi de Scholis Palladiis ſeu litterariis, cantica vt vocant ſpiritualia concinentibus: qui mos non ſolet eſſe militum. Hæc de Scholis Romanis.

Porro quia Leo ab aduerſariis Paſchale & Campulo accuſatus fuerat, Carolus conuocato Epiſcoporum aliorumque Procerum Eccleſiaſticorum Concilio iuſſit crimina illa examinari. At illi vnanimi voce ita reſponderunt, vt Anaſtaſius refert, Nos SEDEM APOSTOLICAM QVÆ EST CAPVT OMNIVM DEI ECCLESIARVM IVDICARE NON AVDEMVS. Nam ab ipſa nos omnes & Vicario ſuo iudica-
„ mur: ipſa autem à nemine iudicatur. Quemadmodum & antiquitus mos fuit,
„ ſed ſicut ipſe ſummus Pontifex cenſuerit, Canonicè obediemus. Tum Ponti-
„ fex. Prædeceſſorum meorum Pontificum veſtigia ſequor, & de talibus falſis
„ criminationibus, quæ ſuper me nequiter exarſerunt, me purificare paratus
„ ſum. Alia die in eodem conuentu idem Pontifex accepto Euangeliorum libro
„ in ambonem aſcendens ſub iureiurando hæc dixit. *Quia de iſtis falſis criminibus quæ ſuper me impoſuerunt Romani, qui iniquè me perſecuti ſunt, ſcientiam non habeo, nec talia egiſſe me cognoſco.*

Eodem anno ipſa die Natalis Domini idem Pontifex adſtantibus omnibus proceribus tam Eccleſiaſticis quàm Laïcis in æde B. Petri reluctantem & renitentem Carolum diademate Imperatorio inſigniuit. Eginhartus hoc factum fuiſſe ſcribit an. 801. his verbis. *Anno à Chriſto nato 801. cum ipſe Rex Carolus in die ſacratiſſima Natalis Domini ad Miſſarum ſolemnia celebranda Baſilicam B. Petri Apoſtoli fuiſſet ingreſſus, & coram altari, vbi adorationem ſe inclinauerat, adſiſteret, Leo Papa capiti eius coronam impoſuit cuncto Romanorum Populo acclamante* Carolo Auguſto à Deo coronato Magno & Pacifico Imperatori vita & Victoria. *Poſt quas laudes ab eodem Pontifice, more antiquorum principum adoratus eſt.* Hæc ille. Illico vt alij addunt, eum oleo inunxit, & filium eius in Regem coronauit. Rem ſic deſcribit Poëta Saxonicus Arnulpho Imperatori æqualis, qui Eginharti hiſtoriam verſibus complexus eſt.

Feſta dies cælis, eadem celeberrima terris
Virginei partus Chriſtíque refulſerat ortus,
Poſt octingentos ex quo proceſſerat annos
Tectus ſeruilis Dominus velamine formæ.
Et iam Natalis tanti compleuerat omnem
Lætitiam Roma Caroli præſentia Regis.
Hic cum Miſſarum ſacro ſolemnia ritu
Incipienda forent, magnam proceſſit in Aulam,
Quæ corpus mundo venerandum continet omni
Petri, cui claues Chriſtus dedit ipſe Polorum.
Eius & ante ſacros artus cum mente fideli
Effuſis precibus ſe ſe Rex inde leuaret,
Ipſius impoſuit capiti Leo Papa coronam.
Conclamat pariter populus, ſacra perſonat ædes
Ingenti iubilo. Vox fertur ad æthera plebis
Romanæ, ſic concordi ſimul ore canentis.
Auguſto Carolo Magno Pacemque ferenti

Digitized by Google

Imperij meritò Romani ſceptra tenenti
Gloria, proſperitas, Regnum, pax, vita, triumphus.
Poſt laudes igitur dictas, & ſummus eundem
Præſul adorauit, ſicut mos debitus olim
Principibus fuit antiquis, ac nomine dempto
Patricij, quo dictus erat prius, inde vocari
Auguſtus meruit pius, Imperij quoque Princeps.

Ex eo tempore tantus fuit omnium Populorum erga Carolum amor, tantus quoque Barbaris de eo conceptus terror, vt remotiſſimæ Gentes Legatos ad eum miſerint: Saxones verò depoſito tandem belligerandi & rebellandi animo vltro ſe ſe illi ſubmiſerint, & fidem Catholicam amplexati fuerint. Hinc ergo Princeps ad ſtudia Pacis animum deinde conuertit: Capitularia legum 23. condidit: ad omnes Regni Gallicani & Imperij partes Legatos mittit, qui ius petentibus redderent: per vniuerſum quoque Orbem viros mittit peritos ad indagandum nomina, actus & obitus Sanctorum, quos in vnum volumen redigi iuſſit, idque præſtitiſſe dicitur anno Imperij ſui primo. Item Officium Eccleſiaſticum in meliorem ordinem redegit. Ex fortuito locorum ſacræ Scripturæ in apertione Miſſalis occurſu diuinationem ſuſtulit. Diem omnium Sanctorum Calendis Nouembribus feſtum eſſe voluit, prout inſtitutum fuerat à Bonifacio Papa, vt ſcribit Alcuinus lib. de Diuinis Officiis. *Conſtitutum eſt*, inquit, *vt plebs Vniuerſa per totum Orbem in Calendis Nouembribus, ſicut in die Natalis Domini ad Eccleſiam in honorem omnium Sanctorum ad Miſſarum ſolemnia conuenire ſtudeat, vt quidquid fragilitas humana per ignorantiam aut negligentiam in Solemnitatibus Sanctorum minus plenè peregiſſet, in hac ſancta obſeruatione ſolueretur.* 801.

Scribunt etiam nonnulli eum Gallicanam Miſſam ſuſtuliſſe & Romanam introduxiſſe. Verum non ille, ſed Pipinus pater morem Gallicanum primus mutauit, vt ſcribit Carolus Caluus Ep. ad Eccleſiam Rauennatem. *Vſque ad tempora*, inquit, *abaui noſtri Pipini Gallicana Eccleſia aliter quam Romana vel Mediolanenſis Eccleſia diuina celebrabant Officia: ſicut vidimus & audiuimus ab eis qui ex partibus Toletanæ Eccleſiæ ad nos venientes ſecundum morem ipſius Eccleſiæ coram nobis ſacra Miſſarum celabrarunt Officia more Hieroſolymitano authore Iacobo Apoſtolo, & more Conſtantinopolitano authore Baſilio: ſed nos ſequendam ducimus Romanam Eccleſiam in Miſſarum celebratione.* Ipſemet quoque Carolus M. Capitularij. c. 80. præcipit, *vt Monachi cantum Romanum pleniter & ordinabiliter per Nocturnale vel Gradale Officium peragant, ſecundum quod B. memoriæ Genitor noſter Pipinus Rex decretauit vt fieret, quando Gallicanum Cantum tulit*, id. abſtulit, *ob vnanimitatem Apoſtolicæ ſedis & ſanctæ Dei Eccleſiæ pacificam concordiam* Hilduinus Abbas San-Dionyſianus ait in Areopagiticis ſe vidiſſe vetuſtos Miſſales Miſſæ Gallicanæ ordinem continentes, ſed carie exeſos. *Antiquiſſimi & nimiâ pæne vetuſtate conſumpti Miſſales libri continentes Miſſæ Ordinem more Gallico, qui ab initio recepta fidei vſu in hac Occidentali plaga eſt habitus, vſquequo tenorem, quo nunc vtimur, Romanum ſuſceperit.* Miſſa Gallicana.

Porro Gallicanæ Eccleſiæ Miſſa non idiomate differebat à Romana; vtraque enim Latino vtebatur, ſed ordine, ceremoniis, numero pſalmorum, qui dicebantur & cantabantur integri ad præparationem Miſſæ & in ipſa quoque Miſſa. Diuque Galli & Hiſpani morem retinuerunt omnino diuerſum à Romanis, teſte Bernone Abbate Augienſi in libello de quibuſdam rebus ad Miſſæ officium pertinentibus. Rationem verò huiuſce diuerſitatis inquirit Auguſtinus ille dictus Anglorum Apoſtolus à Gregorio I. Pontifice apud Bedam l. 1. Hiſtor. Angl. c. 27. ſicque reſpondet Papa. *Nouit fraternitas tua Rom. Eccleſia conſuetudinem in qua ſe meminit enutritam: ſed mihi placet, vt ſiue in Romana, ſiue in Galliarum, ſiue in qualibet Eccleſiâ aliquid inueniſti, quod plus omnipotenti Deo poſſit placere, ſollicitè eligas in Anglorum Eccleſia, quæ in fide noua eſt, inſtitutione præcipua, quæ de multis Eccleſijs colligere potuiſti, infundas: non enim pro locis res, ſed pro bonis rebus loca nobis amanda ſunt. Ex ſingulis ergo quibuſque Eccleſiis, quæ pia, quæ religioſa, quæ recta ſunt, elige; & quaſi in faſciculum collecta apud Anglorum mentes in conſuetudinem depone.*

Non fuit autem ſemper idem Ordo Miſſæ, vt notat Author Chronici Bel-

gici Magni ſic aiens. *Inceptio Miſſa tres varietates habuit. Olim enim à Lectione inchoabatur, ſicut adhuc in die Paraſceu s: poſtmodum Cæleſtinus Papa Pſalmos integros ad introitum Miſſæ cum cantu ordinauit, & vnum verſum de illo pſalmo, qui prius totus cantabatur, retinuit. Item pſalmi olim circum aram in modum corone à circunſtantibus canebantur. Vnde & chorus eſt. Sed Flauianus & Theodorus, quod alternatim canerentur, inſtituerunt, ab Ignatio hoc habentes, qui ſuper hoc fuerat diuinitus edoctus. Item Hieronymus pſalmos, Epiſtolas, Euangelia, & ex magna parte Officia diurna & nocturna præter Cantum ordinauit. Gelaſius & Gregorius orationes & Cantus adiunxerunt, Lectionibus & Euangelys cooptauerunt Gradualia*, SANCTVS ET ALLELVYA *ad Miſſam cantari inſtituerunt. Hilarius addit* AD GLORIA IN EXCELSIS, LAVDAMVS TE, *& alia quæ ſequuntur. Notgerus Abbas S. Galli ſequentias pro Neumis ipſius Alleluya vltimò incæpti, prætermittitur. Et Nicolaus Papa ipſas ſequentias ad Miſſas cantari inſtituit.*

Scriptorum Officium.

Neque hoc omittendum, Miſſalia & libtos Euangeliorum multis olim ornamentis auri, gemmarum, minij exornari ſolita cum vncialibus & digitalibus litteris. Extant adhuc apud Bibliothecam San-GermanoPratenſem Euangelia SS. Marci & Matthæi aureis litteris exarata in purpurea membrana, quæ à Childeberto Rege ex Hiſpania allata fuiſſe dicuntur. Lupus Ferrarienſis petit ab Eginharto Ep. I. vt ad ſe menſuram eiuſmodi litterarum vncialium cum picturis & ornamentis mitti curet, in quibus exarandis Berteaudus quidam Scriptor tum excellebat. *Scriptor Regius Bertcaudus* inquit, *dicitur aliquarum litterarum duntaxat earum, quæ Maximæ ſunt & Vnciales a quibuſdam vocari exiſtimantur, habere menſuram deſcriptam: itaque ſi pænes vos eſt, mittite mihi eam per hunc quæſo, pictorem cum redierit, ſcedula tamen diligentiſſime ſigillo munita.*

Ex hoc loco intelligimus Reges olim habuiſſe in Palatinis ſcholis Scriptores eiuſmodi, qui veterum libros ad neceſſitatem docentium & diſcentium tranſcriberent. Idque clarius in Geſtis Caroli Magni notat San-Gallenſis, Imperatorem ſcilicet aſſumpſiſſe vnum è pauperibus Scholaſticis, quos Clementi Academiæ Palatinæ Principi Magiſtro erudiendos commiſerat, in Scriptorem & Dictatorem. *De pauperibus* inquit *ſupra dictis quendam optimum Dictatorem & Scriptorem aſſumpſit in Capellam ſuam.*

Extant inter Poemata Alcuini verſus de Scriptoribus ſacrorum librorum, & de loco vbi ſedere debebant.

Hic ſedeant ſacræ ſcribentes famina legis,
Nec non ſanctorum dicta ſacrata patrum.
His interſerere caueant ſua friuola verbis,
Friuola nec propter erret & ipſa manus.
Correctoſque ſibi quærant ſtudioſe libellos,
Tramite quo recto penna volantis eat.
Per loca diſtinguant proprios & commata ſenſi
Et punctos ponant ordine quiſque ſuo.
Ne vel falſa legat, taceat vel forte repente
Ante pios Fratres Lector in Eccleſia.
Eſt opus egregium ſacros iam ſcribere libros,
Nec mercede ſua ſcriptor & ipſe caret.
Fodere quam vites melius eſt ſcribere libros.
Ille ſuo ventri ſeruiet, iſte animæ.
Vel noua vel vetera poterit proferre Magiſter
Plurima, quiſque legit dicta ſacra Patrum

Et hinc forte Vniuerſitas Pariſienſis Scriptores & Scriptorum officium retinuit: item Librariorum & Miniatorum, ſeu vt vulgo dicimus Illuminatorum: quorum operâ à primis fundationis ſuæ temporibus vſa eſt, & inter Officiarios eos habet etiamnum hodie: quanquam poſt inuentam artem Typographicam minus vtiles eſſe cœperunt.

804. Ad annum 804. referunt Hiſtorici ingentem omnium Septentrionalium populorum aduerſus Carolum coniurationem, propterea quod eum Imperatorem Occidentis erectum & confirmatum credebant veterum Imperatorum Romanorum ambitioni & felicitati ſucceſſurum. Verum victis ab eo Saxo-

nibus, partimque vi, partim ſalubribus moniris ad fidem conuerſis, ſcholis ad eos inſtituendos Oſnaburgi erectis, iudicibus in rota Saxonia conſtitutis, qui rebelles & in fide vacillantes pœnis afficerent, omnis iſta tandem coniuratio diſſipata eſt.

Eodem anno 14. Kal. Iunij obiit Alcuinus Turonis in Abbatia S. Martini ibique ſepultus eſt cum ingenti omnium bonorum luctu à Sigulfo vetere & Eangiſto Diſcipulis, qui ambo ipſius meritis intolerabili capitis & dentium dolore leuati ſunt, vt legitur in eius vita per Anonymum ſcriptorem Remenſem conſcripta, his verbis. *Pater Sigulfus corpus Patris cum quibuſdam aqua honorificè lauans poſuit ſuper feretrum. Habebat nempe & ipſe tunc magnum dolorem capitis, ſed fide animo ſanus citam reperit ſanitatem capitis. Oculos namque ſuper Magiſtri lectulum eleuans cernit pecten quo ipſe ſuum ſolebat pectinare caput. Iſtum ergo manibus ſumens, ait, credo Domine Ieſu quia ſi iſto Magiſtri* mei pectine meum pectinauero caput, meritis illius ſtatim ſanabitur. *vbi igitur prima vice pecten duxit per caput quantum de eo tetigit, totum ſanum habuit, ſicque totum pectinando gyrans omnem dolorem amiſit. Alter Diſcipulorum eius Eangiſt nomine Dentium immenſo grauiter afflictus dolore, hortatu* Patris Sigulfi eodem pectine dentes tetigit: & continuo *quoniam cum fide fecit, ſanitatem meritis Alcuini recepit.*

Anno 806. Idem Imperator etſi bellorum varietate diſtractus animum tamen intendebat Eccleſiæ rebus & litterarum amplificationi: itaque Pauli Diaconi Aquileienſis natione Longobardi, quem ſecum in Franciam adduxerat, opera vſus, lectiones ex ſcriptis SS. Patrum decerptas & vnicuique feſtiuitati conuenientes in Eccleſia legendas propoſuit. Paulus iſte ſuæ gentis hiſtoriam ſcripſit, qui poſtquam Lombardia Carolo ſe ſubmiſit, in Galliam raptus non parum contulit ad decus & ornamentum litterarum: eique debet Eccleſia hymnum Ioannis Baptiſtæ *Vt queant laxis*; & alios plurimos quos in Gallia compoſuit. Verum cum Regem ſuum Deſiderium, cui fuerat à ſecretis, è cuſtodia tantaſſet eripere, accuſatus & conuictus indulgentia tamen Caroli capitis pœnas euaſit, aiente principe ad eos qui plecti ſuadebant *Et quis hiſtoriam ſcribet quam incepit ſi morte afficiatur?* Et cum illi nihilominus amputari vellent dextram manum, ſubiunxit Carolus, *Cuius ergo manu vtemur, ſi amittat ſuam?* ne tamen omnino crimen eſſet impunitum, ablegauit eum in inſulam quandam, vt legitur in Hiſtoria virorum illuſtrium Ordinis S. Benedicti, quem Ordinem Paulus ſub extrema vitæ ſuæ tempora amplexus apud montem Caſſinum, amorem Caroli ſenſit vt prius in ſe reuerſum, adeo vt ſæpe ab eo litteras propria manu ſcriptas reciperet. Extant inter Alcuini Poemata duo Caroli ad ipſum Carmina Elegiaca, quorum prius iſtud eſt.

Paruula Rex Carolus ſeniori Carmina Paulo
Dilecto Fratri mittit honore pio.
Quæ rapuit calamus ſubito dictantis amore,
Demandans caſtæ fer mea verba cito.
Ad faciem Pauli venerandam perge per vrbes,
Per montes, ſiluas, flumina, luſtra pete.
Caſinum montem Benedicti nomine clarum
Paſtoris magni præcipuique Patris.
Illic quære meum mox per ſacra culmina Paulum:
Ille habitat medio ſub grege credo Dei.
Inuentumque ſenem deuota voce ſaluta
Et dic Rex Carolus mandat Aueto tibi.

Talis erat amor Caroli erga viros litteratos. Paulinum quoque Patriarcham Aquileienſem valde dilexit. Ferragurhum & Buhahyliham Bingeſlam Iudæos Medicos ſuos viros etiam Doctos ad ſcribendum Tacuinorum librum, ſeu ſanitatis tabulas, quarum vſus etiamnum eſt hodie in Medicina, compulit.

Bibliothecam refertiſſimam in Abbatia S. Barbaræ non longe à Lugduno dicitur erexiſſe, cuius curam Leidrado primum, deinde Agobardo commiſit. Idem poſt Bellum Hiſpanicum omnino intendens animum litteris, ſeptem

Artes liberales in Aula Palatij Aquenſis depictas ſenex relegebat & in memoriam reuocabat.

Haud procul ipſe Domum Regalem ſtruxit: in ipſa
Hiſpanum bellum quod tandem vicit, & Artes
Septem præcipuas depingi fecit, eaſdem
Nominibus propriis diſtinxit & ordine certo.

Ita ſcripſit vetus author, qui Turpini ſeu Tilpini Archiepiſcopi hiſtoriam verſibus complexus eſt.

Refert præterea Eginhartus illum iam ſeneſcentem paciſque negociis planè intentum Barbara & antiquiſſima carmina, quibus veterum Regum actus & bella canebantur, ſcripſiſſe memoriæque mandaſſe: item inchoauiſſe Grammaticam patrio ſermone. Menſibus quoque iuxta patriam, id. Teutonicam linguam, qua Reges Franci vſque ad ea tempora & aliquanto etiam poſt vſi ſunt, nomina impoſuiſſe, cum ante id tempus apud Francos partim Latinis, partim barbaris nominibus appellarentur. Ianuarium quidem vocauit *Wintermanoth* ab hieme, Februarium à ceſſando *Ormingh* vel *Hornung*: Martium à tempore *Lenzimanoth*: Aprilem à Paſchalibus *Oſtermanoth*; Maium à gaudio *Winnemanoth*: Iunium ab arando *Brahmanoth*: Iulium à fœniſecio *Heuuimanoth* vel *Heumanoth*: Auguſtum à meſſe *Arnmanath*: Septembrem à ſatione *Winthumanoth*: Octobrem à vindemia *Windummanoth*: Nouembrem *Herbiſtmanoth*: Decembrem *Helmanoth*, ſeu *Heiligmanoth* à Chriſti natalibus. Hæc Eginhartus, & poſt eum Auentinus.

Dum autem ita ſe res haberent in Germania & in Gallia, Muſæque in Palatinis ſcholis & in Monaſteriis & Epiſcopiis florerent, non minori curâ Ludouicus Pius in Aquitania quam regebat, Dei cultum promouebat, tum à vitiis retrahendo Sacerdotes, & à rebus ſeculi ad res Eccleſiæ traducendo, tum antiqua Monaſteria inſtaurando, tum denique ſtudiorum exercitium vbique inſtituendo, vt teſtatur author anonymus in vita Ludouici Pij, & quæ de eo ſcribit ea ſe ab Adhemaro nobiliſſimo & deuotiſſimo Monacho, qui cum Ludouico Pio nutritus fuerat, teſtatur audiuiſſe. Sic igitur ille ad an. 811. *Et Regis quidem ab ineunte ætate, ſed tunc quàm maximè circa diuinum cultum & S. Eccleſiæ exaltationem piiſſimus incitabatur animus: itaut non modo regem ſed ipſius opera potius eum vociferarentur ſacerdotem. Nam totius Aquitaniæ videbatur clerus, antequam ei crederetur, vt pote ſub tyrannis agens, magis equitationi, bellicæ exercitationi, miſſilium librationi, quàm diuino cultui operam nauare notabat. Regis autem ſtudio vndecunque adductis Magiſtris tam legendi quàm cantandi ſtudium, nec non diuinarum & mundanarum intelligentia litterarum citius quam credi poterat, coaluit. Præcipuè tamen affectu illorum ducebatur, qui cuncta ſua amore Domini relinquentes ſpeculatiuæ vitæ curabant fieri participes.* Eadem de verbo verbum habet Pſeudo-Aimoïnus l. 5. c. 8.

Ad annum 813. refert Baronius floruiſſe M. Florum, cuius mentionem facit Vſuardus in præfatione ad Martyrologium, & Vvalafridus Strabo in Carmine ad Agobardum Lugdunenſem Archiepiſcopum. Verum viri docti huius noſtri ſeculi Launoyius, Valeſius & alij huic ſententiæ refragantur, aientes Vſuardum & Florum non Caroli M. ſed Calui tantum ætate floruiſſe. Qua de re nos alibi.

Eodem anno celebrata eſt Synodus Cabillonenſis in Prouincia Lugdunenſi, continens Canones 67. in quorum tertio præcepti Carolini mentio fit circa litterarum tam humanarum quam diuinarum exercitium, ſicque legitur. *Oportet vt ſicut Domnus Imperator Carolus præcepit ſcholas conſtituant, in quibus & litteraria ſolertia diſciplinæ & ſacræ ſcripturæ documenta diſcantur, & tales ibi erudiantur, quibus merito dicatur à Domino Mathæi 5. Vos eſtis ſal terræ & qui condimentum plebibus eſſe valeant, & quorum doctrina non ſolum diuerſis hæreſibus, verum etiam Antichriſti monitis, & ipſi Antichriſto reſiſtatur: vt merito de illis in laude Eccleſiæ dicitur Cantic. 4. mille Clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Eodem anno habita alia 4. Concilia Prouincialia, Moguntinum, Remenſe, Turonenſe & Arelatenſe: tunc erat Archiepiſcopus Moguntinus Riculphus, cuius meminit Alcuinus Ep. 41. Archipellanus ſacri Palatij magnæque authoritatis

&

& Doctrinæ, qui ex Hiſpania in Gallias nouum Iuris Canonici corpus adduxit. Remenſis Vulfarius poſt Tilpinum in Campania Miſſus olim Dominicus, ſeu Legatus Regis. Turonenſis Ioſeph, cuius mentio fit in vita Alcuini: eum enim anno, vt diximus, 804. defunctum tumulo mandauit.

Anno tandem 814. 5. Kal. Feb. hora diei tertia obiit Aquiſgrani ſummo bonorum omnium luctu inuictus Princeps Carolus anno Regni Francici 47. 814.
Imperij 14. ætatis 70. cuius corpus more ſolemni lotum & curatum, inquit Eginhartus maximoque totius populi luctu & planctu elatum & humatum eſt atque in Baſilica quam ipſe conſtruxerat, tumlatum: ſupra cuius tumulum extructus eſt arcus deauratus cum imagine & titulo eiuſmodi.

SVB HOC CONDITORIO SITVM EST CORPVS CAROLI M. ATQVE ORTHODOXI IMPERATORIS QVI REGNVM FRANCORVM NOBILITER AMPLIAVIT, ET PER ANNOS XLVII. FIDELITER REXIT. DECESSIT SEPTVAGENARIVS ANNO AB INCARNATIONE DOM. 814. INDICT. VII. V. KAL. FEB.

Quid modeſtius hoc Epitaphio? aliud legitur in calce Operum Agobardi Lugdunenſis Archiepiſcopi, & in 2. tom. Hiſtoriæ Franc. ſcriptorum non minus modeſtum. Luxit quoque eius mortem Poëta Saxonicus Elegia pro illis temporibus ſatis eleganti, quæ ſic incipit.

Plangite iam lacera carmen lugubre Camœna,
Dignus enim multis annus hic eſt lachrymis.

Dici non poteſt quam multi alij viri litterati præclaris verſibus mortem ſui Mecenatis luxerint, quot Cœnobia, quot Gentes: quas inter Saxones ſingulari eius ſtudio fidem Chriſtianam edocti tanti Principis obitum omni quo potuerunt, honore proſecuti ſunt. Teſtanti & morienti affuit Angilbertus Abbas S. Richarij; nec diu ſuperuixit: tanto enim dolore & deſiderio ſui Principis & ſoceri quondam ſui deſiderio correptus eſt, vt 12. Kal. Martias eodem anno obierit. Affuiſſe quoque dicitur eius exequiis Leo Papa cum proceribus Romanis, Archiepiſcopi & Epiſcopi multi, Duces & Comites plurimi.

Ad defuncti tumulum concurrerunt complures ſpe recuperandæ valetudinis, aut fauoris eius apud Deum obtinendi. Ludouicus eius filius & ſucceſſor *Ad Patris monumentum Deo preces ritu Chriſtiano ſupplex habuit*, inquit Gaguinus. *Carolus enim ob vitæ merita in numerum Sanctorum relatus eſſe à pleriſque creditur. Cui etiam loci incolæ diem feſtum agunt: idque ab Eccleſia Rom. permitti Hoſtienſis Iureconſultus tradit.* Quo exemplo Ludouicus XI. *Carolum à Pariſienſibus coli noſtra ætate* (nempe an. 1480.) *imperauit, miſſis vicatim Nunciis, qui diem feſtum celebrari populo indicerent pœnâ capitis repugnantibus indictâ.*

Otho III. eius corpus è veteri tumulo eduxit, & honorificentiori collocauit, vt ſuo loco dicemus, eumque pro Sancto habuit. At an. 1166. à Paſchale publicè inter Cœlites relatus eſt, & feſtum probauit Eccleſia, quanquam à Pſeudo-Pontifice inſtitutum. Eccleſia S. Quintini Viromanduenſis Officium eius duplex habet & celebrat, quod recognitum & emendatum legitur in Breuiario eiuſdem Eccleſiæ an. 1642. edito: tres lectiones 2. nocturni proprias habet & orationem, cætera de communi. De huiuſce feſti inſtitutione amplius alibi. Non poſſum tamen præterire lectiones eiuſdem Breuiarij, quia ad hiſtoriam Scholarum Palatinarum plurimum faciunt, præſertim vero tertiam quæ talis eſt.

Inclinata in ſenium ætate rediuit ad Diſciplinas eo contentius, quò maiori voluptate ab illis animum impleri ipſe experiebatur, & reuocauit earum lumen, quod ſecula præterita turpiter extinxerant & in Clerum nobilitatemque Francicam induxit. HINC SCHOLÆ PALATINÆ *Lutetiæ Pariſiorum Nobilibus erudiendis, & Epiſcopales Clericis; quæ poſtea in florentiſſimam Academiam excreuerunt. Reſtaurauit ſacram Diſcipli-*

nam temporum iniquitate collapſam; & eo in opere laborantem Chrodegangus Cancellarius Galliarum feliciter adiuuit. Eccleſiaſticas ſocietates priſtino ſplendori reddidit & nouas ædificauit ac prouentu liberali dotauit. Super eo Principe reſurrexit Baſilica S. Quintini Martyris, quæ eſt Auguſta Veromanduorum noua molitione, Fulrado Abbate eius, quam idem Imperator pretioſa ſupellectile beneficiiſque plurimis ditauit. Vnde Maiores eum Fundatorem illius alterum appellarunt.

Anno 815. Claudius Clemens, qui à Carolo M. Pariſiis collocatus fuerat ad
815. docendum & Scholis Palatinis præfectus, commentationem edidiſſe dicitur in Mathæi Euangelia, quod opus Iuſto Abbati dedicauit, ſeruarique aiunt in Bibliotheca Vallicellana in præfatione autem ſic habet. *Anno 815. Incarnationis Saluatoris I. C. poſtquam Pius ac mitiſſimus Princeps S. Eccleſiæ Catholicæ filius Ludouicus anno 2. Imperij ſui cœleſti fultus auxilio aduerſus Barbaras nationes, nempe Normanos, mouiſſet exercitum, atque abeunte & deſcendente tua paternitate ex Palatio iam dicti Principis ad charum dilectumque tibi ſemper tui Monaſterij portum, iniunxiſti mihi vt aliquod dignum memoria opuſculum in expoſitione Euangelij ad legendum dirigerem fratribus Monaſterij veſtri.* Quod ſi verum eſt illud opus Clementis Angli, liquido conſtat non eum eſſe, qui fuit Antiſſiodorenſis Epiſcopus poſt Gillianum circa an. Chriſti 700. vt legitur in Chronico Antiſſiodor. vbi legitur ad eum circiter annum Clementem paſſum fuiſſe cœcitatem corpoream, & iuxta Baſilicam SS. Apoſtolorum Petri & Iacobi diuerſorium habuiſſe: Et paulo poſt ei in Epiſcopatu ſucceſſiſſe Adulfum ex Cantore Epiſcopum.

816. Anno 816. Ludouicus celebrato apud Aquiſgranum Conuentu frequentiſſimo ſtatuit teſte Auentino, vt Pontifices, Monachi, ſacerdotes vitam Chriſti æmularentur, ſpretiſque mundi negotiis operam litteris darent, ſacræ Philoſophiæ incumberent, pueros edocerent, omnium profeſſionum libros conſcriberent. Nec Veſtales quidem Deo conſecratas ab hoc labore immunes eſſe voluit: extantque paſſim in Bibliothecis, inquit Auentinus, cuiuſuis generis libri in membranis, quos Virgines ſanctæ ſcripſerunt. Præterea quia ſolis litteratis viris Diuinæ ſcripturæ notæ erant, vetus & nouum Teſtamentum in vulgatem linguam conuerti curauit in gratiam Germanorum: qua de re ſic legitur in quodam fragmento. *Cum diuinorum librorum ſolummodò litterati atque eruditi prius notitiam haberent, eius ſtudio atque Imperij tempore, ſed Dei omnipotentia atque inchoantia mirabiliter actum eſt nuper, vt cunctus populus ſuæ ditioni ſubditus Theudiſcâ loquens linguâ eiuſdem Diuinæ lectionis nihilominus notionem acceperit. Præcepit namque cuidam viro de Gente Saxonum, qui apud ſuos non ignobilis vates habebatur, vt vetus ac nouum Teſtamentum in Germanicam linguam Poeticè transferre ſtuderet: quatenus non ſolum litteratis, verum etiam illiteratis ſacra Diuinorum præceptorum lectio panderetur.*

Neque hoc in gratiam vnius tantùm Gentis fecit, ſed & in Sueciam ad Biornum Regem Doctores Chriſtianæ fidei depoſcentem, Anſcarium virum tunc temporis doctiſſimum miſit: & in Saxonia Adhalardum ſenem & Walonem Monachos è Corbeia noſtra Picardica educens conſtituit, qui ibi Corbeiam alteram condiderunt ad fidei propagationem. Vnde non immeritò ſic eum compellat Theodulphus Aurelianenſis Epiſcopus.

Eccleſiæ ſanctæ dilectus filius extas,
Quam tibi commiſit vnicus ipſe Patris.
Hanc tu conſtanter doctrinis imbuis almis,
Incolis, augmentas, inſtruis, ædificas.
Nemo fide Chriſti nam te præſtantior extat,
Plus orthodoxus eſt tibi nemo ſuper.
Eſt tibi nemo ſuper ſimilis pietate vel actu:
De te vera loqui me tua facta probant.
Diuitias mundi cauto ſectaris amore
Queis tibi conſtanter Regna beata paras, &c.

817. Anno 817. obiit Leo III. Romanorum Pontifex: eique ſuccedit Stephanus IV. & poſt ſex menſes, dies 24. Paſchalis I. profeſſione Monachus, vir teſte Sigeberto, ſanctitate conſpicuus, liberalis erga peregrinos, litterarum ſtudioſus, captiuorum redemptor, templorum inſtaurator. Ille incendium quo Anglorum

Digitized by Google

Schola, ſeu Burgus abſumi cœperat, ſignaculo crucis compteſſit; Græcos Monachos cœnobio donauit, & alia multa quæ Pontificem verè maximum decent, præſtitit. Statim verò poſt promotionem legaros de more ad Ludouicum mittit cum muneribus & Epiſtola Apologetica, quâ inſinuat ſe non ambitione, nec propriâ voluntate, ſed electione cleri & populi acclamatione Pontificali potius ſuccubuiſſe, quàm inſiluiſſe dignitati. Cuius quidem legationis Princeps erat Theodorus Nomenclator.

In huiuſce quoque Pontificis gratiam multa conceſſit Imperatot Eccleſiæ Romanæ, & futuris ſummis Pontificibus, quæ habentur diſt. 63. Ego Ludouicus, leguntur que paſſim apud Iuriſconſultos: quam in rem extat eiuſmodi Diploma apud Antoninum.

EGO LVDOVICVS Romanus Imperator Auguſtus ſtatuo & concedo per hoc pactum confirmationis noſtræ Tibi B. Petro Principi Apoſtolorum & pro te Vicario tuo D. Paſchali ſummo Pontifici & ſucceſſoribus eius in perpetuum, ſicut à prædeceſſoribus veſtris vſque nunc in veſtra poteſtate & ditione tenuiſtis & depoſuiſtis, Ciuitatem Rom. cum Ducatu ſuo & ſuburbanis atque viculis omnibus & territoriis eius, montanis atque maritimis littoribus & portubus, ſeu cunctis Ciuitatibus, Oppidis, Caſtellis & Villis in Tuſciæ partibus...... Quando Diuina vocatione huius ſacratiſſimæ ſedis Pontifex de hoc mundo migrauerit, nullus ex Regno noſtro aut Francus, aut Longobardus, aut de qualibet gente homo ſub noſtra poteſtate conſtitutus licentiam habeat contra Romanos aut publicè aut priuatim conueniendi, vel electionem faciendi, nulluſque in Ciuitatibus aut territoriis ad Eccleſiæ B. Petri Apoſtoli poteſtatem pertinentibus aliquod m.l.m facere propterea præſumat; ſed liceat Romanis cum omni veneratione & ſine aliqua perturbatione honorificam ſuo Pontifici exhibere ſepulturam, & eum quem Diuina inſpiratione & B. Petri interceſſione omnes Romani conſilio vno atque concordia ſine aliqua permiſſione ad Pontificatus ordinem elegerint, ſine qualibet ambiguitate & contradictione more Canonico conſecrare, & dum conſecratus fuerit, Legati ad nos, vel ad ſucceſſores noſtros Reges Francorum dirigantur, qui inter nos & illum amicitiam & charitatem & pacem conſocient.

Eodem anno Imperator in Conuentu Magno Procerum apud Aquiſgranum habito liberis ſuis Imperij partes adminiſtrandas dedit, Lotharium primogenitum Imperatorem deſignauit, Pipinum in Aquitaniam miſit, Ludouicum in Bauariam, vt ſciret populus cui parere deberet. Inſuper quanto feruore & animi affectu res Eccleſiæ promoueri cuperet, in eodem Conuentu declarauit. Nam vt ex Ademaro refert Anonymus Author ad hunc annum *Congregatis Epiſcopis nobiliſſimoque Eccleſiæ Clero fecit componi ordinarique librum Canonicæ vitæ normam geſtantem, in quo totius illius Ordinis Benedictini ab omnibus tam viris, quàm ſanctimonialibus vbique obſeruari voluit.* Et paulo poſt *volens etiam vnamquamque Eccleſiam habere proprios ſumptus, ne per eiuſmodi inopiam cultus Diuini negligerentur, inſeruit prædicto Edicto, vt ſuper ſingulas Eccleſias manſus tribueretur vnus cum penſatione legitima & ſeruo atque ancilla.... denique tunc cœperunt deponi ab Epiſcopis & Clericis cingula baltheis aureis & gemmeis cultris onerata, exquiſitæque veſtes, ſed & calcaria tals onerantia relinquio.* *Reformatio Cleri.*

Eiuſdem Conſtitutionis meminit Author Chronici S. Maxentij, vulgò Malleacenſis, qui circa an. 1120. florebat, ſed eam reponit ad an. 816. *anno*, inquit, *ab Incarnatione Domini 816. Dominus Ludouicus Imperator Indict. 4. anno Imperij ſui 3. Aquiſgrani habito Concilio iuſſit fieri Regulam Canonicis: vt ſicut Monachi reſpiciunt ad librum Regulæ S. Benedicti, ſic perlegant Canonici inter ſe librum vitæ Clericorum: quem librum Amalarius Diaconus ab Imperatore iuſſus collegit ex diuerſis Doctorum ſententiis, dedit ei Imperator copiam librorum de palatio ſuo, vt ex ipſis ea quæ viderentur congrua, exciperet; & ita cum Epiſcoporum Decretis qui ibi fuerant, vita Clericorum roborata eſt. Scripſit eidem Imperatori Amalarius librum de Diuinis Officijs, & de varietate eorum, & de ordine Pſalmorum ad Clericorum vſum antiquum.*

Verum cum hæc ita conſtitueret in bonum Eccleſiæ piiſſimus Imperator, nunciatur ei defectio Bernardi Nepotis Italiæ Regis aduerſus quem collecto ſtatim exercitu profectus apud Cabillonem Æduorum vrbem coëgit ad pedes ſupplicem accedere patruo, ſe dedere, & coniurationis authores & populares declarare; quorum è proceribus hi erant præcipui Egiddeus inter 818.

amicos Regis primus, Reginhartus cubiculi præfectus, Reginhatius Meginharii Comitis filius, cuius auus maternus Hadradus olim in Germania cum multis aliis contra Carolum M. coniurarat: Ex Epiſcopis Anſhelmus Mediolanenſis, Wolfodus Cremonenſis, Theodulphus Aurelianenſis, Bernardi olim vt ferunt, Magiſter & Præceptor. Quibus in poteſtatem redactis, eos Aquiſgrani habitis Imperii comitiis & procerum ſententia iuxta leges Romanas & Salicas affectatæ tyrannidis & læſæ Maieſtatis reos peragit & Capitali iudicio condemnat.

Bernardum tamen vita donat: at luminibus priuatum & tonſum Monaſterio includit, qui paucis poſt diebus obiit relictis tribus liberis, Bernardo, Pipino, Heriberto. Epiſcopos Cœnobiorum clauſtris vel carceribus mancipat, poſtquam ſententia ſynodali fuerunt condemnati. Theodulphus in cuſtodia Andegauenſi ſeruatus, vnde paulo poſt indulgentia principis liber egreſſus eſt hæc an. 818. acccidiſſe dicuntur.

819. Anno ſequente Conuentum Epiſcoporum habuit Cæſar Aquiſgrani, in quo multa de ſtatu Eccleſiarum & Monaſteriorum conſtituit: & Capitula quæ prioribus legibus deerant, addidit. Poſt mortem prioris coniugis quæ Andegaui obierat, Iuditham Vvelphonis Comitis filiam duxit: ex qua Carolus cognomento Caluus ſuo tempore futurus Imperator natus eſt.

Eodem anno Rabanus Magnentius Alcuini Diſcipulus Imperatori librum obtulit de Theologia Crucis, teſte Ademaro Engoliſmenſi. At Annales Fuldenſes ad an. 844. referũt illudque aiunt ipſum Sergio IV. miſiſſe, quod Gregorio. IV aurhore ſcripſerat. Huius porro libri & aliorum Rabani operum meminit Vincentius; Antoninus vero hæc quæ ſequuntur, ex illo refert.

De Rabano.

O Crux quæ ſummi es voto dedicata trophæo!
O Crux quæ Chriſti es claro benedicta triumpho!
O Crux quæ excelſo toti dominaris olympo,
O Crux dux miſero, læsoque redemptio mundo,
Te Patriarcharum laudabilis actio ſignat,
Plebsque Prophetarum diuino famine iuſſa
Agmen Apoſtolicum pandit tua rite trophæa
Martyrum & ipſe Chorus effuſo iure cruore.
En arx alma Crucis en fabrica facta ſalutis,
En thorus hic Regis, hac conciliatio mundi.
Signa crucis Chriſti Seraphim cœleſtia monſtrant,
Diſtentiſque alis brachia tenſa notant.
Forma ſacrata crucis venerando fulget amictu
Magnus veſtit honor lætus loquor hoc Nationi
Crux ſacra tu æterni es Regis victoria Chriſti.
Eſt Orbi toti Domini quoque paſſio vita.
In Cruce lex Domini decoratur luce coruſca,
Gentes & linguæ ſociantur laude ſacrata.
Crux æterna Dei laus, viuis in arce polorum.
Crux ſuperis placita es. Crux hinc es nauita mundo,
Rabanum memet clemens rogo Chriſte tuere
O pie Iudicio.

" Idem ſoluta oratione ſic perſequitur. Paſſio Chriſti cælum ſuſtentat, mun-
" dum regit, tartarum perfodit. In ea confirmantur Angeli, redimuntur populi,
" conteruntur inimici. Inde timor ductus fideles à pœna liberat. Triſtitia ſalubris
" pœnitentes à peccato mundat. Concupiſcentia boni fructus virtutem germi-
" nat. Gaudium vitæ ſpe confidentes lætificat. Hanc author omnium ſibi ma-
" chinam prouidit & conſtrui voluit, vt in ipſa omnino reſtauraret omnia & coadu-
" naret omnia per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum O verè bona & ſancta
" Crux Chriſti! quis te rite totam enarrare poteſt aut condignè laudare? quæ
" cœleſtium arcanorum pia es reuelatrix, myſteriorum Dei ſacra conſeruatrix
" ſacramentorum Chriſti idonea diſpenſatrix. In te Angeli gaudia ſua accumu-
" lata conſpiciunt. In te homines iura ſalutis ſuæ cognoſcunt. In te inferi iu-
" ſtam retributionem fraudis ſuæ percipiunt. Præterita renouas, præſentia illu-

ſtras, futura præmonſtras, perdita tequiris, inuenta cuſtodis, lapſa teſtituis & in viam pacis dirigis. Tu æterni Regis es victoria, cœleſtis militiæ lætitia, terrigenarumque potentia. Tu peccatorum remiſſio, pictatis exhibitio, meritorum augmentatio. Tu infirmorum remedium, laborantium auxilium, laſſorum refrigerium. Tu cura ægrotos medicans, tu gaudium mœſtos conſolans, tu ſanitas dolentes lætificans. Tu ſtatus rectè credentium. Tu firmitas bene operantium. Tu habitudo rite perſeuerantium. Et quidquid digne de redemptione mundi poteſt cogitari, quidquid lingua rite loqui, ad laudem tuam decentiſſimé poteſt adaptari, quia quidquid in te laudatur, crucifixo in te Chriſto Regi deputarur. Tibi Domine I. C. humiles preces offero & oris vota perſoluo, quod mihi peccatori inſpirare dignatus es honotem S. Ctucis tuæ quantulumcunque decantare, & communem omnium noſtrum ſalutem Conſeruis meis prædicare. Nec me ab incepto retardauit propriorum conſeientia delictorum, ſed magis mei fiduciam tribuit, quod hoc carmine celebrarem, in quo peccati tegum deſtruxiſti, & toti mundo veniam omnium delictorum dediſti. Salue Crux Dei veneranda, quæ ſapientia, lumen & doctrix es orbis terrarum: quæ & vera laus & amica virtutum & clara Philoſophia apud Cœlicolas terrigenaſque indeſinenter viges, quam magis decet Imperialem vocari thronum, quàm ſeruile tormentum, quia Imperator & Rex noſter ChriſtusRegnum ſibi in te & poteſtatem in cœlo & in terra acquiſiuit, hoſtes ſuperauit & mundum Deo reconciliauit. O Chriſtiani poppli vexillum, framea, quâ cum hoſto ſortimur bellum, te obſecro vt tua virtute meum pectus infirmum benedicas, vt dignis laudibus æterni Regis in te triumphum valeamus decantare, quæ cœleſtia ſcilicet ſimul & terrena vno fœdere coniungas, pactum confirmes & vincula mortis diſſipes. Quadriga virtutum Cardinalium 4. cornibus S. Ctucis decenter aptata oſtendit ſacram ſeriem ſpecierum ex ipſa procedentem in triumpho victoriæ Regis Chriſti conſecratam, & pro eius paſſione proficuum eſſe toti orbi ad impetrandum fructum pietatis & adipiſcendam æternam beatitudinem. Virtus enim eſt animi habitus, naturæ decus, vitæ ratio, morum nobilitas & vitæ moderatio. Quæ cuncta ô ſancta Crux Religioſis hominibus tradis, & cuncta ſimul beneplacita Deo & ſalubria depromis, arbor odoris ſuauiſſimi, & expanſione pulchrarum frondium lætiſſima. Hortus deliciarum incomparabils, affluens vbertate largiſſima, floribus virtutum & foliis verborum iucundiſſima. Grandis conſolatio eſt fidelibus ſpecies ſanctæ Crucis & materiam tribuit laudis quæ bonitatem nos facit ſcire Creatoris. Crux Chriſti via eſt iuſtorum, adſcenſus ad Cœlum, rota de infimis ad ſuperiora nos trahens. Dux & Ianua Regni, huius pars erecta diuinum, tranſuerſa fraternum commendat amorem. Cuius amoris integritatemChriſtus nobis oſtendit, ac ſuo Exemplo nos inſtruxit, qui dilectam animam ſuam in Ctuce moriens pro amicis & inimicis ſuis poſuit, & nos idem facere docuit.

De hoc viro ſœpe recurret dicendi locus, quem alij Scotum, alij Franconem, Quidam Germanum faciunt, natumque an. 788. Magentiæ ſeu Moguntiæ, vnde Rabanus Maurus Magnentius ſeu Magentius vocabatur. Hallucinantur certè quiScotum eum prædicant, & cum Magiſtris illis Scotis Lutetiam veniſſe, cum in Epitaphio, quod ipſe Moguntiæ tum Archiepiſcopus compoſuit, ſe in ea vrbe natum dicat & in Fuldenſi Monaſterio enutritum: vt ad an. 856. referemus. Errant quoque qui aiunt eum impetratâ ab Abbate ſuo Ratgario licentiâ Romam profectum, vt Alcuinum tunc Miniſtrum & Cuſtodem Lateranenſis Eccleſiæ ac publicum Bonarum Artium Doctorem audiret. Nam 1. Ratgarius Fuldenſi Monaſterio præfectus eſt anno tantum 802. quo tempore Alcuinus effœtis viribus & tumulo proximus Turonis degebat in Cœnobio S. Martini, vbi bienno poſt obiit. Deinde nuſquam legitur Alcuinus docuiſſe Romæ, aut ſi docuit, ante natum Rabanum docuiſſe neceſſe eſt, ſiquidem ab an. circiter 790. Turonis reſedit, nec inde migraſſe fertur, non ipſas etiam ſcholas Palatinas Pariſiis reuiſiſſe. Vnde neque etiam apud Fuldam eundem Rabanum habere potuit Diſcipulum. Cum itaque ex Flodoardo l. 3. conſtet, auditorem fuiſſe Alcuini & vl-

timum de eius diſcipulatu, vt ait, relictum: neceſſe eſt ipſum audiuiſſe Turonis, vnde poſt eius mortem quæ accidit an. 804. ad Palatinas ſcholas profectus ſit, vbi forte, teſte Mathia Flaeco Illyrico l. 9. Catalogi teſtium veritatis, *aliquandiu profeſſorem egit & magno ornamento fuit Doctoribus Scholaſticis.*

Reuerſus ad Fuldenſe Cœnobium, vbi pueritiam depoſuerat & primordialibus Diſciplinis imbutus fuerat, ſcholam publicam habuit, quam etiam Abbas deinde factus continuauit, teſte Trithemio: in eaque Monachos non ſolum in ſacris ſcripturis, ſed in ſecularibus etiam litteris erudiuit ſub Ratgario & Egile Abbatibus. Nec Monachos ſolùm, ſed etiàm ex diuerſis locis aliis ad ſe tranſmiſſos multos in omni genere doctrinæ diſcipulos inſtituit: nam præter Abbates, qui ſuos illuc ad eum Monachos mittebant, Principes quoque & nobiles terræ filios ſuos illius Magiſterio ſubdiderunt, vt refert ex Meginfredo Trithemius.

Author Neotericus in Lycæo Benidictino c. 6. refert ex eodem Trithemio tum in eo cœnobio 150. Monachos fuiſſe: doctiſſimos eorum, numero 12. vocatos *ſeniores* ex quibus cum quis ſiue ad aliud Cœnobium mittebatur, ſiue morte auferebatur, continuo ex Doctioribus & ſanctioribus alius in eius locum Rectoris & ſeniorum illorum 12. electione conſtituebatur. Decimus ergo tertius vt tum erat Rabanus *Principalis magiſter ſeu Rector appellabatur, eratque omnium lectionum Deputator.*

In iis ſcholis inter alios diſcipulos habuit Strabum, qui poſt eum ſcholis Fuldenſibus præfuit. Freculphum poſtea Lexouienſem Epiſcópum, qui Elizachari quoque diſcipulus fuit: Lintbertum, qui primus Abbas Hirſaugienſis fuit. Huldolphum, ptimum in ſcholis Hirſaugienſibus Magiſtrum, Richardum poſt Huldolphum, ſecundum Scholaſticum. Bernarduum deinde Abbatem Hirsfeldenſem. Ioannem, qui primus apud Germanos Cantum Eccleſiaſticum, varia vt ait Trithemius, modulatione compoſuit. Altfridum, deinde Corbeiæ nouæ in Saxonia Scholaſticum, poſtea Hydelheymenſem Epicopum, Rodolphum, qui eius vitam ſcripſit: & iſti omnes Monachi fuerunt Fuldenſes. Ad eundem inſignem Magiſtrum miſſus eſt ab Aldrico Archiepiſcopo Senonenſi Lupus dictus poſtea Ferratienſis Abbas, vt Theologiam addiſceret, vt alibi dicemus.

822. Anno 822. idem Rabanus ab Imperatore Fuldenſis Cœnobii fit Abbas, poſt mortem Egilis, cui Abbatiæ præfuit annos 20. nec à docendo deſtitit. Scripſit ad Cæſarem de Cœleſti immortalis Imperatoris nota carmen inſigne, æmulatus Porphyrionem, qui ad Conſtantinum M. idem factitauit. Quod opus ait Auentinus ſuo tempore inuentum in Auſtria à Ioanne Stabio Cæſareo Hiſtoriographo præceptore ſuo, ſeque Viennæ vidiſſe: carminum autem litteras ſingulas ita compoſitas ſeparatim, vt calces, media capita, verſum, ſurſum deorſum in orbem quoque lecta quoquo verſum metra referrent. idem quoque commentaria, quæ in librum Iudith ſcripſerat, Iudithæ Auguſtæ dedicauit.

Eodem anno Ludouicus Imperator habitâ apud Attiniacum frequenti ſynodo Epiſcoporum & Abbatum fratribus ſuis & Bernardo Nepoti reconciliari cupiens, pœnitentiam ſpontaneam Theodoſij ſenioris exemplum imitatus ſuſcepit. Ibi autem ſtatuit, vt ſcholæ paſſim ad vtilitatem Eccleſiæ maioremque omnium ſubditorum commoditatem erigerentur, cum non poſſent omnes ad Publicam Academiam proficiſci. Hac de re ſic legitur l. 2. Conſtitut. Imperial. *Scholæ*, inquit, *ſanè ad filios inſtruendos, vel edocendos, ſicut nobis præterito tempore ad Attiniacum promiſiſtis & vobis iniunximus, in congruis locis ad multorum vtilitatem & profectum vobis ordinari non negligantur.*

Eodem anno idem Princeps Ebbonem collactaneum & in ſcholis condiſcipulum ſuum Remenſi cathedræ præficit: Ludouicus enim à pueritia Magiſtris in Diſciplinam traditus fuerat: quippe Carolus Pater, vt teſtatur Eginhartus, *liberos ſuos, ita cenſuit inſtitnendos, vt tam filij quam nepotes primò liberalibus ſtudiis, quibus & ipſe operam dabat, erudirentur.* Illi autem Ebbo natione Germanus Trans-Rhenenſis Himiltrudis filius ex humili quidem ſeruorum ſtirpe procrea-

tus, ſed ingenij actis & acuti in puerili ætate ad æmulationem datus fuerat condiſcipulus. Et hunc Ludouicus Imperator factus ad Eccleſiaſticas dignitates promouit, palatinis negotiis applicauit & ad varias legationes miſit; præſertim ad Danos cum Theotario & Rotmundo, vt pacem cum Regibus Normanis componeret : quorum multos ad fidem Chriſtianam ſuſcipiendam induxit. Sed ille tot beneficiorum immemor, aduerſus principem ſuum coniurauit, vt infra dicetur.

Anno 823. Lotharius Imperatoris Primogenitus litterarum quoque ſtudioſiſ- 823.
ſimus, & litteratorum Mecenas liberaliſſimus volente patre Romam profectus à Paſchale Pontifice conſors Imperij declaratus diadema cum Auguſti nomine accepit. Drogo Ludouici frater nothus Metenſi Eccleſiæ præficitur, & Carolus Caluus ex Iuditha naſcitur, futurus quoque litteratorum omnium beniſſimus munerator, cui non minus debent litteræ, quam Carolo M. earum reparatori.

Anno 824. Eugenius II. Patria Romanus cognomento Pater pauperum ad 824.
ſedem Pontificiam promouetur, vir non minus eruditione & facundia, quam ſanctitate clarus, ſed mirum in modum erga pauperes liberalis: curauit etiam vti in ſingulis vrbibus & locis congruis Scholæ Priuatæ inſtituerentur, vbi ſcilicet non fuiſſent prius inſtitutæ. Quam in rem extat decretum in 1. Parte Decretal. diſtinct. 37. c. 12. *De quibuſdam locis ad nos refertur neque Magiſtros neque curam inueniri pro ſtudio litterarum : idcirco in Vniuerſis Epiſcopiis ſubiectiſque plebibus & aliis locis, in quibus neceſſitas occurrerit, omnino cura & diligentia adhibeatur, vt Magiſtri & Doctores conſtituantur, qui ſtudia litterarum liberaliumque artium dogmata aſſiduè doceant: quia in his maximè diuina manifeſtantur atque declarantur mandata.*

Loquitur Eugenius de ſcholis vicanis & Clauſtralibus ſeu Epiſcopalibus: & de vtriſque etiam Theodulphus Aurelianenſis Epiſcopus in Epiſtol. ad Clerum Aurelianenſem, qua concedit ſuæ Diœceſeos presbyteris, vt nepotes affineſque ſuos educandos inſtituendoſque tradant Collegio S. Crucis, quæ matrix erat Eccleſia & ſedes Ediſcopalis, vel Monaſterio S. Aniani, aut S. Benedicti, aut S. Liphardi : mandatque inſuper Rectoribus parœciarum, ſeu Curionibus & presbyteris, vt in villis & vicis ſuis ſcholas similiter inſtituant, in quibus paruulos edoceant. *Si quis*, inquit, *ex Presbyteris voluerit nepotem ſuum aut aliquem conſanguineum ad Scholam mittere, in Eccleſia S. Crucis aut in Monaſterio S. Agnani aut S. Benedicti, aut S. Liphardi, aut in cæteris de his cœnobiis quæ nobis ad regendum conceſſa ſunt, ei licentiam id faciendi concedimus. 2. Presbyteri per villas & vicos ſcholas habeant.....Cum ergo eos docent, nihil ab eis pretiū pro hac re exigant, nec aliquid ab eis accipiant, excepto quod eis parentes Charitatis ſtudio ſua voluntate obtulerint.*

Porro Epiſcopalium ſcholarum aliæ pueris erant deſtinatæ, aliæ presbyteris & clericis, vt ante ex Fileſaco retulimus. Scholam autem Presbyterorum iure Theologicam poſſe appellari probat idem Fileſacus ex concilio Cabillon. ſub Carolo M. habito c. 3. Oportet vt ſicut Domnus Carolus Imperator præcepit, ſcholas conſtituant in quibus litteraria ſolertia diſciplinæ & ſacræ ſcripturæ documenta diſcantur, & tales ibi erudiantur quibus merito dicatur à Domino Math. 5. vos eſtis Sal terræ. Et ex Valentino c. 18. ſub Lothario Imperatore habito, vbi ſcholæ duplices memorantur & diuinæ & humanæ litteraturæ. Item ex Conſil. Meldenſi 1. 35. ſub Carolo Caluo, in quo clare fit mentio Theologici Doctoris. Vt quiſque Epiſcopus talem iuxta ſe pro viribus habeat, qui iuxta ſinceriſſimum & puriſſimum ſenſum Catholicorum Patrum de fide & obſeruatione mandatorum Dei, ſeu de prædicationis Doctrina Presbyteros plebium aſſiduè inſtruat & informet. Itaque Parochos & presbyteros Theologum iſtum docentem audire præcipit Synodus vt commiſſam ſuæ curæ plebem ipſi docere poſſint.

Item Capitularij l. 7. c. 163. ſtatuitur, vt omnes Presbyteri Parochiæ id. Diœceſeos ad Ciuitatem per turmas & per hebdomadas ab Epiſcopo ſibi conſtitutas conueniant diſcendi gratia, ita tamen vt aliqua pars in Parochiis Presbyte-

Suam vero deliberarionem his verbis concluduht. Nos denique ſerui veſtri in vnum conuenientes & de *nobis iniunctis pro captu intelligentia noſtra familiariter conferentes , teſtimonia ex authoritate diuina & ſententias SS. Patrum quas prout temporis anguſtia permiſit, collegimus & coram nobis legi fecimus, veſtra Imperiali potentia per venerabiles viros Halitgarium & Amalarium dirigere praſumpſimus.* excuſant vero ſe , quod præ anguſtia temporis non omnia ſatis accuratè collegiſſent. Deinde ſubiungunt. *Nam quidam noſtrorum de longè venientes non habuerunt ſpatium temporis quarendi. Quidam vero nec cauſam, pro qua ad hunc Conuentum venire iuſſi ſunt, donec peruenerunt, veraciter noſſe potuerunt. Moduinus namque infirmitate in qua diutiſſime laborat, detentus venire nequiuit.*

Acceptis igitur Doctorum conſultis & Reſponſis Ludouicus ea per legatos ad Pontificem dat pro ineunda concordia Eccleſiarum. Græci enim omnino negabant deberi culrum imaginibus, Romani deberi plurimum propugnabant: iſti vero noſtri examinatores mediam quandam viam eligenres, quanquam non ſatis vt ipſi dicebant accuratè diſcuſſâ materiâ, dicebant habendas quidem ad memotiam imagines, neutiquam vero adorandas: cæterum relinquendum vnicuique prout affectus eſſet, plus minuſue illis reuerentiæ cultuſque exhibere. Et in hanc rem ipſi Eugenio mittunt Epiſtolam , quam vocant Conſiliatricem.

Non placuit Pontifici ſentenria eiuſmodi. Imo nec ipſiſmet etiam Francis Doctoribus Palatiniſque Magiſtris: poſtquam enim maturius rem illam examinare cœperunt, priorem ſuam illam ſentenriam feſtinaram nimis & propter anguſtias temporis non ſatis perpenſam caſtigantes & damnantes, vltro ſe decreto Eccleſiæ ſubmiſerunt, & contra contumaces fortiter & generosè ſcripſerunt. Nam Ionas Epiſcopus Aurelianenſis Theodulphi ſucceſſor, qui ab Imperarore miſſus fuerat ad Eugenium cum litteris, audito Pontificis decreto ſcripſit libros tres aduerſus Claudium Taurinenſem Agiomachum ſeu Impugnatorem imaginum, virum audacem & Collationis ac deliberationis iſtius Pariſienſis promotorem. Ipſe quoque Imperator conſultis Palarinis Magiſtris Claudium confixit, vt ſcribit ipſe Ionas ad Caluum, vbi de libello Claudij deque Ludouico loquens ſubiungit: *Qui libellus ab eo ſuique Palatij prudentiſſimis viris examinatus iuſto iudicio eſt repudiatus.* Imo in Ep. ad Papam ſatis indicat Ludouicus ſe non ſynodum collegiſſe, aut ſynodi conſulta miſiſſe; ſed conuocaſſe tantummodo viros nonnullos doctos, atque ex eis quæſiſſe quid credi oporteret: vno verbo ſe ab ipſo Pontifice petiiſſe licentiam conſulendi *Sacerdotes ſuos non ſynodum conuocando , ſed quarendo ex iis quid ex ſcripturis ſacris in rem imaginum dicendum haberent.*

Ad annum 826. narrant aliqui rum primum organorum Muſicorum vſum in Gallia inualeſcere cœpiſſe, opera cuiuſdam Georgij Veneti ſacerdotis & ſumptibus Ludouiei Imperatoris , qua de re ſic author Anonymus ex Adhemaro, in vita Ludouici Imp. *Adduxit Baldricus Imperator presbyterum quendam nomine Georgium bona vita hominem , qui diceret Organum more Gracorum poſſe componere. Quem Imperator gratanter ſuſcepit , & quia Deus illi qua ante ſe inuſitata erant in Regno Francorum attribuebat, gratiarum actiones reddidit, ac Tanculfo Sacrorum Scriniorum pralato commendauit, publiciſque ſtipendiis curare iuſſit, & ea qua huic operi neceſſaria forent , praparare mandauit.* 826.

Verum longè ante Conſtantius Orientis Imperator Pipino inter cætera munera Organum per legatos miſerat, vt ſcribit Aimoïnus l. 4. c. 64. & San-Gallenſis ait iam tempore Caroli Magni fuiſſe compoſita & fabrefacta. Sic enim ille l. 2. c. 9. *Adduxerunt etiam ydem Miſſi* (Conſtantinopolitani) *omne genus Organorum, ſed & variarum rerum ſecum, qua cuncta ab Opificibus ſagaciſſimi Caroli quaſi diſſimulanter aſpecta accuratiſſimè ſunt in opus conuerſa; & pracipuè illud Muſicorum Organum praſtantiſſimum , quo Delus ex are conflatis follibus taurinis per fiſtulas areas mirè perflantibus rugitum quidem tonitrui boatu, garrulitatem verò lyra vel cymbali dulcedine coaquabat.* Georgius autem ille Sacerdos Hydraulicum Muſicæ inſtrumentum Aquiſgrani conflauit.

Eodem anno Herioldus Nortmanorum Dynaſta cum coniuge & liberis veniens in Galliam, Danorumque non parua manu , qui ab Ebbone aliiſque Palatinis Magiſtris priotibus annis ad fidem conuerſi fuerant, Moguntiæ apud S. Albanum cum omnibus ſuis factâ baptiſmatis vndâ perfuſus eſt, atque ab Im-

V

peratore magnis muneribus donatus: qui veritus ne in Daniam reuerſus à ſuis expelleretur propter eiuratos ritus paganiſmi, obtinuit ab Imperatore Comitatum in Friſia nomine Riuſtri : quò ſe ſuoſque, ſi neceſſitas exigeret, recipere poſſet.

Obiter autem notandum quantos fructus afferret Eccleſiæ naſcens Academia Pariſienſis, quæ non modo domi Hæreticos confutabat, in ſynodis peruicaces confundebat, & de difficillimis quæſtionibus conſulta reſpondebat: verum etiam ad lucrandas cœlo animas peregrè ſuos mittebat, totique terræ ſacros verbi diuini præcones ſubminiſtrabat. Vnde apud Barbaras etiam gentes ſcholæ Pariſienſis authoritas & doctrina ab incunabulis inualuit. Tum vero inter cæteros excellebant qui ex ea prodierunt, Amalarius Fortunatus Treuirenſis Archiepiſcopus Alcuini quondam auditor, Ieſſe Ambianenſis Epiſcopus Theologiæ olim profeſſor & concionator egregius; Hilduinus ſacri Palatij Archicapellanus Abbas, San-Dionyſianus, Ebbo Remenſis de quo ſupra, Halitgarius Epiſcopus Cameracenſis inter doctiſſimos habitus, ad quem extat Ebbonis Epiſtola apud Flodoardum lib. 2. qua eum rogat vt librum Pœnitentialem de caſibus conſcientiæ ad inſtructionem ſacerdotum componat, ſic autem eum compellat.

Qua propter chariſſime frater, noli te ipſum nobis negare, qui ſemper in diuinis ardenti animo diſciplinis, ac ſolerti cura ſcripturarum meditationibus perfectiſſimo otio floruiſti. Arripe quæſo, ſine excuſationis verbo huius ſarcina pondus à me quidem tibi impoſitum, ſed à Domino cuius onus leue eſt, leuigandum... Noli tuæ deuotionis nobis ſubtrahere ſcientiam: noli accenſam in te ſub modio ponere lucernam, ſed præcelſo eam ſuperpone candelabro, vt luceat omnibus, qui in Domo Dei ſunt fratribus tuis: & profer nobis veluti ſcriba doctus, quod accepiſti à Domino. Extat apud eundem Flodoardum Halitgarij ad Ebbonem Reſponſio : ex qua quam eloquens vir fuerit, intelligitur.

Poſtquam venerande Pater, directas beatitudinis veſtræ accepi litteras, quibus me hortari dignati eſtis, ne mentis acumen inerti torpentique otio ſubmitterem, ſed cognitioni ac meditationi quotidie ſacræ ſcripturæ me vigilanter traderem, & inſuper ex SS. Patrum Canonumque ſententiis Pænitentialem in vno volumine aggregarem, durum quidem & mihi valde difficile tremendumque hoc fuit imperium, vt hanc ſuſciperem ſarcinam, quam à prudentibus cognoſco relictam multumque reniſus ſum voluntati veſtræ, non veluti procaciter durus, ſed propria infirmitatis admonitus. Hac etenim curæ ſollicitus neceſſarium duxi aliquandiu me à ſcribendi temeritate ſuſpendere, quia ſicut perpendi iniuncti operis difficultatem, ita & iniungentis authoritati nec volui nec debui vſquequaque reſiſtere, certus quia imbecillitatem meam multo amplius veſtra adiuuaret præcipientis dignitas, quàm grauaret meæ ignorantiæ difficultas.

827. Quod ad Hilduinum attinet, vir quoque fuit eximiæ litteraturæ & facundiæ & tam græcè quam latinè eruditus : quem Anno 827. vulgaſſe ferunt Hiſtoriam Areopagiticam è Græcis codicibus Latinitate donatam, prout ei iniunxerat Imperator, qua Dionyſium Areopagitam miſſum à B. Clemente in Gallias verbi Diuini præconem fuiſſe aſſerit & Lutetiæ Pariſiorum ſedem fidei & Religionis Chriſtianæ poſuiſſe. Vnde librum ſuum Areopagitica inſcripſit: quem multis vt dicebat veterum ſcriptorum authoritatibus, Ariſtarchi, Viſbij, Syncelli, coæuorum vero nonnullorum nec non & Chartarum quarundam vetuſtiſſimarum munimine roborauit. Hincque magnus ei honor acceſſit & gratia multiplex. Verumtamen, vt vulgo accidit, dum aliquid noui profertur, præſertim apud nos, qui nouarum rerum auidi ſumus, cœperunt paulo poſt docti rem iſtam accuratius examinare : & ſub Carolo Caluo de ea à multis dubitatum eſt. Vt ſuo loco referemus.

Ionas Aurelianenſis vir fuit quoque facundus, plurimæ doctrinæ, & in rebus præſertim Theologicis verſatiſſimus. Ille an. 827. librum edidit de inſtitutione Regia, quem Pipino Ludouici Pij filio & Aquitaniæ Regi dedicauit. In Epiſtola autem dedicatoria ſe ipſum incuſat, quod ei nihildum exhibuerit officij, cui tamen, ſi vlli, maxime exhibere tenetur. *Nec immerito*, inquit, *quippe cum veſtræ poteſtati in cuius Regno ortus & altus litteriſque admodum imbutus comaque capitis depoſita Chriſti militia ſum mancipatus, iure fideliterque debui obſecun-*

dare ei quoquomodo, vt pote verendo & deliteſcendo potiuſque ſubterfugiendo propter blaſphemias & opprobria atque mendacia quorundam prauorum hominum, qui meam extremitatem apud ſerenitatem veſtram aſtu Diabolico; odio & inuidiâ pleno perſæpe diſſamauerunt, me corpore non animo ſubſtraxerim. Hoc opuſculum integrum præter præfationem & duo poſtrema capita, quæ edidit Lucas Dacherius, habetur in actis Concilij Pariſienſis quod ad an. 829. celebratum eſt. Initio autem operis poſt præfationem hoc Epigramma præfigit ad Pipinum.

Rex pie, ſume percor munus quod defero paruum,
Vt tibi ſæpe libens munera grata feram.
Verum ſi veſtris fuerit conſpectibus aptum,
Aptius & properè noſtra Thalia dabit.
Nam potiora ferunt docti ſatis arte Maronis,
His quia cura manet, Ars quibus ampla cluit.
Qui quondam metricis ludebam promptus in odis,
Corpore nunc quaſſo nil niſi flere lubet.
Sit Deus ipſe tibi tutor, fautorque per æuum:
Per quem regnare te tuus omnis amat.
Culmina regnandi teneas ſic cautus in aruis,
Vt ſis poſt mortem manſor in arce poli.

Anno 828. Eugenius pontifex obiit: cui ſucceſſit Valentinus patria Roma- 828.
nus patre Leontio, tantæ vir virtutis, vt tum adhuc tantum Diaconus ad ſupremum Pontificatum concinentibus omnium votis prouectus fuerit: ſed quadrageſimo poſt electionem die obiit, ſepultuſque eſt in Baſilica S. Petri. Ei ſucceſſit Gregorius IV. ſedemque tenuit per annos 16. conſecrationem aliquandiu diſtulit, donec intelligeret, quæ voluntas eſſet Imperatoris: at ille lubens electioni ſubſcripſit. Hic de voluntate Imperatoris & omnium Galliæ atque Germaniæ Epiſcoporum conſenſu dicitur feſtum omnium Sanctorum quod 4. id. Maij celebrari conſueuerat, vt notat Laziardus, ad kalendas Nouembris transtuliſſe, qua de re etiam ſic Platina in Gregorio. *Sunt qui ſcribant rogatu Ludouici Pij Gregorium IV. Sanctorum omnium celebritatem Kalendis Nouembris inſtituiſſe; eamque rem magnopere à Rabano Mauro Monacho inſigni Theologo carminibus & proſa fuiſſe laudatam. Habuit etiam Rabanus ſermones ſatis elegantes ad populum: ſed is potiſſimum laudatur, quem habuit in celebritate omnium Sanctorum.* Verum ſupra docuimus id iam ante à Bonifacio Papa inſtitutum & temporibus Caroli M. vſitatum: idque diſertè aſſerit Alcuinus lib. de Diuinis Offic. c. 32. *Scriptum eſt in geſtis Pontificalibus quod S. Bonifacius Papa quandam domum Romæ Pantheon nomine, quæ erat conſecrata in honore omnium Dæmoniorum, eliminatis omnibus ſpurcitiis ſacrauerit Eccleſiam in honore S. Dei Genitricis omniumque Sanctorum. Vnde conſtitutum eſt, vt plebs vniuerſa per totum orbem in Kalendis Nouembribus ſicut in die Natalis Domini ad Eccleſiam in honore omnium Sanctorum ad Miſſarum ſolemnia conuenire ſtudeat, illud attendentes, vt quidquid fragilitas humana per ignorantiam aut negligentiam in ſolemnitatibus Sanctorum minus plenè peregiſſet, in hac ſancta obſeruatione ſolueretur.*

Anno 829. habita eſt Lutetiæ Synodus VI. Eccleſiæ Gallicanæ iuſſu Impera- 829.
toris, cuius acta plurima leguntur 3. libris diſtincta in 3. Tomo Conciliorum. vnum autem eſt quod pertinet ad Academiam Pariſienſem: poſtularunt enim Patres à Cæſare, vt tres Academias, ſeu ſcholas publicas, quas Carolus Pater inſtituerat quidem, ſed nondum forte abſoluerat, authoritate ſuâ firmaret, perfici & abſolui curaret, ordinari & dirigi. *Similiter etiam*, inquiunt, *obnixè ac ſuppliciter veſtræ Celſitudini ſuggerimus, vt morem paternum ſequentes ſaltem in tribus congruentiſſimis Imperij veſtri locis* SCHOLÆ PVBLICÆ *ex veſtra authoritate fiant, vt labor patris veſtri ac veſter per iniuriam* (forte *incuriam*) *quod abſit labefactando non depereat: quoniam ex hoc facto & magna vtilitas, & honor S. Dei Eccleſiæ & vobis magnum mercedis emolumentum & memoria ſempiterna accreſcet.*

Schola Publica ſeu Vniuerſitates.

Neminem hactenus legi, qui locum hunc de Academiis, ſeu vt hodie loquimur, de Vniuerſitatibus non interpretetur, deque tribus iſtis fere, Pariſienſi, Bononienſi & Ticinenſi ſeu Papienſi. Paucos referam. Iacobus Middendorpius, qui florebat ante centum ab hinc annos in Epiſtola dedicatoria libri de Offic.

Schol. ait Catolum M. concepto Eccleſiæ à Barbaris perturbatæ & veræ Religionis inſtaurandæ, propagandæ & conſeruandæ deſiderio, à Bonis Artibus, Academiis & Scholis initium ſumpſiſſe, quoniam ideitco Religionem & Rempub. in Gallia perturbatam fuiſſe agnouerat, quod hæc ſuperiotibus temporibus intercidiſſent, nec tantis laboribus conſtitutum in Germania & Gallia Imperium eum ſplendorem eamque feleicitatem retenturum perſpiciebat, niſi ſapientia fulciretur, tum ſubdit *Ideoque Epiſcopi in Concilio Pariſienſi à Ludouico & Lothario Impp. petiuerunt vt Maiorum ſuorum exemplo bonarum litterarum curam ſuſciperent, & vel Tribus ſaltem in Locis accommodatiſſimis maximéque neceſſariis* PVBLICAS SCHOLAS *fieri procurarent. Hinc enim futurum aiebant, vt nec à maioribus, nec ab ipſis ſuſceptus pro Eccleſia labor vnquam interiret, ſed Reſpublica in perpetuum eſſet floritura, ipſi verò ſempiternam memoriam & immortale præmium eſſent inde reportaturi. Quod cum per Gallias feliciter eueniret, tam varia de inſtituendis Scholis, de alendis Magiſtris atque inſtauranda educatione puerili Optimorum Principum mandata, ſacrorumque Conciliorum Decreta promulgata fuerunt.*

Renatus Chopinus l. 1. Monaſt. tit. 2. *Carolus M.* inquit, *Puerilis Scholæ præfecturam tribuit Sacerdotali & Monaſtico Ordini Francica lege* l. 1. c. 68. *de Miniſtris altaris Dei & Schola. Paterna dehinc auitaque Politicæ æmuli Ludouicus Pius, & Lotharius Impp. promouerunt* PVBLICA LIBERALIORIS DOCTRINÆ GYMNASIA : *in eaque Principatum ſeu Magiſterium Epiſcopis addixerunt, Cleroque ipſis militanti.* l. 1. legis Francicæ c. 5. *Verſ. Scholæ ſanè ad filios & miniſtros Eccleſiæ inſtruendos, &c.* Errat Chopinus, cum ait præfecturam Scholarum Publicarum ab Imperatoribus prænominatis demandatam fuiſſe Epiſcopis. Imò cum de iis ipſi loquuntur Epiſcopi, earum curam ad Imperatotes remittunt: at Epiſcopalium ſcholarum certum eſt eos regimini præfuiſſe, in quibus inſtituebantur illi fere duntaxat, qui ſacræ militiæ deſtinabantur, vt patet vel ex ipſâ lege Francica, quam profert Chopinus. *Scholæ ad filios & Miniſtros Eccleſiæ inſtituendos, &c.*

Papyrius Maſſonius eodem modo Publicas Scholas interpretatur; poſtquam enim locum præallatum ex Actis Synodi VI. Pariſienſis retulit, ſubiungit. *Ex his verbis apparet* TRES PVBLICAS SCHOLAS *à Carolo M. inſtitutas, quæ Academiæ dicuntur, poſt ipſius mortem perituras fuiſſe, ſi Ludouicus Paternum amorem ſecutus non fuiſſet, cui non minor litterarum cura fuit, quàm Patri: ſed vtrumque Carolus Caluus hoc erga litteras ſtudio longe ſuperauit.* Addit. *Pariſienſis, Patauina & Ticinenſis Academiæ Carolum M. parentem ſuum appellant. Prima cis Alpes in Regno Francorum, poſteriores in Italia.*

Ioannes Fileſacus multoties à nobis laudatus lib. de ſacra Epiſcoporum authoritate c. 15. §. 2. Poſtquam fuse de Scholis Cœnobialibus & Epiſcopalibus egit, vt ad an. 825. retulimus, paragraphum ſic claudit. *Præter has Scholas*, Cœnobiales ſcilicet & Epiſcopales, *Epiſcopi Gallicani Concilij Pariſienſis l. 3. cap. 12. poſtulant à Ludouico Pio Imperatore, vt exemplo Patris ſui Caroli M. in 3. congruentiſſimis Imperij locis Scholas Publicas conſtituat.*

Eundem locum pari modo interpretatur Innocentius Citonius Academiæ Toloſanæ Cancellarius in lib. 5. Decretal. tit. 5. de Magiſtris. *Hoc ſummæ*, inquit, *curæ fuit Carolo M. qui non ſolum Scholas priuatas haberi tam in Epiſcopiis, quàm Monaſteriis voluit cap. 3. Concilij Cabillon. Sed etiam Publicas & ſolemnes in tribus Imperij ſui locis, vt refert Eginhartus in eius vita. Cuius veſtigia ſecuti ſunt filij eius Ludouicus & Lotharius in Conſilio Pariſienſi l. 3. c. 12.* PER PVBLICAS ILLAS SCHOLAS *intelligi debent* SCHOLÆ VNIVERSITATVM, *quas certis tantum locis ſtabilitas fuiſſe conſtat, veluti Lutetiæ in Gallia, Romæ & Bononiæ in Italia à Carolo M. Oxoniæ in Anglia, Salmaticæ in Hiſpania: quibus exhibendorum Doctorum gratia honeſta ſtipendia ab omnibus Eccleſiis, Monaſteriis, Capitulis & Collegiis exigi tandem voluit Clemens V. in Concilio Viennenſi. Clement. I.*

Ioannes Grangierius Eloquentiæ Profeſſor Regius eundem locum profert in oratione pto reſtaurandis Scholis habita 14. Kal. Decemb. an. 1619. *Qui Francorum emollierit ferociam Carolus ille M. nunquam cælo deijciendus ſaxa & lapides Academiæ concinunt. Cæterum Patres Concilij Pariſini, quod imperante Ludouico Pio habitum eſt,* SCHOLAS PVBLICAS *authoritate Regia conſtitui, & quæ iam conſtitutæ fuerant, reſici petierunt, vt labor Patris veſtri (celeberrimi Conuentus interpolare verba*

mihi religio eſt) & veſter per incuriam quod abſit , labefactando non depereat : quoniam ex hoc facto & magna vtilitas & honor Dei Eccleſiæ & vobis magnum mercedis emolumentum & memoria ſempiterna accreſcet. Hactenus Concilium.

Ex his ergo manifeſtum eſt 1. mentionem hic fieri de Scholis maioribus ſeu Academiis & Vniuerſitatibus ; deque his tribus , Pariſienſi, Ticinenſi & Bononienſi , quas diximus fuiſſe à Carolo M. aut inſtitutas aut inſtauratas ; de his, inquam tribus, in tribus congruentiſſimis Imperij locis collocatis : niſi forte Oſnabrugenſem loco Bononienſis , de qua minus certum eſt, accenſeamus: Quod autem de Cœnobialibus aut Epiſcopalibus hic ſermo non ſit, patet maniſeſtiſſimè ; quia illas Carolus non in tribus Imperij locis, ſed vbique paſſim collocari voluit ad commoditatem & vtilitatem publicam Eccleſiæ, è quibus deinde ad Maiores & Publicas conuolari poſſet. Ideo enim videntur priuatæ illæ erectæ vbique , non tantùm vt plures in litteris inſtruerentur, ſed vt ibi rudimenta ponentes, accederent poſtea ad publicas iam informati : in quibus demum cumulatiſſimam omnigenarum ſcientiarum perfectionem reperirent & compararent : quemadmodum ſupra de minoribus & maioribus Monaſteriis retulimus. Itaque in toto Imperio tres publicæ ſufficiebant: at priuatæ longè plures requirebantur.

2. Patet quoque Carolum inſtituiſſe quidem 3. Scholas Publicas ſeu Vniuerſitates ; non tamen numeris omnibus, quia morte præuentus eſt , abſoluere potuiſſe. Pariſienſem forte voluit extra Palatium collocare, eique extruendæ Aulas quaſdam ſeu Auditoria publica deſignauit , quemadmodum Oxoniæ ab Alfredo Anglorum Rege factum legimus ſub finem huiuſce ſeculi. Itaque verba iſta *Scholæ Publicæ, fiant* videntur poſſe intelligi tam de ædificiis commodis extra palatium litterarum exercitio deputandis , quam de ipſomet Emporio publico litterarum. Item eſto Pariſienſis , quia in ſede Regni primaria conſtituta ſuis omnibus partibus , ſcholarum ſeu Cellularum diuiſione , profeſſionum varietate , Nationum diſtinctione & forma regiminis abſoluta fuerit; non ſic tamen forte cæteræ , Ticinenſis, Bononienſis aut Oſnabrugenſis , quibus præſens adeſſe non poterat , omni parte completæ fuerunt.

3. Liquet etiam ad ſcholas publicas erigendas opus eſſe authoritate Regia , ex his verbis ſcholæ publicæ *veſtra authoritate fiant*: ad quam ſcilicet pertinet concedere immunitates & Priuilegia , & conceſſa confirmare atque conſeruare, vtpote ſine quibus non poteſt ſtare Vniuerſitas: ſecus vero eſt de minoribus ſcholis ſeu priuatis , quarum curam & præfecturam habebant Epiſcopi & Monachi vt ante docuimus. Et hinc procul dubio factum eſt , vt Academiæ Pariſienſis Rector ſummus ſit ſcholarum pro Rege Præfectus : hincque Vicarium Regis Seruinus appellat : alij Muſarum & Lycæi publici Regem vocant ; qui ab Epiſcopo Pariſienſi nullatenus in ſua creatione, electione , adminiſtratione dependeat: immo quoſcunque Principes & Prælatos in fundo ſuo præcedat, vt alibi fuſius exponemus.

4. Denique neceſſe eſt tres illas ſcholas publicas fuiſſe à priuatis diſtinctas: alioquin quid opus fuiſſet illas inſtituere , cum in omnibus locis iam fuiſſent erectæ , earumque præfectura & cura Epiſcopis demandata ? Quid vero diſcriminis inter publicas illas & priuatas interceſſerit , quanquam ſupra docuimus, notat Claudius Falcetus in Carolo M. ad an. 784. aiens publicas ideo dictas , aut quia omnes artes & Diſciplinas complecterentur , aut quia omnibus indiſcriminatim paterent diſcere volentibus : quod quidem de Epiſcopalibus & Cœnobialibus aliiſve priuatas dici nequit, ad quas ſoli fere Clerici admittebantur : aut quæ certe non omnium Artium profeſſionem continebant. Placet huius viri verba referre: qui poſtquam de cantu Eccleſiaſtico per Carolum reformato, deque Profeſſoribus egit, quos Româ & ex Italia ſecum in Franciam adduxerat ad docendum vbique in Gallia litteras humaniores , ſubdit.

Car deuant luy pluſieurs cuident qu'il n'y auoit aucune eſtude en France. (Ie » croy que par le mot STVDIVM ils entendoient VNIVERSITE OV COLLEGE PVBLIC » D'ARTS LIBERAVX) & que les Monaſteres, ou Egliſes ſe contentoient d'a- » uoir des hommes de ſçauoir , qui inſtruiſoient la Ieuneſſe, poſſible de leur » Clergé , & liſoient aux plus auancez. Les Dignités de SCHOLASTIC , D'ES- »

» CHOLASTRE, ou MAISTRE D'ESCHOLE, & en Languedoc & Prouence ſe nom-
» me CAPISCHOL (c'eſt Chef d'Eſchole, qui eſt demeuré en aucunes Egliſes
» Cathedrales) m'en donnent le ſoupçon ; d'autant qu'ils en ont encore l'in-
» tendance ſur les Maiſtres des petites Eſcholes de l'A B C, & le Chancelier
» de l'Egliſe de Paris eſt celuy qui doctorize les Maiſtres de tous les Arts. Car
» ie n'oſe pas aſſeurer, qu'il n'y euſt point d'ESCHOLES PVBLIQVES, ou pour
» parler plus proprement, SECVLIERES, d'autant qu'il eſt certain, que du-
» rant l'Empire Romain, aux principales Villes des Gaules il y auoit des Le-
» cteurs Publics en langue Grecque & Latine. Mais il eſt croyable que depuis
» le rauage de tant de Nations Barbares, & l'occupation que les François en
» firent, la connoiſſance deſdites lettres & ſciences demeura aux Gaulois Ro-
» mains : leſquels moins employez aux armes & affaires d'Eſtat, pour le ſoup-
» çon que les victorieux auoient d'eux, ſe rendoient au Clergé, ainſi que
» i'ay dit, où ils auoient plus de moyen de s'aider des lettres & ſciences, pour
» enſeigner le Chriſtianiſme aux Nations Idolatres, qui leur auoient oſté le
» gouuernement de la Choſe Publique. De maniere que les gens d'Egliſe, que
» lors on appelloit CLERCS, eſtant preſque les ſeuls, qui entendiſſent les let-
» tres & ſciences, furent cauſe de les faire appeller CLERGIE & CLERCS, non
» ſeulement ceux qui s'en aydoient, & les pouuoient monſtrer aux autres,
» mais encore ceux qui ſcauoient ſeulement lire & peindre les lettres. Meſ-
» mes le mot D'VNIVERSITE', qui eſt donné au Corps des Docteurs ou Maiſtres
» qui enſeignent la Theologie, la Iuriſprudence, Medecine, Aſtrologie, Lo-
» gique & Gramaire, monſtre la difference qu'il y auoit entre les ESCHOLES
» PVBLIQVES ET VNIVERSELLES pour tous, & les PARTICVLIERES DES ABBAYES.
» Soit que ces PVBLIQVES euſſent pris leur nom pour eſtre vniuerſellement
» ouuertes à tous ; ou pource que toutes les Lettres & Sciences y fuſſent in-
» differemment & vniuerſellement monſtrées & enſeignées. Ce qui n'eſtoit pas
» aux ESCHOLES PRIVE'ES OV ECCLESIASQVES eſtablies, comme i'ay dit, pour
» les Clercs & gens deſtinez au ſeruice de l'Egliſe.

Præclarè certè hic Falcetus cauſam vaneſcentium in Gallia litterarum reiicit in Barbarorum inundantium feritatem & belluinos mores, qui ex Imperio Gallicano tam florenti alias, tamque omni ſcientiarum genere abundanti litteras hac ratione ſuſtulerunt, quod litteratos non amplius ad Dignitates Magiſtratuſque, ad quos ſolis illis ſub Ditione Romanorum patebant, promouerint. Qua de re etiam queritur Sidonius Apollinaris l. 8. ep. ad Ioannem *Iam remotis gradibus Dignitatum, per quas ſolebat vltimo à quoque ſummus quiſque diſcerni, ſolum erit poſthac nobilitatis indicium litteras noſſe.* Et l. 4. Ep. 22. ad Leonem Toloſatum profeſſorem. *Certè iam ſuper ſtudiis nulla laus cura, ſed ne poſthuma quidem : præcipuè gloriam nobis paruam ab Hiſtoria petere fixum, quia per homines Clericalis Officy temerario noſtra, inſtanter aliena, præterita infructuosè, præſentia ſemiplenè, turpiter falſa, periculosè vera dicuntur. Eſt enim huiuſmodi thema vel opus, in quo bonorum ſi facias mentionem, modica gratia paratur : ſi notabilium, maxima offenſa. Sic ſe illi protinus dictioni color ordoque ſatyricus admiſcet. Ilicet ſcriptio hiſtorica videtur Ordine à noſtro multum abhorrere, cuius inchoatio inuidia, continuatio labor, finis eſt odium. Sed tunc iſta proueniunt Clericis ſi aliquid dictetur authoribus, qui colubrinis oblatratorum molaribus fixi, ſi quid ſimpliciter edamus, inſani, ſi quid exactè, præſumptuoſi vocamur.* Sed de his ſatis.

Cæterum non eſt dubium, quin Ludouicus exemplum Patris ſequutus viros Doctos, eoſque præſertim qui in Scholis Publicis docebant, ſingulari fauore proſequeretur : quia & ipſe litteris à pueritia fuerat diligenter & optimè imbutus, vt teſtatur Theganus Chorepiſcopus Treuerenſis. *Ludouicus Pius*, inquit cap. 14. *Linguâ Græcâ & Latinâ valde eruditus, ſed Græcam magis intelligere poterat, quam loqui : latinam verò ſicut naturalem loqui poterat. Senſum verò in omnibus ſcripturis ſpiritalem & moralem, nec non & anagogen optime verò nouerat. Poëtica Carmina Gentilia quæ in iuuentute didicerat, reſpuit, nec legere, nec audire, nec docere voluit.* Quæ carmina? illa forte ſunt quæ Carolus pater emendarat. Quippe ille, vt legitur in Hiſtoria, ne vllum

populatitatis genus omittetet , barbara & anriquiſſima quædam poëmata emendauit , quibus priſcorum Regum Ducumque clariſſimorum res geſtæ celebrabantur, ac ediſcenda propoſuit ; vt refert Paulus Æmylius. Quænam autem erant vetuſta illa carmina & barbara ? forte Bardorum veterum , qui teſte Lucano , fortes animas belloque peremptas verſibus præclaris commendabant , quæ Carolus emendauit ; & iam non intellecta poſterioribus commentatione illuſtrauit , ſuiſque Academicis ediſcenda propoſuit.

Verum ab hocce tempote vſque ad Calui quietiora tempora magnam paſſæ ſunt litteræ iacturam cladem que proptet inteſtina bella coniurationeſque filiorum in patrem , & totius fere Nobiliratis Gallicanæ ab Imperatore ſuo defectionem. Cauſa coniurationis occulta hæc fuit , quod in Conuentu Wormatienſi Pius partiendo Imperium , Germaniam , Rhetiam & Burgundiæ partem Carolo Iuniori ex Iudirha ſuſcepto adſignaſſet , quodque Bernardum Barcinonenſem Comitem , Septimaniæ Ducem , Oræ Hiſpanicæ Præfectum , Iudithæ Imperatrici addictiſſimum , ſpretâ Regni Nobilitate , ſuis omnibus rebus tanquam ſupremum Miniſtrum præfeciſſet. Altera cauſa publica & infamis ad concitandam Imperatori inuidiam hæc erar , quod Iuditha cum Bernardo ſecretos amores exerceret , omniaque ad nutum moderarentur ambo , ſomniante intetim aut conniuente Imperarore , quaſi malis artibus faſcinato , vt qui ſolns tantum malum tamque publicam infamiam non videret.

Defectioni , quæ anno tandem 830. publicè erupit , magnum pondus attulerunt Hilduinus Abbas S. Dionyſij , Archicapellanus , ſummus ante Regni Moderator , nunc indignatus ſibi Bernardum anteponi : Ieſſe Ambianenſis Epiſcopus , qui regnante Carolo litterarum exercitium obierat in Scholis Palatinis , ab eoque ad Epiſcoparum promotus fuerat ; Vvala Corbeienſis Abbas , Ebbo Archimyſta Remenſis , Bernardus Viennenſis , Helias Tricaſſinus Pontifex : è Dynaſtis Hugo , Matfridus , Landbertus , Godofridi Pater & Filius , Richardus , Hugbertus , Bergaretus Venatorum Auguſtalium Præfectus & alij maioris in Regno authoritatis , qui Pipinum adoleſcentem adeuntes ad ſuas partes facile pertraxerunt iam ſatis ad defectionem inclinatum , demonſtrando abiectionem ſui , Bernatdi inſolentiam , Nobilitatis Gallicanæ depreſſionem & deſpectionem : quodque durius erat & indignius , paterni thori dehoneſtationem. 830.

Prius vidit Imperatot arma , quam ſenſit aduerſum ſe parari. Intellecta tamen defectione , Francicæ Nobilitatis Proceres , Germanos , Saxonas , & Bauaros in auxilium aduocat , inrer cæteros verò Robertum Witikindi Saxoniæ olim Ducis filium (qui deinde pater fuit Roberti & Odonis Regum aut ſaltem Proregum Franciæ & Origo Gentis Capetianæ , à qua tandem Pipina è Francico throno deiecta eſt) virum fortem & ad arma promptum. Hinc vulnus recrudeſcit : hinc pertinacior , quàm ante Nobilium coniuratio , perfidiam ſibi exprobrati moleſtè ferentium , exteroſque in Bellicæ rei adminiſtratione præferri. Imprimis verò Imperator Defectionis prætextum amouere cupiens , Bernardum fugam capeſſere ſinit ; Iudirham vxorem Lauduni in Monaſterio S. Mariæ conſiſtere & morari iubet , ipſe vero Compendium petit. At Pipinus inceptum vrgens miſſis Landberto , Guarino & quibuſdam aliis Ducibus cum forti Armatorum manu Imperatricem ad ſe adduci curat , quam intentatâ mortis pœnâ adigit polliceri ſe velum ſanctimoniale aſſumpturam , Imperatorique perſuaſuram , vt ipſe quoque Monachum indueret. Quo facto ad Imperatorem remittit. Imperator tempori ſeruiendum tatus , de velo nihil cunctatur : at tonderi non patitur , donec ea de re maturius deliberaſſet. Pipinus moræ impatiens Imperatricem reportari , & in Monaſterium S. Radegundis tetrudi iubet : Patrem verò in S. Medardi Sueſſionenſis cœnobio recludit appoſitis cuſtodibus.

Biennium & amplius in hacce rerum confuſione elabitur. Imperator cunctando cuncta reſtiruere conatut : Coniuratis inrerim omnia poſſidentibus. 831.
Lotharius Imperij conſors partim Patri fauet , partim etiam probat , quæ contra Imperatricem facta fuerant. Plurimum tamen momentum affert ad pacem quouis modo paciſcendam. Verentut enim Coniurati , ne ſi cum Pio vires cou-

Digitized by Google

iungat, ſuſtinendo vtrique non ſint pares. Præterea miſerabilis quæ tum erat Franciæ facies, multorum impatientia, bonorum commiſeratio, Regis afflicta fortuna plebem mouens timorem auget, ne fortunæ vices aduerſæ recurrant.

832. Igitur an. 832. pax qualitercunque componitur. Imperator Iuditham è cœnobio in Aulam reuocat: Reis vitam indulget. Exilio tamen aliquos, alios bonorum iactura mulctat: ſed vt erat bonus & facilis, paulo poſt in integrum reſtituit. Verum Pipinus Aquitaniæ Rex leuis & inconſtantis indolis rurſus noua moliri cœpit. Nec à patre captus & ſub cuſtodiam datus reſipiſcit: quippe dum minus arctè cuſtoditur, fuga libertati conſulit, regnoque Francico & Imperio cladem parat, fratres in coniurationem adducit incentore malorum Gombaldo quodam Monacho, qui Bernardum ab Imperatore reſtitutum & ab exilio reuocatum ægre ferens, propterea quod primas in Regni adminiſtratione partes affectabat, omnes communi concordiæ & conſpirationis vinculo colligat. Cauſa belli viſa legitima: prona nempe nimis Ludouici in Carolum, quem Caluum vocabimus, voluntas: & Regimen Francicum, auitum & hæreditarium fere totum cum Aquitania, vnde Pipinum propter periuria expulerat, pro parte paternæ ſucceſſionis aſſignatum.

833. Igitur anno tandem 833 eruperunt filij omnes in apertum bellum. Hinc & inde ingentes exercitus collecti. Denique in Wormatiæ campos ventum eſt. Vbi Gregorius Papa, qui ab vtraque parte rogatus illuc venerat, dum vltro citroque commeat, animorum ardorem paulum demitigat: at dum dies die truditur & in negotiationibus tempus teritur, illi qui Pio fidem iurauerant, ſpe illecti & muneribus corrupti ad Filiorum partes transfugiunt, deſertumque, patrem illorum poteſtati & arbitrio permittunt. Vnde hic campus ad perpetuam infamiam Campvs Sceleratvs ſeu Campvs Mendacii vocatus eſt. Pater ergo deditur filiis, Imperator, ſubditis. Iuditha vxor in Caſtra Ludouici Baioariæ Regis ducitur, & inde in Italiam relegatur. Auguſtus cum Carolo Iuniore ad Lotharium. Hic patrem Sueſſione in Cœnobio Sam-medardenſi ſub arctiſſima cuſtodia recondit. Carolum Prumienſi apud Treueros commendat, nec tamen tonderi iubet.

Calendis deinde octobris Comitia habet Compendij, ibique patrem pullâ indutum veſte, depoſitis armis & inſignibus Imperatoriis, vt reum Epiſcopali ſententia per Ebbonem Archiepiſcopum Remenſem damnat, Imperio inhabilem declarat, atque ita exutum in cœnobium retrudit. Hiematurus deinde Aquiſgrani ſecum ducit. At facinus tam indignum tamque immite diſplicere cœpit Ludouico Baioariæ, & ipſi etiam Pipino Aquitaniæ Regibus, Lotharii fratribus, gliſcente in animos eorum inuidia, quod Lotharius interim opes augeret ſolus, ſeque omnibus metuendum formidabilemque præſtaret. Mouet quoque ad commiſerationem plurimos Franciæ proceres afflicta Pij fortuna ſtatuſque calamitoſus. Hincque arma parantur.

834. Veritus ergo Lotharius vicinas Ludouici Bauari copias, patrem reducit in Franciam & Pariſiis cunctos Fideles ſibi obuios eſſe præcipit an. 834. recluſo interim apud San-Dionyſianum Cœnobium Auguſto. Verum plurimi Proceres ducibus Egrardo ſeu Eggebardo aut Agobardo Comite & Vvilielmo Comite ſtabuli, Guarino & Bernardo: item ex alia parte Ludouicus ex Bauaria, Pipinus ex Aquitania aduenientes, pugnaturi pro libertate patris veniſſent ad manus, niſi bonus Imperator eos à certamine retardaſſet. Lotharius imparem ſe tot viribus copiiſque coniunctis ſentiens, relictâ Lutetiâ & quibuſdam commiſſâ Ducibus in Burgundiam ſe recipit. At breui poſt eius receſſum Auguſtus è Cœnobio San-Dionyſiano retrahitur, reſtituitur in integrum, Imperatoria Paludamenta reſumit, Imperiique clauum retractat. Iuditha & Carolus liberantur, & à Rothaldo Epiſcopo Sueſſionenſi & Bonifacio Comite reducuntur. Non ante tamen ſacras Infulas reſumere voluit Pius Imperator, quàm Epiſcopali miniſterio fuit reconciliatus, armiſque recinctus, baltheo & cingulo militari, quibus per ipſos Epiſcopos exutus fuerat. *In qua re*, inquit Anonymus ex Ademato, *tanta exultatio populi excreuit, vt etiam ipſa elementa viderentur iniuriam patienti compati, & releuato congratulari.*

Huiuſce deteſtandæ coniurationis præcipuus incentor authorque fuit Ebbo Remenſis

Remenſis Archipræſul, quem ex Originalium ſeruorum fœce Germanica ad ſummas regni Dignitates, vt Conſcholarem & Collactaneum ſuum prouexerat Pius Imperator. Rem verò cum indignatione ſic deſcribit Theganus Chorepiſcopus Treuirenſis, miſerabilis illius tragediæ ſpectator. Poſtquam enim dixit omnes Epiſcopos, eos verò maximè qui ex ſeruili conditione educti fuerant, moleſtos fuiſſe ſuo Imperatori, ſubiungit. *Elegerunt tunc vnum impudicum & crudeliſſimum, qui dicebatur Ebbo Remenſis Epiſcopus, qui erat ex Originalium ſeruorum ſtirpe, vt eum immaniter afflixiſſet cum confinitionibus cæterorum inaudita locuti ſunt, inaudita fecerunt quotidie improperantes ei, abſtulerunt ei gladium de femore ſuo, iudicio ſeruorum ſuorum induentes eum cilicio. Tunc impletum eſt eloquium Ieremiæ Prophetæ dicentis,* SERVI DOMINATI SVNT NOSTRI: *O qualem remunerationem reddidiſti ei! fecit te liberum, non nobilem, quod impoſſibile eſt, poſt libertatem. Veſtiuit te purpura & pallio, & tu eum induiſti cilicio. Ille pertraxit te immeritum ad culmen Pontificale. Tu eum falſo iudicio voluiſti expellere à ſolio patrum ſuorum. Crudelis! cur non intellexiſti præcepta Domini,* NON EST SERVVS SVPRA DOMINVM SVVM... *O Domine Ieſu, vbi erat Angelus tuus, qui omnia primogenita Ægypti vnâ nocte deleuit? & ille qui in caſtris Aſſyriorum ſub Sennacherib Rege iniquo centum octoginta quinque millia perfidorum extinxit teſtante Eſaia Propheta? aut ille qui Herodem iuuenem concionantem percuſſit, & ſtatim ſcatere cœpit vermibus? Et tu terra quæ eum ſuſtinuiſti illo tempore, quare non aperuiſti os tuum vt deuorares eum, ſicut iam olim feciſti Dathan & Abiron?* Hæc & plura eodem ſpiritu Theganus. Eandem quoque Principis calamitatem & facti indignitatem exaggerarunt plures viri Docti, tum Pariſienſes & Galli, tum Germani.

Atque vt Ebbo fuit Imperatori ſuo inſigniter periurus, contra Rodbernus ob eximiam fidem quam illi & Iudithæ Imperatrici ſeruauit, vehementer prædicari meruit: dici enim non poteſt, quantis ille ſe laboribus & periculis expoſuerit, vt illis opem afferre poſſet, quoties ab Imperatore ad Iuditham, & à Iuditha ad Imperatorem per inuia, perque vaſtas ſolitudines redierit. Placet ea referre quæ de eo præclaris verſibus commendauit Walafridus Strabo Rabani Diſcipulus inſignis Poëta illorum temporum.

Quis numerabit enim quantos perſæpe labores
Suſtuleris? quantiſque tuam, Rodberne, periclis
Credideris vitam, Dominorum damna gemendo?
Dum fraus ſæua Pium premeret ſibi noxia Regem
Reginamque humilem Ligurum clauſiſſet in vrbem,
In manibus poſuiſti animam, nec grande putabas
Exitium, caſuſque tui diſcrimina, ſi quem
Moliri poſſes iuris pro parte vigorem.
Quando horum cantâ mecum ſub mente recordor,
Miror, & in lachrymas commoto pectore ſoluor:
Et quantum accipio, Domini ſolatia vires
Has tribuiſſe tibi certo pro munere credo.
Heu quibus inſidiis arctiſſima ſepta viarum
Alpibus in mediis ſolers cuſtodia cinxit?
Quanta per ingentes fluuiorum anguſtia curſus
Terruit, & quoties trepidum tenuêre latebræ?
Pauperies preſſit, præſens metus, omnia dura.
Nullum tempus erat ſecuro munere plenum.
Nox obſcura diem, noctem lux ipſa tenebat.
Nulla domo campóue quies, timor vndique pulſans,
Sola fides rectíque ſibi mens conſcia tantum
Suaſit opus, docuitque aliquam ſperare ſalutem.
Cætera ſed nimio errore pericla furenti
Sæuitiæ ceſſère hominum, quâ ſæpe coactus
Commutaſti habitum, famulíque vice apta per artem
Seruitia expleſti ſupplex & mille gerebas
Ingeniis, quod præcipuâ virtute nequires.
Sed mens plena fide, nullo defeſſa labore

Non ante aſſumptum, quia vim formidinis vnus
Deſeruit, requiemque habuit quam prima potentum
Corda per Heſperiam ſcriptis verboque coëgit
Sacrilegum genuiſſe nefas. His deinde peractum eſt
Conſiliis, vt feſſa diu & compreſſa malorum
Ponderibus Regina, feris deducta tenebris
Non ſine honore foret, tandemque occultus & arte
Vſus adumbratâ veniſti, & dulcia coram
Suſcipiens mandata, pio celer ipſe libenſque.
Cæſari, & adiunctis portaſti primus amicis.
Nec minus illud iter recidiuo horrore moleſtum
Inſidiiſque doliſque tibi fuit vndique plenum,
Cumanum quando arte lacum Cuſtodia niſa eſt
Præcluſiſſe tibi. Domini ſed dextra ſecundos
Immittens ventos inimico à littore vexit.
Rurſus in aëriis nimium vis Alpibus altas
Fecit habere moras requiei inamabile tempus.
Has quoque decutiens ſtudiis iniuncta benignis
Nuncia ſollicito retuliſti ex ordine Regi.
His tibi pro cauſis & tam felicibus, inquam,
Auſibus ille redux Rex & Regina ſoluta,
Et cuncti pariter plenâ pietate fideles
Altius adſcribent laudes & nomen honeſtum....
Ergo age fer Domino grates & munera laudum
Iuſtitiamque ſimul Dominorum attende merentum
Triſtia deſerere & rurſus in læta redire.
Nam quid erat mæſto tam deſperabile Regno,
Quàm ſua depoſitis iteratò poſſe venire
Sceptra, ſtatumque illos adipiſci poſſe priorem?

Hæc vit Principi ſuo fidelis præſtitit. Perfidi verò & periuri alij alio fugerunt: & vno fere anno omnes Epiſcopi tanti ſceleris aut Authores, aut Participes perierunt: imò qui ſequuntur à Kalendis Septembribus ad Martinalia è vita exceſſerunt, Ieſſe Ambianenſis Epiſcopus, Helias Tricaſſinus, Vvala Corbeïenſis Abbas, Matfridus, Hugo, Landbertus, Gotofridus vterque pater & filius, Albertus Comes Pertenſis, Burgarethus. Ebbo è fuga & latebris retractus vitam duxit longiorem, ſed miſeriorem.

835. Anno enim 835. apud Theodonis-Villam Synodo 43. Epiſcoporum ſiſtitur proximis ante Quadrageſimam diebus, vbi accuſatus & conuictus vltro in abdi-
Ebbonis Depoſitio. cationem Archiepiſcopatus conſentit his verbis apud Flodoardum l. 2. Hiſtor.

EGO EBBO indignus Epiſcopus recognoſcens fragilitatem meam & pondera peccatorum meorum, teſtes Confeſſores meos, Aiulphum videlicet Archiepiſcopum & Badaradum Epiſcopum, nec non & Modoinum Epiſcopum conſtitui mihi Iudices delictorum meorum, & puram ipſis Confeßionem dedi, quærens remedium pœnitendi & ſalutem animæ meæ, vt recederem ab Officio & Miniſterio Pontificali, quo me recognoſco eſſe indignum, alienum me reddens pro reatibus meis, in quibus peccaſſe ſecretò ipſis confeſſus ſum. Eo ſcilicet modo vt ipſi ſint teſtes alium ſuccedendi & conſecrandi ſubrogandique in loco meo, qui dignè praeſſe & prodeſſe poßit Eccleſiæ, cui hactenus indignus præfui. Et vt inde vltra nullam repetitionem aut interpellationem authoritate Canonica facere valeam, manu propria mea ſubſcribens firmaui. EBBO QVONDAM EPISCOPVS SVBSCRIPSI.

Idem inſtrumentum ſubſignarunt ſex Epiſcopi, quod à Iona Aurelianenſi traditum Heliæ Notario, qui libellum Ebbonis ſcripſerat: atque ille annum appoſuit nempe 835. & 21. Imperij Ludouici. His ita factis Ebbo ſpontaneum ſibi exilium indicit vltra montes. At mortuo Imperatore an. 840. Vvormaciam ad Lotharium ſe contulit; à quo priſtinæ ſedi reſtitutus eſt: vt ad eum annum dicetur. Interim Eccleſiæ Remenſis regimen à Synodo commiſſum eſt Fulconi Preſbytero, eidemque libellus Ebbonis traditus ad reponendum in ſcrinio eiuſdem Eccleſiæ.

Anno 838. Ludouicus Auguſtus morti ſe propinquum auguratus, Iudithæ coniugis precibus inductus Imperij Regnique Gallicani partes filiis ſuis aſſignauit: ne ſe defuncto in noua diſſidia ab adulatoribus mergerentur: Lothario iam Imperatori conſecrato Partem Imperij cum Italia: Ludouico Bauariam, vt ante obtinebat: Pipino Aquitaniam: Carolo Caluo Iuniori Franciam ſub tutela Lotharij. Quæ partium Imperij diuiſio non placuit maioribus natu filiis: quippe iniquum reputantibus, vt Francia quæ pars opimior erat & honorificentior, iuniori daretur. Compoſuit tamen animos ad pacem vt potuit parens, & Francorum Proceres Carolo fidem præſtare iuſſit: quam nomine Pariſienſis ciuitatis præſtiterunt Hilduinus & Gerardus Comes præſente Pipino Aquitaniæ Rege ſocordis tardique ingenij viro. Quo paulo poſt reditum in Aquitaniam defuncto relictis duobus filiis Pipino & Carolo, Auguſtus Caluo adiecit Aquitaniam, vnde noua eſt exorta materia belli. Aquitani enim reſpuentes Regem non apud ſe natum, Pipinum Pipini filium Rebus ſuis præficiunt. Non patitur Auguſtus, arma contra eos mouet, & nepotem in Germaniam mittit, ac Drogoni Mediomatricum Pontifici viro docto educandum commendat. 838.

Anno 840. obiit Imperator Ludouicus 12. Kal. Iulii ætatis an 64. ſepultuſque eſt Metis in Baſilica S. Arnulfi: & funus eius exequialemque pompam curauit ſolemniter celebrari Drogo Archiepiſcopus Metenſis, Caroli M. ex pellice filius, eiuſque tumulo hoc epitaphium inſculptum. 840.

Imperij fulmen, Francorum nobile culmen,
Erutus à ſeclo clauditur hoc tumulo.
Rex Lodouicus pietatis tantus amicus,
Quod Pius à populo dicitur & titulo.
Hildegard ſoboles, Karoli Magni pia proles,
In pacis metas colligit hunc pietas.
Rumelicum villam quidquidve refertur ad illam,
Arnulfo ſancto contulit, huicque loco.
Stirps à quo Procerum Regumque vel Imperatorum,
Quorum muneribus ſiſtitur iſte locus.

Poſt mortem Patris fraterna bella ruſus exardent. Lotharius ex Italia cum ingenti exercitu in Franciam properat, & vulpinum animum gerens dum aliud ſimulat, Carolum fratrem ex auito & à patre ſibi relicto Regno deturbare tentat. Verum ille adiuncto ſibi Ludouico Baioario altero è fratribus Lotharium expellit. Neceſſitas tandem ad pacem compellit. Quippe irruentes Normani & omnia ferro flammiſque vaſtantes omnibus terris exitium minitabantur. Furoris Normanici ſœpe & diu Francia theatrum fuit, quæ niſi optimum & generoſum Principem tum nacta fuiſſet, de ea actum erat. Et quia Lutetia ſedes erat Regni primaria, cuius poſſeſſio Regnum polliceri videbatur, eam pertinaciter occupare contenderunt, ſed ſemper incaſſum. Deſæuit tantummodo eorum rabies in ſuburbia agroſque vicinos atque in alias Regni vrbes. Omnia tamen bella feliciter confecit Carolus, nec illi quandiu regnauit, in Francia ſedem ponere potuerunt.

Hæc autem inter, quis locus eſſe potuit Muſarum exercitio? & vnde Iuuenes Lutetiam confluere potuerunt aut eſſe ſecuri tot inter procellas animorum & armorum fragores? Itaque mirum non eſt, ſi deferbuit aliquantum ardor litterarum, viſæque aliquandiu Muſæ obmuteſcere dum bella fremuerunt. Quanquam & alia fuit ignauiæ cauſa in contentione ſtudiorum: nempe ſuperbia, vanitas, libidines, inſolentia nonullorum, qui quod litteratiores eſſent, & ab Imperatore e fœce & ſordibus ad ſummas dignitates promoti fuiſſent, cæteros contemptui habebant, à cæteris etiam odio habiti. Tales plerique eorum fuerunt, quos diximus cauſas fuiſſe bellorum ciuilium incentoreſque ſeditionum. Hinc Theganus Ludouicum quidem laudat, quod omnia prudenter & cautè, nihil indiſcretè egerit: in hoc vero damnat, quod Conſiliariis eiuſmodi nimis crederet, quos è viliſſimâ ſeruitute eduxerat. Quia iam dudum, inquit, peſſima illa conſuetudo erat, vt ex viliſſimis ſeruis ſummi Pontifices ſumerētur, & hoc non prohibuit: quod tamen maximum eſt malum in populo Chriſtiano, ſicut teſtatur Regū Hiſtoria de Ieroboam filio Nabath, qui erat ſeruus Regis Salomonis, & poſt eum principatum habebat ſuper decem tribus filiorum Iſrael. Refert enim ſcriptu-

Clades litterarum.

» ra de eo in hæc verba. Non eſt reuerſus Ieroboam de via ſua peſſima, ſed è contrario fecit de nouiſſimis populi ſacerdotes excelſorum. Et propter hanc cauſam peccauit Domus Ieroboam & euerſa eſt & deleta eſt de ſuperficie terræ. Poſtquam tales culmen accipiunt, nunquam ſunt ſicut antea manſueti & ſic domeſtici, vt non incipiant eſſe iracundi, rixoſi, maliloqui, obſtinati, iniurioſi, & minas omnibus ſubiectis promittentes, & per huiuſmodi negotia cupiunt ab hominibus timeri & laudari. Turpiſſimam cognationem eorum à iugo debitæ ſeruitutis nituntur eripere & libertatem imponere. TVNC ALIQVOS EORVM LIBERALIBVS STVDIIS inſtituunt, alios nobilibus fœminis coniungunt, & propinquas eorum filios Nobilium cogunt accipere. Nullus cum eis æquanimiter venire poteſt, niſi hi ſoli qui talem coniunctionem habent: cæteri vero cum maxima triſtitia gemendo, flendo ducunt dies ſuos: propinqui autem ſupradictorum poſtquam aliud intelligunt, ſenes nobiles derident atque deſpiciunt: ſunt elati inſtabiles, inuerecundi.... Propinqui eorum poſtquam aliud intelligunt, quod maximum eſt periculum dantibus & accipientibus, ad ſacrum Ordinem pertrahuntur. Et licet aliqui ſint periti, tamen ſuperat eorum Doctrinam criminum multitudo.

Hinc igitur irrepſit quædam indignatio vulgi nobiliumque etiam ipſorum aduerſus eiuſmodi litteratos, maximè propter Ebbonem illum Remenſem tot malorum authorem, qui quia plurimum in litteris profecerat earumque ope ad ſummas dignitates emerſerat, ſuperbiâ elatus & ſcientiarum tumore inflatus nobiles deſpiciebat, plebem calcabat, nouis rebus ſtudebat, denique indignabatur & fremebat ſi quem ſibi præferri videbat.

Accedebat alia cauſa odij communis in litteratos, quod eorum aliqui vitiis indulgerent, nihiloque meliores, imo ſæpe peiores eſſent indoctis & illiteratis hominibus: vnde factum, vt plerique à colendis muſis abſiſterent. Qua de re ſic Lupus Ferrarienſis apud Eginhartum Ep. 1. *Amor litterarum*, inquit, *ab ipſo fere initio pueritiæ mihi eſt innatus, nec earum vt nunc à pleriſque vocantur, ſuperſtitioſa otia faſtidio ſunt. Et niſi interceſſiſſet inopia Præceptorum & longo ſitu collapſa priorum ſtudia pæne interiſſent, largiente Domino meæ auiditati ſatisfacere forſan potuiſſem. Si quidem veſtra memoria perfamoſiſſimum Imperatorem Carolum cui litteræ eo vſque deferre debent, vt æternam ei parent memoriam, cœpta reuocari aliquantum quidem extulere caput, ſatiſque conſtitit veritate ſubnixum præclarum Ciceronis dictum* HONOS ALIT ARTES ET ACCENDVNTVR OMNES AD STVDIA GLORIA. *Nunc oneri ſunt, qui aliquid diſcere affectant, & velut in edito ſitos loco ſtudioſos quoſque imperiti vulgo aſpectantes, ſiquid in eis culpæ deprehenderint, id non humano vitio, ſed qualitati Diſciplinarum aſſignant. Ita dum alij dignam ſapientiæ palmam non capiunt, alij famam verentur indignam, à tam preclaro opere deſtiterunt.*

Itaque plurimi diſcendi amore ducti relictâ Franciâ, quæ longo tempore theatrum fuit furoris bellici, proficiſcebantur in Germaniam, vt ibi quietius litteris vacarent, præſertim vero ad Fuldenſe Cœnobium, vbi tum Rabanus etiam Abbas factus docebat & doceri curabat. Id innuit Lupus Ep. 20. ad Althuinum. *Reuerſus à trans-Rhenanis partibus, vbi ſtatum loci noſtri deprehendi, iam pæne ſtomachor quoniam non ſcripſiſti, quid Probus noſter exerceat: ſcilicet vtrum in ſaltu Germaniæ Diſciplinas Liberales, vt ſerio dicere ſolitus erat, ordine currat: an certe inchoatam Satyram, quod magis exiſtimo, ſtruens, Ciceronem, Virgilium cæteroſque opinione eius probatiſſimos viros in electorum collegium admittat.*

Ep. vero 34. ad eundem Althuinum queritur, quod pœne obſoleta eſſent in Francia ſtudia ob Magiſtrorum imperitiam, librorum inopiam & tumultus bellicos, adeo vt Muſæ quietem & otia neceſſaria non haberent. *Si tanta facilitate*, inquit, *diſcuti poſſent à quoquam, quantâ mouentur quæſtiones, olim ad conſummatam ſtudioſi quique ſapientiam euaſiſſent. Nunc litterarum ſtudiis pæne obſoletis, quotus quiſque inueniri poſſit, qui de Magiſtrorum imperitia, librorum penuria, otij denique inopia merito non queratur.*

Quanquam autem Lupus hæc oratorio more paulo magis quàm veritas patiatur, exaggeret, certumque ſit ex iis quæ ſupra relata ſunt Ludouicum Auguſtum non minorem erga litteras amorem quàm Carolum ipſum Academiæ inſtitutorem præſetuliſſe, valde tamen credibile eſt propter

Digitized by Google

bella Ciuilia & propter alias cauſas quas retulimus, plurimum decreuiſſe & defloruiſſe ſplendorem litterarum; ad quem reducendum Ionas Aurelianenſis Carolum Caluum hortatur, propoſito Patris exemplo, qui in id quantum potuerat, initio incubuerat, ſuadetque hac via incedendum eſſe, ſi velit nominis immortalitatem comparare. Sic autem ille in præfatione lib. 1. de Cultu Imag. *Quantum Dominus noſter glorioſiſſimus Genitor veſter Deo dilectus Ludouicus Cæſar Religioſiſſimus in fidei ſinceritate, totius bonitatis virtute, proborum morum claritudine, ſapientiæ ac ſanctitatis dote, diuinique amoris ac timoris feruore extiterit; quantumque Eccleſiam Chriſti pretioſo ſanguine redemptam ſuoque regimini Diuinitus commiſſam morem Patris ſui, videlicet Pij & Omonymi Aui tui Caroli nobiliſſimi Auguſti imitans, imò ſupergrediens* Disciplinis Liberalivm Artivm *educauerit, & vtriuſque teſtamenti ſancti paginis, atque eximiorum Patrum dictis ad propellenda Hæreticorum dogmata venenata & inſtruxerit & inſtrui fecerit, cunctis Apoſtolicæ fidei filiis perſpicuum eſſe non ambigitur.*

Hiſce temporibus agitabatur Quæſtio de Partu B. Virginis, an ſcilicet Chriſtum more modoque cæterarum matrum enixa eſſet per vuluam, an diuino & extraordinario, inapertâ vuluâ. Quæ quidem Quæſtio in Scholis Germanicis primùm agitari cœpit, deinde in Franciam tranſiit, nec ſine æſtu animorum & calore de ea diſputatum eſt. Extat in hanc rem Ratramni Corbeienſis Monachi liber de Natiuitate Chriſti, in quo probat eum vt cæteros natum fuiſſe & naſci debuiſſe. In cap. autem 1. ſic ſcribit. *Fama eſt & quorumdam non contemnendâ cognouimus relatione, quod per Germaniæ partes ſerpens antiquus perfidiæ noua venena diffundat, & Catholicam ſuper Natiuitate Saluatoris fidem neſcio qua fraudis ſubtilitate ſubuertere molitur, dogmatizans Chriſti infantiam per Virginalis ianuam vuluæ, humanæ Natiuitatis verum non habuiſſe ortum, ſed monſtruosè de ſecreto ventris, incerto tramite luminis in auras exiſſe. Quod non eſt naſci, ſed erumpi: Quod enim vias vteri naſcendo non eſt ſecutum, ſed quacumque verſum, tanquam per parietem domus erupit, non iure natum eſſe, ſed violenter egreſſum. Iam ergo nec verè natus Chriſtus, nec verè genuit Maria.*

De Partu B.Virginis.

Et cap. 2. *Sed quæſo cur refugis adſcribere Chriſto Naturalem Virginalis portæ progreſſum? propterea, inquit, quoniam ſi vteri portam exiuit, non eſt Virginis integritas intemerata. Equidem per quemcumque locum fuerit egreſſus, conſequenter ſecundum tuam ſententiam integritas eſt violata: ſi enim Saluatoris ortus viam naturæ neceſſario fuerat corrupturus, neceſſario quoque quacumque exiuit, ſiue per latus, ſiue per ventrem, ſiue per renes, ſiue per ſuperiores inferioreſue corporis partes non abſque integritatis damno proceſſit. Abſit vero Catholicis ſenſibus, vt Natiuitas, per quam reſtaurata fuit corrupta, quod corruperit, integra credatur.*

Contrariam ſententiam tenuit Paſchaſius Ratbertus Corbejenſis Abbas, vir iſtis temporibus inter doctiſſimos habitus, tomoſque duos edidit de partu B. Mariæ Virginis, quos Abatiſſæ & Sanctimonialibus Sueſſionenſibus dedicauit, his verbis eas compellans, *Quæſtionem*, Chariſſimæ, *de partu B. Mariæ Virginis mihi nuper allatam vobis perſoluere decreui, quoniam vos eam plurimum amare non ambigo: vt ex hoc ſciatis, quantum vos diligam, longe diu à puero veſter alumnus, multo iam ſenio confectus.*

Vehementer verò inuehitur in quoſdam cœnobij ſui fratres, qui naturalem naſcendi modum Chriſto affingebant. *Nunc*, inquit, *quia quorundam fratrum rurſus impudica quaſi percunctando laborat temeritas, decreui ad vos, Matronæ Chriſti de his ſcribere, quæ ipſi curioſius contra eius pudicitiam conantur explorare. Dicunt enim non aliter B. Virginem Mariam parere potuiſſe, neque aliter debuiſſe, quàm communi lege naturæ: & ſicut mos eſt omnium fœminarum, vt vera Natiuitas Chriſti dici poſſit: aliàs autem inquiunt, ſi non ita natus eſt, vt cæteri naſcuntur infantes, vera natiuitas non eſt, & ideo ne phantaſma putetur, aut ne ſicut aqua per aluum tranſiſſe, ita per vterum Virginis abſque naſcentis ordine credatur natus, pium eſt ſentire ſic cum lege naturæ natum fuiſſe, quomodo naſcuntur cæteri infantes: & eam ſic peperiſſe ſicut reliquæ pariunt Mulieres. O cæca pietas quæ tam impiè ſentit de Maria Virgine!*

Hæc tandem Quæſtio in cœnobiis orta ita omnium Catholicorum animos offendit, vt non vltra progreſſa fuiſſe videatur, conſtanſque ſemper in Eccleſia hæc ſententia eſt, B. Virginem modo ſupernaturali concepiſſe & peperiſſe.

841. Anno 841. Carolus Caluus à Lothario prope è Francico Regno deturbatur: ab eodemque Lothario Ebbo Remenſem ſedem Imperiali Edicto recuperat, quod legitur apud Flodoardum l. 2. c. vltimo. Huicce reſtitutioni ſubſcripſerunt 20. Epiſcopi, plures Preſbyteri & Diaconi. Et hoc Edicto munitus Ebbo ſedem priſtinam repetit poſt ſex annos ſuæ depoſitionis, tenetque per annum aut circiter, Ordinationes celebrat, Clericos ordinat, & cætera munia Epiſcopalia obit. Quæ res deinde occaſionem dedit Theologis diſputandi, an ordinationes illæ legitimæ eſſent, & an Clerici per Ebbonem ordinati iterum ordinari deberent. Certè tum Epiſcopi Gallicani reſtitutioni eiuſmodi obſtiterunt, aientes Ebbonem à ſe ipſo atque à 43. Epiſcopis in Synodo apud Theodoniſuillam habitâ damnatum, non poſſe à minori numero reſtitui; ac proinde irrita eſſe, quæcumque faceret non legitime reſtitutus. Qua de re ſic Flodoardus. *Cui reſtitutioni præfata, quæ Sueſſionis habita eſt, contradixit Synodus, aſſerens quod damnatus à ſe, atque à 43. Epiſcopis, à minori numero non præualuit.*

842. Verum anno ſequente qui fuit 842. victo Lothario in agro Antiſſiodorenſi ad villam quæ dicebatur Fontanedum, Ebbo Calui iuſtam iram veritus iterum ſedem quam malè recuperauerat, deſeruit; nec à Caluo deinceps, nec à Papa reſtitutionem obtinere potuit. Eo igitur anno in conflictu Ciuili & fraterno opes Francicæ omnino conciderunt: quippe Carolus aduocato Ludouico è Bauaria abſentis Lotharij copias ſuperauit quidem, ſed tam cruento prælio tamque funeſtâ victoriâ, vt centena virorum millia cecidiſſe perhibeantur. Parumque tum abfuit, quin Francia Lothario omnino cederet fatiſcentibus Francis & prope animum & arma abiicientibus, cum auditum eſt Carolum quoque interfectum: ſed præter ſpem è mediis hoſtium globis erumpens animos ſuis reddidit & victoriam. Is quoque rumor Regis interfecti ſtatim vrbes vicinas occupauit, & timore corripuit: contrarius deinde omnium plauſus excitauit. Hac de re Lupus Ferrarienſis Ep. 33. *Præcellentiſſime Domine, & ſi dicere audeam, amantiſſime, auditâ nuper ſtatus veſtri aduerſitate ineffabili dolore diſtabui. Namque mecum reputabam veſtræ nobilitatis indolem, quam cupio ætatis maturitate ac ſapientiæ grauitate conſummari, nimis immaturè nobis ablatam. Id quia irrecuperabile videbatur, quoniam id conſtanter fallax fama iactaret, totum me cum fratribus qui mecum Deo ſeruire ſatagunt, ad impetrandam ſalutem animæ veſtræ contuleram. Cui vehementer timebam quorundam non ſatis Deum timentium perſuaſionem obeſſe. Verum quoniam ſoſpitate veſtra donati ſumus, incredibili gaudio repleti ſincerâ fide Maieſtatem veſtræ Celſitudinis admonemus, vt omnipotenti Deo nobiſcum gratias habeatis.*

Ad hunc annum referunt aliqui hiſtoriam ſeu potius fabulam Ianæ Anglicæ Papiſſæ, quam aiunt ſedem Pontificiam tenuiſſe per biennium cum quinque menſibus & diebus tribus, nomenque Ioannis VIII. aſſumpſiſſe. Commemorant verò illam cum ſacerdote quodam Anglicano verſatam Moguntiæ & è Cœnobio Fuldenſi, vbi aliquandiu bonis Artibus inſtructa fuerat, ductam Athenas ea demum litterarum laude floruiſſe, vt Romam regreſſa Pontificatum obtinuerit; ſed tandem conceptum ex ſcortatione fœtum enixam publicè, partúſque doloribus in ſolemni proceſſione extinctam occubuiſſe, cum biennium & vltra orbi Chriſtiano turpiter illuſiſſet. Huius fabulæ authores primi vulgò feruntur fuiſſe Radulphus, Marianus Scotus, Sigebertus Gemblacenſis, Gotfridus Viterbienſis, Martinus Polonus, Platina & alij. Verum hæc omnia mera eſſe figmenta euincit conſtans Pontificum ſeries, quæ iis temporibus nunquam interrupta fuiſſe legitur plus quam 15. diebus. Adde quod alij Sergio II. alij Leoni IV. eam ſucceſſiſſe ſcribunt an. 855. Quidam anno 840. ad Pontificatum promotam, quo tempore ſedebat adhuc Gregorius. Præterea nullus authorum veterum huius hiſtoriæ meminit; non Franci noſtri, qui cum Romanis frequens commercium tunc temporis exercebant: non Rabanus, non alij ſcriptores Fuldenſes: non Anaſtaſius Bibliothecarius: non veteres Græci Pontificiæ ſedis Rom. inimici. Poſtremo etiam ipſi hodierni Hæretici, iique qui pro doctiſſimis habentur, fabuloſa eſſe fatentur, quæ de Iana illa referuntur.

843. Anno 843. Pacem tandem ineunt fratres. Carolo relinquitur Francia: Ludouico cedit Germania, Lothario tota Italia & media inter Germaniam & Fran-

Digitized by Google

ciam Prouincia, quæ ab eo Lotharingiæ nomen habuit & adhuc retinet. Pipino Pipini filio Aquitania, qua tamen Carolus eum paulo poſt ſpoliauit. Ille eodem anno Hirmentrudem Wodonis & Ingeltrudis filiam, illiuſque Adhelardi neptem, cuius ſapientibus conſiliis Ludouicus Pius Rempub. pacificè gubernarat, Coniugem accepit. Quamobrem à Populo qui Adhelardum amabat mirifice dilectus eſt: à Politicis non ſatis ſanè vtilitati publicæ conſulere putabatur, cuius nempe intererat cum exteris Regibus fœdus contrahere ad auxilium contra fratres ſi opus eſſet, comparandum. Verum amorem populi, quem hiſce nuptiis ſe demeriturum pro certo habebat, præfert, & nuptias explet 18. Kal. an. atque apud S. Quintinum Veromanduorum Natalem Domini celebrat.

Eodem anno Normani, gens ferox e Daniæ finibus orta, numeroſa claſſe aduecti Nanneticam ciuitatem capiunt, vaſtant & diripiunt à Lamberto quodam ciuitatis illius Comitatum aſſectante aduocati: dici non poteſt quantam ibi ſtragem ediderint Laicorum atque Clericorum & Sacerdotum. Epiſcopum ipſum nomine Guihardum, ſeu vt aliqui ſcribunt, Guntbodum variis tormentis enecant. Carolus eorum furorem reformidans largitionibus potius allicit, quàm auertit: vt ex ſequentibus patebit.

Scribit quoque ad hunc annum Sigebertus Theodulphum Aurelianenſem proſas & verſus qui in Eccleſia cantari cœperunt, compoſuiſſe & edidiſſe. Verum ille & cum illo Trithemius & Baronius hallucinantur, qui vitam Theodulphi ad hæc vſque tempora protrahunt: certum eſt enim Ionam qui illi in Epiſcopatu ſucceſſit, interfuiſſe Collationi Pariſienſi de cultu Imaginum an. 825. Sirmondus vero coniicit Theodulphum obiiſſe circa an. 821. At hoc anno obiit Ardo Smaragdus Theodulphi Diſcipulus, vir Doctrina & ſanctitate præclarus, quem aiunt fuiſſe Monachum Aniani Cœoobij in Diœceſi Monpeſſulenſi. Alij diſtinguunt tres Smaragdos, vnum Abbatem S. Michaelis vulgo *S. Miel*, cuius meminit Frotharius Epiſcopus Tullenſis in Ep. 1. ad Hilduinum, quem D. Lucas Dacherius ait interfuiſſe Synodo cuidam Romanæ ſub Leone IV. ſimul cum Ieſſe Ambianenſi & Adhelardo Corbeienſi Abbate à Carolo M. miſſis: huncque ait dedicaſſe Ludouico Pio, opus Aureum, inſcriptum, Via Regia: obiit autem circa an. 823. Alterum Anianæ Monachum hoc anno 843. defunctum: 3. Luneburgenſis Monaſterij in Saxonia Abbatem circa an. 972. de iis Surius in Catalogo virorum Illuſtrium.

Eodem anno aut certè ſuperiore obiit Ionas Epiſcopus Aurelianenſis Theodulphi ſucceſſor, vir inter doctiſſimos Theologos numeratus, nec minus in rèbus agendis peritus: quem Adreualdus Floriacenſis lib. 1. de miraculis S. Benedicti c. 25. in litem, quæ Floriacenſibus intercedebat cum San-Dionyſianis, Iudicem aduocatum fuiſſe ſcribit ſimul cum Donato Melidunenſi Comite, quos *Iudices legis Salicæ* appellat. Ei in Epiſcopatu ſucceſſit Agius Preſbyter Palatij Caroli Calui, & à Wenilone Metropolitano Senonenſi eſt conſecratus.

Anno 844. Sergius II. ad Regimen Vniuerſalis Eccleſiæ Gregorio ſucceſſit. 844.
Illi ante promotionem *os porci* cognomen erat, quod quia turpe & ridiculum videbatur, depoſuit, & Sergius vocari voluit, vt ſcribit Martinus Polonus & alij. Atque inde factum putant, vt ſummi Pontifices nomen Gentilitium & proprium mutare ſoleant in ſua creatione. Quanquam alij huiuſce mutationis rationem afferunt ſanctiorem, quod nimirum Chriſtus inſtituens Simonem in Pontificem, Petrum vocarit; & vt admoneantur hoc facto Pontifices ſibi cum nomine mutandos eſſe mores & affectus humanos, induendumque nouum hominem. Hic Pontifex dicitur fuiſſe origine inſignis, fide purus, prædicatione liberior, Deo humilis, hominibus valde amabilis, pauperum & indigentium conſolator. Ad confirmandam autem eius electionem Lotharius Imperator Ludouicum primogenitum Romam miſit cum ampliſſimo comitatu prælatorum & principum: & ille ab eo in regem Longobardorum inunctus & inauguratus eſt. Huic ſolemnitati affuit inter cæteros Ebbo ille Remenſis, qui à Sergio poſtulans in integrum reſtitui, hoc tantum obtinere potuit, vt inter Laicos communicaret.

845. Huic Pontifici an. 845. Rabanus librum miſit de S. Cruce per Aſchoricum & Rupertum Monachos. Quod opus laborioſum, ait Auentinus ſuo æuo opera Ioannis Rheuclini Hebræarum litterarum Inſtauratoris ab Thoma Anshelmo fuiſſe diligentiſſimè excuſum.

Eodem anno Normani ducibus Ragenario ſeu Regnero & Rorico capta Burdigalâ, Petragorio, Xantone, Lemouico, Turonibus, Aurelia & aliis plurimis ciuitatibus Luteriam inuadunr & ſuburbana diripiunt 15 kal. April. quæ erat vigilia paſchæ, dum populus ſacris inrentus erat, occaſionem nacti rei malè geſtæ cum Britonibus, quibus Carolus ſuccubuerat: quem proinde cogunt à ſe pacem mercari & ingenti pretio redimere. Scribit Aimoinus l. 5. c. 20. Ragenarium victoriâ elatum & inſoleſcentem triduo poſt direptum San-Germano-Pratenſe cœnobium ſubito concidiſſe.

Eodem anno in Synodo Bellouacenſi, cui præſedit Wenilo Archiepiſcopus Senonenſis & affuit Ercanradus Epiſcopus Pariſienſis, vnanimi omnium conſpirante conſenſu diligitur in Archimyſtam Remenſem Hincmarus Monachus San-Dionyſianus: quæ Eccleſia per decem annos à Fulcone Preſbytero, deinde à Nothone vt cunque adminiſtrata fuerat. Hunc virum Academiæ Pariſienſis alumnum vocat Ludouicus Seruinus: at Flodoardus l. 3. ait eum à pueritia in Monaſterio S. Dionyſii ſub Hilduino Abbate *Monaſteriali Religione nutritum & ſtudiis litterarum imbutum*, indeque pro ſui tam generis, quàm ſenſus nobilitate in Palatium Lodouici Imperatoris deductum familiaremque ipſius notitiam adeptum fuiſſe, fidelitatem quam Abbati ſuo Hilduino bonis ſpoliato & in exilium amandato præſtitit, mirificè prædicat: quippe eum exulantem ſecutus eſt, eidemque poſtliminium ab Imperatore obtinuit & reſtitutionem in integrum; & licet eum Abbas reſtitutus in obſequium ſuum contra fidelitatem Imperatori debitam pertrahere tentaſſet, nec potuiſſet, nihilominus ei prodeſſe ſtuduit apud ipſum Imperatorem Abbati offenſum ob recidiuam conſpirationem.

846. Anno 846. Lotharius Imperator audita Hincmari promotione ad ſedem Remenſem & eiuſdem fidelitate erga Carolum Regem, exigit à Sergio litteras ad retractandam Ebbonis Depoſitionem Treueris. Guntboldus Archiepiſcopus Rothomagenſis iubetur conuocare Concilium, Hincmarumque citare. At legatis Papæ iuxta condictum non venientibus, Guntboldus annuente Carolo ex litteris Pontificiis ſynodum condicit Pariſiis, ad quam Ebbonem per Litteras & Legatos vocat: at Ebbo nec venit, nec Vicarium pro ſe, nec litteras mittit. Itaque habita eſt an. 847. Synodus Pariſiis, cui adfuerunt ipſe Guntboldus, Wenilo Senonenſis Archiepiſcopus cum Suffraganeis ſuis, Landrannus Turonenſis cum ſuis: Hincmarus etiam cum ſuis, & ex Concilij ſententia Ebboni per litteras omni deinceps adminiſtratione Remenſis Eccleſiæ interdixerunt, donec iuxta mandatum Papæ ſe ſiſteret, atque in Generali Conuentu definitionis ſententiam acciperet. Sed ille, inquit Flodoardus, *ad nullam ſynodum vel ad ſedem Apoſtolicam vocem poſtea reclamationis, vel repetitionis de ſede Remenſi aut de ordine ſuo emiſit.*

847. Ad eundem annum refert Auentinus in Germania floruiſſe Poëtas plurimos Hiſtoricos & Diuinæ Philoſophiæ Doctores clariſſimos: in Sueuia Strabonem Monaſterij San-Gallenſis Antiſtitem, Rabanum eodem an. die Dominica 26. Iunij Archiflaminem Moguntinum, Germaniæ Primarium Pontificem factum: In Francia Orientali apud Fuldam Rudolphum Rabani Diſcipulum eiuſque vitæ ſcriptorem: qui commentarios in omnes ſacræ hiſtoriæ libros ediderunt; quos Glossam ordinariam vulgo nuncupant. In Francia noſtra Hincmarus, Æneas poſtea futurus Epiſcopus Pariſienſis, Lupus Ferrarienſis, Helias Scotigena, Heriboldus Antiſſiodorenſis, Wenilo Archiepiſcopus Senonenſis præ cæteris florebant.

Eodem anno Leo IV. poſt Sergium in Cathedra S. Petri ſedit, eamque tenuit annis 8. menſibus 3. diebus 6. fuit multæ patientiæ & humilitatis, largus pius atque benignus, amator Iuſtitiæ, in diuinis ſcripturis verſatiſſimus, omni denique laudum genere cumulatus, ab infantia ob litterarum ſtudia inter Monachos enutritus; quam didicerat morum integritatem in Pontificatu retinuit. Is autem inter cætera ſtatuit, prædeceſſorum ſuorum Stephani & Eugenij

Eugenij exempla imiratus, vt iuxta Baſilicas clauſtra & ſcholæ conſtituerentur, in quibus clerici Eccleſiaſticis imbuerentur diſciplinis. Statuit quoque vt Aſſumptionis B. Mariæ octauæ celebtarentut in Eccleſia Rom. quod ante ipſum non fiebat.

Eo ſedente & Lothario imperante Sarraceni nauibus adducti ad littora Hetruriæ, plurimis ciuitatibus damna innumera inferunt: deinde Romam properantes omnia ſubutbana flebiliter depopulantut, Baſilicam S. Petri quæ tunc erat extra ſepta, diripiunt, altare ſacrum profanant, ſpoliant & onuſti præda ad naues redeunt. Veriti autem Romani ne deinde locus ille direptionibus pateret, Pontificem rogant, vt quod Leo III. inceperat, perficiat, validiſque propugnaculis muniat, ſpondentes in eam rem omnia ſua collaturos. Contribuunt quoque in opus tantum Lotharius, Ludouicus & Carolus, quod anno 848. anno 6. Pontificatus abſolutum eſt.

Anno 848. Rabanus Maurus Magnentius tunc Moguntinus Archiepiſcopus Synodum celebrat Moguntiuenſem aduerſus Gotheſcalcum Theologum, natione Belgam, profeſſione ſacerdotem, & vt aliqui ſctibunt, Monachum, de prædeſtinatione & redemptione hominum dogmara quædam ſcripris & voce ſpargenrem Catholicis auribus malè ſonantia: nempe homines ineuitabili lege & neceſſitate ptouidentiæ diuinæ ſiue inferis ſiue ſuperis deſtinatos eſſe. Ex ſententia autem Synodi ad Archiepiſcopum ſuum Hincmarum Belgicæ Primatem remiſſus eſt. Sacramento prius dicto nunquam ſe in Germaniam rediturum. De eo amplius dicetur infra. Huic Synodo dicitur inter cæteros Eginhartus interfuiſſe tunc Abbas Selingenſtadienſis vnâ cum cæteris eiuſdem Prouinciæ Abbatibus: cui paulo poſt defuncto & in Baſilica ſua Selingenſtadienſi tumulato, quam ipſe proprijs ſumptibus & impenſis conſtruxerat, Rabanus ipſe vt amico chariſſimo & Catoli M. quondam Secretario hoc Epitaphium poſuit.

Te peto, qui templum hoc ingrederis, ne noſcere ſpernas,
Quid locus hic habeat, quidue tenens moneat.
Conditus ecce iacet tumulo vir nobilis iſto,
Einhartus nomen cui Genitor dederat.
Ingenio hic prudens, probus actu atque ore facundus
Extitit, at multis vtilis arte fuit.
Quem Carolus princeps propriâ nutriuit in aula:
Per quem & confecit multa ſatis opera.
Nam horum ſanctorum coudigno functus honore
Exquirens Roma corpora duxit & huc.
Vt multis proſint precibus curaque medela
Ipſiuſque animæ Regna poli tribuant,
Chriſte Deus hominum ſaluator, Rector & Author,
Æternam huic requiem da ſuper aſtra pius.

Nempe Eginhartus teiectis Palatij & Regni negotiis poſt obitum Caroli in prædio ſuo de Mulenheim Baſilicam extruxerat, diuiniſque officiis addixerat, & in honotem SS. Matcellini & Petri dedicarat, quorum corpora ex vrbe Roma ſumptibus propriis in Franciam transferri curauetat. Hic obiter corrigendus error nonnullotum aientium Eginhartum anno 843. obiiſſe. Certius enim eſt quod ſcribit Trithemius, qui omnia Abbatiæ Selingenſtadienſis ſcrinia luſtrauit, eum huicce Synodo Moguntinæ interfuiſſe.

Anno 849. Adelolfus, ſeu Atulphus Rex Anglorum Romam profectus ad Leonem IV. eidem Inſulam ſuam vectigalem facere pergit ex denario S. Petri in gratiam Scholarium Anglicanæ nationis. 849.

Malè Trithemius hocce vectigal ab hoc Principe inſtitutum ſcribit. Nam vt ſupra docuimus ex Annalibus Anglicanis Offa II. Adriano tum ſedente in Catbedra S. Petri Denarium illum quem vocatunt ROMSCOT in eam rem vouerat. Imo contendunt nonnulli non Offam, ſed Inam Occiduorum Saxonum Regem genus illud tributi primum inſtituiſſe: at Atulphum auxiſſe: idque ex Polydoro & Sabellico ſcribit Genebrardus. Ioannes Laziatdus in Epitome Hiſtoriæ Vniuerſalis ſic breuiter hac de re. *Hoc tempore Adulphus Rex qui primus to-*

tius Angliæ obtinuit Monarchiam, Romam veniens cum Leone Papa nummum argenteum de vnaquaque domo obtulit S. Petro in anno, qui vſque hodie ſoluitur & ſterlingus vocatur. Forte Denarius ille, qui in vſum & ſuſtentationem pauperum ſcholarium Anglicanæ Nationis inſtitutus fuerat, conuerſus eſt ab Atulpho ad conſtructionem arcis S. Petri ad quam omnes Reges Chriſtani de Regnis ſuis aliquid contribuerunt. Cluuerius malicioſè ait Cantiam & Northumbriam ad redimendum Popularibus ſuis pœnitentiæ onera, id vectigal obſtrinxiſſe Pontifici.

Hiſce temporibus Hincmarus Archipræſul Remenſis res raptas & Laïcis hominibus aut Clericis à Regibus attributas ipſi Eccleſiæ reſtituere conabatur: & in eam rem à Carolo multiplices litteras impetrauit: quas legere eſt apud Flodoardum lib. 3. Hiſt. Rom. in quarum vna ſic habet Carolus. *Nouerit omnium Dei fidelium ac noſtrorum ſolertia, quia Res ex Epiſcopatu Remenſi, quas magna neceſſitate & per omnia inuiti, dum à Paſtore ſedes illa ſancta vacaret, fidelibus noſtris ad tempus, vnde quoddam temporale ſolatium in noſtro haberent ſeruitio, commendauimus, electo & ordinato munere S. Spiritus per Dei & noſtram diſpoſitionem in eadem S. Sede Hincmaro Archiepiſcopo, hoc noſtra authoritatis præcepto cum integritate quidquid exinde nos fidelibus noſtris beneficiauimus, præſentialiter reſtituimus.*

Erat enim iſte mos in Regno Gallicano, vt quando ſedes aliqua Epiſcopalis vacabat, Reges ſacra miniſteria per Chorepiſcopos peragi curarent, res vero ac facultates ſibi ſuiſque attribuerent: quem peruerſum morem petiit Hincmarus à Leone reformari: eumque conſuluit per litteras, an ij quos, vt ſcribit Flodoardus, temeritas Chorepiſcopalis ordinaſſet, & quibus ſpiritum S. conſignando tradere præſumpſiſſet, iterum ordinandi eſſent & confirmandi: item an ij, quos Ebbo reuerſus poſtliminio & à Lothario ex Synodali quadam ſententia reſtitutus ordinauerat, rectè eſſent ordinati.

Legimus quoque apud Flodoardum voluiſſe Hincmarum Romam proficiſci ad obtinendam quorundam Priuilegiorum confirmationem, ſed à Carolo retentum ſcripſiſſe tantummodo ad Leonem petiiſſeque ſuæ ſedi confirmari ius antiquum conſecrandorum Franciæ Regum: Stephanum enim II. Pipino, Leonem III. Carolo M. Apoſtolica munia: Alium quoque Stephanum Ludouico Auguſto Imperiale Diadema in eadem ſede contuliſſe. Et ad hoc impetrandum ope & auxilio Lotharii Imperatoris vſum fuiſſe, quem idem Flodoardus ſcribit in hanc rem ad Papam deſtinaſſe & legaſſe Petrum Spoletinum & alium Petrum Aretinum Epiſcopos.

850. Anno 850. Freculphus Monachus olim Fuldenſis, deinde Lexouienſis Epiſcopus Rabani Auditor & Heliſachari obit: vir inter doctiſſimos habitus: ſcripſit Chronicon cuius primam partem dedicauit Heliſacharo præceptori quondam ſuo, ab initio mundi ad Chriſti Natiuitatem.

851. Anno 851. 16. April. die S. Richarij obit quoque Paſchaſius Ratbertus Abbas S. Petri Corbeienſis ad Somonam in Diœceſi Ambianenſi, vir & ipſe doctiſſimus, ad cuius vitam pertinent multa quæ habet Cellotius Ieſuita in Hiſtoria Gotheſcalci. De eo fuſius dicetur alibi.

Eodem tempore Hincmarus auget numerum Canonicorum Eccleſiæ Remenſis, fundatque Zenodochium ſeu hoſpitale, quod poſtea in ſcholam conuerſum eſt: de hacce fundatione Flodoardus l. 3. c. 18. *Canonicis huius Remenſis Eccleſiæ Hoſpitale conſtituit ad ſuſceptionem peregrinorum vel pauperum congruis ad id rebus deputatis cum conſenſu Coëpiſcoporum Remenſis Diœceſeos atque ſubſcriptionibus eorundem: ea conditione vt nullo vnquam tempore quilibet Epiſcopus, vel qualibet perſona eaſdem res cuiquam in beneficium dare, vel in alios vſus quocunque modo abſtrahere præſumat: neque aliquem cenſum vel redhibitionem exinde accipiat; ſed totum quidquid ex ipſis rebus iuſtè acquiri potuerit, in vſus Pauperum atque Canonicorum ſecundum modum deſcriptum in Priuilegio à ſe & cæteris Epiſcopis confirmato expendatur.*

853. Anno 853 habita eſt 6. Kal. Maias frequens Synodus Sueſſione in Sam-Medardenſi Cœnobio ad retractandam Hincmari & Ebbonis cauſam. Cui inter cæteros affuerunt Rex ipſe Carolus, Wenilo Senonenſis Archiepiſcopus, Amalricus Turonenſis, Theodericus Cameracenſis Epiſcopus, Rothaldus Sueſſio-

Digitized by Google

nenſis, Agius Aurelianenſis Ionæ ſucceſſor, Prudentius Trecenſis, Lupus Ferarrienſis Abbas, Bernardus Floriacenſis, Odo Corbeienſis Paſchaſij Ratberti ſucceſſor. Ercanradus Epiſcopus Pariſienſis non affluit, ſed eius litteræ Canonicæ lectæ ſunt, ſua & Archiepiſcopi Cœpiſcoporumque ſuorum manibus confirmatæ, quas ad petitionem Remenſis Eccleſiæ Cleri ac plebis Hincmaro tribuerat.

In hac Synodo pronunciatum eſt Hincmarum rite & Canonicè ordinatum: quidquid verò in ordinationibus Eccleſiaſticis poſt depoſitionem egerat Ebbo, ſecundum traditionem Apoſtolicæ ſedis præter Baptiſmum, irritum eſſe, & ordinatos ab eo Gradibus Eccleſiaſticis priuatos eſſe cenſendos. Quod Decretum Benedictus III. Leonis ſucceſſor approbauit.

Eodem anno Ercanradus Epiſcopus Pariſienſis obit, cui à Clero ſubſtituitur Æneas è Palatinis ſcholis ad Cancellariatum euectus: de cuius electione fusè agit Lupus Ferrarienſis Ep. 98. nomine Eccleſiæ Pariſienſis ad Wenilonem Metropolitanum Senonenſem & Suffraganeos, his verbis.

Religioſiſſimis Patribus & Fratribus Weniloni Metropolitano Senonicæ ſedis Antiſtiti & Vniuerſo Clero eius & cæterarum Eccleſiarum Præſidentibus, quæ in Diœceſi memoratæ ſedis cenſentur, cunctis in eis Domino famulantibus Clerus matris Eccleſiæ Pariſiorum & fratres Cœnobij S. Dionyſij, & S. Germani & B. Genouefæ ac Foſſatenſis, diuerſorumque Monaſteriorum vnanimitas præſentem & futuram ſalutem. Venerabilem paſtorem noſtrum Ercanradum nuper deceſſiſſe, cum longè lateque diuulgatum ſit, tum ſanctitatem veſtram latere non potuit, noſque affici mœſtitia de vocatione Patris defuncti, ac ſollicitudine permoueri de electione ſucceſſuri prudentia veſtra intelligit. Cum enim principaliter ſe futurum Dominus Ieſus polliceatur cum eis qui Principes Religionis exiſtunt, non patimur diu carere Antiſtite, cuius doctrinâ ad ſalutem noſtram inſtituamur, exemplo informemur, benedictionibus in Nomine Domini muniamur. Eius vt pote bonorum omnium authoris nequaquam nos cura deſtitutos firmiſſimè credimus, dum ipſe curas noſtras ſua clementia ſuſtulit & vota vltroneâ benignitate præuenit. Namque ipſe in cuius manu cor Regis eſt, glorioſi D. noſtri Caroli, quemadmodum plenè confidimus, menti infudit, vt eius nos regimini committeret, quem in diuinis & humanis rebus ſibi fidiſſimum multis argumentis probaſſet. Igitur Dei pronam in nos amplectentes miſericordiam & Regis noſtri piam ſuſcipientes prouidentiam, Æneam cuius præconia præmiſimus, concorditer omnes eligimus. Æneam Patrem & Æneam Pontificem habere optamus. Quamuis enim tanta prouidentia ac probitate præcellentiſſimus Rex noſter polleat, vt ſolum eius Iudicium de viro memorato poſſet ſufficere, tamen conditionis humanæ non neſcij futurarumque curioſi rerum nos ipſi propoſitum ac mores longè prius inſpeximus & inter graues probataſque perſonas & ſanctitate feruentes, hunc quem Antiſtitem habere cupimus, vt nunc palam eſt abſque errore annumerauimus. Proinde ſancti patres, ne dilatione Diuini & Regij Beneficij torqueamur, ſed nobis ſuſpenſis, nobis deſiderantibus, nobis flagitantibus ponatur celeriter lucerna ſuper candelabrum, vt lumen veritatis populus Dei videat, & æmula deuotione præſulis veſtigia tenens ſempiternæ beatitudini præparetur. Profeſſionem vero noſtri conſenſus in Æneam Deo annuente per veſtrum miniſterium nobis futurum Antiſtitem ſubſcriptionibus noſtris certatim roborauimus, vt noſtra vnanimitate comperta votum ſumma properantia compleatis.

Ad hæc reſcribunt Wenilo & Suffraganei apud eundem Lupum Ep. 94. vehementer ſe probare electionem huiuſmodi ſummè Canonicam propter tanti viri ſibi & omnibus cogniti excellentiam & merita. *Quis enim*, inquiunt, *vel leuiter tetigit Palatium, cui labor Ænea non innotuit, & feruor in Diuinis rebus non apparuit? quamobrem Electionem veſtram in eo factam Deo propitio libenter ſequimur, vt eum profuturum populo eius ad dignitatem Pontificatus promouendam concorditer decernamus.*

Nec mirum ſi Æneas manu & calamo Lupi vtitur: erant enim amiciſſimi. Vnde Lupus eum rogat Ep. 119. vt Neptis ſuæ filio Beneficium aliquod Ec-

cleſiaſticum conferat eidemque Tutorem conſtituat. Et Ep. 115. eundem rogat, vt data occaſione Carolum interroget, num ſibi velit etiam præmij ſeu ſtipendij partem facere, quod profeſſoribus Palatinis promiſerat, ſibique etiam nuper pollicitus fuerat, ſe verò libenter & vltro ad docendum rediturum. Sic ergo ille ad Æneam.

Cariſſimo ſuo Æneæ Lupus Æternam ſalutem. Doctrina ſtudioſiſſimo Regi noſtro, quemadmodum vobis poſt alia, intentionem meam aperui, quod LIBERALIVM DISCIPLINARVM *laborem recolendo & alios inſtituendo fauente totius boni authore Deo vellem repetere, ſi etiam ipſe habiturus Præmij communionem ſua indulgentia conceſſiſſet. Quod votum meum ſereno vultu ſermonibuſque blandis amplexus, vt ad effectum valerem perducere, ſe curaturum promiſit, id vobis continuo ſignificandum credidi, ne oblata occaſione neſciretis ad tanta rei adniſum quibus eſſet inuitandus alloquiis.*

Idem fere reſcribit ad Ludouicum Abbatem San-Dionyſianum Caroli Regis conſanguineum, ſibi ſcilicet in animo eſſe, cum omnia bona ſua in expeditione Aquitanica & Burgundica amiſiſſet, profeſſionem litterarum reſumere. *Cupio etiam ſi Deo placet, quod didici & ſemper diſco, docere: quas res, præter vltimam, ea enim velut Reipubl. inutilis iudicaretur, quæ meo iudicio cæterarum eſt grauiſſima, ſi me euocare voluerit ad Comitatum Regium, quæſo ſuggerite.* Et quanquam ille Ep. 1. ad Eginhartum conqueritur de inopia Magiſtrorum & litterarum depreſſione, fatetur tamen Ep. 35. liberales artes præſertim eloquentiam, reuiuiſcere cæpiſſe. *Reuiuiſcentem,* inquit, *in his noſtris Regionibus ſapientiam quoſdam ſtudioſiſſimè colere pergratum habeo.* Qua vero in re ſapientia illa conſiſtat, indicat poſtea. *Etenim plerique ex eo cultum Sermonis quærimus, & paucos admodum reperias, qui ex ea morum probitatem, quod longe conducibilius eſt, proponant addiſcere, & linguæ vitia reformidamus & purgare contendimus, vita vero delicta paruipendimus & augemus.*

855 Anno 855. Leone Pontifice defuncto ſedes vacat 15. diebus: & tandem illi ſuffectus eſt Benedictus III. natione Romanus, Patre Patrodo, vir ſanctiſſimus, qui cum à populo & Clero nec non nobilibus Romanis vrgeretur, vt electioni de ſe factæ præberet aſſenſum, multis cum lachrymis genua flectens flebili voce dixiſſe fertur Rogo vos Fratres ne me in eam deducatis Eccleſiam, quia tanti culminis non ſufficio ferre grauamen. At illi nihilominus renitentem ad Lateranenſem Eccleſiam deducentes in Solio Pontificio collocarunt.

Eodem Anno Lotharius Imperator Reipub. curâ ſe abdicat, conuocatiſque Proceribus tres Imperij partes tribus filiis aſſignat Ludouico maiori natu Imperium, Romam & Italiam: Lothario Lotharingiam. Carolo minori Galliam Narbonenſem & Burgundiam. Ipſe apud Cœnobium Prumienſe, quod in agro Treuirenſi ſitum eſt, Monachum induit, vbi paulo poſt obiit.

Anno 856. die 4. Febr. obiit Vltimus Diſcipulorum Alcuini Rabanus Magnen-
856. tius in Fuldenſi Cœnobio à pueritia litteris imbutus: deinde Monachus, poſtea Abbas, poſtremo Archiepiſcopus Moguntinus. Ipſe adhuc viuens hoc ſibi Moguntiæ compoſuit Epitaphum.

Lector honeſte, meam ſi vis cognoſcere vitam
Tempore mortali, diſcere ſic poteris.
Vrbe quidem hac genitus ſum, ac ſacro fonte renatus:
In Fulda poſthac dogma ſacrum didici.
Quod Monachus factus Seniorum iuſſa ſequebar,
Norma mihi vitæ Regula ſancta fuit.
Sed licet incautè hanc nec fidè ſemper haberem,
Cella tamen mihimet manſio grata fuit.
Aſt vbi iam plures tranſiſſent temporis anni,
Conuenere viri vertere facta loci.
Me abſtraxere domo inualidum Regique tulere,
Poſcentes fungi Præſulis officio.
In quo nec meritum vitæ, nec dogma repertum eſt,
Nec Paſtoris opus iure beneplacitum.
Promptus erat animus, ſed tardans debile corpus,
Feci quod poteram, quodque Deus dederat.

Nunc rogo te ex tumulo, frater dilecte; iuuando,
Commendes Chriſto me vt precibus Domino.
Iudicis æterni me vt gratia ſaluet in æuum;
Non meritum aſpiciens ſed pietatis opus.
Raban nempe mihi nomen, & lectio dulcis
Diuinæ legis ſemper vbique fuit.
Cui Deus omnipotens, tribuas cæleſtia Regna,
Et veram requiem ſemper in arce Poli.

Anno 857. Normani iterum Lutetiæ Suburbana diripiunt, depopulantur & incendunt, præſertim verò Baſilicam S. Petri in monte Leucotitio Ædemque Sangenoueſianam: vt legitur in Annalibus Bertinianis ad hunc annum. *Dani Sequanæ inſiſtentes, cuncta liberè vaſtant, Lutetiamque Pariſiorum aggreſſi Baſilicam B. Petri & S. Genoueſæ incendunt.* Idem legitur in Chronico de Geſtis Normanorum in Francia. De hac flebili Ædis San-Genoueſianæ per Normanos combuſtione ſic habet Stephanus Tornacenſis ep. 164. ad Epiſcopum Londinenſem. *Patres veſtri ſecundum carnem Gentili adhuc ritu ac ſuperſtitione detenti Gallias inuadentes in fortitudine brachij ſui & in robore virium ſuarum, vrbes, caſtella, cæteraſque munitiones ceperunt, vicos, villas & agros vaſtarunt, homines alios in prædam & captiuitatem abduxerunt, alios in ore gladij percuſſerunt, loca ſancta incendio ac ruina ad ſolum vſque deiecerunt. Inter alias, quod ſine ſuſpirio ac ſingultu referre non poſſumus, aut debemus, Eccleſiam Apoſtolorum Petri & Pauli, in qua B. Virgo Genoueſa requieſcit in corpore, regali ope & opere conſtructam Muſiuo intus & extra, ſicut Reliquiæ adhuc teſtantur, ornatam & depictam miſerabili concremarunt incendio, nec Sacro loco parcentes, nec B. Virgini, aliiſue ſanctis, qui ibi requieſcunt, venerationem exhibentes. Tandem per Dei gratiam Barbaries illa antiqua Chriſtiana manſuetudine mitigata eſt & mutata; & Septentrionale frigus calore fidei liquefactum reiectis idolis Creatorem ſuum recognouit.* 857.

Anno 858. defuncto Benedicto aſſumitur ad Pontificatum Nicolaus I. natione Romanus, Patre Theodoro, ſedetque annis 9. menſibus 2. diebus 20. vir ſanctiſſimus, & cui poſt Gregorium Magnum vix vllus in Romana ſede comparandus extitit, cuius conſecrationi interfuit Anaſtaſius Bibliothecarius, quamque Ludouicus Auguſtus Lotharij filius ſuâ præſentiâ cohoneſtauit & confirmauit. Erat autem ille aſpectu pulcher, eloquio facundus, zelo feruentiſſimus, ſermone blandus & humilis, conſilio fortis, Regum ac Tyrannorum prope Dominus: dici enim non poteſt, quantâ ille authoritate orbi terrarum præfuerit, quàm fuerit Impiis terribilis, quantâ vi & conſtantia Imperatores, & Reges legibus Eccleſiaſticis ſubdiderit, vno verbo quam ſublimem Pontificatum reddiderit. Lotharium Ludouici Auguſti fratrem, qui Thietbergam ſeu Riebergam vxorem legitimam ducta Gualdradâ pellice repudiauerat, exortem eſſe voluit Chriſtianæ communionis. Theugaldum Treuirenſem & Guntarium Colonienſem Archiepiſcopos, qui fautores & adiutores criminis fuerant, de ſedibus deiecit. Sic malè tractati Imperatorem adeunt, Papæ tyrannidem obtendentes citra Principum & Synodorum ſuffragia ſententiaſque Epiſcopos exauthorantis: ſed fruſtra: non eſt auſus Imperator mutire. Hinc Teugaldus ſibi melius conſulens paret Nicolao: Guntarius ſententiam excommunicationis & depoſitionis in ſe latam nihili faciens ſedem repetit, ſed malo ſuo: turpius enim eiectus eſt vt infra videbitur. 858.

Extant multa huiuſce Pontificis Decreta, & præſertim ea quæ ad authoritatem ſupremæ ſedis ſupra Reges & Imperatores pertinent: ad quos ſcribens, *Vbinam legiſtis*, inquit, *Imperatores Anteceſſores veſtros Synodalibus conuentibus interfuiſſe? niſi forſitan in quibuſdam, vbi de fide tractatum eſt, quæ vniuerſalis eſt, quæ omnium communis eſt; quæ non ſolum ad Clericos, verum etiam ad Laïcos & ad omnes omnino pertinet Chriſtianos.* Hæc habet diſt. 96. & addit. *Satis euidenter oſtenditur à ſeculari poteſtate nec ſolui poſſe prorſus nec ligari Pontificem, quem conſtat à Principe Pio Conſtantino Deum appellatum, cum nec poſſe Deum ab hominibus iudicari manifeſtum ſit. Sed & Theodoſius minor ſanctæ ſynodo ſcribens Epheſinæ primæ dixit, Deputatus eſt ergo Candidianus magnificentiſſimus Comes Strenuorum Domeſti-*

corum tranſire vſque ad ſacratiſſimam Synodum noſtram, & in nullo quidem quæ facienda ſunt de piis dogmatibus quæſtiones ſeu expoſitiones, communicare: illicitum namque eſt eum qui nonſit in ordine ſanctiſſimorum Epiſcoporum, Eccleſiaſticis intermiſceri tractatibus.

De Scholis Publicis inſtituendis. Eodem anno Epiſcopi Gallicani in Concilio Cariſiaco *de Creſſy ſur l'Oiſe*, articulos quoſdam condiderunt de Regimine Regni: vnum verò de Palatinis Scholis inſeruerunt: ſic enim compellant Carolum. *Domum veſtram domeſticam ſic nutrite, regite & diſponite, vt quando Regni populus ad vos conuenerit, in vobis & Domeſticis veſtris videant qualiter ſe atque domum, quanta humilitate atque caſtitate, quàm ſobriè, quàm iuſtè, quàm piè nutrire & diſponere debeant & gubernare. Quidam ſicut Quidam ſapiens dixit, ſecundum mores Domini erit familia cuſtodita. Et ideo* DOMVS REGIS SCHOLA DICITVR ET DISCIPLINA, *quia non ſolùm Scholaſtici, id eſt diſciplinati & bene correcti ſunt, ſicut alij, ſed potius ipſa* SCHOLA, *quæ interpretatur* DISCIPLINA, *id eſt* CORRECTIO *dicitur.*

859. Cum autem nonnulli hiſce remporibus, qui ſibi videbantur ſupra cæteros ſapere, plurimos errores ſpargerent circa præſcientiam diuinam, prædeſtinationem, liberum arbitrium, item circa corpus & ſanguinem Chriſti, adeout ſynodi ſynodis, Epiſcopi Epiſcopis aduerſarentur & in contrarias ſententias abirent; cuius diſſidii author fuerat Gotheſcalcus, Epiſcopi Gallicani apud Saponarias in Tullenſi Diœceſi an. 859. congregati concilium inierunt plurium Scholarum Publicarum erigendarum, in quibus tam humaniores litteræ, quàm ſacræ diſciplinæ docerentur, quaſi non ſufficiente toti Galliæ vna Palatina: atque eam ob rem Principes deprecari conſtituerunt, vt eas ſua authoritate inſtituerent. VT SCHOLÆ *Sanctarum Scripturarum & humanæ quoque litteraturæ, vnde annis præcedentibus per Religioſorum Imperatorum ſtudium magna illuminatio Eccleſiæ & eruditionis vtilitas proceſſit, deprecandi ſunt Pij Principes noſtri, & omnes fratres & Coëpiſcopi noſtri inſtantiſſimè commonendi, vt vbicumque omnipotens Deus idoneos ad docendum, id eſt fideliter & veraciter intelligentes donare dignetur, conſtituantur vbique* SCHOLÆ PVBLICÆ, *ſcilicet vt vtriuſque eruditionis & diuinæ ſcilicet & humanæ in Eccleſia Dei fructus valeat accreſcere. Quia quod nimis abſurdum eſt & perniciosum maximè, diuinæ ſcripturæ verax & fidelis intelligentia ita iam dilabitur, vt vix iam eius extrema veſtigia reperiantur: & idcirco ingenti cura & ſummo ſtudio remedium procurandum eſt.* Huic Synodo ſubſcripſit Æneas Epiſcopus Pariſienſis.

Hinc patet iam ante fuiſſe quidem à Carolo M. & Ludouico Pio inſtitutas SCHOLAS PVBLICAS, ſed iniuriâ temporummagnâ ex parte tum pœne contabuiſſe: ac proinde admonendos fuiſſe Principes, vt ei rei incumberent, & Epiſcopos, vt ſi quos inuenire poſſent viros doctos, eos ad docendum propellerent. Hinc quoque patet SCHOLARVM PVBLICARVM neceſſitas, nempe ad coercendas hæreſes, quæ tum præualebant, propterea quod minus ſtudioſè ſacræ ſcriptutæ docerentur & humaniores litteræ negligerentur. PALATINAS certè Scholas vt repararet noſter Carolus, nulli labori, nullis impenſis pepercit: vndequaque enim viros doctiſſimos euocauit, & liberalitate ſua atque præmiis ad docendum inuitauit: licet enim bellis externis & domeſticis frequenter diſtineretur, ſi quid tamen habebat otij, cum viris doctis piiſque illud ad Eccleſiæ decus & ornamentum pacemque conferebat. Qua de re eum vehementer laudat Nicolaus Pontifex Ep. pro Rothado Epiſcopo Sueſſionenſi. *Laudanda eſt*, inquit, *frequens conuerſatio & aſſidua cum Eccleſiaſticis viris & cum Sapientibus veſtra ſedulitas, quam circa vtilitatem Eccleſiarum Dei vos habere auditu gratulabundo concipimus.* Sed de hoc Caroli ſtudio dicetur infra pluribus. Vnum eſt quod hìc omittere non licet, frequentibus ſynodis eum præſentem affuiſſe, & Patris Auíque exemplo plurimas ſanctiones Regno & Eccleſiæ vtiles edidiſſe.

860. Anno 860. habita eſt ſynodus Tullenſis 14. Prouinciarum de Quæſtione præſertim prædeſtinationis & cæteris Gotheſcalcianis, quæ Eccleſiam Gallicanam à duodecim aut quatuordecim circiter annis turbauerant & diſtraxerant. Rem prout geſta eſt, quantum ad hiſtoriam attinet, hiſce Annalibus inſerere non erit inutile, quoniam & Academici noſtri in ea partem habent. Igitur vt rem ab ipſo

initio areeſſamus, Gotheſcalcus natione Belga, Preſbyter, vt aliqui ſcribunt, vel vt alij, Monachus; vt vt ſit, enutritus in cœnobio Orbacenſi Diœceſis Sueſſionenſis, vir tam ſacris, quàm humanioribus litteris imbutus, præſertim vero in D. Auguſtini lectione verſatiſſimus fuit, vt docet Walafridus Strabo in Carmine ad Gotheſcalcum: at in multis certè nimis curioſus: quamobrem reprehenditur à Lupo Ferrarienſi, quem per litteras conſulerat de viſione Beatifica, an ſcilicet Beati Deum viſuri eſſent oculo corporeo, an oculo mentis & ſpiritaliter. Ille vero Ep. 30, quia nouerat ingenium viri, admonet ne nimis alta ſcrutetur, & quæ ſupra ſe, ne inueſtiget curioſius. *Proinde*, inquit, *ſemper ſoluendo & nunquam perſoluendo Charitatis debito, te, ſuſpiciende Frater exhortor, vt nequaquam vltra in talibus tuum ingenium conteras, ne his vltra quam oporteat, occupatus, ad vtiliora veſtiganda ſiue docenda minus ſufficias. Quid tantopere quæramus, quod nobis noſſe nec dum forſitan expedit? certè diuinitus illuſtrata mens Deo loquitur. Oculus non vidit Dominum abſque te, quæ præparaſti expectantibus te. Et nos ineffabilis illius viſionis pleniſſimam rationem complecti animo, concretis vitiorum ſordibus adhuc grauato deſideramus?*

Ille circa an. 847. Preſbyter conſecratus à Rigboldo Chorepiſcopo Remenſi peregrinationem ſuſcepit ad limina Apoſtolorum, prout id pluribus moris erat illis temporibus. Inde rediens inuiſit Eberaldum Comitem in Gallia Ciſalpina, apud quem aliquandiu commoratus cum Nortingo Epiſcopo Quæſtionem forte mouit de gemina prædeſtinatione ſecundum mentem Auguſtini: at iſte non ſatis fidens viribus Rabanum conſulit, rogatque vt contra Gotheſcalcum ſcribat; quod facit Ep. ad Nottingum, ſimulque Eberaldum Comitem monet, vt prauæ Doctrinæ ſparſorem domo expellat, aut ab errore deducat.

Gotheſcalcus nolens pro hæretico haberi, prædictæ Rabani Epiſtolæ reſpondet per Libellum, in quo de duplici prædeſtinatione differit, de voluntate Dei, de Chriſti morte pro omnibus hominibus, ac denique de libero arbitrio iuxta mentem Auguſtini. Rabanus Concilium in eam rem habet Moguntiæ an. 848. ei ſe ſiſtit Gotheſcalcus & libellum fidei tradit. Quo lecto, ſeu intellecto ſeu non intellecto interea condemnatur, & remittitur ad Hincmarum Archiepiſcopum Remenſem, vt ſub cuſtodia habeatur & recludatur.

Anno 849. Habetur Synodus Cariſiaca de mandato Regis Caroli, cui interſunt 12. Epiſcopi & nonnulli alij viri Eccleſiaſtici, eidemque iubetur ſe ſiſtere Gotheſcalcus. Comparet, interrogatur, auditur & damnatur triplici de cauſa 1. quia fuerat ordinatus à preſbytero Chorepiſcopo Remenſi non habente poteſtatem ordinandi. 2. quia ſacerdotio abuſus fuerat prauè agendo & prauè docendo. 3. quia contra propoſitum Monachi Eccleſiaſtica & ciuilia negotia & iura conturbabat.

Et ob id triplici pœna afficitur, depoſitione ſeu interdicto, verberibus, carcere. Prima viſa eſt nonnullis iniqua, quia illis temporibus ſolebant fieri ordinationes per Chorepiſcopos. Altera crudelis & barbara. Tertia dura & inhumana propter diuturnitatem.

Tam malè ergo affecti viri docti ſtatus multos mouit ad miſerationem & ad inquirendum in cauſam. Imprimis verò Amulo præſul Lugdunenſis & tota eius Eccleſia inter omnes Gallicanas doctiſſima de pœnis queſti ſunt. Hincmarus præcipuus Gotheſcalci aduerſarius reſcripſit ad præſulem verbera non fuiſſe Gotheſcalco inflicta ex ſententia Synodali, ſed eum ab Abbatibus & Monachis ſui ordinis, nempe Benedictini iuxta regulam S. Benedicti fuiſſe flagellis adiudicatum propter inſolentiam. In Ep. verò ad Nicolaum Papam, quæ legitur apud Flodoardum nec depoſitionis, nec verberum, ſed ſolius carceris mentionem facit, quaſi ea ſola pœna legitima fuerit & Synodalis. Eccleſia autem Lugdunenſis lib. de 3. Epiſtolis, *Illud prorſus*, inquit, *omnes non ſolum dolent, ſed etiam horrent, quia inaudito irreligioſitatis & crudelitatis exemplo tandiu ille miſer flagellis trucidatus eſt, donec ſicut narrauerunt nobis qui præſentes aderant, accenſo coram ſe igne libellum in quo ſententias ſcripturarum ſiue SS. Patrum ſibi collegerat, quas in Concilio afferret, coactus eſt iam pœne emoriens ſuis manibus in flammam projicere, incendio concremare.*

Contra 3. verò pœnam, quâ ſcilicet Monaſteriali cuſtodiæ mancipatus eſt,

ſcilicet In Altum-villari Cœnobio Diœceſis Remenſis, præterquam quod in eo quoque reprehenſus eſt Hincmarus, quod eum non ad Orbacenſe Sueſſionenſis diœceſis, vbi ille enutritus fuerat, remiſiſſet, ſed ſub ſua poteſtate in ſua Diœceſi retinuiſſet, ſic eadem Eccleſia ſcribit. *Illa eiuſmodi hominis miſerandi tam longa & inhumana in Ergaſtulum per tot annos damnatio, aliqua vt credimus compaſſionis benignitate & conſolatione fuerat temperanda, vel etiam remouenda.* Neque tamen diuturnitas carceris eum à concepta ſententia dimouet, in defenſione doctrinæ ſuæ ſemper ſeu conſtans, ſeu obſtinatus manet: duaſque edit fidei confeſſiones; vnam breuiorem, alteram longiorem. Poſtquam dimiſſa eſt Synodus prædicta, Hincmarus ſuſpicatus Prudentium Tricaſſinum ei non ſubſcripturum, dat ad eum litteras, quibus queritur ſuam ſibi præſentiam ſubſtrahi, ſignificatque ſe ab eo conſilium quærere velle de ſtatu & compreſſione Gotheſcalci, intimans quid de ipſo actum iudicatumque fuerat in Synodo, quo eum recluſum tenebat iudicio, quod multis modis eum conuerti tentauerit: an in Cœna Domini vel in Paſcha debeat eum admittere ad audiendum ſacrum officium, vel accipiendam communionem. Hæc & alia Flodoardus l. 3. c. 21.

Dum autem ab Hincmaro & fautoribus oppugnatur, alij eiuſdem defenſores ſe profitentur, vt teſtatur ipſe Hincmarus c. 2. lib. de prædeſtin. Ratramnus Corbeienſis Monachus in Ep. ad Amicum, qua refutat Hincmari Ep. ad Recluſos. Prudentius Epiſcopus Tricaſſinus vir eximiæ ſanctitatis Opuſculum edit, quod Synodi Pariſienſis ordinatione mittit ad Hincmarum & Pardulum Laudunenſem Epiſc. cuius reſtat ſola præfatio: Lupus Ferrarienſis in Ep. ad Carolum authoritatibus SS. Patrum Prudentij ſententiam confirmat. Lupus Seruatus Moguntinus presbyter libellum edit de 3. Quæſtionibus, ſcilicet de Libero Arbitrio, gemina prædeſtinatione & Morte Chriſti. Ratramnus quoque iuſſu Caroli duplici libello aperit, quid de prædeſtinatione ſentiat. Eaſdem partes tuetur Eccleſia Lugdunenſis.

Rex Lupi Ferrarienſis & Ratramni opera ſibi oblata tradit Hincmaro an. 851. Hincmarus Amalario & Ioanni Scoto Erigenæ Magiſtris Palatinis eadem tradit examinanda. Iſti contra Gotheſcalcum ſcribunt, ſed perierunt Amalarij ſcripta: Scoti librum, ſeu potius ſelecta quædam illius Capitula VVenilo Archiepiſcopus Senonenſis mittit ad Prudentium Tricaſſinum, contra quæ iſte librum edidit, cui erat pro titulo. LIBER IOANNIS SCOTI CORRECTVS A PRVDENTIO.

Mittuntur eadem opera ad Eccleſiam Lugdunenſem, quæ per M. Florum Diaconum reſpondet libro, qui inſcribitur aduerſus Scotum; & per Remigium Archiepiſcopum Amulonis ſucceſſorem reſpondet tribus Epiſtolis, Hincmari ad Amulonem, Parduli ad eundem, Rabani ad Nottingum: quo libro Gotheſcalci doctrinam probat eſſe Orthodoxam & tenendam. Præterea idem Remigius alium librum edit ſub hoc titulo, ABSOLVTIO QVÆSTIONIS DE GENERALI PER ADAM DAMNATIONE ET SPECIALI PER CHRISTVM EX EADEM EREPTIONE ELECTORVM.

Ita incaleſcentibus animis Carolus Cariſiacam iubet haberi Synodum eique ſe præſentem exhibet. Ibi Hincmarus & alij tum Epiſcopi, tum Abbates & viri Docti 4. edunt Capitula contra doctrinam Gotheſcalci, iiſdemq; tam Rex quam ipſi ſubſcribunt, præter Prudentium Tricaſſinum, qui paulo poſt vocatus à Wenilone ad Synodum Senonenſem de conſecratione Æneæ Epiſcopi Pariſienſis Electi, infirmitate detentus per Vicarium ſcripſit ſe illi conſecrationi conſentire, ſi modo Æneas bis 4. Capitulis ſubſcribat. 1. liberum arbitrium ſemper ad omne opus bonum Dei gratia indigere. 2. quoſdam impenetrabili iudicio prædeſtinatos eſſe ad pœnam. 3. Chriſti ſanguinem pro ſolis credentibus fuſum. 4. omnes quoſcunque vult ſaluare, & quicunque non ſaluantur, penitus non eſſe illius voluntatem vt ſaluentur. Similiter Eccleſia Lugdunenſis contra 4. Capitula Cariſiaca librum euulgat, de tenenda veritate ſcripturæ. Quatuor autem Capitula Cariſiaca hæc fuerunt. 1. Vnam eſſe tantum Dei prædeſtinationem. 2. de libero arbitrio per gratiam ſeruato, 3. de voluntate quam habet Deus ſaluandi homines. 4. de morte Chriſti pro omnibus.

855. Anno 855. habetur Synodus Valentina. Trium Prouinciarum, Lugdunenſis,

Digitized by Google

Viennenſis & Arelatenſis, cui præeſt Remigius Antiſtes Lugdunenſis, & in ea eduntur 4. Capitula, 4. Cariſiacis oppoſita, condemnanturque 19. Ioannis Scoti capitula.

Anno 859. Synodus Lingonenſis ex iiſdem Prouinciis habetur præſente Carolo Caluo: in qua Valentinæ definitiones comprobantur & confirmantur. Paulo poſt Tullenſis ex 12. Prouinciis congregatur per Remigium, ibique nihil planè videtur definitum, ſed propter commotionem Hincmari & aliorum, ad futuram primam Synodum remittitur. Interim mittuntur Romam ad Nicolaum Canones Lingonenſes & Valentini, & ab eo approbantur teſte Prudentio in Annalibus vt fatetur Hincmarus Ep. 24. ad Egilonem, & Chronico Bertiniano ad hunc annum, vbi ſic legitur. *Nicolaus Pontifex Rom. de gratia Dei & libero arbitrio, de veritate geminæ prædeſtinationis, & ſanguine Chriſti, vt pro credentibus omnibus fuſus ſit, fideliter confirmat & Catholicè decernit.* 859.

Anno 860. habetur Synodus Tullenſis 2. ad quam conueniunt 14. Prouinciarum Prælati: in qua Capitula ſupradicta confirmantur tacente Hincmaro. 862. Hincmarus de Gotheſcalco ad Nicolaum Papam ſcribit, ſed ſibi ſubiratum inuenit, vt teſtatur ipſe Ep. 24. ad Egilonem. Iubet autem Nicolaus per Legatos ſuos Synodum haberi Metis, ibique de negotio Gotheſcalci agi: habitaque eſt an 863. Menſe Iunio; queritur vero Hincmarus tardius ſe ad eam vocatam, quàm vt conuenire poſſet. Et in eam rem extat apud Flodoardum eius ad Nicolaum Ep. an. 864. miſſa, in qua de toto negotio Gotheſcalci fusè differit. Nihil autem ad id Pontifex, ſed ſolum hoc, vt res abſoluatur. Interim moritur Gotheſcalcus, & diſſidium quieſcit. 860.

Porro hanc fuiſſe doctrinam Gotheſcalci ſcribit Hincmarus ad Nicolaum I. *dicebat quod veteres Prædeſtinatiani dixerunt, quoniam ſicut Deus quoſdam ad vitam æternam, ita quoſdam prædeſtinauit ad mortem æternam.*

2. *quod Deus* non vult omnes homines ſaluos fieri, ſed tantum eos qui ſaluantur.

3. *Quod non* pro totius mundi redemptione, id eſt pro omnium ſalute & redemptione D. & ſaluator noſter I. C. ſit Crucifixus & mortuus, ſed tantum pro his qui ſaluantur.

4. Quod exponens Petri ſententiam, Eum qui emit eos, Dominum negantes, ſic dicebat. *Baptiſmi ſacramento eos emit, non tamen pro eis crucem ſubiit, neque mortem pertulit, neque ſanguinem fudit.*

5. Quod audacior Prædeſtinatianis, dicebat *Deitatem S. Trinitatis trinam eſſe.* Deinde ſubdit eſſe alia plura, quæ ipſe Gotheſcalcus & alij plures in Gallia dicant ſanæ fidei aduerſantia, plura quæ mente recundant, ea tamen eloqui non præſumere orthodoxi Regis Caroli tempore.

6. Quod poſtquam primus homo cecidit, nemo ad bene agendum libero poſſit vti arbitrio. Hæc habet in Ep. ad Amulonem.

Poſtremo ſubiungit. *Præfatum autem Gotheſcalcum, ſi veſtra authoritas mihi ſcripſerit, vt eum a cuſtodia ſolnam, & aut vt ad vos eundi, vt per vos eius doctrinam experiamini, aut ad quemcumque ex nomine deſignatum pergendi licentiam donem (quia vt melius ipſi ſcitis, ſicut abſolutè quiſque regulariter ordinari non valet; ita niſi ex ipſius conſenſu, cuius eſſe dinoſcitur, certa perſonæ commendandus, & ad certum locum Monachus, vel quiſque ſub regula conſtitutus à loco ſuo abſolui iuxta regulas ſacras non valet) veſtris iuſſionibus non reſultabo. Tantum vt authoritatem veſtram habeam, ne tantorum Epiſcoporum iudicium mea præſumptione parui pendere videar.*

Fautores & defenſores Gotheſcalci multa malè illi ab Hincmaro impoſita eſſe contendebant. 1. Quod vellet Gotheſcalcus Deum prædeſtinare homines non tantum ad pœnam, ſed etiam ad culpam, ita vt non poſſent aliud eſſe, quam iuxta id quod erant à Deo prædeſtinati: id falsò aiebant affingi, vt patet ex eius duplici confeſſione, & ex verbis Eccleſiæ Lugdunenſis in lib. de 3. Epiſtol. vbi ſic habetur.

Quæritur in præſenti diſputatione, non illud, vtrum impios Deus & iniquos prædeſtinauerit ad ipſam impietatem, & iniquitatem, id eſt, vt impij & iniqui non eſſe non poſſent. Quod nullus omnino moderno tempore dicere vel dixiſſe inueni-

tur: quod eſt vtique immanis & deteſtabilis blaſphemia: ſed illud potius quæritur, vtrum eos quos veraciter omnino præſciuit proprio vitio impios & iniquos futuros & in ſuis impietatibus atque iniquitatibus vſque ad mortem perſeueraturos, iuſto iudicio ſuo prædeſtinauerit, æterno ſupplicio puniendos. Præterea ipſummet Hincmarum faſſum fuiſſe in lib. de prædeſt. c. 15. dicere Gotheſcalcum & eius affines, *Deum prædeſtinaſſe Reprobos ad interitum, non ad peccatum.* De cæteris Capitibus idem confirmabant, de quibus conſulendi, qui fuſius ea de re ſcripſerunt. Nobis id meminiſſe ſatis ſit ad hiſtoriæ illuſtrationem.

Quod autem ad Amalarium & Ioannem Scotum attinet, malè omnino ab Eccleſia Lugdunenſi habiti ſunt, quaſi indigni, quorum ſcripta refellerentur. *Quod autem* inquit lib. 1. de 3. Epiſt. *inter cæteros qui de tanta quæſtione, diuina ſcilicet præſcientia & prædeſtinationis apud eos* ſcilicet Hincmarum & Hincmarianos, *ſcripſiſſe memorantur, etiam Amalarius ponitur & Ioannes Scotus ab eis ad ſcribendum compulſus eſſe refertur: multum ſanè & dolenter accepimus, vt Eccleſiaſtici & prudentes viri tantam iniuriam ſibimet ipſis fecerint, vt Amalarium de fidei ratione conſulerent, qui & verbis & libris ſuis, mendaciis & erroribus & fantaſticis atque hæreticis diſputationibus plenis omnes pæne apud Franciam Eccleſias, & nonnullas etiam aliarum regionum quantum in ſe fuit, infecit atque corrupit, vt non tam ipſe de fide interrogari, quàm omnia ſcripta eius ſaltem poſt mortem ipſius debuerint igne conſumi, ne ſimpliciores quique, qui eos multum diligere & legendo frequentare dicuntur, eorum lectione & inaniter occuparentur & pernicioſè fallerentur & deciperentur.* Hæc de Amalario Eccleſia Lugdunenſis.

Quis vero fuerit ille Amalarius ambigitur. Nam hocce ſeculo duos Amalarios viros doctos fuiſſe comperimus, Fortunatum ſcilicet Archiepiſcopum Treuirenſem, quem obiiſſe ferunt an. 814. aut ſaltem an. 817. quo Hettis Treueris ſediſſe legitur; & Amalarium Metenſis Eccleſiæ Diaconum, quem in Concilio Aquiſgranenſi Regulam Canonicorum ſcripſiſſe commemorant, & an. 827. libros 4. Officiales dictos edidiſſe, miſſumque Romam ad Gregorium IV. à Ludouico Pio antequam Antiphonarium componeret: illum denique vixiſſe ad annum vſque 836. Itaque neceſſe eſt, vt tertius fuerit Amalarius, qui hiſce temporibus aduerſus Gotheſcalcum ſcripſit, quæ quidem diſputatio ab anno circiter 847. ad an. vque 864. perducta eſt. Porro nullum extat huiuſce Amalarij opus, quod hactenus in vulgus prodierit.

De Ioanne vero Scoto Erigena ſic habet eadem Eccleſia Lugdunenſis poſt ea verba quæ de Amalario retulimus. *Et quod maioris eſt ignominiæ ac opprobrij Scotum illum ad ſcribendum compulerunt, qui ſicut ex eius ſcriptis veriſſimè comperimus, nec ipſa verba ſcripturarum adhuc habet cognita. Et ita quibuſdam fantaſticis adinuentionibus & erroribus plenus eſt, vt non ſolum de fidei veritate nullatenus conſulendus, ſed etiam cum ipſis omni irriſione & deſpectione dignus ſcriptis ſuis, niſi corrigere & emendare feſtinet, vel ſicut demens ſit miſerandus, vel ſicut hæreticus anathematizandus.*

Hunc hominem tunc adhuc iuuenem & Dialecticis ratiocinationibus plenum valde alibi eadem Eccleſia inſectatur, quod dicere auderet ſe quæcumque aduerſus fidem proponerentur, poſſe Philoſophiæ præceptis & ſophiſmatis ſoluere: hanc enim definitionem ſeu Theſim ab eo propoſitam fuiſſe aiebat. QVADRIVIO REGVLARVM TOTIVS PHILOSOPHIÆ. *Omnem Quæſtionem ſolui, duaſque prædeſtinationes non eſſe.* Et contra eum Librum edidit & incœpit his verbis.

In nomine D. I. C. incipit libellus aduerſus cuiuſdam Vaniloqui hominis, qui cognominatur Ioannes, ineptias & errores de prædeſtinatione & præſcientia Diuina & de vera humani arbitrij libertate. Venerunt ad nos cuiuſdam Vaniloqui & garruli hominis ſcripta, qui velut de præſcientia & prædeſtinatione Diuina, humanis, & vt ipſe gloriatur Philoſophicis argumentationibus diſputans nulla ratione reddita, nulla ſcripturarum ſiue SS. Patrum authoritate prolata velut tuenda & ſequenda ſola ſua præſumptione definire auſus eſt. Et paulo poſt. *Sed quia à multis, vt audimus, idem homo quaſi ſcholaſticus & eruditus admirationi habetur, & talia garriens ſiue ſcribens alios ad hæſitationem deducit, alios quaſi magnum aliquid dicat, erroris ſui ſequaces efficit, omnes tamen auditores & admiratores ſuos inani verboſitate & ventoſa loquacitate pernicio-*

ſimè occupet, vt non Diuinis Scripturis, non authoritatibus paternis ſe humiliter ſubmittant, ſed eius potius deliramenta ſequantur, neceſſarium omnino duximus, vt ſtudio Charitatis & debito noſtri loci atque ordinis eius inſolentia authore Domino reſponderemus.

Quis autem & vnde fuerit ille Ioannes, intelligimus ex Rogerio Houedenſi ſic de illo ſcribente in priori parte Annalium. *Tempore Elfredi Regis,* inquit, *venit in Angliam Ioannes Scotus vir perſpicacis ingenij & multa facundia, qui dudum relictâ patriâ Franciam ad Carolum Caluum tranſierat, à quo magna dignatione ſuſceptus familiarium partium habebatur, tranſigebatque cum eo tam ſeria quàm ioca indiuiduuſque comes & menſa & cubili erat, multaque facetia ingenuique leporis, quorum exempla hodièque conſtant, vt ſunt iſta. Aſſederat ad menſam contra Regem ad aliam menſa partem. Procedentibus poculis conſumptiſque ferculis Carolus fronte hilarior poſt quadam alia, cum vidiſſet Ioannem quiddam feciſſe, quod Gallicanam comitatem offenderet, vrbanè increpauit & dixit. Quid diſtat inter Scotum & Sotum? retulit ille ſolemne conuicium in authorem, & reſpondit, Menſa tantùm. Quid hoc dicto facetius?* (imò quid impudentius?) *interrogauerat Rex de morum differenti ſtudio; reſpondit Ioannes de loci diſtante ſpatio. Nec verò Rex commotus eſt, quod miraculo ſcientia ipſius captus aduerſus Magiſtrũ nec dicto inſurgere vellet, ſic enim eum vſitatè vocabat. Item cum Regi conuiuanti Miniſter patinam obtuliſſet, qua duos piſces pragrandes adiecto vno minuſculo contineret, dedit ille Magiſtro accumbentibus duobus iuxta ſe Clericis departiretur: erant illi gigantea molis, ipſe perexilis corporis. Tum qui ſemper aliquid honeſti comminiſcebatur, vt lætitiam conuiuantium excitaret, retentis ſibi duobus maioribus, vnum minorem duobus diſtribuit. Arguenti iniquitatem partitionis Regi, imò inquit, bene feci & aquè. Nam hic eſt vnus paruus de ſe dicens, & duo grandes, piſces tangens. Itemque ad eos conuerſus. Hîc ſunt duo magni, Clericos innuens, & vnus exiguus, piſcem nihilominus tangens. Caroli ergo rogatu Hierarchiam Dionyſij Areopagita in Latinum de Graco verbum e verbo tranſtulit. Quò fit vt vix intelligatur Latina litera, qua volubilitate magis Graca quàm poſitione conſtruitur noſtrâ: compoſuit etiam librum περὶ φύσεων μερισμοῦ id eſt de Natura diuiſione intitulauit. Propter perplexitatem quarumdam quaſtionum ſoluendam bene vtilem, ſi tamen ignoſcatur in quibuſdam, in quibus certè à Latinorum tramite deuiauit, dum in Gracos acriter oculos intendit. Quare & Hareticus putatus eſt, ſcripſitque contra eum Quidam Florus. Sunt enim reuera in libro περὶ φύσεων perplurima, qua niſi diligenter diſcutiantur, à fide Catholicorum abhorrentia videantur. Huius opinionis particeps fuiſſe dignoſcitur Nicolaus Papa, qui ait Ep. ad Carolum.*

Relatum eſt Apoſtolatui noſtro, quod opus B. Dionyſij Areopagita, quod de Diuinis vel cœleſtibus Ordinibus Graco deſcripſit eloquio Quidam vir Ioannes Scotus genere nuper in Latinum tranſtulerit, quod iuxta morem nobis mitti & noſtro Iudicio debuit approbari, præſertim cum idem Ioannes, licet multa ſcientia eſſe prædicetur olim, non ſanè ſapere in quibuſdam frequenti rumore dicatur. Propter hanc ergo infamiam taduit eum Francia, venitque ad Regem Elfredum cuius munificentia illectus & Magiſterio eius, vt ex ſcriptis Regis intelligitur, Melduni reſedit, vbi poſt aliquot annos à pueris quos docebat, graphiis foratus animum exuit tormento graui & acerbo.

Eandem hiſtoriam iiſdem plane verbis refert Mathæus Weſtmonaſterienſis; niſi quod videtut Epiſtolam prædictam Marino I. tribuere, quem paulò ante ait ſediſſe in Cathedra D. Petri an. 883. ſediſſe verò tantùm anno vno & 5. menſibus, deinde hiſtoriam Ioannis refert & ſubdit *huius opinionis particeps eſſe dignoſcitur Pontifex Romanus, qui in Ep. ad Carolum miſſa dixit* RELATVM EST APOSTOLATVI NOSTRO, &c. & in fine. *Eodem anno Marino Papæ ſucceſſit Adrianus anno vno & menſibus 3.* ſic enim videtut coniungere Epiſtolam Ponrificis cum morte Marini & ſucceſſione Adriani: ita vt eodem anno iſta omnia acciderint. Verum cum hiſtoriam illam non aliunde deſumpſiſſe videatur, quàm ex Annalibus Rogerij, cuius ipſamet verba refert, nihil quoque cauſæ eſt, cur Epiſtolam illam Marino potius quàm Nicolao tribuamus. Adde quod illam integram habemus ex Cóllectaneis vltimis Naudæi, quam hauſiſſe videtur ex Bibliotheca Oxonienſi, vel Oxomenſi: quippe hunc titulum præmittit. Collect. ex Bibliotheea Oxom. Eſt autem eiuſmodi.

NICOLAVS S. S. D. Dilecto ſilio Carolo Glorioſo Francorum Regi. Sanè plurimum Nos lætificat, quod in Imperio & Regno veſtro & ſpecialiter Pariſius Bonarum Artium ſtudia prædeceſſorum veſtrorum curâ ſtabilita repullulent, quarum ſeminibus Eccleſia Dei fructificat, & animi vegetantur ad illius defenſionem. Sed nuper doluimus, vt relatum eſt Apoſtolatui noſtro, quod opus Dionyſij Areopagitæ, quod de Diuinis nominibus & cæleſtibus ordinibus Græco deſcripſit eloquio, Quidam vir Ioannes natione Scotus nuper tranſtulit in Latinum, quod iuxta morem Eccleſiæ nobis mitti & noſtro Iudicio debuit approbari. Præſertim cum idem Ioannes multæ ſcientiæ eſſe prædicetur olim, ſed non ſanè ſapere in quibuſdam frequenti rumore dicatur. Hinc eſt quod dilectioni veſtræ vehementer rogantes mandamus, quatenus Apoſtolatui noſtro prædictum Ioannem repræſentari faciatis, aut certè Pariſius in Studio cuius Capital iam olim fuiſſe perhibetur morari non ſinatis, ne cum tritico ſacri Eloquij grana zizania & lolij miſcere dignoſcatur, & panem quærentibus venenum porrigat. Datum an. 3.

Ex hacce Bulla patet manifeſtiſſimè STVDIVM PARISIENSE tum refloreſcere cœpiſſe; & præterea Ioannem illum eiuſdem fuiſſe Rectorem. Quid enim aliud per Capital intelligi poſſit, non video. Præſertim cum Rector de more Caput Academiæ vocitetur, eumque Philippus Auguſtus in Priuilegio anni 1200. appellet Capital, & vetet incarcerari. Item Glaber Rodulfus l. 3. c. 8. ait M. Heribertum Aurelian. S. Petri Eccleſiæ cognomenro Puellaris Capitale Scholæ tenuiſſe Dominium.

Quod autem ait Pontifex Ioannem *non ſanè ſapere in quibuſdam*, certum eſt illum à partibus ſtetiſſe Hincmari in diſputatione de Prædeſtinatione, vt ex libro de 3. Epiſtolis Eccleſiæ Lugdun. ſupra retulimus: quam opinionem videtur improbaſſe Nicolaus: idque ſatis innuit Hincmarus in ep. 24. ad Egilonem Senonenſem Romæ apud Papam legationis munere fungentem, cuius hæc ſunt verba. *Gotheſcalus dicitur multos habere fautores, ſicut habuit D. Prudentium, ſicut Scripta ipſius teſtantur quæ à pluribus qui illa habent, poſſunt proferri. Qui videlicet D. Prudentius in Annali Geſtorum noſtrorum Regum, quæ compoſuit ad confirmandam ſuam ſententiam Geſtis Dominicæ Incarnationis 859. indidit dicens, Nicolaus Pontifex Rom. de Gratia Dei & Libero arbitrio, de veritate geminæ Prædeſtinationis & de Sanguine Chriſti, vt pro credentibus omnibus fuſus ſit, fideliter confirmat & Catholicè decernit..... Rurſum neceſſe eſt, vt hoc taliter de hoc, D. Apoſtolico ſuggeratis, ne ſcandalum in Eccleſiam inde veniat, quaſi ipſe, quod abſit, talia ſicut Gotheſcalcus, ſentiat. Et precor vt de mea parte nihil ei dicatur, quia commotum dicitur habere ſuum animum erga me.*

Sed ſi in materia iſta errauit Scotus, longè magis lapſus eſt circa myſterium Euchariſtiæ: auſus enim eſt aſſerere panem & vinum non conuerti ſubſtantialiter in Corpus & Sanguinem Chriſti, ſed vtriuſque tantum eſſe figuram: quam ſententiam ducentis poſt annis propugnauit Berengarius, vt ſuo loco dicetur. Ait Genebrardus fuiſſe eodem tempore quendam Giſelbertum authorem libri, qui inſcribitur ALTERCATIO SYNAGOGÆ ET ECCLESIÆ, in quo declarat vnam tantùm Euchrariſtiæ ſpeciem populo exhiberi ſolitam, & in eodem Ioannem Scotum vt coætaneum allegat.

Hic autem obiter corrigendus error, qui diu inualuit, Paſchaſium Rathbertum Abbatem Corbeienſem Latinè & Græcè doctiſſimum de Sacramento Corporis & Sanguinis Domini contra Ioannem Scorum ad Carolum Groſſum ſcripſiſſe circa an. 880. Nam Paſcbaſius ante an. 815. ſub Adalardo Abbate Cœnobij Corbeienſis ad Somonam factus Monacbus, poſtea Abbas, obiit die S. Richarij 26. April. an. 851. quo tempore vix Ioannes de Euchariſtia librum ſuum ediderat. Sed & longè ante Paſchaſius de materia iſta ſcripſerat, vt patet ex Epiſtola Dedicatoria ad Placidum: quippe in ea meminit Adalardi Abbatis ſui tunc pro fide exulantis: Adalardus autem ab an. 815. ad an. 822. quo reuocatus eſt, exulaſſe comperitur. Præterea meminit turbarum Regni inter fratres de ſucceſſione patris ſui Caroli M. quæ an. 818. contigerunt, quo Bernardus Rex Italiæ, Reginerus Comes Palatij & Reginaldus Præpoſitus Cameræ Regalis coniurati luminibus priuati ſunt; Anſelmus Mediolanenſis, Wotfoldus Cremonenſis & Theodolphus Aurelianenſis coniurationis eiuſdem participes depoſiti & relegati.

Non eſt tamen dubitandum, quin Paſchaſius eandem Quæſtionem longè poſt retractarit: vt patet ex Ep. ad Frudegardum ſeu Fredeuardum Equitem, quam ſcripſit iam ſenex & cui ſubdit Expoſitionem in illud COENANTIBVS autem &c. ex Commentariis in Mathæum. Atque ita verum eſſe poteſt, quod ſcribit Genebrardus, moram fuiſſe Quæſtionem eo tempore à Fredeuardo Equite de manducatione Corporis Domini, eſſet ne vera an Tropica; ſenſibilis an inſenſibilis, modo corporeo an ſpiritali; ad eaque Paſchaſium doctiſſimè reſpondiſſe, nonnulla tacitè corrigendo, quæ de ea quæſtione Bertrahamus Preſbyter paulo ante minus ſcitè & commodè ad Carolum Caluum reſcripſerat, hincque librum à Ioanne Scoto de Euchariſtia compoſitum.

Atque vt ea quæ de Ioanne Scoto dicere inſtituimus, tandem abſoluamus, cumne Rex poſt acceptas Pontificis litteras è Palatinis Scholis dimiſerit, vt volebat Pontifex, incertum eſt. Vnum quidem ex alia eiuſdem Pontificis ad Carolum Epiſtola intelligimus, Epiſcopos quos ſibi quoque tranſmitti poſtulauerat ad cauſam fidei, à Carolo fuiſſe retentos prætextu frequentium incurſationum Gentis Normanicæ. At nec reſponſum nec prætextus iſte placuit Pontifici: ob idque ſic reſcripſit.

Reprehenſibile valde eſſe conſtat, quod ſubintuliſti dicendo maiorem partem omnium Epiſcoporum die noctuque cum aliis fidelibus tuis contra Piratas maritimos inuigilare, ob id Epiſcopi impediebantur venire cum militum Chriſti ſit Chriſto ſeruire. Militum vero ſeculi ſeruire ſeculo, ſicut ſcriptum eſt, nemo militans Deo implicat ſe ſecularibus. Quod ſi milites Seculi militiæ ſtudent, quid ad Epiſcopos & milites Chriſti, niſi vt vacent orationibus?

Hinc quoque coniicitur neque miſſum Ioannem ad Pontificem, cum ipſum, vt ex Houedenſi retulimus, inter familiariſſimos habeter. Non negauerim tamen è ſcholis dimiſſum Palatinis: quippe eum legimus alibi in Francia docuiſſe, eique Humbaldum qui fuit deinde Antiſſiodorenſis Epiſcopus, quocunque ſe conferret, adhæſiſſe. Vt legitur in Hiſtoria Epiſcoporum Antiſſiodorenſ. c. 40. *Hic a primo ætatis tyrocinio ſpiritualibus imbuitur Diſciplinis, Liberalium artium ſtudiis apprime inſtructus. Ioannis Scoti, qui ea tempeſtate per Gallias ſapientiæ diffundebat radios, factus pediſſequus.*

At poſt mortem Nicolai rediit Pariſios, vnde poſtea ab Alfredo Anglorum Rege ad Oxonienſes ſcholas inſtituendas eſt euocatus: vt ſuo loco dicetur.

Anno 862. initium cœpit Comitatus Flandrenſis, nam vt ſcribit Antoninus, Flandria tunc non erat tanti nominis & opulentiæ, ſicut nunc cernitur, ſed à Regis Francorum Foreſtariis regebatur. Atque ſub Pipino, Carolo Magno & Ludouico Lidericus, Ingelramnus & Audacrus Flandriæ Rectores fuiſſe leguntur, nec tunc adhuc Comites vocabantur. Balduinus autem Audacri filius Iuditham Caroli filiam rapuit: quamobrem Epiſcopi iuſſu Caroli congregati eum vnanimi conſenſu à Communione Chriſtiana alienum declararunt. Poſtea tamen Nicolai Papæ precibus, Optimatum & Procerum Regni conſilio pacatus & permotus Carolus & Balduinum & Iuditham in gratiam amicitiamque ſuam recepit, eiſque Flandriam dedit & hæredibus eorum Comitatus titulo poſſidendam. Porro Iuditha vidua erat Edinulfi ſeu Edelbodi Anglorum Regis, cuius poſt obitum, relictis quas apud Angliam obtinuerat, poſſeſſionibus ad patrem reuerſa & ſub eius tutela manens aliquanto poſt conſentiente fratre Ludouico Balduinum Comitem ſecuta eſt, inquit Flodoardus, apud quem extat l. 3. c. 12. Epiſtola Hincmari ad Nicolaum Papam, quâ ſignificat ſe pro poſſe Iuditham Patri reconciliaſſe. Et in fine hæc habet. *Domnus noſter Rex filius veſter huic deſponſationi & coniunctioni intereſſe non voluit, ſed miſſis publicæ rei Miniſtris, ſicut vobis promiſit, ſecundum leges ſeculi eos vxoria coniunctione ad inuicem copulari permiſit; & honores Balduino pro veſtra ſolummodo petitione donauit.* 862.

Anno 863. moritur Galindo cognomento Prudentius Epiſcopus Tricaſſinus, Author Chronici Francici, item & libri de Origenianis & Pelagianis erroribus aduerſus Ioannem Scotum. Annales Bertiniani commemorant eum obiiſſe an. 861. & de prædeſtinatione varia ſenſiſſe. *Galindo cognomento Prudentius Tri-* 863.

caſſinæ Ciuitatis Epiſcopus, natione Hiſpanus, apprimè litteris eruditus, qui ante aliquot annos Gotheſcalco Prædeſtinatiano reſtiterat, poſt felle commmotus contra quoſdam Epiſcopos ſecum hæretico reſiſtentes, ipſius hæreſis defenſor acerrimus, indeque non modica inter ſe diuerſa & fidei aduerſa ſcriptitans moritur. Sicque licet diutino languore fatigaretur, vt viuendi, ita & ſcribendi finem fecit.

Acerbè nimis author iſte in Prudentium inuehitur, virum eximiæ ſanctitatis, & inter Cœlites relatum, cuius feſtum 9. lectionibus celebratur 6. April. Ei in Epiſcopatu ſucceſſit Fulcricus Eccleſiæ Remenſis alumnus, vir quoque eximiè doctus.

864. *Academia Conſtantinopolitana inſtauratio*

Circa annum 864. Bardas Theodoræ Imperatricis frater, Michaelis III. Conſtantinopolitani Imp. auunculus ſub eo primum Imperij habenas moderatus, deinde ipſe Cæſar creatus Philoſophiam & Liberalia ſtudia, quorum vix ſcintillæ ſupererant Conſtantinopoli, aggreſſus inſtaurare, vnicuique Diſciplinæ ſcholas inſtituit & Profeſſoribus de publico ſtipendia ordinauit, inquit Cluuerius, Leonis Philoſophi præcipua vſus opera, qui tunc eruditorum hominum apex habebatur. Videns enim Bardas iamdudum, ſi qui eſſent in Græcia viri amantes bonarum Artium, aliò commigrare ſolitos, & maximè in Ægyptum & in Franciam Caroli M. Ludouici Pij, & iſtis etiam temporibus, Caroli Calui muneribus & priuilegiis allectos, ſicque Græciam olim omnium bonarum diſciplinarum nutricem contabeſcere, inſtaurandæ Academiæ Conſtantinopolitanæ animum adiecit: qua de re ſic habet Ioannes Curopalates.

» Externæ quoque ſapientiæ rationem habuit Bardas, quæ iam pridem effluxerat & ad nihilum prorſus reciderat Imperatorum Principum ruſticitate ac ruditate, definitis vnicuique ſectæ Doctrinæ ſcholis, aliis quidem vbicumque contingeret; Supernæ vero Philoſophiæ, in ipſa Regia in Magnaura. Atque ita ex eo tempore Doctrinæ refloreſcere cœperunt. Hoc opus pulcherrimum & celeberrimum haud potuit alias maculas, quibus infectus erat Bardas, abſtergere. Philoſophiæ igitur dux & Magiſter erat Leo ille magnus Philoſophus ex Fratre nepos Ioannis Patriarchæ, qui etiam Theſſalonicæ Thronum conſecutus eſt. Hæc breuiter Curopalates: at Zonaras tom. 3. fuſius rem exponit vbi de Michaele Theophili filio Principe ignauo, quem ſic Wolfius Latinè eloquentem inducit.

» Nihil Bardas fecit boni, niſi quod eruditionis prouehendæ magnum ſtudium habuit. Nam Philoſophia neglecta iacebat, ac prope iam omnino extincta erat, vt ne ſcintilla quidem eius supereſſet: in cauſa fuerat Imperatorum inſcitia. Sed hic cuicumque Diſciplinæ ſcholas conſtituit & Doctores deſignauit & ſingulis publica ſtipendia decreuit, & omnibus MAGNVM ET COMMVNEM DOCTOREM PRÆFECIT LEONEM PHILOSOPHVM, cuius Doctrinæ inclyta fama erat, etiam ab Imperatore Theophilo honoratum hac occaſione. Cum multos haberet Diſcipulos, accidit vt quidam accuratè in Geometria eruditus, dum in Oriente peregrinatur, à Sarracenis captus, cuidam inter Barbaros illuſtri in ſeruitutem traderetur. Agarenorum porro Princeps Theoremata & Philoſophica ſtudioſè audiebat, tamen Geometricis methodis erat deditus. Cum autem captiui herus Auditorium frequentaret aliquando, & ipſe eum comitatus, auditis Doctoribus, qui figuras geometricas delinearant, & triangulum omnis figuræ principium eſſe docebant omneſque figuras ex eo & oriri & in eundem ſolui, & circulum omnium figurarum, quæ ambitu æquali contineantur, eſſe capaciſſimum, & eius generis alia, rogauit Dominum an liceret Magiſtros de iis quæ docerent, percontari.

» Quod cum illi permiſiſſet, petiit rationes eorum quæ docuiſſent, ſibi declarari. Verum illis quod reſponderent, non habentibus, Agarenorum Princeps Captiuo accerſito, num ipſe id poſſet, interrogauit. Eum ſe ſcire affirmantem afferre in medium iuſſit. Captiuus igitur ab initio declarat ſingula rationibus adductis & cauſis expoſitis. Auditores verbis eius intellectis Theoremata acutius perſpexerunt, quaſi dilatatis ingeniis, virumque admirati rogarunt, an Conſtantinopolis alios ſimiles haberet. Multos, inquit, me præſtantiores habet, ſed vnum Magiſtrum omnium, virum in Philoſophicis rationibus incomparabilem. His auditis Agarenorum Princeps amore illius Magiſtri captus

eum & audite & videre deliberauit, ac litteras quibus hortabatur, vt ad ſe veniret, ſuamq; ſapientiam ſibi communicaret, captiuo liberaliter & benignè tractato ad illum preferendas tradit. At Leo veritus, ne in crimen veniret ob miſſas ab hoſte litteras, Epiſtolam Domi Logothetæ tradit, captiuo etiam adducto, qui argumētum eius exponeret. Ex hoc Theophilo innotuit, & beneficiis affectus publicè docere iuſſus eſt. Poſt etiam Theſſalonicæ Pontifex deſignatus. Verum Theophilo mortuo inter cæteros Iconomachos Ponrifices & ipſe ob honorem ſacris imaginibus non delatum, eſt ea dignitate priuatus. Hunc igitur Bardas cum otium agentem inueniſſet, Magistris præpoſuit, itáque effecit vt litteræ refloreſcerent, exiguoque tempore incrementa caperent. Sic pro Epiſcopatu Scholasticvm orbis tradidit Imperivm Leoni Bardas; inquit Cluuetius ex Cedreno.

Ex his autem tria colligimus, quæ maximè noſtram illuſtrant Vniuerſitatem. 1. Quod Bardas exemplo Caroli M. Pvblicam Scholam ſeu Vniversitatem inſtituerit, & vnicuique Diſciplinæ exercendæ ſingulos Magiſtros ſeu Profeſſores addixerit, vt ante de Carolo demonſtrauimus. 2. quod in ipſa Regia, ſeu in Palatio Imperiali ſupremæ ſaltem Philoſophiæ ſcholam collocarit. 3. quod toti iſti Academiæ, ſeu quod idem eſt, omnibus Magiſtris ſupremum aliquem Moderatorem, quem Nos Rectorem appellamus, præfecerit, cum Academia ſine Capite ſtare non poſſit.

Idem Bardas ob repudiatam vxorem ſacris prohibitus, Ignatium Patriarcham de ſede Bizuntina deiecit, & Photium inſignem doctrina virum, cuius Bibliotheca, inquit Cluuetius,, theſaurum præbet adhuc priſcæ eruditionis, euexit. At Nicolaus Papa Ignatij Patriarchæ depoſitionem & Photij illegitimam conſecrationem eſſe pronunciauit. Ille eſt Photius, qui contra Nicolaum Concilium Epiſcoporum conuocauit, & proceſſionem Spiritus S. à ſolo Patre acriter defendens ab Eccleſia Rom. palam diſceſſit.

Anno 865. Nicolaus habet Romæ Concilium Epiſcoporum 113. contra duo 865. Concilia Prouincialia Metenſe & Aquiſgranenſe, quæ Thietbergam non eſſe legitimam Lotharii Regis vxorem declarauerant facta alterius ducendæ poteſtate. Hæc Genebrardus. Waldradam autem pellicem ſacris arcet per Legatum, admonetque Lotharium vt ea abſtineat ſub eiuſdem pœnæ interminatione. *Præcipuè Gualdradæ pellicis tuæ & dudum à te repudiatæ communionem declina. Excommunicata eſt enim, & vſque ad præſentiam noſtram ab omni contubernio Chriſtianorum ſequeſtrata: quamobrem cauendum, ne cum ea pari mucrone percellaris ſententiæ, & pro vnius muliercula paſſione vinctus & obligatus ad perenne traharis exitium. Deterius quippe in populis Prælati delinquunt, ac per hoc ipſi crudelius quàm cæteri puniuntur, vt Gregorius ait.*

Idem ſcripſit ad Epiſcopos Galliæ, Germaniæ & Italiæ de illis nuptiis. Adeo exactè & ſeuerè leges Eccleſiaſticas exercebat. Legati quos ad Lotharium miſerat, renunciarunt ſe in toto eius Regno nullum ſapientem Epiſcopum inueniſſe, qui canonicis inſtitutus eſſet Diſciplinis, vt teſtatur Rhegino l. 2. Gunthariũ autem Archiepiſcopum Colonienſem, licet ab aliis Prælatis vt eum reſtitueret, rogatus perpetuo decreto ab Archiepiſcopatu arcuit, aliumque ei ſubſtitui voluit.

Eodem anno Normani ſpoliata & incenſâ Abbatia S. Benedicti ad Ligerim, Aureliam oppugnant & flammis mandant excepta Baſilica S. Crucis, quam ignis abſumere non potuit. Idque Adreualdus Floriacenſis refert inter miracula S. Benedicti. *Aurelianis ciuitatem & Eccleſias cremauerunt præter Eccleſiam S. Crucis, quam flamma, cum inibi multum laboratum à Normanis fuerat, vorare non potuit.*

Eodem anno Notgerus Abbas S. Galli moritur, author Sequentiarum ſeu Proſarum quas Nicolaus in templis Chriſtianorum cantari permiſit. Item Rodulfus Fuldenſis Rabani Diſcipulus, de quo ſic habent Annales Fuldenſes. *Ruodolfus Fuldenſis Cœnobij presbyter & Monachus, qui apud totius pæne Germaniæ partes Doctor egregius & inſignis floruit Hiſtoriographus & Poëta, atque omnium artium nobiliſſimus Author habebatur, 8. id. Martias diem vltimum feliciter clauſit.*

Anno 867. die 13. Nouemb. obit Nicolaus Pontifex, Eccleſiaſticæ Diſci- 867.
plinæ aſſertor & propugnator acerrimus. Ei ſuccedit Adrianus natione Romanus ex patre Talaro, tenuitque Cathedram S. Petri annis 5. & menſibus vnde-

cim: à populo & clero electus abſque Imperatoris conſenſu, aut certè non exſpectato, licet ipſius Legati Romæ tum eſſent: quod cum moleſtè tuliſſet, reſponſum eſt à Clero teſte Antonino, non id a ſe factum contemptu Principis, ſed futuri temporis proſpectu, ne ſcilicet ad Electionem Rom. Pontificum Legatos Principum aut Principes ipſos expectandi mos inualeſceret. Cæterum Adrianus vir erat apprime doctus, optimus & liberaliſſimus, virorumque Doctorum amantiſſimus. Alfredum Anglorum Regem coronâ Regia inſigniuit teſte Polydoro l. 5. Hiſtor. Angl.

868. Anno 868. Æneas Epiſcopus Pariſienſis iuſſu Caroli Regis Corpus B. Mauri Abbatis è Glannafolio in Foſſatenſem locum transtulit: & in ea translatione humeros deuotè ſancto Feretro ſuppoſuit: in cuius rei memoriam Foſſatenſi Eccleſiæ Præbendam integram in Cathedrali conceſſit perpetuis temporibus poſſidendam, annuamque ſupplicationem, ſeu vt vulgo loquimur, Proceſſionem inſtituit his verbis.

„ In Nomine Patris et Filii et Spiritus S. Ego Æneas Pariſiorum Epiſcopus notum facio cunctis Dei Eccleſiæ, filiis præſentibus ſcilicet & futuris, „ quod anno 868 Indict. 1. Iuſſu ſereniſſimi Caroli Regis ad Foſſatenſem ob recipiendum Corpus B. Leuitæ Mauri accedens Abbatiam, dum à propriis ſacram præfati Sancti depoſui humeris ſuper BB. Apoſtolorum altare Glebam, conceſſi eidem Eccleſiæ annuentibus cunctis Archidiaconibus & Clericis noſtris, „ qui vna mecum illic aderant, in ſede noſtri Epiſcopatus, in Eccleſia videlicet „ B. Dei Genitricis Mariæ perpetuo Præbendam integram. Ita vt ab hac hora „ vſque in nouiſſimam huius ſeculi horam tam venerabilis Odo, qui nunc illi Cœnobio præeſt, quam ſui ſucceſſores eam libere & abſque vlla moleſtia vel inquietudine, vel aliquo ſeruitio habeant & ſecurè poſſideant. Proceſſionem denique annuatim in quadrageſima, 4. ſcilicet feria poſt Dominicam, quæ paſſionis Chriſti prætitulatur, noſtris ſequacibus in monumentum Proceſſionis „ quam Chriſti Dilecto Confeſſori Mauro exhibuimus, die quâ primum receptus „ eſt à Foſſatenſibus, indicimus, vt cuius ſemel in anno membra reuiſimus, eius „ precibus & meritis aſſiduè muniamur. Quicumque ergo noſtrûm ad hanc venerit proceſſionem, nullam ibi ſumat refectionem, ſed ſola Charitate quæ multitudinem peccatorum operit, illuc adeant, atque ſibi mutuo data benedictione ad propria ieiuni tedeant. Abbas vero præſcripti Cœnobii ſibique fratres „ ſubditi nullam huius rei gratia perſoluant Pariſienſi Eccleſiæ conſuetudinem, „ neque nobis aut ſucceſſoribus noſtris aliquam redhibitionem.

„ Quod ſi aliquis ſucceſſorum noſtrorum huius conceſſionis calumniator aut „ retractor extiterit & Præbendam reſciderit vel imminuerit, Proceſſionem „ quoque Foſſatenſis Eccleſiæ à Nobis ob amorem B. Mauri traditam, fieri niſi „ occaſione rationabili aliquoties prohibuerit, excommunicatus niſi penitus reſipuerit, pereat in æternum. Amen. Vt ergo hoc donum firmum & ſtabile maneat „ per ſucceſſura tempora, coram omnibus in Capitulo B. Mariæ illud manu propria ac noſtris Archidiaconibus cunctiſque Clericis ad roborandum tradidi „ noſtroque ſigillo muniui.

Huius Chartæ fidem eleuat doctiſſimus Launoyius in duobus præſertim, ſcilicet quod tunc non eſſet Præbendæ Eccleſiaſticæ nomen in vſu: nec dum eſſent Præbendæ ſingulares Canonicorum, ſed vna omnium menſa communis iuxta inſtitutum Stephani, Eugenii & Caroli M. deinde quia tum nondum erant in Eccleſia Pariſienſi plures Archidiaconi, quales fuiſſe hæc Charta indicat. Sed in rei veritatem inquirere non eſt præſentis materiæ.

869. Anno 869. Lotharius expulſis Saracenorum copiis ex Italia Romam victor ingreditur & ab Adriano honorificè excipitur: paulo poſt graſſante peſte pœne totus eius exercitus interiit, & ipſe amiſſis fere omnibus ſuis Placentiæ 8. id. Auguſti ſubita lue correptus occubuit. Qua re intellecta Carolus noſter Lotharianũ Regnum inuadere conatur & Mediomatricibus Tungtenſibus & Tullenſibus in fidem acceptis, Metis ab Hincmaro Regio Auſtraſiæ ſeu Lotharingiæ diademate coronatur: ita paulatim fata viam ſternebant ad Imperium Occidentis, quod poſt aliquos annos obtinuit.

870. Sub hæc tempora Erricus Antiſſiodorenſis Heliæ Scotigenæ olim Diſcipulus Carolo

Status Academiæ Pariſienſis.

Catolo vitam S. Germani verſibus conſctiptam dedicauit : à quo quis fucrit tunc Academiæ Pariſienſis ſtatus accipimus. Certè vix eredi poſſet tam floten-tem fuiſſe tot inter bellorum Ciuilium & Exterorum procellas fortunæque va-rios euentus, niſi authotem habetemus illorum temporum, qui quanto ſtudio Carolus viros doctos & petitos vndequaque accerſetet & prœmiis alliceret non ex Gallicanis modo partibus, ſed ex omni pœne tetratum orbe, certiſſimè & vt oculatus teſtis deſctibetet. Ab eo diſcimus Græciam, ad quam olim veluti ad vnam Artium omnium Matrem & altricem ex omni Regno & Natione concut-rebatur, Magiſttis ſe otbatam doluiſſe, ſeque pœne barbaram ſenſiſſe, eum ſi qui ſcientiarum diſcendarum aut docendarum deſiderio tenebantur, in Gal-liam contempto pelagi diſcrimine, Principum noſttorum libetalitate allecti confluetent. Ab eodem intelligimus Anglos, Seotos, Hibernos ad Pᴠʙʟɪᴄᴀs Fʀᴀɴᴄɪæ Sᴄʜᴏʟᴀs hiſce Caroli temporibus cateruatim conueniſſe. Ac ne quis à nobis gratis id dictum putet, ſubiungimus Epiſtolam dedicatoriam S. Germa-ni vitæ præfixam, in qua ſic Carolum compellat.

Epiſtola Errici Antiſſ. ad Carolum Caluum.

Immortalibus ſceptris Prædeſtinato Regumque omnium præcellentiſſimo Catolo perpetuo Triumphatori ac ſemper Auguſto Etticus Cœnobitarum ex-timus inſtantem ac perpetuam in Domino felicitatem. Quoties memotia te-plico Altitudinem tuam ſceptra paterna non modo virtute, conſilio pruden-tiaque tegere, verum etiam non minore ſtudio ex intimis Sapientiæ ſpeculis vetæ pulchritudinis colotes ducere, hiſque tempota perditis fœdata motibus infor-mare, ſubinde in ſpes optimas erigor, ciuſque ſœpenumeto quæ ante nos di-cta eſt ſententiæ veritate repungor, felicem fore Rempub. ſi vel Philoſopha-rentur Reges, vel Philoſophi tegnarent. Quanquam non inſciens ſim eam quæ nunc Reſpub. dicitur, vſque adeo vitiorum omnium proluuie obſoluiſſe, vt de eius ſalute meritò deſperetur à pluribus, quod nec virtute ſubigi, nec ſapien-tiâ patitur moderari.

Multa ſunt Tuæ monumenta clementiæ, multa ſymbola pietatis : illud vel maximè tibi æternam parat memoriam, quod famatiſſimi aui *tui Caroli ſtudium erga immortales diſciplinas, non modò ex æquo repreſentas*, verum etiam incom-parabili feruore tranſcendis : dum quod ille ſopitis eduxit cinetibus, tu fo-mento multiplici tum *beneficiorum*, tum *authoritatis* vſquequaque prouehis, imò vt ſublimibus ſublimia confetam, ad ſidera petutges. Ita tuâ tempeſtate ingenia hominum duplici nituntur adminiculo ; dum ad ſapientiæ abdita per-ſequenda omnes quidem exemplo allicis, quoſdam verò etiam præmiis inuitas. Huc accedit illud veritatis inexpugnabile argumentum, quo ſe tua ſingularis prudentia contra emergentes forte quetimonias circunſpecta ſatis tatione tuetut. Ne enim noſtra inertia, quæ ſuam ſponte amplectitur cæcitatem, velum ſibi excuſationis de ignorantiâ obduceret, neue de Præceptorum inopia merito cauſaretur, id tibi ſingulare ſtudium effeciſti, vt ſicubi tertatum *Magiſtri flo-rerent Artium*, quarum principalem operam Philoſophia pollicetur, hos ad Pᴠ-ʙʟɪᴄᴀᴍ ᴇʀᴠᴅɪᴛɪᴏɴᴇᴍ vndecunque tua celſitudo conduceret, comitas attra-heret, dapſilitas prouocatet. Luget hoc Græcia nouis inuidiæ aculeis laceſſi-ta ; quam ſui quondam incolæ iamdudum cum Aſianis opibus aſpernantur, tua potius magnanimitate delectati, ſtudiis allecti, liberalitate confiſi. Dolet in-quam ſe olim ſingularitet mirabilem & mitabilitet ſingularem à ſuis deſtitui. Dolet certè ſua illa priuilegia, quod nunquam hactenus vetita eſt, ad Clima-ta noſtra transferri. Quid Hiberniam memotem contempto Pelagi diſcrimine pœne totam cum grege Philoſophorum ad littora noſtra migrantem? quorum quiſquis peritior eſt, vltro ſibi indicit exilium, vt Salomoni ſapientiſſimo fa-muletur ad votum. Itaque Cæſar inuictiſſime, pœne eſt, vt vniuerſus orbis no-uas in te ſtruat controuerſias, nouis aductſum te declamationibus inuehatur, qui dum te tuoſque ornamentis ſapientiæ illuſtrare contendis, cunctarum fere Gentium Scholas & Studia ſuſtuliſti. Sublatis enim Præceptoribus confine & conſequens eſt facile omnium ingenia otio congelaſſe. Ita namque ſpretis cæte-ris in eam mundi Partem quam veſtra poteſtas complectitur, Vɴɪᴠᴇʀsᴀ ᴏᴘᴛɪᴍᴀ-ʀᴠᴍ Aʀᴛɪᴠᴍ Sᴛᴠᴅɪᴀ confluxerunt : vt veriſimile habeam iamdudum eas hu-

„ manæ peroſas inertiæ terris penitus exceſſiſſe, niſi tuæ integritatis amplitu-
„ dine tenerentur, in qua etiam vnicum ſuæ profeſſionis culmen ac faſtigium, vt
„ palam eminet, mirabiliter collocarunt. Hinc eſt quod cum ſit perantiqua ſen-
„ tentia, *Silent leges inter arma*, Hæ tamen tam belli quàm pacis tempore apud
„ Te plurimum ſemper obtinent dignitatis. Itaut meritò vocitetur SCHOLA PA-
„ LATIVM, cuius apex non minus ſcholaribus, quàm militaribus conſueſcit quo-
„ tidie diſciplinis. Quidquid igitur litteræ poſſunt, quidquid aſſequuntur ingenia,
„ tibi debent. Tibi inquam, qui natus ad agendum ſemper aliquid dignum viro
cùm virtute præcellis, tum etiam ſapientiâ refulges. Hæc Erricus S. Germani Antiſſiodorenſis Monachus, qui à Lothario Abbate ſuo Caroli filio e Scholis Pariſienſibus euocatus circa an. 865. eiuſdem iuſſu vitam S. Germani verſibus complecti aggreſſus fuerat: at vix opus illud inceperat, cum obit Lotharius nimirum an. 866. vt ipſe in ead. Ep. indicat, *tandemque me qui tum recens ſcholis emerſeram, conuocato dolorem aperit inteſtinum Lotharius*. Ab incepto verò nolens deſiſtere perfectum & abſolutum opus Carolo dedicauit annos tum natus 32. vt ait ipſe in fine lib. 6.

Quis autem cum hanc Epiſtolam legit, non repræſentat animo Academiam omnium Artium profeſſione celeberrimam? ad quam ex omnibus mundi Regionibus Profeſſores confluunt. Quis vnquam plura dixit ad commendationem & famam Alexandrinæ ſcholæ, Athenienſis, Romanæ, Conſtantinopolitanæ, Berytenſis, quandiu maxime floruerunt & viguerunt? Quis vnquam Rex aut Imperator tam munificus fuit & liberalis erga profeſſores litterarum? Nam eſto Principis factum Erricus paulum exaggeret, certè nemo putabit tam impudentem fuiſſe aut tam inſigniter mendacem, vt Regi ſuo tam multa quæ ad laudem eius immortalem faciebant, affingere auderet, ſi falſa erant quæ ſcribebat. Quæ porro fides homini S. Germani vitam & miracula deſcribenti, ſi fronti operis mendacia tam inſignia præfixiſſet?

Dubium igitur non eſt, quin Carolus Caluus ſtudia bonarum Artium plurimum promouerit. Nec dubium quoque, quin Erricus de Pariſienſi Academia loquatur. Quo enim pertinent hæc verba, AD LITTORA NOSTRA. AD CLIMATA NOSTRA, cum Antiſſiodori ſcribat Erricus? Et quem alium locum indicat niſi Lutetiam Caroli ſedem primariam? nullum çertè alium. Vnde Andreas Ducheſnius qui in præfatione ad opera Alcuini negat Carolum M. Athenen ſuam nouam collocaſſe Pariſiis, in notis marginalibus non impreſſis ad hanc Epiſtolam manu propria ſcripſit STVDIA ET VNIVERSITAS PARISIENSIS SVB CAROLO CALVO. Quem locum & verba mihi pro ſua humanitate oſtendit filius eius clariſſimus Hiſtoriographus Regius: adeo non dubitauit Andreas, quin tum eſſet Pariſienſis Vniuerſitas.

Sed placet inſuper aliunde hanc Epiſtolam illuſtrare. Ex hiſtoria Monachi San-Gallenſis patet Caroli M. tempore Anglos & Scotos Philoſophos ad eadem littora cum mercatoribus Anglis appuliſſe, Et quid aliud Erricus, cum ait *Hiberniam pæne totam contempto Pelagi diſcrimine ad littora noſtra migraſſe?* De Francia vero, & de Lutetia quis non interpretetur ea verba, quæ idem habet ad Carolum cum ait VNIVERSA OPTIMARVM ARTIVM STVDIA *ad eam partem quam eius poteſtas* complectebatur, confluxiſſe? certum eſt enim Regnum Franciæ Carolo cecidiſſe in partem paternæ hereditatis, vt ante docuimus, & Lutetiam fuiſſe ſedem Regni præcipuam & primariam.

Poſtremo nemo negauerit, quin Carolus loquatur de Schola Publica Palatina, cum ait profeſſores à Carolo allectos ad PVBLICAM ERVDITIONEM efficere, vt merito vocitetur SCHOLA PALATIVM, quia ibi ſcholares ſeu ſcholaſticæ artes & Diſciplinæ exercebantur. Nam vt ante docuimus, Carolus M. Muſas in Palatio ſuo collocauit, & hodie etiamnum locus in quo vetus ipſius Palatium fuiſſe credibile eſt SCHOLA vocatur, Gallice L'ESCHOLE & SCHOLÆ quoque portus appellatur.

Accedunt plurima exempla virorum illuſtrium, qui hiſce temporibus Scholam Palatinam frequentabant: quorum nonnulla ſuppeditat Hiſtoria Epiſcoporum Antiſſiodorenſium, quam author quidam Anonymus ex veteribus

monumentis & Annalibus perducit ad an. 1277. ille igitur de Herifrido ſucceſſore Humbaldi verba faciens cap. 41. ſeu potius verbis vtens authoris Herifrido ſupparis ſic ait, *Eo tempore Carolus nulli virtute ſecundus totius orbis gubernabat Imperium: quo hoſpite* (forte ſoſpite) *felices extitere res mundi, quia & Rex philoſophabatur & Philoſopus Regni moderabatur habenas. Nam licet in diuerſa vt pote Regum omnium potentiſſimus extenderetur animus, Liberalium Artium ferulas à palatio nunquam videres deeſſe, ſed Regiæ Dignitatis Aulam totius Sapientiæ Gymnaſium mirareris exiſtere. Ad hunc locum quique Nobiles & Regni Optimates diſcendi gratia humani & Eccleſiaſtici generis ſoboles deſtinabant, certi vtriuſque diſciplinæ dogma oppidò refulgere. Inter alios denique ſuperbi ſanguinis Iuuenes inibi exultantibus animis confluentes aderat præfatus vir ex nobiliſſima Armoricani Tractus proſapia deriuatus Herifridus.* Et paulo poſt. *Ad ſupradicti Imperatoris famulatum ſeruiturus dirigitur. Illic planè Scripturarum perſcrutans paginas, Senioris ſui inhæſit ſeruitio, vt nunquam ab eius vellet præſentia diſcedere, nunquam ab Eccleſiaſticis negotiis ſeparari.... Vbi qualiter vixerit, & quam nobilem ſe normamque virtutum omnibus præbuerit, plures ſuperſunt, qui hac luce clarius norunt.* Ex his verbis patet authorem vitæ Herifridi paulum ab eius & Caroli ætate abfuiſſe, cum multos ſuo tempore ſupereſſe dicat, Herifridum qui nouerant.

Neque omittendum, quod idem author ſcribit paulo ante hæc vltima verba. Herifridum ſcilicet in vrbe Carnotenſi vnde oriundus erat, primum liberalibus inſtitutum fuiſſe ſtudiis aliquantiſper; deinde vero *vt in eum litteralis ſcientia concurreret*, D. Gauterio ſeu Waltero Epiſcopo Aurelianenſi procurante ad Palatinas ſcholas, quaſi è priuatis & minoribus ad publicas & Maiores miſſum fuiſſe. Porro vir erat magni nominis & authoritatis apud Carolum Gauterius, qui Anſelmo ſucceſſit an. 876. quem Rex ſecum in Italiam duxit ad Imperium capeſſendum, cuiuſque ſapientibus conſiliis in omnibus negotiis vtebatur, & poſt eum vſi Ludouicus Balbus & Carlomannus. Herifridus autem Humbaldo Ioannis Scoti Erigenæ Diſcipulo ſucceſſit in Cathedra Antiſſiodorenſi.

Idem patet ex Hiſtoria Abbatum Lobienſium c. 15. de Francone ſucceſſore Carlomanni filij Caroli Calui. *Cui in Regimine ſucceſſit Domnus Franco tempore Hludouici iam dicti Caroli Imperatoris* (Calui) *filij, qui Franco multæ nobilitatis & Palatinis ſtudiis inſtructus extitit, vnde & plura Monaſteria noſtro acquiſiuit.*

Idem quoque refertur de Ratbodo Teutonico Guntheri Archiepiſcopi Colonienſis nepote, qui cum apud auunculum Coloniæ aliquandiu litteris operam dediſſet, eo de ſede ob contumaciam deiecto à Nicolao Pontifice, ad Palatinas ſcholas ſe contulit, vt legitur apud Surium ex veteri M. S. incerti authoris ad diem 29. Nouemb. *Primæ ætatis tempus exegit apud Guntherum Colonienſem Archiepiſcopum auunculum ſuum litteris operam nauans: ſed cum illi Epiſcopo res aduerſæ accidiſſent, puer egregiæ indolis hortantibus ſuis, pleriſque etiam adiuuantibus: quippe quem Dei gratia qua præditus erat, omnibus charum efficeret, primo ad Caroli Regis Francorum, inde ad Ludouici eius filij Aulam ſe contulit, non quod Palatinos ambiret honores, ſed quod* INTRA REGIS PALATIVM LIBERALIVM DISCIPLINARVM STVDIA *præclarè colerentur. Praeerat autem Collegio illi Manno Philoſophus, cui ſanctus puer feruens diſcendi ſtudio ſedulus adhærebat.*

Atque vt hanc de Caroli Calui erga immortales Diſciplinas ſtudio & affectu hiſtoriam abſoluamus, Errici authoritatem tanti facit Papyrius Maſſonius & quæ de Carolo dicit, tam efficacia & clara reputat, vt aſſerere non vereatur Pariſienſem Scholam ſuam potius debere ad Caluum referre fundationem & originem, quam ad parentem Ludouicum Auguſtum, aut ad Auum Carolum M. non tantum quia Diſciplinas Artium Liberalium adamauit, ſed quia Profeſſores earum vndequaque in Galliam adſciuit, eorumque conuerſatione & familiaritate adeo delectabatur, vt ab aliquibus per iocum PHILOSOPHVS LITTERARVM appellaretur. *Inter cætera*, inquit, *Liberalium Artium ſtudia & Diſciplinas vnicè amauit, Profeſſoreſque earum vndequaque in Galliam exciuit, vt mihi videatur Pariſienſis ſchola originem ſuam huic potius debere, quàm Parenti aut Auo: Henricus apud Antiſſiodorum Galliæ Monachus Latinè Græcèque doctus præfatione ad libros ſuos de vita Germani, Carolo poſt adeptum Imperium ſcriptos* (imo ante) *teſtis*

eſt quanti litteras fecerit... Tantus vero tam clariſſimi Regis amor erga litteras & profeſſores earum multum Galliæ profuit. Floruere amantiſſimi litterarum Ionas Aureliæ, Freculfus apud Lexouios, in 2. Lugdunenſi, Hincmarus Remis, Hilduinus Pariſiis, Herricus Altiſſiodori, Lupus in agro Senonum Rabani in Theologia auditor vt ipſe narrat.

Iraque licet bella modò Ciuilia, modò externa Carolum ſœpe diſtinerent, & huc illucque diſtraherent, tam prudenter tamen omnia componebat tempori conſulendo, vt parum inde damni caperent litteræ, quibus eum addictiſſimum fuiſſe patet, tum ex iis quæ retulimus, tum ex Ep. Nicolai I. de qua ſupra, patebitque adhuc clarius infra authoritate Ioannis Papæ, cum Imperiali eum diademate inſigniuit.

871. Circa an. 871. Carolus externo bello occupatus, domeſticum ſenſit. Nam cum Viennam aduerſus Gerardum Comitem, qui deſciuerat, profectus fuiſſet, Karlomannus filius eius Clericus, imò Diaconus multarum Abbatiarum Abbas Commendatarius vltro patri bellum intulit, innumeraque mala Regno importauit. Quamobrem Hincmarus à Rege ſœpe rogatus vt filium contumacem ad officium ſalubribus monitis reducere conaretur, ſecus Epiſcoporum Synodum aduerſus eius perfidiam conuocaret, reſpondit vt legitur apud Flodoardum l. 3. c. 26. Karlomannum non eſſe ſuæ prouinciæ, vt pote qui fuiſſet ordinatus ab Hildegario Epiſcopo Meldenſi, nec poſſe quoque Epiſcopos de aliena prouincia conuocare, imò nec Suffraganeos ſuos, cum natalis Domini inſtaret. Licet autem id commodè fieri poſſet, & Epiſcopi ſtatuerent contra ipſum, ſuarumque Diœceſeon ingreſſu interdicerent, non tamen illum deſtiturum ab inceptis, ſi non aliunde coerceatur. Eum tandem comprehendi curauit pater, & in carcerem compingi. Verum inde nonnullorum Procerum ope liberatus ad Germaniæ Regem Ludouicum confugit, eumque aduerſus patrem capere arma compulit. Poſttemo tandem poſtquam multa Regno mala intulit, nec monitis nec precibus vllis flecti potuit, Pater eum comprehenſum oculis priuari iuſſit, & in Abbaria Corbeienſi ad mortem vſque recludi.

872. Circa hoc quoque tempus celebratum eſt Conſtantinopoli octauum Concilium Oecumenicum & vniuerſale, 300. vel vt aliqui ſcribunt 383. Epiſcoporum contra Photium ſedis Conſtantinopolitanæ Inuaſorem. Præfuerunt autem illi ab Adriano miſſi Legati Donatus Oſtienſis, Stephanus Nepheſinus Epiſcopi & Marinus Eccleſiæ Rom. Diaconus poſtea Papa, cum quibus Anaſtaſius quoque Bibliothecarius profectus eſt. Inter cætera autem Concilii ſtatuta anathematizatus eſt Photius & Ignatius reſtitutus. Sicque circa eiuſmodi promotiones & depoſitiones à Principibus laicis factas ſacra Synodus definiuit. *Conſecrationes & promotiones Epiſcoporum concordans prioribus Conciliis Clericorum electione ac decreto Epiſcoporum Collegio fieri hac ſancta & vniuerſalis Synodus definiuit & ſtatuit, ac iure promulgauit neminem Laïcorum Principum vel Potentum ſemet inſerere electioni vel promotioni cuilibet Patriarchæ Archiepiſcopi vel Metropolitani, aut Epiſcopi cuiuſlibet, ne videlicet inordinata & incongrua hinc fiat contentio vel confuſio: præſertim cum nullam in talibus poteſtatem quemquam Poteſtatiuorum vel Laïcorum cæterorum habere conueniat; ſed ſilere & attendere ſibi vſquequo regulariter à Collegio Eccleſiæ accipiat finem Electio futuri Pontificis.* Ita refert Antoninus in Adriano II.

874. Anno 874. Adrianus obit, eique ſuccedit Ioannes VIII. natione quoque Romanus, patre Gundo, non minori doctrinâ clarus, qui B. Gregorij vitam 4. libris conſcripſiſſe dicitur. Sub eo claruit adhuc Anaſtaſius Cancellarius vulgò Bibliothecarius, Græcâ & Latinâ linguâ valde doctus, eloquio facundus & omni ſcientiarum genere cumulatus: qui octauam Synodum Oecumenicam de qua ſupra, iubente Pontifice de Græco in Latinum tranſtulit; vt & antea Hierarchiam D. Dionyſij Areopagitæ tranſtulerat. Item paſſionem Petri Alexandrini, Achaeij & ſociorum eius, & S. Ioannis Eleemoſynarij. Porro Ioanni contigit quod nulli vnquam Pontificum Romanorum; tres enim Imperatores intra 4. annos diademate inſigniuit, Carolum Caluum, Ludouicum Balbum, & Carolum Craſſum. Romæ quidem Carolum inaugurauit. In Gallia Ludouicum coronauit, & Romam reuerſus Craſſum Imperij inſignibus adornauit.

Digitized by Google

Cum autem illis temporibus graſſarentur Normani & alij Barbari, Monaſteria & Eccleſias aliaſque ædes Deo conſecratas ſpoliarent & depopularentur; & qui iis conſeruandis à Regibus præpoſiti fuerant, nihilò mitius & humanius ſe gererent; imò ipſi quod Barbari reliquiſſent, auferrent, ſeuerè eos puniri voluit Pontifex, eiuſque in hanc rem extant plurimæ conſtitutiones inter Decretales Pontificum: vt diſt. 23. q. 5. *Adminiſtratores planè ſecularium dignitatum, qui ad Eccleſiarum tuitionem, pupillorum ac viduarum defenſionem, Rapaciumque refrenationem conſtituti eſſe procul dubio debent, quoties ab Epiſcopis & Eccleſiaſticis viris conuenti fuerint, eorum querimonias attentius audiant, & ſecundum quod neceßitas expetierit, abſque negligentia examinent & diligenti ſtudio corrigant. Quod ſi Dei timorem præ oculis non habentes negligere poſt ſecundam & tertiam admonitionem inuenti fuerint, omni ſe nouerint communione priuatos.* Idem q. 8. Demago Duci ſcribens, *Præterea*, inquit, *Deuotionis tuæ ſtudium exhortamur, vt contra marinos latrunculos, qui ſub prætextu tui nominis in Chriſticolas debacchantur, tanto vehementius accendaris, quantò illorum prauitate famam tui nominis fuiſſe obfuſcatam recognoſcis. Quoniam licet credi poßit, quod te nolente illi nauigantibus inſidiantur, tamen quia à te comprimi poſſe dicuntur, niſi eos compeſcueris, innoxius non habeberis. Scriptum eſt enim, Qui crimina quæ poteſt emendare non corrigit, ipſe committit.*

Anno 875. Normani poſt vaſtatam Aquitaniæ magnam partem, Andegauum 875.
capiunt, in eaque vrbe quaſi perpetuò manſuti & habitaturi conuectas omnes prædas & ſpolia deponunt. At Carolus adſcito Salomone Britonum Rege multis diebus eam obſidet, Normanos ad deſperationem adducit: & facile omnes vno prælio concidiſſet, ſi pecuniâ ab eis acceptâ, egreſſum liberum non conceſſiſſet. Quæ res ab eo militum mentes omnino abalienauit; & Normanis plus audendi animos dedit. Nihilominus id prudenter à Principe factum ſcribunt nonnulli: quippe ita pactus erat cum illis, vt liceret quidem naues repetere ſi vellent, aut ſi qui vellent in Regno remanere & fidem Chriſtianam amplecti atque profiteri, ſecurè quoque poſſent, ſeque illis promiſit locum daturum ad habitandum. Quo tempore obiit Æneas Ep. Pariſienſis, cui ſuccedit Ingelwinus.

Eodem anno Ludouicus Imperator menſe Auguſto mortem Mediolani oppetit, ſepeliturque in Baſilica D. Ambroſij, vbi extat adhuc vetus eius elogium. Vir fuit, pietate, iuſtitia & religione inſignis. Verùm ſtudium in eo gloriæ & dignitatis Italicæ conſeruandæ multò maius aut fortunâ, aut opibus fuit, nec tantum virtute quantum voluntate complexus eſt, vt ſcribit Sigonius. Et quia ſine prole maſcula obierat, certatim ad Imperium concurrerunt Carolus Rex Franciæ & Ludouicus Rex Germaniæ; quique ſine contentione Lotharingiam poſt Lotharij mortem diuiſerant, non ſic æquis animis ad Imperium profecti ſunt. Carolus in expeditione celerior fuit, & ad Pontificem Ioannem ſine mora contendit, magnum ratus in celeritate momentum poſitum ad executionem propoſiti: nec ſua eum opinio fefellit, quippe cum 16. Kal. Ian. Romam perueniſſet, ipſo die Natali Domini à Ioanne conſecratus eſt, & Auguſtus proclamatus in Baſilica Vaticana; hincque nonis Ianuarij egreſſus Papiam venit, & coronâ Regiâ Lombardiæ ab Anſperto Archiepiſcopo ſumptâ forum egit, legeſque Regio more populis dedit, ac Ciuitatum & Eccleſiarum iura renouare inſtituit, vt ſcribit Sigonius. Extat Ioannis Papæ ad Conſeſſum Prælatorum oratio de Electione Caroli deque eius meritis & laudibus, quam hiſce Annalibus non erit abs re inſerere. *Caroli Conſecratio in Imperatorem.*

Omnibus Generationibus, immò cunctis mortalibus liquet, qualiter omnipotens & Creator Vniuerſorum Deus in Eccleſiæ ſuæ parte, quæ gemebunda peregrinatur in terris, per generationes & generationes Electos ſuos velut in Cælorum ambitu ſidera noua produxerit, vt quodammodo in eiuſdem Eccleſiæ cælo fixa, Diuino lumine radiantia mærentium animos illuſtrarent, depulſis tetræ mæſtitiæ tenebris & diuerſarum anguſtiarum diſſipata caligine. Inter quas tanquam clariſſimum ſidus diebus noſtris Ecce nobis Carolum Chriſtianiſſimum Principem. ſuperna prouidentia præſcitum à ſe & prælectum ante mundi conſtitutionem & prædeſtinatum non niſi copioſiſſima miſeratione circa noſtram ſalutem mota, ſecundum placitum ſuum, iuxta quod congruum erat in iſto peri-

culoſo tempore tribuit, nepotem videlicet illius quondam Magni Caroli, qui Rempub. prælijs auxit, victoriis dilatauit, ſapientia decorauit. Qui cum omnes Eccleſias ſublimaſſet, ſemper hoc ei erat in voto, ſemper in deſiderio, ſicut in Geſtis quæ de eo ſcripta ſunt, legitur, vt ſanctam Rom. Eccleſiam in antiquum ſtatum & ordinem reformaret. Vnde & hanc multis honoribus extulit, multis munificentiis & liberalitatibus ampliauit, adeo vt amiſſas olim vrbes ei reſtituiſſet, & ex Regni quoque ſui parte alias non modicas contuliſſet. Sed pauca dicta ſunt, niſi quæ circa Religionis incrementum geſſit, magna & ſublimia memorentur. Religionis quippe ſtatum inter diuerſorum errorum & prauitatum vepres incultum inuentum ſacris litteris erudiuit, Diuina pariter & humana ſcientia perornauit, erroribus expurgauit, ratis dogmatibus ſaginauit, atque intra breuiſſimum tempus ita induſtrio pietatis medio egit, vt nouus quodammodo videretur mundus, magnis luminaribus venuſtatus & variis vernantibus floribus adornatus. Cuius filius Diuæ ſcilicet recordationis Hludowicus Maximus Imperator, Pater huius à Deo Electi Principis Caroli ſemper Auguſti, patrium ſolium adeo religione imitatus, pietate laudabiliter æmulatus eſt, vt & paterna Diuini cultus vota & erga prælatam principalem Eccleſiam liberalitatis inſignia Pius Natus æquipararet & roboraret: ſed & vberioribus beneficiis & dapſilibus munificentiis vt hæres gratiſſimus ampliaret. Verum iſte huius præfulgidus filius, Carolus videlicet, de quo nobis ſermo eſt, ſereniſſimus & tranquilliſſimus Imperator, qui nobis vt prætulimus, in quos fines ſeculorum deuenerunt, quique caliginoſi temporis ex quadam parte tetras ærumnas & miſerias ſuſtinebamus, tanquam ſplendidiſſimum Aſtrum ab arce polorum illuxit, non ſolum monumenta progenitorum, bonitatem electæ radicis ferens in ramo alacriter æquiparauit, verum etiam omne prorſus auitum ſtudium vicit, & vniuerſum paternum certamen in cauſa Religionis atque Iuſtitiæ ſuperauit; Eccleſias videlicet Domini diuerſis operibus ditans, ſacerdotes eius honorans; hos ad vtramque Philoſophiam informans, illos ad virtutes ſectandas adhortans, viros peritos amplectens, religioſos venerans, inopes recreans, & ad omne bonum penitus ſubſecutus, & omne malum medullitus deteſtatus. Quapropter & Nos, cariſſimi fratres, tot ac tantarum dilectionum eius atque virtutum audientes inſignia & laudabilium longè lateque diffuſa morum eius intuentes indicia, pietatis illius affectus experti frequentiſſimè ac multifariè viſcera, non immerito intelleximus iſtum eſſe proculdubio qui à Deo conſtitutus eſſet ſaluator mundi: multò profectò præſtantius ac decentius ita vocatus, quàm Ioſeph qui pæne ſolam terram ſaluauit Ægypti. Vnde ab vniuerſa Romana plebe voce illius Annæ ſanctæ perſonam geſtantis Eccleſiæ ſterilis & fecundæ prophetiæ quodammodo ſpiritu temulentæ quotidie clamabatur: Dominus dabit Imperium Regi ſuo & ſublimabit cornu Chriſti ſui. Et iterum cum Dauid erat Rege pariter ac propheta, da inquiens poteſtatem ſiue imperium puero tuo & ſaluum fac filium ancillæ tuæ, ſanctæ videlicet Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ. Vnde nos tantis indiciis diuinitus incumbentibus luce clarius agentis ſuperni ſecreti Conſilium manifeſtè cognouimus. Et quia pridem Apoſtolicæ memoriæ deceſſori noſtro Papæ Nicolao idipſum iam inſpiratione cæleſti reuelatum fuiſſe comperimus, elegimus hunc meritò & approbauimus vna cum anniſu & voto omnium fratrum & Coëpiſcoporum noſtrorum atque aliorum S. Rom. Eccleſiæ Miniſtrorum, amplique Senatus totiuſque Rom. populi Gentiſque rogatu, & ſecundum priſcam conſuetudinem ſolemniter ad Imperij Rom. ſceptra proueximus & Auguſtali nomine decorauimus vngentes eum oleo extrinſecus, vt interioris quoque Spiritus S. vnctionis monſtraremus virtutem, quâ vnxit eum Dominus Deus ſuus præ conſortibus ſuis, Chriſtum hunc oleo lætitiæ delibutum extrinſecus faciens & Principem Populi ſui conſtituens, ad imitationem ſcilicet veri Regis Chriſti filij ſui D. noſtri, itaut quod ipſe poſſidet per naturam, iſte conſequeretur per gratiam. Deinde non hic perpetuus Auguſtus ad tanta faſtigia ſe velut improbus intulit, non tanquam importunus fraude aliqua vel praua machinatione aut inſtanti ambitione ad Imperialem Apicem aſpirauit. Abſit, neque enim ſibi honorem præſumptuosè adſumpſit, vt Imperator fieret, ſed tanquam deſideratus, optatus, poſtulatus à nobis, & à Deo vocatus & honorificatus ad defendendam Religionem & Chriſti vtique ſeruos tuendos humiliter atque obedienter acceſſit, operaturus & roboraturus in Imperio ſummam pacem & tranquillitatem, & in Eccleſia Dei Iuſtitiam & exaltationem. Niſi enim nos talem eius agnouiſſemus intentionem, nunquam animus noſter fieret tam promptus ad ipſius promotionem. Et hoc per ſacerdotum Dei manus & Miniſtrorum eius Officium, ſicut Dauid & Salomon & non-

nulli alij Chriſti Domini, quos nimirum non eſſe tangendos Spiritus S. per Pſalmorum Cantica proteſtatur. Quapropter fratres Chariſſimi, vnanimes idipſum ſentientes benedicamus Domino & totis cordis ac corporis viribus collaudemus, qui ſecundum quod pollicitus eſt, ſpernentes ſpreuit & glorificantem ſe glorificauit, quique hunc tantum nobis talemque contulit, per quem mærentium conſolatio & paganorum contritio & Chriſtianorum proculdubio ſperetur cita redemptio. Summamque Maieſtatem eius & pietatem votis continuis obſecremus vt confirmet hoc in eo, imo & in nobis per eum, quod operatus eſt in eo, in templo ſancto ſuo quod eſt in ſuperna Hieruſalem. Noſque quod iam in Rom. Eccleſia, quæ eſt Magiſtra, Mater & Caput Eccleſiarum authore Deo famulatus noſtri Miniſterio geſſimus, preces benedictionis fundentes & coronam imponentes ſceptri & diadema Imperij, etiam hic in ſancta & generali fraternitatis noſtræ Synodo ad quam Deo duce pro innumeris neceſſitatibus & vtilitatibus ſanctæ Dei Eccleſiæ conueniſſe dignoſcimur, iteratò cordis affectibus & oris vocibus & manus ſubſcriptionibus roboremus. Nec ſint, quod abſit, in nobis ſchiſmata, quæ Apoſtolus medullitus execratur, nec animorum alicuius diuiſionis & diuerſitatis diſſenſio.

Reſponderunt Epiſcopi ſibi vehementer placere electionem Caroli in Imperatorem, factam à Deo, ab hominibus conſummatam, ſeque paratos eſſe eiuſdem inunctioni & inaugurationi ſubſcribere, neminem diſſentire, omnes vnanimi voce dicere id ſibi vehementer placere. Tum ſurgens Pontifex ſententiam protulit hoc modo.

Piiſſimi & Sereniſſimi Spiritalis filij noſtri Caroli Magni & Pacifici Imperatoris ad Imperialia ſceptra electionem & promotionem ante mundi quidem Ordinem diuinitus ordinatam, nuper autem id. præterita nona Indictione per Miniſterium noſtræ mediocritatis exhibitam annuente Deo ex tunc & nunc & in perpetuum firmam & ſtabilem decernimus permanſuram. Reſponderunt omnes *Placet Placet.*

Item ſi quis tantæ rei Diuinitus actæ proculdubio inſtitutionem ſuperbiâ aut auaritia vel certè aliquo peſſimæ ambitionis inſtinctu perturbare aut violare tentauerit, cuiuſcumque ſit ordinis, dignitatis aut profeſſionis, tanquam Dei inimicus & ordinationi eius tyrannide ſæua reſiſtens, & Eccleſiæ Dei hoſtis totiuſque pacis & Chriſtianitatis diſſipator, anathemate vſque ad ſatisfactionem teneatur omni tempore annexus. Reſponderunt. *Fiat Fiat.* Tum ille.

Pattatores & incitatores peſſimi huius conſilij, qui profecto cum Miniſtri ſint Diaboli ſua quærunt, non quæ Ieſu-Chriſti, & in Imperium ſubintroducere ſimultates & diſcordiam moliuntur ac fraudulentum immittere ſchiſma ad confundendam Eccleſiæ vnitatem Regnique congruum ſtatum & ordinem Reique publicæ vtilitatem & tranquillitatem conantur, ſi deinceps in talibus inuenti fuerint, ſiquidem Eccleſiaſtici viri extiterint, tanquam viri ſchiſmatici & à capite diſſidentes omnimodis deponantur. Laici vero & Monachi perpetuo anathemate feriantur. *Et Reſponderunt omnes tertio. Fiat Fiat Fiat.* Tum ſubſcripſit D. Papa & omnes Epiſcopi qui affuerunt.

Eadem Electio ab Italici Regni Epiſcopis & cæteris optimatibus apud Ticinum in Synodo Pontigonenſi confirmata fuit eodem anno menſe Feb. Eidemque ſubſcripſerunt Gallicani Epiſcopi, qui cum Carolo in Italiam profecti fuerant, Anſegiſus Senon. Hincmarus Remenſis, Aurelianus Lugdun. Archiepiſcopi. IngelWinus Pariſienſis, Wala Antiſiodorenſis, vir ſcientia clarus & moribus adornatus, cuius *ſtudium fuit Magiſtros litterarum charitatiuè complecti eorumque alloquiis & conſiliis vti, ſuoque conuiuio participari* vt legitur in Chronico Antiſſ. Hilduinus Abbas & Bibliothecarius, Gauzlenus Abbas & Archicancellarius & alij complures.

876. *De Nundinis Indictalibus.*

Anno 876. Carolus Nundinas Indictales vulgo *la Foire du Lendy* ab Aquiſgranenſi ciuitate, vbi à Carolo M. inſtitutæ fuerant, tranſtulit ad villam San-Dionyſianam in Pariſienſi agro ſitam: atque vt frequentiores celebrioreſque eſſent, impetrauit à Ioanne Pontifice, vt Mercatores Negociatoreſque illuc confluentes verè confeſſi pleniſſimam peccatorum ſuorum veniam conſequerentur. In Manuſcripto quodam codice qui in Abbatia ſeruatur, hæc verba leguntur. *Nundinas etiam Indicti in Platea, qua Indictum*

Digitized by Google

dicitur, more quo Carolus M. Aquiſgrani olim indixerat, quolibet anno in 2. & 3. Feria menſis Iunij ob amorem B. Dionyſij peculiaris ſui Patroni fieri ſtabiliuit. Tunc etiam à SS. Archiepiſcopis, Epiſcopis & Abbatibus & à quam plurimis ſacerdotibus dignis communi Populo facta eſt benedictio.. De venia autem pænitentiæ ſicut in priori Edicto Aquiſgrani à Carolo M. ſtatuto à Leone Papa III. & ab Archiepiſcopis, Epiſcopis & Abbatibus indultum eſt, vt ſi quis purè ſua peccata confeſſus fuerit & cauſa Indulgentiæ ad hoc Indictum vera pænitentiæ fructum fecerit, delictorum ſuorum omnium veniam obtineat ac remedium & SS. Reliquiarum viſitationem & benedictionem exhilaratus cum pace & iucunditate domum ſuam redeat.

Eiuſdem tranſlationis meminit Nangius Monachus San-Dionyſianus, qui ſcribebat circa an. 1280. *Carolus Caluus*, inquit, *Nundinas* Indicti *in platea S. Dionyſij, quæ* Indictum *dicitur, quolibet anno inſtituit.* Author Roſarij Ludouici XI. idem refert ad an. 876. ſimiliter Forcatulus l. 6. ait Carolum Caluum Nundinas Germanicas Aquiſgrani à Carolo M. auo inſtitutas Pariſios tranſtuliſſe menſe Iunio inchoandas ad fanum Dionyſij. Ibidem ex Tuditano vetere Authore commemorat originem Nundinarum minimè fuiſſe Religionis expertem, deductam à Romulo, qui communicato Regno cum T. Tatio ſacrificiis & ſodalibus inſtitutis nundinas adiecerit. Licinianus quoque Nundinas Iouis Ferias appellauit. Idem ſuſpicatur Panegyrim illam celeberrimam ad Aram Lugdunenſem, de qua ante diximus, nihil aliud fuiſſe, quàm Nundinas: exemplum quoque affert M. Antonini Gniphonis in Gallia noti, Græcè Latinéque docti & Rhetoricis apprimè exculti, qui Romæ non niſi Nundinis declamabat. Hinc ait fluxiſſe morem Xenia Liberalium Artium Doctoribus impertiendi Lutetiæ, & ſacra quædam ritè peragendi ſolemnibus Nundinis.

Solus Gaguinus videtur harumce Nundinarum Inſtitutionem ad Dagobertum, non ad Caluum referre; ſic enim ſcribit. *Non ignoro quoſdam ſcribere Nundinas quæ in Campo Dionyſiano ante Kalendas Iunias fiunt, ab hoc Rege eſſe inſtitutas, de qua re quid ſentiam in Dagoberti Geſtis annotaui.* At ibi inſtitutum eiuſmodi tribuit Dagoberto poſt natum ipſi Clodoueum ſeu Ludouicum filium & aſſignatas ſingulis Liberis Regni ſui partes. *Dehinc*, inquit, *ad DD. Martyres conuerſus inter multas quas illis donationes largitioneſque attribuit, Emporium annuum menſe Iunio in Campo non procul à Baſilica Sanctorum inſtituit, tranſlata ad Miniſtros Eccleſiæ omni ditione. Id Lenditum vulgus appellat, corrupto, vt ipſe iudico, vocabulo. Nam Edictum dici crediderim: propterea quod ad eas Nundinas Mercatores ſuas vndique merces Edicto Regio, tanquam ad communem mundi mercatum conferre deberent.*

Verum cum Gaguinus nullum pro ſe antiquiorem Authorem proferat, non eſt cur à trita & recepta ſententia diſcedamus, præſertim cum Nangius eam ex veteri M.S. Abbatiæ confirmare videatur, cuius quidem Manuſcripti mentio fit in Hiſtor. San-Dionyſ. l 4. c. 18. vbi refertur quo pacto Carolus Romæ inauguratus Imperator conſilium cœperit transferendarum eiuſmodi Nundinarum, & nonnullas quoque Reliquias ad Baſilicam SS. Martyrum Aquiſgrano attulerit: ſic ergo habetur. Carolus Imperator coronatus menſe Ian. Ioanni
» ſummo Pontifici & Romanis vale dicto per montem Iouis & Monaſterium S.
» Mauricij rediens in Franciam, Patronum Franciæ peculiarem B. Dionyſium,
» cuius meritis vt publicè confeſſus eſt, ad Gradum Imperialem aſcenderat,
» deuotiſſimè viſitauit: & quamuis hanc Eccleſiam terris, redditibus & incom-
» parabilibus ornamentis iam ditaſſet in recompenſationem Diuitiarum tam
» in auro quam in argento quas idem abſtulerat, vt guerram continua-
» ret contra fratres, de nouo adhuc ſtatuit bona Eccleſiæ amplius augmentare.
» Sane Imperator munificus ne ingratitudinis vitio culparetur, proficiſcitur
» Aquiſgrani, quod tunc ſuæ ditioni ſubdebatur, & è Palatio ſuo ad præfatam
» Eccleſiam attulit quod terrenis diuitiis ſupereminet vniuerſis, ſcilicet ſacro-ſan-
» ctum vnum clauum, quo pro nobis ſanctiſſimum Corpus Dominicum pati-
» bulo fuit affixum, partemque ſpineæ coronæ Dominicæ & partem viuificæ Cru-
» cis, brachiumque S. Simeonis cum aliis multis Iocalibus pretioſis, quæ Ca-
» rolus M. auus ſuus Aquiſgrani de Terra ſancta aſportauerat, & in Eccleſia ibi-
» dem ab eo fundata repoſuerat.

Cæterum

Cæterum locus in quo hæ Nundinæ exercebantur, erat olim extra villam San-Dionyſianam, vocabaturque *Campus Indicti* ſeu *Indictum*, in quo Palatium Abbatiæ, & Tribunal Forenſe ad dicendum ius mercatoribus. Qui locus videtur fuiſſe Abbatiæ datus à Ludouico Groſſo: ſic enim Sugerius in lib. de Rebus in adminiſtratione ſua geſtis. *De Indicto verò quod D. Ludouicus Pater B. Dionyſio dedit, 300. ſolidos quietè & pacificè, 35. de cenſu ſtallorum Piſtorum in Pantera, quos in feſto BB. Apoſtolorum Petri & Pauli refectioni fratrum appoſuimus, &c.* Item in Conſtitutionibus c. 5. *Notum fieri volumus tam præſentibus, quam poſteris, quod Ego Sugerius Dei patientia B. Dionyſij humilis Miniſter communi fauore capituli noſtri culturam quæ iuxta Indictum eſt, quam glorioſus Rex Francorum Ludouicus B. Dionyſio dedit, &c.*

De Iure Rectorio in Nundinis. In memoriam autem illius primæ benedictionis quæ ab Archiepiſcopis & Epiſcopis facta eſt cum primum allatæ ſunt Reliquiæ & celebrari cœpræ Nundinæ, Epiſcopus Pariſienſis quotannis illuc ſe conferebat & Mercatoribus benedictionem impertiebatur, eamque ob rem illi debebantur annuæ decem libræ Pariſienſes. Quod aliqui etiam tribuunt Rectori Vniuerſitatis Pariſienſis. Vt Paſchaſius: Verum nullibi quod ſciam in Actis publicis legitur, quod Rector id muneris obierit, & diſertè negauit olim Ludouicus Seruinus cum an. 1586. in cauſa Hamiltonis id ſibi ab Antonio Loyſelio obiiceretur. *On nous dit que le Recteur benit le Lendit; voyons ſi cela eſt vray. L'Hiſtoire nous apprend que le Lendit eſt vne Foire, qui ſe fait entre Paris & S. Denys, inſtituée par Charles le Chauue, fils de Charlemagne, & ſecond Fondateur des Eſcholes, en reuerence des Clous & Couronne de N. Seigneur, qu'à tel iour il apporta d'Aix la Chapelle où ils auoient eſté mis par Charlemagne, & les remit en l'Abbaye de Saint Denys. Le premier iour de cette Foire le Portier Moine de l'Abbaye auoit droit de venir auec ſes gens à la Proceſſion de la beniſſon du Lendit, droit declaré par Arreſt de la Cour du 6. Auril 1534. Ie reconnois bien que le Recteur s'y eſt trouué quelquefois: mais non pour donner la benediction: ains tous les ans le Procureur Fiſcal de l'Vniuerſité a accouſtumé de s'y tranſporter pour remonſtrer que la cauſe qui l'y mene, eſt afin de continuer la poſſeſſion en laquelle ſont les Recteurs de l'Vniuerſité de tous temps de viſiter tout le parchemin qui vient dans la ville & banlieuë de Paris, & dans la ville Saint Denis en France, meſmement durant la Foire, ſuiuant vn ancien Arreſt de la Cour donné au profit de l'Vniuerſité. Et de cét exploit de continuation de poſſeſſion, il proteſte de ioüir & en demande acte du Scribe du Recteur.* Verum ex quo intra villam San-Dionyſianam Nundinæ tranſlatæ ſunt, id muneris ad Abbatem ſeu Priorem Abbatiæ deuolutum eſt, vt legitur in Antiquitatibus San-Dionyſianis.

De numero dierum Nundinalium fuit olim lis inter Epiſcopum & Monachos: ille enim terno concludi volebat; iſti vero ampliori, ſed tandem circa an. 1216. in Arbitrum litis delegerunt Philippum Auguſtum tunc regnantem, & Honorius Pontifex approbauit: vt ſuo loco referemus. Interim non eſt prætereundum, quod hinc videtur Rector ius habere luſtrandi & probandi Pergameni Indictalis. Nam cum ex ſupra dictis pateat olim à Carolo M. inſtitutos fuiſſe Scriptores & Miniatores ad vſum Scholarum Palatinarum & Bibliothecæ Regiæ, neceſſe eſt quoque fateri fuiſſe pariter Librarios, Pergamenarios & Papyropolas, opuſque proinde fuiſſe luſtrare & probare tam membranam ſeu pergamenum, quàm papyrum, ne illi in vſum ſcholaſticum adulterinam materiam exponerent. Hinc ergo eſt, quod Rector cum Procuratoribus Nationum Scriba & Apparitoribus proficiſcebatur olim ad Campum Indictalem, nec prius vlli licebat pergamenum venale exponere, quàm ille faſciculos elegiſſet ad vſum ſcholarum Pariſienſium neceſſarios. Qua de re varia ſtatuta leguntur in Commentariis Vniuerſitatis.

Et ne gratis id aſſerere videamur, Riantius Vniuerſitatis Patronus in cauſa contra Pergamenarios apud Senatum Pariſienſem agitata die 2. Aug. an. 1548. Ius Rectoris tale aſſeruit, vt legitur in Actis Curiæ. *Riant trouue que par l'inſtitution de l'Vniuerſité de Paris, le premier Roy fondateur d'icelle qui fut Charlemagne, erigea la Dignité Rectoriale, qu'il voulut doüer* faſcibus & ſtipendiis. Faſcibus *en ce qu'il voulut & ordonna que le Recteur de l'Vniuerſité auroit la Iuriſdiction ſur tout le parchemin apporté en cette ville de Paris, & non ſeulement en cette ville, mais en*

la banlieuë. Stipendiis, *en ce qu'il voulut & ordonna que de chacune botte de parchemin que ledit Recteur feroit viſiter par les quatre Iurez Parcheminiers de l'Vniuerſité, il auroit ſeize deniers Pariſis, tellement que voila que par Priuilege Royal il appartient au Recteur de l'Vniuerſité de Paris, contraindre tous marchands Parcheminiers Forains venans en cette ville de Paris ou en la banlieuë emmenant parchemin pour vendre, de l'apporter en vn lieu de l'Vniuerſité deſtiné, appellé la Halle des Mathurins, pour eſtre veu, viſité & eſtimé par les quatre Parcheminiers Iurez de ladite Vniuerſité,* & hoc nomine *pour chacune botte veuë, viſitée & eſtimée, le Recteur aura ſeize deniers Pariſis.*

Die Martis ante feſtum omnium Sanctorum an. 1291. interdictum eſt Pergamenariis emere Pergamenum priuſquam Rex, Epiſcopus Pariſienſis & Vniuerſitas abſtuliſſet, quantum opus videretur. *Item quod primâ die Nundinarum Lenditi vel S. Lazari non emant Pergamenum antequam Mercatores D. Regis, Pariſienſis Epiſcopi & Magiſtri & Scholares emerint.* In hanc rem notare conuenit Abbatem & Monachos San-Dionyſianos olim intendiſſe, aut ſaltem intentare voluiſſe litem Vniuerſitati, ſi alia die quàm prima Indictali pergamenum caperet: nonenim negabant ius illi antiquum eſſe prima die eligere & capere; ſed eâ præteritâ ius eo anno peremptum eſſe contendebant. Contra Vniuerſitas, ius ſuum generale eſſe, neque adſtrictum diei, ſed toto tempore Nundinarum exerceri poſſe. Qua de re ſic Scribit M. Quarretus Procurator Nationis Gall. ad diem 19. Iunij an. 1454. *Fuit propoſitum qualiter D. Abbas S. Dionyſij volebat facere proceſſum contra Vniuerſitatem caſu quo vellet Vniuerſitas capere pergamenum in Indito aliâ die quam primâ die Inditi. Et extitit concluſum quod priuilegium Vniuerſitatis erat generale, & quod ſemper poteramus & debebamus capere pergamenum per totum Inditum: & ideo volebat, quod aliqui adirent perſonam ſuam ad communicandum verbaliter de priuilegiis noſtris: & caſu quo non vellet parere, volebat viriliter Vniuerſitas procedere contra eum.*

Mineruale Indictale. Ex hacce Carolina Inſtitutione videtur inſuper alia profluxiſſe conſuetudo Academica, penſitandi ſcilicet eo tempore Mineualis Profeſſoribus Artium, quod proinde *Indictum* appellatum eſt. Nam cætera munera quæ iis dabantur, puta pro emptione velorum ſeu telarum & candelarum tempore hiberno, non Mineualis neque mercedis honorariæ loco reputabantur. Solennis autem erat iſta Penſitatio: nam Scholaſtici malum Citrinum in Poculo Chryſtallino Magiſtris offerebant inſertis nummis aureis; & qui ditiores erant, cum feſtiuitate, tympanis & lyricis inſtrumentis offerebant: atque idcirco certâ die quæ à Rectore indicebatur, vacabant. Vnde quærit Rebuffus, an eiuſmodi ferias Indictales concedere eſſet Simoniacum, & ſic quæſtionem reſoluit. *Quod bene cauere debeant Artium Magiſtri in hac Vniuerſitate degentes & Regentes, ne pro Nundinis quas* LINDICTVM *Gaguinus appellat, quicquam accipiant, vt ferias ſuis Auditoribus concedant; quod permulti ſolent facere, non citra Simoniæ labem: ſecus ſi pro labore docendi* HONORARIVM *capiant, quod eis optimo iure debetur.*

Ioannes de Boſco Cœleſtinus Cœnobij Lugdunenſis in ſua Bibliotheca Floriacenſi, ait ſcholam Floriacenſem olim abundaſſe plus quinque millibus ſcholarium, qui pro Candelis & Edicto Pariſienſium Mineuali, Magiſtris ſuis offerebant & dabant bina Manuſcripta volumina. *Didaſcbalis ſuis*, inquit, *muneris honorarij gratia pro candelis Edictiſue in Pariſienſi Academia noſtra atate Claſſium Moderatoribus exhiberi conſuetis, bina manuſcripta, eo quod nedum Typographica ars emerſerat, offerebant volumina.* Verum hæc tandem conſuetudo vltimæ Reformationis quæ an. 1600. promulgata eſt, legibus & ſtatutis eſt abrogata.

Eodem anno obiit M. Helias Scotigena Epiſcopus Engoliſmenſis teſte Ademaro Monacho S. Eparchi Engoliſm. at in Chronico Engoliſmenſi legitur obiiſſe an. 860. hoc modo. *an. 860. obiit Helias Scotus Epiſcopus 10. Kal. Octob. qui detulit corpus S. Benigni Martyris Engoliſmæ Ciuitati* &c. verum interfuiſſe legitur Synodo Sueſſionenſi III. quæ habita eſt an. 866. verius ergo Ademarus, cum quo conſentit Author Chronici Malleacenſis aiens obiſſe tum cum Normani graſſabantur in Aquitania & Andegauum cœperunt, vt ad an. 875. retulimus.

Dionyſij Areopagitæ Hiſtoria. Anno 877. videtur Hincmarus Remenſis Hilduini veſtigiis inſiſtens hiſtoriam S. Dionyſii Areopagitæ in lucem edidiſſe iam ex omni parte abſolutam &

Carolo Imperatori dedicaſſe. Ante quidem Hilduinus tempore Ludouici Pij in eam incubuerat ; verum exortis bellis ciuilibus non potuerat abſoluere. Hincmarus nouis eam circunſtantiis muniit , vt obtrectaroribus os clauderet linguamque reprimeret, aientibus rem eſſe nouam, fictitiam & non antea auditam ; ipſumque Vſuardum San-germanopratenſem tacitè ſaltem refelleret , qui in Martyrologio ſcripſerat Dionyſium Pariſienſem ſub Maximiano paſſum fuiſſe longè ab ætate Areopagitæ. Hanc porro Hiſtoriam , quæ Academicis noſtris ſæpe diſputandi occaſionem dedit , non erit extra rem his Annalibus inſerere.

Domino glorioso Carolo Imperatori Avgvsto Hincmarus nomine non merito Remorum Epiſcopus ac plebis Dei famulus. Lecta Dionyſij paſſione à Methodio Conſtantinopolim Româ directo , Græce dictara , & ab Anaſtaſio vtriuſque linguæ periro & vndecunque doctiſſimo S. Sedis Apoſtolicæ Bibliothecatio latinè conſcripta, ſicut in præfatione ſua narrat , recognoui his quæ ibi ſcripra ſunt , ea quæ in adoleſcenria legeram conſonare , videlicet per quos ac qualiter geſta martyris B. Dionyſij ſociorumque eius ad Romanorum cognitionem ,indeque ad notitiam Græcorum peruenerint. Nam quando Deo diſponente in Francono - Furti Palatio narus eſt is Hucberto Præcentori Palatij Epiſcoporum Meldenſis ciuiratis commiſſum eſt, vbi propter Hilderici Epiſcoli ætatis prolixitatem & diurinam ægritudinem quædam ad ſcientiam & religionem pertinentia , nec non & ædificia ac cætera quoque neceſſaria neglecta inuenit. Quapropter à familiari ſuo Bodone Clerico Domini & Nutritoris mei Hilduini Abbatis ſacri Palarij Clericorum ſummi quendam Clericum ipſius Bodonis propinquum nomine Wandelmarum qui Canrilenam optime à Teutgario Magiſtro in S. Dionyſij Monaſterio didicit , ad erudiendos Clericos ſuos obtinuit.

Cui Abbatiolam B. Sanctini in beneficium dedit. Iſdem autem Wandelmarus in loco ſibi commiſſo quaterniunculos valde contritos , & quæ in eis ſcripta fuerant, pene deleta , de vita & actibus B. Sanctini reperit quos propter notitiam familiaritatis , & quia me ſciolum putabat , ad exhaurienda ea quæ in iiſdem quaterniunculis contineri videbantur , & ad tranſcribendum apertè in noua pergamena mihi commiſit. Quod & ſtudioſè peregi & mihi commendata commendanti reſtitui. Sed quia diu eſt , quod Wandelmarus etiam ante obitum Hucberti defunctus fuit, & ſicut audiui, idem locus neglectus extitit , ac demum in eadem Vrbe Normanni fuerunt , & quædam incendio ibi concremauerunt , quædam vero prædantes diripuerunt , neſcio ſi ipſi Quaterniunculi vel eorum exemplaria in eadem vrbe valeant reperiri. Propterea exemplar eorum quod mihi retinui veſtro Deuoto & bono ſtudio offerendum putaui , vt ſi quæ ſunt illorum reliquiæ qui negabant Dominum & patrem noſtrum , patronum veſtrum Dionyſium eſſe Areopagiten à B. Paulo baptizatum & Athenienſium ordinatum Epiſcopum, & in Gallia à B. Clemente directum , ex his quæ Græca & S. ſedis Romanæ atteſtatio & Gallicana intimat conteſtatio , rarum & in hac cauſa ,quod longè ante nos dictum eſt , recognoſcant , quia veritas ſæpius exagitata magis ſplendeſcit in lucem.

S. Areopagites Dionyſius egregia Pauli Apoſtoli prædicatione fidei veritate illuminatus & in nomine S. & Indiuiduæ Trinitatis baptizatus , demumque cœleſtium myſteriorum arcanis ſufficienter inſtructus Athenienſium eſt ordinatus Epiſcopus. Procedente autem tempore Magiſtri deſiderio de B. Petri amore quem vna cum præceptore ſuo Paulo apud ſepulchrum vitæ Principis viderat , & docentem audierat , per reuelationem ordinato ſibi commiſſa Eccleſia Romam venit quos nequiſſimi Neronis crudelitate iam Martyrio coronatos inuenit & à B. Clemente Petri Apoſtoli ſucceſſore amabiliter ac honorabiliter ſuſceptus , poſt aliquod ſpatium temporis cum aliis ad eroganda Diuini verbi ſemina in Gallias eſt directus. Qui prædicando & ſermonem confirmando ſequentibus ſignis Pariſios ducente Domino peruenit. Deſtinatis quoque ſociis per diuerſas ciuitates ad dolos Diaboli deſtruendos & populos Domino acquirendos, Sanctinum ordinauit Epiſcopum & Carnotum eos illuminare qui in tenebris & in vmbra mortis erant , inſpirante Domino miſit,

„ vbi eum per aliquod temporis ſpatium immorari diſpoſuit. Poſtea vero Meldenſium ciuitati Paſtorem & Epiſcopum eſſe conſtituit. Eiuſque ſuffragio Antoninum qui Iunior ad diſtinctionem Senioris Antonini prænominabatur, adhibuit. Domitianus denique impiiſſimus Cæſar poſt Neronem ſæuiſſima perſecutione in Chriſtianos exæſtuans, lictores ad perquirendum & comprehendendum Dionyſium, cuius famam in deſtruendis idolis & conuertendis ad Chriſtum populis per multos audierat, in Gallias miſit, vt eum diligenter perquirerent, & inuentum ac comprehenſum aut Idolis ſacrificare cogerent aut diuerſis ſupplieiis affectum occiderent. Quos cum B. Dionyſius ad fines Pariſiorum propinquare comperit, Sanctinum & Antoninum ad ſe accerſiuit, quibus præcepit vt ſermones & agones ipſius ſolerter intenderent & memoriæ commendarent, ac quibus tormentorum generibus per paſſionum ſupplicia corporis vitam finiret, conſpicientes Romanæ ſedis Pontifici & fidelibus quos tunc ibi deminuenerint (quia vnde in orbem Chriſtianorum perſecutio procedebat, illic ardentius conflagrabat) per ordinem nunciari quantocius ſtuderent, eoſque obnixe depoſcerent vt Athenienſium ciuibus ea nota facerent, quatenus & ipſi Domino pro curſu laborum eius impleto gratias agerent & erga cultum eius bono animo fierent. Conſummato ſiquidem B. Dionyſio per Martyrii palmam Sanctinus & Antoninus, ſicut eis præceptum fuerat, Romam iter maturauerunt, & venientes in Italiam, Antoninus valida febre correptus eſt. In cuius obſequiis per aliquot dies Sanctinus immoratus conſilio & conſenſu eiuſdem Antonini, ne præceptio B. Dionyſii quacunque occaſione impediretur, peragere cœptum iter diſpoſuit, & ſufficienter Xeniis ac hoſteſtis linteis Principi domus in qua iacebat Antoninus, commiſſis petiit & per Dominum conteſtatus eſt eum vt ſi Antoninus conualeſceret, exinde illi abundantiſſimè miniſtraret, ſi etiam è vita diſcederet, honeſtiſſimè ſepeliret, & ſic iter quod cœperat, peragendum arripuit. Et cum Sanctinus fines Romanorum iam contigit, Antoninus vita deceſſit. Quem Princeps Domus retentis omnibus quæ ſibi in obſequiis eius commendata fuerant, Catabuli ſui in quo animalia eius manebant, axes leuauit, & in foſſam vbi ſtercora & vrina animalium defluebant, proiecit & deſuper axes remiſit. Quæ mox omnia Sanctinus per Spiritum S. cognouit & cum magna feſtinatione reuerſus ad domum, in qua Antoninũ iacentẽ dimiſerat flens ac dolens peruenit, & principem Domus interrogauit. Vbi eſt inquiens Antoninus frater meus chariſſimus? is autem fictis gemitibus ac ſuſpiriis, ſimulata mœſtitia, mortuus eſt, inquit, quem de mihi à te commiſſis honeſtiſſimè ſepeliui. Cui Sanctinus, mentiris, inquit fili Diaboli, in ſterquilinium proiecisti eum virum ſanctum & iuſtum, & nunc veni mecum ad Catabuli locum in quem proiecisti eum. Is autem timore perculſus non eſt auſus reniti, quin cum eo veniret ad locum, vbi eum proiecerat: & leuantes inde axes, Sanctinus cum lachrymis clamauit voce magna dicens: Antonine frater in nomine Domini noſtri Ieſu-Chriſti pro cuius nomine & amore paſſus eſt glorioſiſſimus Martyr Dionyſius, ſurge & perficiamus ſimul obedientiam, quam idem Pater & Magiſter noſter communiter nobis præcepit. Et ſtatim Antoninus ſtercore obuolutus ſurrexit, quem Sanctinus de Catabuli foſſa extraxit & diligentiſſimè lauit & mundis ac honeſtiſſimis veſtibus induit, ſicque offerentes Domino ſacrificium Laudis, Euchariſtiæ, Corporis & ſanguinis Chriſti participati ſunt, & accipientes cibum confortati ſunt, & iter cœptum aggredientes Romam auxiliante Domino peruenerunt, & iam B. Clemente Martyre coronato in eadem ſede S. Anacletum natione Græcum de Athenis qui fuerat à B. Petro Apoſtolo presbyter ordinatus, conſecratum Pontificem inuenerunt. Cui per omnia, ſicut eis B. Dionyſius iuſſerat, actus & Martyrij eius ordinem narrauerunt, perfectoque negotio ad ciuitatem Meldenſium reuerſi fuerunt. Vbi ſanctæ prædicationi ac piis operibus inſiſtentes Sanctinus plenus fide, virtutibus ac bonis operibus ad cœleſtia Regna tranſiuit. Cui Antoninus in Epiſcopatu ſucceſſit, & per plures annos in ſancto Officio degens cum multiplici bonorum operum fructu & animarum lucro migrauit ad Dominum. Cui eſt honor & gloria per omnia ſecula ſeculorum Amen.

Huius Hiſtoriæ fidem eleuat M. Ioannes Launoyius celeberrimus Doctor

Theologus Pariſienſis, vir in Antiquitate verſatiſſimus, & in multis falſitatis arguit atque affectatæ cautionis, in ſuò de Areopagiticis Iudicio. Cum enim eodem fere tempore floruerint Methodius, Anaſtaſius & Hilduinus, contendit iſtud omne negotium per Hilduinum inchoatum & conductum, per Hincmarum perfectum & abſolutum ea mente, vt Monaſterio ſuo San-Dionyſiano plus famæ apud omnes conciliarent. 2. Hilduinum & Hincmarum opinionem nouam excogitaſſe contra veterem & receptam: quam vt firmarent, Conſtantinopoli & Roma aduexiſſe machinas, aut aduectas finxiſſe, quas Pariſiis fabricauerant, hoc eſt ad id commeatum fingendum Methodij & Anaſtaſij opera vſos fuiſſe, vt plus fidei alienigenis hominibus haberetur. 3. Neminem ante Hincmarum meminiſſe Sanctini & Antonini Epiſcoporum Meldenſium, non Bedam, non Rabanum, non Vſuardum. non Florum, non Wandalbertum, non Notkerum, non denique ipſum Martyrologium Romanum verus, quod anno 1569. Venetiis in lucem publicam editum eſt.

4. Anaſtaſij Epiſtolam ad Carolum Imperatorem an. 876. datam examinans omnino explodit. Ait Anaſtaſius ſe paſſionem B. Dionyſii Romæ olim legiſſe cum puer eſſet, à Conſtinopolitanis legatis auditam, diu illam à Carolo Imperatore quæſitam tandem in Maximo cœnobiorum Rom. repertam ſeque inter diuerſos languores poſitum accepto interpretandi certamine, Latino eloquio tradidiſſe, non verbum quidem e verbo, ſed ſenſum aſſumendo. Tum ſubdit. *Ceſſet igitur iam quorundam opinio perhibentium non eſſe Areopagitam Dionyſium eum, qui prope Pariſium corpore ac virtutibus redolet, cum hoc & Græcorum quoque ſtylus cum lingua Latina concordans teſtetur & prædicet, in qua profecto natus eſt & præcelſa ſcripta ſua contexuiſſe probatur.* Singula prope verba expungit Launoyius quæ qui videre volet conſulat ipſius librum cui pro titulo eſt, de Areopagiticis Iudicium. Et ſimiliter quæ contra Hilduini narrationem profert. Imprimis quod Hilduinus aut Authores pro ſe citet, qui nunquam fuerunt, quales ſunt Viſbius & Ariſtarchus, aut veris authoribus affingat verba quæ nunquam protulerunt, qualis eſt Euſebius Cæſarienſis: qui in duobus tantum locis meminit quidem Dionyſij Areopagitæ eiuſdemque Athenienſis Epiſcopi, non vero Pariſienſis.

Sed & commentitium eſt, & prope ineptum quod ſcribit Hilduinus, eo ſcilicet tempore quo Dionyſius à Clemente miſſus eſt in Gallias, nempe ſub Domitiano, Lutetiam fuiſſe ſedem Regiam & conuentu Gallorum ac Germanorum celebrem. Sic enim habet. *Tunc memorata Pariſiorum Ciuitas vt ſedes Regia & Conuentu Gallorum ac Germanorum & nobilitate pollebat, quia erat ſalubris aere, iucunda flumine, fæcunda terris, arboribus nemoroſa & vineis vberrima, conſtipata populis, referta commerciis ac variis commeatibus, vnda fluminis circumferente. Quæ ſiquidem inter multimoda commoditatum genera etiam alueo ſuo magnam piſcium copiam ciuibus miniſtrabat. Huncergo locum Dei famulus elegit expetendum.* Nempe Dionyſius. Certè tunc non erat tanti nominis Lutetia, nec ſedes Regia nec commeatibus nec concurſu tanto Gallorum & Exterorum celebris, nec vllus eſt author qui talem eam fuiſſe prædicet. Sed ſaltem ex hoc loco euincimus talem fuiſſe temporibus Caroli M. & Ludouici Pij, quibus Imperantibus Hilduinus vixit & floruit: & eundem locum præ oculis habuiſſe videtur Ioannes Hautiuillenſis ſeu Architrenius in deſcriptione Lutetiæ, cuius verſus ſupra retulimus.

Porro hanc de Dionyſio Areopagita opinionem licet palam non oppugnatam eo tempore, non tamen viris doctis placuiſſe conſtat ex verbis Ioannis Scoti Erigenæ, qui poſtquam de Dionyſio verba fecit, teſtimoniumque protulit Dionyſij Corinthij, Polycarpi & Gregorij aientium eum fuiſſe B. Pauli Diſcipulum & conſtitutum Epiſcopum Athenarum, ſubiungit ſecundum vulgatam editionem, *Hunc eundem non præfati viri, ſed alij moderni temporis homines aſſerunt, quantum vita à fidelibus viris tradita teſtatur, temporibus Papæ Clementis Romam veniſſe, & ab eodem prædicandi gratia in partes Galliarum directum.* Ex his enim verbis *quantum à fidelibus* quæ Ironicè prolata conteſtatur Launoyius, ſatis innuitur aut noluiſſe Erigenam, aut non auſum fuiſſe refragari & palam contradicere Hincmaro, qui tunc maxima pollebat apud Caluum authoritate.

Verum vt ad Imperatorem redeamus & ad ea quæ illi poſt adeptum Impe-

tium acciderunt, cum intellexiſſet Ludouicus Germanorum Rex eum ſe inconſulto Patrueles Imperium vſurpaſſe, ingentem conflauit aduerſus illum exercitum: at eo ſtatim morte præuento, Carolus cum quinquaginta hominum millibus filios tres ſuperſtites Ludouicum, Carolum & Carlomannum aggreditur fruſtra pacem deprecantibus eorum Legatis. Afflictis Deus affuit. Quippe vt ventum eſt in conſpectum, dolo detecto quo eos inuoluere meditabatur, tanta vi excipitur, vt nuſquam olim vllibi tanta ſtrages edita fuerit, nunquam turpior fuga, eladeſque nunquam viſa tam miſerabilis. Fugientibus ergo Francis & ipſe Rex fugit, ſarcinæ Regiæ interceptæ, vaſa omnia capta, captiui & e fuga retracti, ſpoliati & nudi dimiſſi, atque eo tandem redacti miſeriarum & dedecoris, vt ex arentis fœni manipulis herbarumque torulis ſibi veſtes aptare coacti fuerint.

Accidit & alia clades à Normanis eodem tempore Sequanæ oſtium irrumpere tentantibus. Accidit & tertia à Sarracenis Imperium Italicum modò partum deprædantibus & in Campania Italiæ graſſantibus: quorum aduentu & furore territus Ioannes Pontifex ſtatim per legatos Carolum monet & rogat, vt ſibi Eccleſiæque opem ferat. Illuc conuolat Carolus nondum depoſitis animis, quia de ſumma rerum agebatur, poſtquam in Conuentu Cariſiaco de Ludouico filio ordinauit fieri quæ vellet, ſi quid ſibi humanitus accideret.

Abſolutis autem in Italia, propter quas venerat, rebus, dum in Franciam regreditur & iam Alpes attigit, repentina febre corripitur, & obit non ſine ſuſpicione veneni à Sedechia Archiatro ſibi propinati. De quo ſic habet Gaguinus in Caluo. *Erat Iudæus Medicus Sedechias nomine Imperatori propter eius peritiam perfamiliaris: qui vel Religionis Chriſtianæ odio, cui maximè infenſi Iudæi ſunt, motus, vel corruptus forte pecunia potionem Carolo propinandam miſcet. Qua epotâ Carolus omnibus membris ita defectus eſt, vt Aulicorum miniſterio in Cubiculum delatus duodecimo poſt die interierit. Cuius dum corpus exenteratum & multis aromatibus conditum ſui in Franciam efferre cupiunt, cadaueris putredinem ferre non valentes, Vercellis inhumauerunt in B. Euſebij Martyris æde an.* 878. *vnde poſt annum ſeptimum exemptum in B. Dionyſij Templum delatum eſt.* Vbi in medio primi Chori hoc habet Epitaphium.

Imperio Carolus Caluus Regnoque potitus
Gallorum iacet hac ſub breuitate ſitus.
Plurima cum villis, cum clauo, cumque Corona
Eccleſiæ viuus huic dedit ille bona.
Multis ablatis Nobis fuit hic reparator
Sequanij Fluuij Ruelijque dator.

878. Anno igitur 878. acceptis certis de Caroli obitu Nuncijs Ludouicus eius filius cognomento Balbus Remis ab Hincmaro in Regem Franciæ inungitur. Tum Carolus iunior vnus e tribus Ludouici Germanorum Regis filijs Imperium Italicum & Romanorum occupat annitentibus quibuſdam Romanis Proceribus, Lamberto & Helbaldo, ſeu Alberto, fuſtraque renitente & reclamante Pontifice violari fidem nuper Carolo Caluo præſtitam. Imo ipſe ab iis, quos olim Chriſtianorum communione arcuerat, fugatus venit in Franciam, Lugdunique paulum moratus poſtea Trecas peruenit, vbi Synodum habuit frequentem Epiſcoporum contra perſecutores prædictos, eoſque de ſententia Synodi anathemate percellit. Ludouicum Imperij diademate coronat, Auguſtumque appellat 8. Decemb. Præterea Hincmarum Laudunenſem teſte Baronio reſtituit in integrum, idque probat ex Adonis Chronico in fine, ſeu potius ex authore ſupplementi: nam Ado obierat 16. Decembr. an. 874 Continuator vero Aimoini ſcribit l. 5. c. 24. Ioannem Papam ſanxiſſe, vt Hedenulfus ſua authoritate ordinatus Laudunenſis Epiſcopus ſedem teneret, & Epiſcopale munus obiret, Hincmarus verò Miſſam ſi vellet, cantaret, partemque de rebus Epiſcopii haberet. Sed hæc hiſtoria paulo altius repetenda.

Cum eſſet Romæ Carolus Caluus an. 875. Hincmari Remenſis ſuaſu egit cum Ioanne Pontifice, vt Laudunenſis Hincmarus Epiſcopatu ſuo priuaretur, eique ſedi alius ſubſtitueretur. Iam enim à multis annis Remenſis eius auunculus nihil non molitus fuerat, vt nepotem opprimeret. Duas treſue Synodos contra ipſum conuocari curarat, in quarum vna quæ habita eſt apud Attiniacum an.

Digitized by Google

870 decreto Epiſcoporum deiectus de ſede fuerat: ſed cum ille Papam appellaſſet, diu res in ſuſpenſo fuit. Quæ vero tanti odij cauſa fuerit, vix vna ſatis legitima reperitur. Sunt qui putent Hincmarum Laudunenſem erraſſe circa baptiſmum paruulorum; ſed quanquam ei multa paſſim obiicit auunculus, vt quod ſuperbus eſſet, quod nouitatis amans, quod contumax & perfidus; non vllius tamen hæreſeos eum inſimulat. Vnum eſt, quod euidenter patet nimirum grauiter tuliſſe Remenſem, quod ſtatim atque nepotem fecit Epiſcopum Laudunenſem, ſe ſpretum ab eo viderit, quod omnia ſe inconſulto gereret, abiret, rediret, imo contra interdicta ſua quoſdam ſibi ſubiectos abſolueret aut ſacris arceret.

Statim, inquit apud Flodoardum l. 3. c. 22. *vt à paternæ nido educationis factus Epiſcopus euolaſti, & me & eos qui te nutrierunt, deſeruiſti, & ſeculares amicitias atque familiaritates quæſiſti & acquiſiſti, & ſic ſubinde alios & alios deſerens & acquirens non ſolum de comparibus, ſed etiam & de tibi commiſſis ad hoc emerſiſti, vt contra ſacras Antiochenas regulas præcipientes vt præter me nihil agere debeas ſecundum antiquam patribus noſtris regulam conſtitutam, niſi ea tantum quæ ad tuam Parochiam pertinent profeſſioneſque ſubiectas, ſine mea vel Coëpiſcoporum noſtrorum conſcientia adminiſtrationem in Palatio Domni Regis obtinueris, quam adminiſtrationem ſibi coram eodem D. Rege & aliis qui affuerunt, ſacris Regulis interdixi & aliquandiu ab eadem adminiſtratione ceſſaſti: poſtea autem per exteras id. Seculares poteſtates contra Sardicenſes Canones eandem adminiſtrationem cum Abbatia in tertia Prouincia vltra Remenſem Prouinciam ſine mea conſcientia obtinuiſti. Ad quam Abbatiam ſine mea licentia, quotiens tibi placuit perrexiſti, & quamdiu tibi placuit, ibidem fuiſti immoratus contra Hilarij Papæ decreta dicentis illud: non potuimus præterire quod ſollicitudine diligentiore curandum eſt, ne præter Metropolitanorum ſuorum litteras aliqui Epiſcopi ad quamlibet Prouinciam audeant proficiſci: poſt hæc more tuæ inſtabilitatis ac inconſtantiæ contra Domnum Regem in tantum te ſine ratione contumaciter erexiſti, vt & adminiſtrationem Palatinam & ipſam Abbatiam tibi auferret, & à te exaggeratus duriora ingerenda tibi proponeret.*

Ex his ergo paruis initiis orta primum eſt ſimultas, ex ſimultate apertum odium, ex odio Laudunenſis opreſſio, depoſitio & excœcatio. In omnibus Tribunalibus cauſa iſta agitata eſt, ſecularibus & Eccleſiaſticis, Gallicis & Romanis ſub 3. Pontificibus, Nicolao, Adriano & Ioanne. Nicolaus auunculum vt nimis acrem & vehementem reprehendit, vt patet ex eius litteris quæ leguntur in 3. Tomo Conciliorum. Extant quoque pro Hincmaro Laudunenſi plures Epiſtolæ Adriani. Eiuſdem Epiſcopi appellatio ad ſedem Apoſtolicam legitur eodem 3. Tomo Concil. poſt Epiſt. 3. Ioannis VIII. Eiuſdem partes tuetur Baronius ad an. 870. & 871. Ibi enim Concilium Gallicanum 20. Epiſcoporum apud Vermeriam habitum & alterum in Palatio Attiniaco vocat illegitimum & latrocinale, in eoque Laudunenſem iniuſte depoſitum eſſe contendit.

Veruntamen quia Rex ipſi aduerſabatur, obtinuit à Ioanne Papa, vt alius in eius locum ſubrogaretur, in eamque rem extant Ioannis litteræ ad Hincmarum Remenſem datæ Romæ per manum Anaſtaſij Bibliothecarij an. 877. quas Sirmondus edidit ex Bibliotheca B. Remigij. At ſequente an. nimirum 878. in Conſilio Trecenſi in gradum & ſtatum priſtinum fuit reſtitutus ab ipſo Ioanne vt ſupradictum eſt, poſtquam ipſe auditus eſt, & vt erat orbatus oculis, miſerabiliter defleuit & deſcripſit calamitates, quas ab auunculo paſſus fuerat, omniumque mouit animos ad commiſerationem. Sic autem inter cætera habuit. *Tranſmiſſus ſum in exilium, in quo per duos annos ſumus, ſed aliquanto tempore ferro vinctus cuſtoditus ſum. Duobus annis ferme peractis inſuper cæcatus ſum & vſque modo retentus ad vos & ad veſtra pijſſimæ ſerenitatis præſentiam, mox vt venire dimiſſus potui, protinus acceſſi. Nunc autem veſtram clementiam ſuppliciter exoro, & à veſtra ſumma paternitate parari de me æquitatis Iudicium, quod apud veſtræ Paternitatis pietatem obtinere efflagito, tum pro multitudine miſeriæ meæ, tum pro magnitudine pietatis veſtræ.*

Cæterum deploratione dignum fuit, quod ex tam leuibus initiis eo deuenerint auunculus & nepos tam egregij ambo viri, doctiſſimi, & pro illis temporibus, diſertiſſimi. Et certè nemo erat vir bonus & pacis amans, qui vtrumque non reputaret reprehenſione digniſſimum, vt intelligimus ex ſcriptis Hinc-

mari Remenſis apud Flodoardum l. 3. c. 22. in fine. *De hoc quod dicis, quia dicant de me homines qualis eſt ille auunculus qui talia ſuo nepoti ſcribit? dicant & de te ipſi homines. Qualis eſt ille nepos· qui ab auunculo ſuo talis, vt tunc erat, aſſumptus, & talis ſicut nunc eſt in ſpiritali ac temporali honore effectus, qui talia ſibi exigit ab inuito auunculo, ne talis ab aliis ſicut à Nepote ſuo depingitur, æſtimatus, per eum blaſphemetur nomen Domini & vituperetur miniſterium eius ſecutus Apoſtolum ſcribentem ad Corinthios contra ſe blaſphemantes & vilipendi ab aliis laborantes. Egit quippe Doctor egregius, vt dum ipſe qualis eſſet agnoſcitur, & vita & lingua malè prædicantium eius prædicatione vileſceret. Illos videlicet commendaret ſi ſe abſconderet. Cumque ſe non oſtenderet, errori locum dediſſe. Dicunt & ipſi homines de te, qualis eſt ille nepos qui talia contra ſuum auunculum & nutritorem atque ordinatorem machinatur, & quantum poteſt mali agit, & pluſquam poteſt agere cupit?*

In omnibus fere locis exprobrat ingratum animum. Sed & aliud vehementer offendit Remenſem, quod qui ſibi videbatur doctiſſimus, à nepote argueretur ignorantiæ: & qui diſertiſſimus ac Latiniſſimus, parum intellectæ Latinitatis, non emendatæ, non correctæ. Vnde liquet nepotem fuiſſe quoque virum doctiſſimum & facundiſſimum: vt eod. Cap. intelligitur, in quo ſic ſcribit ad nepotem auunculus. *Scribis te à me reprehenſum & eſſe reprehenſibilem: ſed & ego ſpreta reprehenſione tua, qua me quaſi ſub quodam excuſationis velamine de ſcriptoris vitio more tuo euidenter reprehendere ſatagis, qui aut differentiam verbi detrectem, quod in meis ſcriptis tibi datis poſui neſciam, aut ſcriptoris vitium in eis corrigere non ſapuerim, vel emendare neglexerim, & ex mea reprehenſione tuam oſtentare ſcientiam Cham Noë filius voluiſti, non ſolum in verbi illius differentia, ſed & in alio verbo quod ad oſtentationem tui in tuis adinuentionibus iteratum inueni. Et cum hinc meam inſipientiam voluiſti oſtendere, tuam ſtuduiſti apud Scholaſticos ſtultitiam propalare: pro me nihil curo dicere, mihi enim pro minimo eſt, ut à te iudicer, aut ſine dilectione à tua ſcientia reprehendar. Sed ne apud illos qui tecum rumuſculos captant glorieris quaſi me mutum effeceris & elinguem qui ſolus noſtris temporibus theſauros ſapientiæ & ſcientiæ penetrans introiſti, hic cauſa compendij prætermittens, cum mihi vacauerit, oſtendam quid Regularum Grammaticæ authores, quid S. ſcripturæ Tractatores inde ſentiant atque dicant.* Hæc de vtroque Hincmaro.

879. Anno ſequente qui fuit 879. idem Pontifex Ioannes annum amplius in Gallia moratus, Eccleſiæ Senonenſi Galliarum Primatiam attribuit, in gratiam Anſegiſi Archiepiſcopi, moleſtè & grauiter id ferente Hincmaro Remenſi. Qua de re ſic habet Robertus Monachus Antiſſiodorenſis. *Senonenſi Eccleſiæ poſt Egilem præfuit Anſegiſus Monachus, vir in cunctis optimè agens, cuius tempore Senonenſis Eccleſia magno & pacifico viguit honore. Siquidem Ioannes Papa totius ei Galliæ & Germaniæ primatum contulit, vt eſſet primus poſt Papam Synodumque præſulum euocaret, & de fortioribus quibuſque ac grauioribus iudicaret: cui reſiſtere voluit Hincmarus Remorum Archiepiſcopus, ſed Apoſtolica authoritate compreſſus eſt. Huic etiam Anſegiſo venerabili præſuli præfatus Papa dedit caput B. Primi Papæ Gregorij, & brachium S. Leonis Papæ Doctoris, Quas ille venerandas Reliquias Senones detulit, & in Eccleſia S. Petri viui cum debita veneratione repoſuit.* Tandem Pontifex comitante Boſone Prouinciæ Rege Romam reuertitur.

Eodem anno Ludouicus Balbus Compendij 10. April. moritur non ſine veneni ſuſcipione, qui vbi morbum ſæuire ſenſit, per fidos homines Odonem Epiſcopum & Albuinum Comitem, Coronam, enſem & cætera Regia inſignia ad Ludouicum filium mittit, eumque Regem Franciæ coronari iubet. Contradixerunt nonnulli aientes Ludouicum & Carlomanum filios Balbi impuberes, ſpurios eſſe non legitimos. Itaque Boſo inſtigante vxore Hirmingarde Regem ſe Burgundiæ coronari curat, iis deſpectis. Hiſce temporibus florebat Milo Monachus qui vitam S. Amandi metricè compoſuerat, & librum de Sobrietate ad Caluum miſerat, teſte Antonino. Sub quo adoleſcebat Hubaldus nepos, qui ſeptem artium Liberalium peritia clarus egregiè præter cætera in Muſica claruit, & de multis ſanctis cantus dulci & regulari modulatiooe compoſuit. Hæc Antoninus.

880. Anno 880. Dum Franciæ Proceres inter ſe de Tutore Regis Regnique eligendo

gendo Rectore certant Ludouicus Germaniæ Rex in Galliam irrumpit & ex altera parte Normani duce Haſtingo. Emitur pax, quia bellum ſuſtineri non poteſt. Lotharingiæ pars quæ Caluo obtigerat, Germanico conceditur. Normanis quoque *Coniectum* ſeu annona & Pecuniæ ſumma, prætereaque Neuſtria habitanda & incolenda, dum quietè & pacificè ibi conſiſtant. Sed aſſueti prædis renouant bellum, malo tamen ſuo, amiſſis nempe quinque ſuorum millibus, cæteris fuſis & fugatis. Miſerrimus autem Franciæ ſtatus compellit Hugonem Impuberum Regum Tutorem, & Hincmarum mittere Legatos ad Ludouicum Trans-Rhenenſem, vt quandoquidem ipſe filium non habet, alterum è duobus Ludouicum aut Carlomannum adoptet. Interim Carlomannus Bauariæ Rex atque Italiæ moritur ſine liberis legitimis relicto Arnulfo ex concubina filio. Laudatur iſte Carlomannus à peritia litterarum, pietate, abſtinentia, fortitudine armorumque gloria & felicitate, nunquam enim ſine victoria cum hoſte conflixiſſe dicitur.

Anno 881. Ludouicus & Carlomannus fratres partiuntur Regnum. Ludouico cedit Francia & Neuſtria; Carlomanno Burgundia & Aquitania, qui coniunctis cum Germano viribus Bozonem Burgundiæ inuaſorem fugant. Rurſus bellum cum Normanis recrudeſcit, quos Ludouicus debellat multis occiſis: at illi retracto ex fuga milite redeunt ad manus in Campis Turonicis, & rurſus debellantur. Verum Rex victor paulò poſt moritur. Carlomannus qui Viennam obſidebat, relicta obſidione aduolat, habitoque Procerum Conuentu in Regem Franciæ coronatur. Cum Normanis confligit, cum quibus tandem hiſce legibus pacem init, vt fidem Chriſtianam amplectantur. Baptizatur Godefridus Dux eorum, multique cum eo: ſed pari leuitate fidem eiurantes quadraginta armatorum millibus Luteriam obſident, cepiſſentque ſi non habuiſſet Gozlenum Epiſcopum & Odonem Comitem fortiſſimos repugnatores. Godefridum tandem ſuperbè inſultantem Carlomannus egregio nixu fugat, & ſternit. Sed & paulo poſt ipſe moritur filiumque relinquit puerulum nomine Ludouicum, cognomento *Ignauum* ſeu *Inertem*. 881.

Anno 882. die 21. Decemb. obit Hincmarus Remenſis Archipræſul omnium Franciæ Metropolitanorum Decanus, apud Sparnacum trans Matronam, quò ſe metu Normanorum omnia depopulantium & ferro flammiſque mandantium contulerat. Corpus ad Monaſterium S. Remigij Remenſis relatum, & in ſepulchro quod ſibi præparauerat, repoſitum, cum hoc epitaphio, quod item ipſe viuens dictauerat. 882.

Nomine non merito Præſul Hincmarus, ab antro
Te lector tituli quæſo memento mei.
Quem grege paſtorem proprio Dionyſius olim
Remorum populis vt petiere dedit.
Quique humilis magna Remenſis regmina plebis
Rexi pro modulo, hic modo verme voror.
Ergo animæ requiem nunc & cum carne reſumpta,
Gaudia plena mihi hac quoque poſce ſimul.
Chriſte tui clemens famuli miſerere fidelis,
Sis pia cultori ſancta Maria tuo.
Dulcis Remigij ſibimet deuotio proſit.
Qua te dilexit pectore & ore, manu.
Quare hic ſuppetiis ſupplex ſua membra locari,
Vt bene complacuit denique ſic obiit.

Anno Dom. incarnat. 882. Epiſcopatus autem ſui 37. menſ. 7. & die quarta. Sic legitur apud Flodoardum. Ei ſtatim ſubſtituitur Fulco vir primariæ nobilitatis, Abbas S. Vedaſti & S. Bertini apud Atrebatum, in ſcholis Palatinis enutritus, & Regni ſub Carolo Simplice futurus moderator.

Igitur Francia in Regem inertem & impuberem inclinata, dum hinc variis Procerum partibus, inde à Normanis & Germanis concutitur, prope corruit: nec aliud malo remedium inuenit, niſi quod Inerte recluſo & apud San-Dionyſium tonſo Carolus cognomento Craſſus Ludouici Germaniæ Regis filius Caroli Calui nepos, Magni pronepos, tunc Imperator aduocetur, vt Regnum 883.

Francicum, qualia fuerant ſub Magno & Ludouico Pio, ſub vnum Caput Rectoremque redeant, dum interim Carolus puerulus, Simplex dicendus, Balbi filius ſub tutela Eudonis Comitis educatur. Id fit circa an. 883.

883. Hæc Regum tam frequens mutatio & Regni confuſio: mutatio quoque crebra Pontificum Romanorum prope annua in litterarum profeſſionem & in omnes Orbis Chriſtiani ordines confuſionem quoque intulit maximam. Ioanne defuncto 18. Kal. Ian. an. 882. Marinus Galleſianus, ſeu natione Gallus patre Palumbo ſubſtituitur, ſedetque anno tantùm vno & menſibus duobus. Huic Adrianus III. vel vt alii ſcribunt Agapitus an. 884. ſedetque an. 1. & menſ. 3. Huic Stephanus V. Natione Romanus Patre Adriano an. 885. iſte ſedit annis ſex diebus octo. Sub quibus & à quibus nihil legitur actum dignum memoria; niſi quod Marinus an. 883. Scholam Anglorum, cuius alibi mentionem fecimus, in gratiam Alfredi Anglorum Regis, qui Romam peregrinationis cauſa profectus fuerat, ab omni tributo liberam eſſe voluit: qua de re ſic ſcribit Flodoardus ad an. 883. *Eodem anno Marinus Papa Scholam Anglorum Romæ exiſtentem Alfredo Rege deprecante, à tributo liberam fecit, qui etiam Regi præfato dona tranſmittens plurima dedit ei inter cætera portionem non modicam illius Crucis ſalutiferæ, in qua Dei filius pro ſalute mundi pependit.*

884. Circa an. 884. San-Gallenſis Monachus, de quo inter authores 1. ætatis dictum eſt, libros duos de Geſtis Caroli M. Craſſo dedicauit, quorum priorem de Religioſitate & Eccleſiaſtica Domni Caroli cura, alterum de Rebus Bellicis inſcripſit, tunc vt ipſe dicit ſenio grauis & edentulus: & in iis libris fusè agit de aduentu Scotorum Magiſtrorum, vt ante docuimus. Hiſce temporibus in ſcholis Palatinis docebat adhuc Manno, cuius inter alios Diſcipulos referuntur Ratbodus Mancio factus Epiſcopus Cabillonenſis apud Surium & Stephanus Tungrenſis; & alter, vt videtur Stephanus Salinenſis Comitis filius Canonicus Metenſis, Abbas deinde Lobienſis, poſtea Epiſcopus Leodienſis circa an. 903. is fuit vir litteratus, qui vt legitur apud Fulcuinum lib. de Geſtis Abbatum Lobienſium, paſſionem B. Lamberti impolito digeſtam ſtylo vrbanius elucidauit.

Eodem anno Craſſus Normanos cædit fugatque: at non ſatis prudenter vſus victoria viciſſim ipſe fugatur, pacemque pretio emit & fœdere, datâ ſcilicet Gothofredo in Coniugem Ægidia ſeu Giſla Lotharij filia. Quo paulo poſt occiſo, indignati Normani Lutetiam iterum obſident, vt ad an. 886. referemus.

885. Anno 885. Stephanus V. factus eſt Pontifex Rom. cum quo magnam videtur Fulco Remenſis habuiſſe familiaritatem & neceſſitudinem, vt pote qui ab eo & frater & amicus appellatur. Datis verò ad eum litteris ſignificat ſe Romam ad eum profecturum fuiſſe, niſi à Normanis vndequaque circumuallaretur, qui decem tantùm millibus à ſua Ciuitate aberant, tumque Ciuitatem Pariſiorum ab iis obſideri. Significat quoque eidem dutum ſibi omnino eſſe, quod Eccleſia Remenſis, quæ ſemper omnibus Gallicanis præfuerat, ſubdita fuiſſet Senonenſi à Ioanne Papa VIII. qui in gratiam Anſegiſi illam Primatiæ ſedem eſſe voluerat. Sic ergo ille apud Flodoardum l. 4. c. 1. *Sedem verò Remenſem notum habeat ab Anteceſſoribus ſuis potius Gallicanis omnibus Eccleſiis fuiſſe honoratam: vt pote cum primus Apoſtolorum B. Petrus primum deſtinauerit huic vrbi S. Sixtum Epiſcopum, & totius Gallicanæ Regionis dederit ei Primatum. Hormiſda quoque Papa S. Remigio vices ſuas in Galliarum partibus commiſerit. Hoc ideo ſe commemorare, ne ſedes Remenſis ſuis in diebus ſineretur dehoneſtari; annectens etiam de priuilegiis ſibi ab huius prædeceſſoribus Marino & Adriano conceſſis.*

Quantas autem in Regni Gallicani adminiſtratione partes tum haberet Fulco, patet ex Flodoardo l. 4. c. 5. Vnde diſcimus quoque hiſtoriam illius temporis, aliunde ſatis confuſam. Nam ſtatim initio Carolum Craſſum Ludouici Trans-Rhenenſis filium Imperatorem & Regem Francorum admonet, quo in ſtatu res ſint Gallicanæ, quàm afflictæ à Normanis, quàm illi futurum ſit turpe & ignominioſum, ſi quod Regnũ Patruus & eius filij conſeruarunt, tueri ipſe & conſeruare non poſſit. Inter cætera verò memorat. *Ciuitatem Pariſiorum quam Caput aſſerit & introïtum Regnorum Neuſtriæ atque Burgundiæ, Barbarica cingi obſidione, citóque capiendam, niſi Dei ſubuentum fuerit clementia. Quæ ſi capta fuerit, totius diſ-*

pendium Regniſe perpeſſuros, (vide quantum momentum in hac vrbe capta auferuata.) *tamque periculosè hac iam mala graſſari, vt à prædicta vrbe Remos vſque nil tutum remanſerit: nulla niſi peruerſorum Chriſtianorum Barbariſque conſentientium ſecura ſit habitatio, quorum multi Chriſtianorum deſerentes Religionem, Paganorum ſe ſocietati coniunxerant ac tuitioni ſubdiderant.*

Circa ergo an. 886. Imperante Carolo Craſſo, Carolo Simplice interim ſub tutela Odonis ſeu Eudonis Comitis Pariſienſis relicto, vaſtata, direpta & depopulata eſt à Normanis Lutetia, qui cum ægrè & magno tandē labore repulſi fuiſſent à Gozlino, ſeu Gauzleno Epiſcopo, Ebolo eius Nepote, Odone Comite Pariſienſi, & aliis quibuſdam fortiſſimis Bellatoribus & Ducibus, Baſilicam S. Germani Teretis (hodie Antiſſiodorenſis) & alias quaſdam incenderunt, præſertim in iis locis Suburbanis Luparæo Palatio vicinis, vbi tū Muſæ Pariſienſes adhuc morabantur. Iam ab an. 857. à Barbaris illis Septentrionalibus infeſtari cæperat Lutetia. Piratæ Danorum eam 5. Kal. Ian. an. 857. diripuerant, Baſilicam S. Genouefæ Montenſis incenderant & cæteras Suburbanas, præter S. Stephani, S. Vincentij ſeu Germani Pratenſis Diuique Dionyſij Eccleſias, vt legimus in Annalibus Bertinianis. Iidem an. 861. menſe Ian. eandem vrbem aggreſſi Eccleſiam S. Germani igni tradiderant: at ſub Craſſo tum abſente omnia hoc anno ferro flammiſque mandarunt, adeo vt omnia ſuburbana pœne deſtructa ſint. Quam miſerabilem calamitatem deplorans Adreualdus Floriacenſis Monachus in lib. de Miraculis S. Benedicti, de Lutetia à Normanis afflicta & vaſtata ſic loquitur. *Quid Lutetia Pariſiorum nobile caput, reſplendens quondam gloria, opibus, fertilitate ſoli, incolarum quietiſſima pace, quam non immeritò Regum diuitias, Emporium dixero populorum, num magis ambuſtos cineres, quàm vrbem nobilium potis eſt cernere?* 886.

Hancce Pariſiacæ Ciuitatis obſidionem deſcribit 2. libris Abbo Monachus San-Germano-Pratenſis cruentæ tragœdiæ ſpectator è mœnibus Abbatiæ, quam Normani quoque obſidebant: quâ quidem in deſcriptione pluribus in locis meminit Prati, quod vulgò Clericorvm appellatur: in quo ciues Pariſienſes S. Germani precibus & auxilio adiuti multas cædes ſtrageſque Normanorum ediderunt.

Ipſe Danos, quicumque dabant veſtigia Prato,
Militibus ſpeculum cernentibus vrbis in eius
Rure ſitum, fugiente morâ tradit capiendos.....
Quæ voces, quæ lingua, quod os edicere poſſunt
Bella tot his Prato egregij commiſſa relati,
Quotque necauerunt Normanos hîc, quot & Vrbi
Duxerunt ſecum viuos? iam nullus eorum
Tunc audebat agrum Sancti conſcendere latum.

Idem Author meminit ſolennis ſupplicationis ſeu Proceſſionis Pariſienſium ad Baſilicam B. Virginis, delatæque ſummo cultu & humilitate Thenſæ ſeu Thecæ San Genouefianæ: cuius Virginis meritis obſeſſi de obſidentibus inſignem victoriam ſtatim reportarunt.

Virgo Dei Genoueſa Caput defertur ad Vrbis
Quo ſtatim meritis eius Noſtri ſuperarunt.

Hinc intelligimus 1. non eſſe nouum in vrgenti calamitate recurrere ad S. Genouefam, eiuſque Thecam ſolenniter deferre. 2. Ex ea parte vbi ſita eſt Baſilica Sangenoueſiana, non fuiſſe vrbem obſeſſam: neque enim potuiſſent Obſeſſi ab ea Æde ad Baſilicam D. Virginis procedere. 3. Prædictam Baſilicam D. Virgini conſecratam fuiſſe tunc, vt nunc eſt, principem & Cathedralem quam proinde vocat Capvt Vrbis.

Rurſus verò, cum recruduiſſet pugna, infeliciterque pugnaſſent Obſeſſi, ad opem B. Germani confugerunt, vt ſcribit idem Author, indictaque ſolenni ſupplicatione ſanctiſſima Chriſti Cruce, & Oſſibus B. Germani ad ædem B. Stephani delatis Diuinam manum adiutricem experti ſunt.

Hac virtute Crucis ſanctæ victoria noſtris
Ceditur, & meritis Germani Antiſtitis almi
Quam reuehunt ad Baſilicam Stephani quoque teſtis,

Gaudentes Populi præcelſâ voce boantes
VOCE DEVM TE LAVDAMVS Dominumque fatemur.

Intelligit proculdubio Baſilicam S. Stephani de Greſſibus, non S. Stephani de Monte, quæ longè recentior eſt, & poſt tempora Normanorum condita, vt alio loco docebimus. Interim vel ex vna Annalium Bertinianorum authoritate ſatis conijcitur, in quibus ſic habetur ad an. 857. *Dani Sequanæ inſiſtentes cuncta liberè vaſtant, Lutetiamque Pariſiorum aggreſſi Baſilicam B. Petri & S. Genouefæ incendunt, & cæteras omnes præter Domum S. Stephani & Eccleſiam S. Vincentij, præterque Eccleſiam S. Dionyſij, pro quibus tantummodo ne incenderentur, multa ſolidorum ſumma ſoluta eſt.* At quis credat parcituros illos fuiſſe Baſilicæ S. Stephani de Monte Genouefianæ contiguæ?

Neque videtur omittendum Normanos tum in Luparæa regione primum caſtra poſuiſſe iuxta Baſilicam S. Germani Antiſſiodorenſis, qui tunc à ſtructuræ forma Teres dicebatur. Meminit Abbo duobus in locis. Semel quidem lib. 1.

Sole ſuos fuluo radios fundente ſub æthre
Sorte Dionyſij luſtrant equidem recubantes
Macharij, Sequanæ ripas & Caſtra beatum
Germanum circa Teretem componere vallis
Commixto lapidum cumulo glebiſque laborant.

Iterum verò lib. 2. vbi deſcribit quomodo ea ſtatione vaſtatâ & relictâ poſt diſceſſum Henrici ab Imperatore miſſi in auxilium Oppidanis tranſierint ad partem aduerſam S. Germano propinquam, ipſumque Monaſterium vallo circumdederint Duce Sigemfredo.

Conſpiciens Sigemfredus Noſtros in Agone
Eſſe feros, inquit Sociis, hanc linquite ſedem,
Hic non ſtare diu Noſtrum manet. Hinc ſed abire.
Ergo ſuas vt Aitricus ſeceſſit ad Aulas,
Germani Teretis contemnunt littora ſancti,
Æquiuocique legunt, cuius factis bene veſcor.
Circumeunt caſtris æquor, ſed & vndique valla
Clauditur: en Dominuſque meus, quaſi carcere latro,
Ipſe nihil peccans. Murus circumdedit eius
Eccleſiam noſtro Celſam cogente reatu.

Quamobrem verò Normani ad partem illam tranſierint, hæc videtur cauſa inter cæteras fuiſſe, quia ex ore Ciuium frequenter audiebant has voces deprecatorias, O GERMANE VRBIS PRÆSVL! GERMANE BEATE AVXILIARE TVIS, & ſimiles, volebantque propius experiri, quas ille vires haberet; & quas magno tandem ſuo malo experti ſunt. Nam Odo Pariſiorum Comes, qui & poſtea fuit Rex appellatus, eorum nouemdecim millia proſtrauiſſe fertur. Inter alios verò in vrbe defendenda fortiſſimè ſe geſſerunt Gauzlinus Epiſcopus, deinde Anſehericus eius ſucceſſor, Hugo Comes & Abbas S. Germani, Ebolus & ipſe Abba-Comes. Qui Abbates non infulati, ſed armati cœnobia tuebantur contra Danos. Meminit Abbo Hugonis Abbatis, qui in illa obſidione Pariſienſi fortiſſimè dimicans obiit.

Tempeſtate ſub hac Hugo Princeps obit Abba.

De eodem ſic habetur in fragmento Hiſtoriæ in membrana Floriacenſi, vbi de Normanis, *Peregiſſentque inchoata, niſi Hugo per Gallias Abbatis honore præditus ſtrenuè Rempub. gubernans eorum temerarios compeſcuiſſet auſus.* Ab hoc autem Hugone, aut à filio, aut à Nepote ſuſpicantur Monachi San-Germano-Pratenſes conceſſum & datum fuiſſe Vniuerſitati Pariſienſi Pratum, quod vulgò Clericorum appellatur. Qua de re alio loco dicemus.

Item Ebolus eidem Abboni dicitur *Fortiſſimus Abba*, & alio loco, vbi Odonem exiſſe ſcribit ex vrbe ad accerſendum Carolum Craſſum, vt oppreſſæ ſuccurreret, neminem è Ducibus in ea remanſiſſe ait præter Ebolum, quem Martium Abbatem vocat.

Poſt nullus procerum remanet niſi Martius Abba.

Atque vt hanc tandem Obſidionis Pariſiacæ hiſtoriam abſoluamus, licet Craſſus poſt victum Henricum, quem ante miſerat in auxilium veniens inſtru-

ctiſſimo, quem habebat exercitu Normanos facile debellare potuiſſet, eorumque Regulos captos in vinculis retinere, neſcio quo tamen malo genio ductus incolumes dimiſit in magnam Reipub. Gallicanæ & Germanicæ perniciem, largiſque etiam muneribus vt abſcederent, onerauit. Quæ res tam indigna Nobilitati viſa eſt, vt ab omnibus deſertus fuerit & Francis & Germanis. A Francis Odo Comes Pariſienſis propter egregiè nauatam in repugnatione operam Rex appellatur, licet tutor eſſet ſolummodo veri Regis Caroli Simplicis: ſed id propterea factum aiunt, quia nomine Regio vel in auſpicium opus erat ad expellendos hoſtes. A Germanis Arnulfus Carlomanni Nothus Imperator eligitur & à Formoſo Papa coronatur. Id factum an. 887. vt ſcribit Sigonius. Craſſus autem 887.
tantum animo concepit dolorem, vt mox pridie idus Ian. migrarit è vita. Quod vt intellectum eſt, Berengarius Veronenſi & Foro-Iulięſi ditioni præfectus Italiam occupat. Guido ſeu Vido Spoletanæ Dux hortante Pontifice Ro. Regnum Franciæ occupare nititur. Sed nihil proficit Odonis ſtudio excluſus. Regreditur ergo in Italiam & aduerſus Berengarium arma mouet, ad Trebiam vincit, & à Stephano Pontifice Romam accerſitus an. 891.9. Kal. Martias Imperator conſecratur.

In Francia res ſic ſe habent. Normani præda onuſti, ſuperbi & inſolentes contra fidem & promiſſa Pariſienſem iterum agrum depopulantur, iterumque Ciuitatem expugnare tentant, nec poſſunt. Odo Roberti Andegauenſium Comitis à Normanis occiſi filius ex Gente Saxonica Witikindi, Regis nomen accipit, reluctantibus tamen multis, cum Fulcone Remenſi Arnulfum iam à Germanis Imperatorem creatum aut in Regem Franciæ poſtulantibus, aut in Tutorem Caroli Pupilli contra Odonem Regiæ ſtirpis inimicum vt dicebant. Hinc Poëta Saxonicus l. 5. de Geſtis Caroli M. deplorata Franciæ clade Arnulfum in- 888.
uitat ad eam defenſore carentem auxiliaribus copiis & authoritate ſua ſubleuandam, cum ſolus id poſſit.

Væ tibi, va tali (id. Carolo M.) modò defenſore carenti
Francia, quàm variis cladibus opprimeris?
Gentibus ecce pates populantibus vndique ſæuis
Et quondam felix nunc nimis es miſera!
Quippe tuis hilares exultant fletibus hoſtes,
Ditanturque tuis aſſiduè ſpoliis.
Millia cæſorum captiuaque turba tuorum
Amplior eſt numero, quàm ſit arena maris.
Nam Carolo moriente tuum decus ac honor omnis
Ex illo ſenſim fugit & interiit.
Nunc tamen Arnulpho meritò ſub Principe gaudes,
Qui ſimilis tanto moribus eſt Abauo.
Denique magnanimus, clemens, promptuſque labore
Peruigili lapſum corrigit Imperium.
Francorumque mouet veteri virtute lacertos,
Atque vocat reſides rurſus in arma viros.
Sed moles immenſa, diu quæ corruit ante
Non reſtaurari ſe ſubitò patitur.

Similiter Fulco Remenſis ſuam Arnulfo opem operamque in id offert. imò ad 889.
eum proficiſcitur, ſed ſine vlla grati animi teſtificatione remiſſus Odoni parere cogitur, quem oderat. Ait enim Ep. ad Arnulfum apud Flodoardum l. 4. c. 5. cum in eo ſibi nulla ſpes remanſiſſet, *coactum ſe eius hominis, videlicet Odonis dominatum ſuſcipere, qui ab ſtirpe Regia exiſtens alienus, Regali tyrannicè abuſus fuerit poteſtate, cuius & inuitus hactenus dominium ſuſtinuerit.*

Scribunt tamen alij Odonem fuiſſe virum valde bonum & ſtrenuum; Francicæque ſalutis ſtudioſiſſimum. At cum aduerſariorum aliqui, quorum ope & fauore ad Regiam dignitatem euectus fuerat, contra quam ſperabant, ab eo accepti fuiſſent, nec conſecuti quod optabant, ab eo defeciſſe, & cum Fulcone conſpirantes aut Carolum pupillum coronandum ſuaſiſſe, aut Guidonem Spoletanorum Ducem, qui Imperium inuaſerat & Arnulfo bellum indixerat, aduocandum. Certè Fulco ob id Odoni videtur infeſtus fuiſſe, quod non vt prius

ſibi, ſed Anſcherico Pariſienſi Epiſcopo Regni præcipua negotia concrederet.

890. Cæterum quàm malè & infeliciter cum Muſis Pariſienſibus actum ſit illis temporibus, facile eſt ſuſpicari: locis enim quæ in Suburbano Luparæo inhabitabant, vaſtatis, direptis & incenſis neceſſe eſt partem eladis quoque tuliſſe longè miſerabilem: vnde non malè forſan tam de Scholaribus quàm de aliis Clericis hi verſus Abbonis poſſunt intelligi.

Plorabant Monachi, lachrimatur Clericus omnis
Aera voce tonant, luctus ſed & æthra faceſſit.

Hinc procul dubio factum, vt Magiſtri alij aliò migrarent, vt ſecurius aut docere, aut viuere poſſent. Alij intra vrbem ſe receperunt, alij in monte San-genoueſiano caſtra poſuerunt, donec cladem repararent, & redeunte meliori ſidere antiqua hoſpitia repeterent. Commodè quoque aduenit multis, vt Fulco olim Comes Palatinus, tunc Archiepiſcopus Remenſis miſerabili & deplorandâ vrbis Pariſienſis facie tactus azylum in ſua ciuitate exhiberet: vt teſtatur Flodoardus l. 4. c. 8. *Eo tempore*, inquit, *Normanis Francorum terras infeſtantibus & diuerſa loca depopulantibus, hic Pontifex plures tam Sacerdotes, quàm cæteros Clericos & Monachos ad ſe vndecunque confluentes benignè ſuſcepit, & paternè fouit. Inter quos etiam Monachos S. Dionyſij cum ipſius martyris pretioſo corpore aliorumque Sanctorum pignoribus recepit & aluit.*

Schola Remenſis. Hac tanti viri benignitate multi Magiſtri & Scholaſtici inuitati illuc ſe conferunt: quâ occaſione vſus Remenſes Scholas inſtituit accerſitis & euocatis ex vrbe Pariſienſi Remigio Antiſſiodorenſi & Hucbaldo Caluo celeberrimis Philoſophiæ Profeſſoribus. Quâ de re ſic habet idem Flodoardus cap. 9. *Præfatus denique præſul honorabilis Fulco ſolicitus circa Dei cultum & Ordinem Eccleſiaſticum, amore quoque ſapientiæ feruens duas Scholas Remis, Canonicorum ſcilicet loci, atque Ruralium Clericorum iam pœne delapſas reſtituit, & euocato Remigio Antiſſiodorenſi Magiſtro liberalium Artium ſtudiis adoleſcentes Clericos exerceri fecit, ipſeque cum eis lectioni ac meditationi ſapientiæ operam dedit. Sed & Hucbaldum S. Amandi Monachum, virum quoque Diſciplinis Sophicis nobiliter eruditum accerſiuit, & Eccleſiam Remenſem præclaris illuſtrauit diſciplinis.*

Non aliunde, inquam euocauit, quàm ex Pariſienſibus Scholis, vbi ab Errico Antiſſiodorenſi relicti fuerant hæredes Philoſophiæ, vt ſupra inter Authores primæ ætatis ex Ademaro Engoliſmenſi retulimus, qui Palatinos Magiſtros ſecundum Ordinem ſucceſſionis enumerans, poſtremo loco Remigium & Hucbaldum Errici ſucceſſores accenſet: quam ſeriem ab illo malè contextam Nos veriſimilius ita reponimus, vt Beda docuerit Simplicium, Simplicius Alcuinum in Anglia; Alcuinus Theodulphum Pariſiis, Rabanum Turonis, Theodulphus Smaragdum ante an. 800. Smaragdus, qui obiit an. 843. Heliam Scotigenam: Helias qui an. circiter 860. factus eſt Epiſcopus Engoliſmenſis, & obiit vt vult Ademarus an. 876. vel vt alij an. 886. Erricum Antiſſiodorenſem; Erricus circa annum 865. Remigium & Hugbaldum Caluum, hæredes Philoſophiæ reliquerit, in eadem ſcilicet Schola diſcipulos ſemper Magiſtris ſuccedentes, vt olim in Academia Alexandrina fieri conſueuerat: neque enim exiſtimandum eſt illos ſolos ſcholas tenuiſſe toto hoc ſeculo, cum multi alij celeberrimi quoque Profeſſores eodem tempore docuiſſe legantur.

Nec dubitandum, quin Hugbaldus imperante Carolo Caluo docuerit: in cuius laudem libellum vnum compoſuit de laude Caluorum, opus mirabile 136. verſuum, quorum ſingula verba à littera C. incipiunt. Primus iſte ſit in exemplum.

Carmina Clariſonæ Caluis cantate Camœnæ.

Quod opus ſe vidiſſe teſtatur Trithemius, & alia quædam eiuſdem authoris opera: poſtea induit ille Monachum in cœnobio Elnonenſi.

Remigius autem Remis non minori quàm Pariſiis celebritate docuit: ibique inter alios Diſcipulos habuiſſe videtur Seulfum & Hildeboldum. Seulfus quidem ex Archidiacono Remenſi factus eſt poſtea Archiepiſcopus, vt legitur apud Flodoardum l. 4. c. 18. *Succeſſit* (Heriuæo) *Seulfus qui tunc vrbis huius miniſterio fungebatur Archidiaconatus; vir tam Eccleſiaſticis, quàm ſecularibus diſciplinis ſufficienter inſtructus, quique apud Remigium Antiſſiodorenſem Magiſtrum in*

Digitized by Google

Liberalibus ſtudium dederat Artibus. Hildeboldus verò in Monaſterio S. Michaëlis ſuper Moſam Grammaticæ Scholam aperuit, docuitque Ioannem Gorziam poſtea eiuſdem loci Abbatem, vt in eius vita legitur, vbi ſic de Hildeboldo. *Hildeboldus Quidam Grammaticam profeſſus è Diſcipulis Domni Remigij doctiſſimi ea ætate Magiſtri Scholas habebat*. Sed tandem Remigius poſt mortem Fulconis Pariſios redijt, vt ad ſequens ſeculum docebimus.

Academiæ Oxonienſis inſtitutio.

Ex prædicta quoque clade Gallicana per Normanos illata ſtudiique Pariſienſis diſſipatione amplificauit Alfredus ſeu Aluredus, Flodoardo Albradus Angliæ Rex, ſuam Academiam Oxonienſem, cuius inſtituendæ & fundandæ conſilium ceperat circa an. 884. quam quidem hiſtoriæ partem hoc loco prætetire nefas eſſe ducimus, quia ex hac noſtra Vniuerſitate Magiſtros euocauit ad eam componendam ſimul & regendam. Igitur Rex ille qui ab Hiſtoricis Anglis meritò magnus cognominatur, laudabile & inſigne Regum noſtrorum æmulatus inſtitutum, doctrinamque & amorem erga litteratos, Neothi Monachi Benedictini conſilio Academiam prædictam hoſtili ciuilique rabie plurimum imminutam & prope collapſam (eam enim antiquitus inſtitutam faciunt Quidam Scriptores Angli) inſtaurauit hoc modo.

¶. Ex Gallia & aliunde quoque, vbi ſciuit viros eſſe litterarum profeſſione præcellentes, euocat: ex vltimis quidem Britanniæ finibus Aſſerum: ex Mercia Pleigmundum, Ætheltestanum & Werulfum, ſeu Warefridum: ex Gallia inter alios Grimbaldum & Ioannem Scotum Erigenam, quorum fama tum erat percelebris ſupra cæteros. Grimbaldum quidem olim in Gallia viderat in Cœnobio Bertinienſi, cum Romam adhuc iuuenis proficiſceretur. Atque in eam rem ſcribit ad Fulconem Archiepiſcopum Remenſem tunc primas in Regno Francorum partes tenentem. Ioannem quoque Erigenam Academiæ Pariſienſis olim & diu Rectorem, atque diſciplinæ quæ in ea obſeruabatur, gnarum accerſit. Teſtis Aſſetus ſeu Aſſerio in vita Alfredi, qui in eam quoque rem ex vltimis Britanniæ finibus euocatus fuerat. Sic enim ille de Æthelwardo Alfredi filio loquens. *Athelwardus*, inquit, *omnibus Iunior ludi litteraria Diſciplinæ Diuino Conſilio & admirabili Regis prouidentia cum omnibus pæne totius Regionis nobilibus Imperantibus, & ètiam multis ignobilibus ſub diligenti magiſtrorum cura traditus eſt. In qua Schola vtriuſque linguæ libri, Latinæ ſcilicet & Saxonicæ aſſiduè legebantur, ſcriptioni quoque vacabant: itant antequam aptas humanis artibus vires haberent, venatoriæ ſcilicet & cæteris Artibus, quæ Nobilibus conueniunt, in Liberalibus Artibus ſtudioſi & ingenioſi viderentur...... Legatos vltra mare ad Galliam Magiſtros acquirere direxit; indeque aduocauit Grimboldum Sacerdotem & Monachum, Venerabilem videlicet virum, Cantorem optimum, & omnimodo Eccleſiaſticis Diſciplinis & in Diuina ſcriptura erudititiſſimum, & omnibus bonis moribus ornatum. Ioannem quoque æquè Presbyterum & Monachum, acerrimi ingenij virum & in omnibus Diſciplinis litteratoriæ artis erudititiſſimum, & in multis alijs Artibus artificiatum. Quorum doctrinâ Regis ingenium multum dilatatum eſt, & eos magnâ poteſtate ditauit & honorauit. His temporibus Ego quoque à Rege aduocatus ex occiduis & vltimis Britanniæ finibus ad Saxoniam adueni*. Hæc Aſſerus qui obiit an. 909.

Ingulfus Croelandiæ Abbas, qui ab anno circiter 1050. florere cœpit & vixit vſque ad an. 1109. Alfredi & Doctotum Gallicanotum meminit his verbis. *Manus Saxonica ab omnibus Saxonibus & Merciis vſque ad tempora Regis Alfredi, qui per Gallicanos Doctores omnibus litteris opprimè inſtructus erat, in omnibus Chirographis vſitata à tempore D. dicti Regis deſuetudine viluerat: & manus Gallicana, quia magis legibilis & aſpectui perdelectabilis præcellebat, frequentius in dies apud omnes Anglos complacebat*. Nimirum antequam Galli Noſtrates in Angliam transfretarent, Angli Charactere quodam Saxonico vtebantur intermixtis Characteribus Romanis, quales videntur in vita Alfredi per Aſſerum conſcripta, quam Thomas Vvalſinghamus Hiſtoriæ ſuæ præmiſit. Noſtri verò Galli commodiorem ſcribendi vſum, qualis in Gallia erat, illis communicarunt.

Florentius Wigornienſis Monachus qui obiit an. 1118. de liberis Alfredi, deque « huiuſce Academiæ inſtitutione verba faciens ſic ait, Æthelwardus omnibus Iu- « nior litterariæ diſciplinæ Diuino conſilio admirabilique Regis Prouidentia & «

nachum, inquit, *litteratura & cantu peritum de partibus Galliæ, & Ioannem Monachum de Monaſterio S. Dauid Meneuiæ in vltimis finibus poſito ad ſe vocauit, vt litteraturam ab eis addiſceret. Optimates quoque ſuos ad litteraturam addiſcendam in tantum prouocauit, vt ipſi filios ſuos, vel ſaltem filios ſi non haberent, ſeruos ſuos litteris commendarent.*

Duplicem aliqui Ioannem faciunt: vnum Saxonem, Ethelingiani Cœnobij Monachum, eumque aiunt cum Grimbaldo adſcitum ab Alfredo: alterum Erigenam, Meneuienſem Monachum ex Profeſſore Pariſienſi; eoque etiam vſum in Academiæ ſuæ inſtitutione.

Quod autem Alfredus SCHOLAS PVBLICAS Oxoniæ inſtituerit, & varias variis artibus claſſes, vt vulgo loquimur, aſſignarit, teſtis eſt Vvillelmus Malmeſburienſis in ſuo de Glaſtonienſis Cœnobij antiquitate libello ad Henricum Bleſenſem Vvintoniæ Epiſcopum, cuius hoc eſt initium. *Poſt Dominicæ Reſurrectionis gloriam.* De Alfredo igitur, inſtitutiſque ab eo ſcholis ſic habet. *Rex Aluredus Dei ſeruus Neothum ſæpius adiit, ſuiſque nonnunquam vtebatur conſiliis. Conſilio namque Neothi Abbatis* SCHOLAS PVBLICAS *variarum Artium apud Oxoniam primus inſtituit Aluredus, Romamque Legatos miſit obſecrans D. Martinum II. vt Anglorum Scholis eamdem libertatem, quam Romæ habent dignitatem concederet; & quod à ſanctiſſimo Patre petiit, abſque vlla cunctatione impetrauit, & in multis articulis priuilegiari procurauit.* Eademque verba vſurpat Higdenus l. 6. *Aluredus Scholas variarum Artium apud Oxoniam primus inſtituit: quam vrbem etiam in multis priuilegiauit.* Hinc intelligimus & Papam & Regem naſcenti huic Academiæ priuilegia conceſſiſſe.

At de Compoſitione, regimine, Artium ac Scholarum diſtinctione, deque Fulconis Remenſis ad Regem Alfredum ſuper ea re litteris, loquuntur recentiores. Nicolaus Harſpheldius Archidiaconus Cantuarienſis ad 9. ſeculum c. 10. de Grimbaldo & Fulcone ſic differit. Aluredus Rex *inquit*, cum Rempub. à Danorum depopulationibus virtute ſua aliquantulum recreaſſet, cœpit & Eccleſiaſticæ quoque Diſciplinæ emendandæ manum admouere. Ad quod præclarum opus felicius conficiendum cum vidiſſet illam partem frequenti Danorum incurſione ſæuaque debacchatione, totque Monachorum, ſacerdotum, ſacrarumque virginum cæde, partim negligentia prælatorum ſubditorumque ignorantiâ aliiſque temporum iniuriis cum litterarum pœne omnium deplorando interitu grauiter collapſam atque debilitatam, non ſolum domeſtica ad illam rurſus erigendam inſtaurandamque, vt Plegmundi, Vverifridi, Aſſerij & aliorum, ſed & externa Ioannis presbyteri, atque Grimbaldi ſubſidia conquiſiuit. Amandauit itaque Nuncios ad Fulconem Remenſem in Gallia Epiſcopum vt Grimbaldum ſacerdotem, & vt Aſſerius ſcribit; venerabilem Monachum, nec canendi modo, ſed omnium Eccleſiaſticarum diſciplinarum & ſacræ ſcripturæ peritia inſignem virum, omnibus bonis ornatũ e Monaſterio D. Bertini ad ſe tranſmitteret. Cuius aliquam Aluredus notitiam habuiſſe traditur, cum Romam adhuc puer adierat. In quo itinere diuertit ad Cœnobium D. Bertini, multaque ſalutis præcepta à Grimbaldo audiuit, neque ab eo tempore vnquam gratam illius memoriam ex animo depoſuit. Re igitur cum Etheltedo Cantuarienſi communicata ſummaque eius voluntate illuſtres Legati miſſi ſunt ad Fulconem. Qui etſi ægrè tantum Galliæ ornamentum à ſe Galliaque diuerti pateretur, noluit tamen tam honeſtæ petitioni Regis atque Archiepiſcopi, & ipſi temporis neceſſitati deeſſe. Cũ ſũmo igitur ipſius & præfati Cœnobij Bertinienſis cõſenſu tráſmittitur in Angliã Grimbaldus vna cum Fulconis litteris, in quibus ampliſſimis verbis mirificè cõmendat ſingulare Regis in vtraque tam Politica quam Chriſtiana Repub. reparanda ſtudium; gratiaſque ſimul pro muneribus tranſmiſſis magnas agit; quæ hodie litteræ extant ſatis prolixæ, ſed piè & ſapienter conſcriptæ. At Aluredus & Ethelredus vbi Grimbaldum in Angliam appuliſſe cognouerunt, obuiam cum magno Procerum comitatu illi eunt, Londinumque honorificè deducunt, vbi illam quam ſupra commemorauimus in Synodo concionem habuit. Ab eo deinde tempore intimus fuit Aluredo, arcanorumque conſiliorum particeps, eiuſque inter alios opera, in conſtituenda Oxonienſi Academia vſus eſt.

Ethelredus ille Cantuarienſis Archiepiſcopus obiit an. 889. eique ſuffectus eſt

Plegmundus de quo ſupra :ob idque Fulco Remenſis Regem per litteras laudauit ob eiuſmodi viri docti promotionem. Extat apud Flodoardum l. 4. c. 5: exemplar Epiſtolæ ad Albradum Regem Tranſmarinorum: item ad ipſum Plegmundum, quem Pleonicum vocat, in eandem rem. Hactenus de iis, quos Alfredus ad condendam Academiam ſuam ex diuerſis locis euocauit: nunc quomodo eam compoſuerit & rexerit, inquirendum.

Collegia 3. instituta. 2. Igitur virorum iſtorum conſilio tria collegia erudiendæ iuuentuti primum conſtituit, Grammaticis vnum, Philoſophis alterum, tertium Theologis; prætere a vnum vaſtiſſimum & ampliſſimum quod VNIVERSITATIS COLLEGIVM, SEV AVLA MAGNA VNIVERSITATIS vocatum eſt: Addidit, vt aliqui ſcribunt, San-Magdalenenſe, quod longo poſt tempore Vvilielmus Archidiaconus Dunelmenſis inſtaurauit. In eo autem conſentiunt omnes fere ſcriptores Angliteſte Iſaaco Vvake Oratore eiuſdem Academiæ in ſuo Rege Platonico. Idem quoque affirmar & clarius explicat Ioannes Roſſus ex Hidenſis Monaſterij Archiuis apud Thvvynum lib. 2. Apol. *In prima*, inquit, *dictæ Vniuerſitatis fundatione ipſe nobilis Rex Aluredus infra vrbis Oxonienſis mœnia Doctores in Grammatica, Artibus & Theologia tribus locis in nomine S. Trinitatis ex ſuis ſumptibus inſtituit: in quarum vna in alto vico verſus portam Orientalem ſita 26. Grammaticorum omnibus neceſſariis ipſam Aulam dotauit, & eam propter ſcientiæ inferioritatem* PARVAM AVLAM VNIVERSITATIS *appellari decreuit: & ſic in diebus meis appellata eſt. Aliam Aulam verſus muros vrbis Boreales, vbi iam dicitur Vicus ſcholarum, ſumptibus neceſſariis pro Dialecticis ſeu Philoſophis 26. abundanter conſtruxit, & hanc* AVLAM MINOREM VNIVERSITATIS *appellari præcepit. 3. in alio vico verſus portam Orientalem fundatam primæ Aula occidentaliter contiguam* AVLAM MAGNAM *pro 26. Theologis appellatam ſacræ ſcripturæ ſtudium daturis ordinauit, quibus & expenſas ſufficientes abundanter exhibuit.*

3. His omnibus Magiſtris & toti Academiæ Grimbaldum noſtratem præfecit: Ioannem Erigenam virum facundiſſimum Scholas aperire iuſſit, quod ille tanta cum laude præſtitit, vt intra breue tẽpus innumeri ſcholares illuc confluxerint. Dein profeſſores ſingulis addixit quaſi primarios, Grimbaldum & Neothum Theologicis, Aſſerum Grammaticis & Rhetoricis: Ioannem Erigenam Dialecticis, vt legitur in vetere quodam Chronico de inſtitutione huius Vniuerſitatis: quod in c. 5. Seculi 9. hiſtoriæ Anglicanæ refertur à Nicolao Harspfeldio. Poſtquam enim ille deſcripſit quanto ſtudio & affectu Rex ille verè magnus litteras quaſi poſtliminio reuocare ſtuduiſſet, ſubiungit. *Doctos igitur ex iis qui in Anglia ſuperfuerant, alios præterea à veteribus in Wallia Britannis, atque etiam ex Francia ingentibus promiſſis ad ſe euocat: à quibus & ipſe, & etiam alij, qui ipſius parebant Imperio, bonis litteris informarentur. Omnium igitur bonarum Diſciplinarum quaſi Officinam quandam apud Vadum Iſidis, id eſt Oxonienſe oppidum conſtituit, qua de re quid vetuſti quidam apud Vvintoniam Cœnobij annales prodiderint, ipſius authoris verbis iam referam.* Primus huiuſce Cœnobii Abbas fuit Grimbaldus ante an. 900. vt hoc obiter moneam: ſequitur ergo Chronicum.

Igitur anno Incarnationis 886. *anno 2. aduentus S. Grimbaldi in Angliam incepta eſt Vniuerſitas Oxoniæ primitus in ea regentibus ac in ſacra Theologia legentibus S. Neotho Abbate, nec non in Theologia Doctore egregio: & S. Grimbaldo ſacræ pagina ſuauiſſima dulcedinis excellentiſſimo profeſſore. In Grammatica verò & Rhetorica regente Aſſero Monacho & in arte litteratoria viro eruditiſſimo. In Dialectica vero, Muſica & Arithmetica legente Ioanne Monacho & Collega S. Grimbaldi, viro acutiſſimi ingenij & vndecumque doctiſſimo, præſente glorioſiſſimo & inuictiſſimo Rege Alfredo, cuius in omni ore nomen quaſi mel indulcabitur memoria: & totius Regni ſui Clero ac populo, vbi idem prudentiſſimus Alfredus tale Decretum, edidit videlicet, vt* OPTIMATES SVI FILIOS, VEL SI FILIOS NON HABERENT SALTEM SERVOS SVOS, SI INGENIO POLLERENT, CONCESSA LIBERTATE LITTERIS COMMODARENT. Hoc Annales illi, ſeu Chronicon Vintonienſe quod incipit à Rege Egberto & deſinit ad annum 1030. in eoque multa Saxonicè conſcripta leguntur, & inter alia duo Alfredi teſtamenta. Ex eo autem patet iam tum *Vniuerſitatis* nomen in vſu fuiſſe, & eo ſenſu quo vulgo accipimus, vſurpatum.

Quod autem Alfredus Grimbaldum toti ſuæ Academiæ præfecerit ſub Cancellarij nomine, qui apud Oxonienſes Rectoris munus obit, teſtatur in-

ter cæteros Ioannes Roſſus l. citato his verbis. *Et ad ſuorum Rex Magnificus ſuſtentationem ſecundum Marianum in Chronicò ſuo, aſsignauit octauam partem prouentuum ſuorum annuatim, & vt ſcribit Thomas Rodban in maiore Chronico ſuo; S. Grimbaldus Flandrenſis & Prior Cantor optimus Study Pariſienſis in Theologia Doctor, vir liberalibus ſcientiis ad plenum eruditus perſæpe ad dictum Regem Anglorum Alfredum vocatus, egrediensque de terra ſua & cognatione ſtudium Oxonienſe adiit; & ibi Lecturam ſuam reincepit, creuitque per filios ſcholaſticos in gentem magnam, cuius matris in gremio cum Prælatis & Magnatibus Regni, vt tunc primus Cancellarius & Doctor ordinarius primitus lectionem ſcholaſticam expoſuit & declarauit. Et hic conſiderandum eſt quod ſtudium Pariſienſe per Anglicos traxit ortum, & iterum ab eiſdem rediit & refluxit omnibus ſcientia Diuina & humana per S. Grimbaldum antedictum. Deinde in ſua ſenili ætate ſtudio relicto adiit Vvintoniam, vbi nouo constructo Monaſterio primus fuit illius loci Abbas, & obiit 8. id. Iuly an. D. 903. anno ætatis 88.* Similiter Author quidam in Ranulfum. *Iſte Grimbaldus vt primò Cancellarius & Doctor Ordinarius præſente Rege Victorioſiſſimo, cæteriſque Regni Magnatibus in Vniuerſitate Oxonienſi legit primò lectionem Scholaſticam, qui paulo ante fuit Cancellarius Pariſienſis.*

Verum cum proceſſu temporis, Magiſtrorum & ſcholarium creſcente in dies multitudine neceſſe eſſet Statuta condere, in diſponendo ſcholarum regimine, & ſtudij componenda adminiſtratione, orta eſt quædam inter veteres profeſſores Oxonienſes quos Rex retinuerat, & nouos, contentio. Grimbaldus & alij recenter euocati omnia vetera illius ſcholæ inſtituta mutare, noua vero adinſtar Academiæ Gallicanæ inducere conabantur, aliis reluctantibus: quippe exiſtimant Angli apud Oxoniam ab omni æuo fuiſſe litterarum exercitium, Alfredum verò amplificaſſe & priuilegiis decoraſſe. Tandem contentio iſta authoritate Regis ſedata eſt, qui ex veteribus Scholæ Oxonienſis Annalibus didicit iam inde à temporibus Pelagij priſtinam diſciplinam comprobatam fuiſſe à D. Germano Antiſſiodorenſi, qui in Angliam vt Hæreſim profligaret, ſe contulerat, à Kentigerno & Nennio, qui litteris illic olim operam dederant: atque idcirco retinendam eſſe cenſuit. Quæ res cum non ſatis Grimbaldo ex animo ſucceſſiſſet, ille relicto Scholarum & Vniuerſitatis regimine ad Monaſterium propinquum ſe contulit.

Quod autem contentio iſta orta ſit occaſione Statutorum, apertè indicat Aſſerus teſtis oculatus. *Caput*, inquit, *huius contentionis in hoc erat poſitum. Veteres illi Scholaſtici contendebant antequam Grimbaldus Oxoniam deueniſſet, litteras illic paſſim floruiſſe: etiamſi Scholares tunc temporis numero erant pauciores quàm priſcis temporibus, pleriſque nimirum ſæuitiâ ac tyrannide Paganorum expulſis. Quinetiam probabant & oſtendebant eoque indubitato veterum Annalium teſtimonio illius loci Ordines ac inſtituta à nonnullis piis & eruditis hominibus fuiſſe ſancita, vt à D. Gilda, Melkino, Nennio, Kentigerno & aliis, qui omnes litteris illic conſenuerant, omnia ibidem felici pace & concordia adminiſtrantes, ac D. quoque Germanum Oxoniam adueniſſe, annique dimidium illic eſſe moratum: quo tempore per Britanniam iter fecit aduerſus Pelagianorum hæreſes concionaturus, Ordines & inſtituta ſupradicta mirum in modum comprobauit.*

Id quoque clarè docet Brianus Thwynus lib. 2. Apol. Oxonienſis. *Quæſtionem hic inter veteres Oxoniæ Scholares ac nouos Aluredianos de ratione Scolaſticæ Iuriſdictionis interceſſiſſe video. Inter Aluredianos Aſſerius ipſe vnus ex Profeſſoribus nouis fuerat: ad quem huiuſce Quæſtionis cognitio magnopere pertinebat.* NOVI SCHOLARES *Aluerdiani atque recentes* SCHOLASTICAM *ſuam in veteres & ſeniores authoritatem exercent: Aluredus ipſe ſit Index. Veteres Scholares ſe Antiquitatis ſuæ præſidio defendunt. Maiores ſuos producunt: quorum feliciſſimis auſpiciis res Oxnoienſis retroactis temporibus ſteterit, idque non ſuo ſed veterum Annalium teſtimonio oſtendebant aduerſus Grimbaldum, & probabant.*

Quantum autem Ego ex Scriptorum Anglicorum Annalibus colligere poſſum, præcipuum contentionis caput mihi videtur fuiſſe de Rectore Scholæ deque eius Iuriſdictione. Moleſtè ferebant Angligenæ aduenas & Extraneos homines Academiæ ſuæ præfici. Fatentur enim omnes Grimbaldum ab Alfredo eiuſdem regimini præpoſitum fuiſſe. Eſtque omnino credibile voluiſſe illum leges & inſtituta Scholæ Pariſienſis, cuius quoque Rector fuiſſe dicitur,

illic obſeruari : Angligenas verò repugnaſſe ; vel quia habebant aliam antea adminiſtrationis formam, quam nolebant violari ; vel quia non facile patiebantur ab Extraneo ſibi leges imponi. Vt vt ſit, conſtat de forma regiminis, deque ratione obſeruandæ diſciplinæ diu fuiſſe diſputatum. Teſtatur Iacobus Vvachius in ſuo Rege Platonico, de Alfredo ſic aiens. *Eum primarium fuiſſe hîc litterarum Inſtitutorem neſcio an dicere, an credere ſit inſanius: cum indubitatiſſimâ Aſſerianæ Hiſtoriæ veritate conſtet Grimoaldo, quem Academiæ Cancellarium præfecit Aluredus, grauiſſimas fuiſſe cum Antiquioribus Studioſis de Diſciplinarum ratione contentiones; nec ſopiri potuiſſe, niſi Aluredi ipſius præſentiâ, qui cum huc accederet, aſſeritur ab Aſſerio antiquos Academiæ Annales euoluiſſe, manifeſtiſſimiſque teſtimoniis deprehendiſſe priſtinam illam Diſciplinarum rationem olim temporibus Pelagianis à S. Germano, Kentigernio, Neuuio litteris hîc operam dantibus comprobatam fuiſſe.*

4. Igitur Rex vt pacem inter Academicos componeret, aliis alium Rectorem volentibus, e neutro magiſtrorum ordine, neque veterum ſcilicet neque nouorum præfici voluit; ſed ita ſtatuit, vt quemadmodum ipſe ſecundum à ſe Regni Cancellarium ſibi deligebat, ita profeſſores, quem vellent, è Regni Proceribus, Academiæ Principem Patronum deligerent. Et hinc factum eſt, vt ab inſtituta illa Academia ad hæc vſque tempora Princeps aliquis è Regni Primoribus, aut è Regio Senatu, aut ſaltem ex præcipua nobilitate, teſte Pitſæo, ad Cancellariatum ſeu Præfecturam eiuſmodi ſemper fere aſſumptus fuerit. Hunc autem Magiſtratum perpetuum eſſe voluit, Aulamque comitari. Quia vero ſic in Aula degens & aliis Regni muneribus & negotiis impeditus, rei Academicæ inuigilare non potuiſſet, ei ſubſtituit Procancellarium e numero Profeſſorum eligendum, eiuſque Electionem pendere voluit à Cœtu Academico per duos Procuratores legitime conuocato, ex mandato tamen ſupremi illius Magiſtratus, qui ſemel electus non mutatur, niſi grauem ob cauſam: aut Procancellarii e Magiſtratu qui annuus eſt, abeuntis, qui ibi verè Rectoris vices obiit.

Huiuſce porro Procancellarii, ſeu vt illi vocant, Commiſſarii electio pendebat quidem olim à Cœtu Academico, confirmatio verò ab Ordinario loci, nimirum Epiſcopo Lincolnienſi. At circa an 1350. Clemens VI. Abrogato hoc Epiſcopi Priuilegio, Academiæ ſoli electionem, confirmationem & omnimodam approbationem tam Cancellarij, quàm Procancellarij conceſſit, vt docet Pitſæus. Ideo autem Oxonienſes ſupremum illum Academiæ Magiſtratum e primis Regni Proceribus deligi voluerunt, vt propter eminentem apud omnes authoritatem & apud ipſum Regem gratiam, facilius Academiam tueri, & protegere poſſet, eiuſque honores, priuilegia, maieſtatemque conſeruare. Quod munus apud nos obeunt Conſeruatores Regij & Apoſtolici: & obiit initio Apocriſiarius ſacri Palatij, idem Iudex, Tutor Conſeruatorque Priuilegiorum Scholaſticorum, quandiu Muſæ in Palatio habitarunt.

5. Procuratores quoque duo inſtitutionis Regiæ & Aluredianæ eſſe putantur, proximumque dignitatis locum inter publicos Magiſtratus obtinent, *qui ad hoc munus è Magiſtris Artium*, inquit Pitſæus, aſſumuntur, ſuntque paris inter ſe poteſtatis. Annuus eſt iſte Magiſtratus, Procancellario dignitate proximus. Illi tanquam Tribuni ſeu Conſiliarij publici aſſidere & in conſiliis adeſſe debent. Eorum munus deſcribunt Pitſæus & Iacobus Vvakius publicus eiuſdem Academiæ Orator. Prior ſic habet. *Horum etiam munus erat, Principes viros, vel Principum legatos hoſpitio ſuſcipere, & communi Senatus Academici nomine publicoque ſumptu honorificè tractare. Item Academiæ negotia in aula Regia ſolicitare, dirigere, perficere.*

6. Ordine & dignitate ſequebatur Orator publicus, cuius munus erat Legatos Pontificis & alios illuſtres viros illuc aduentantes excipere publica oratione totius Academiæ nomine: quemadmodum ſolebat olim fieri in Academia Pariſienſi. Deligebatur enim in Comitiis Centuriatis Orator publicus, ſeu vt Maiores noſtri illum appellabant, Proponens, qui Academiæ nomine ad Regem, Legatos Pontificios & Regni Proceres alioſque illuſtres viros orationem haberet, vt ſuo loco docebimus.

7. Ad Magiſtratus illius ſupremi commendandam dignitatem ſex Pedellos, ſeu vt vulgo dicimus, Bedellos ab eodem Rege inſtitutos ferunt, qui Faſces ſeu

elauas& maſſas illi præferrẽt,tres quidẽ primos ſeuMaiotes,qui aureas, tres veto Minores, qui argenteas. Et hoc quoque notandũ Maiores Bedellos ſingulari Regum beneficio inNobilium ordinem cooptari ſolitos tiruliſque &priuilegiis gaudere,quibus alij Nobiles vulgates gaudent: Vnde & Torquatos voeat VACKIUS. Minores veto quos infenoris otdinis eſſe voluerunt , minoribus quoque & paucioribus priuilegiis gaudere peroptarunt. His ſeptimus aliquis ſtatis temporibus adiungitur Viatot ſeu Anteambulo , quem quia virgam argenteam geſtat , VIRGIFERVM appellant, Angliè VERGER. Cæterum omnes honeſtis viuunt ſtipendiis: & ab iis qui ad Gradus promouentur, non contemnenda accipiunt iura . PROCANCELLARIO iidem ſex illi apparent eademque munia obeunt, quæ noſtri vulgò obire ſolent.

8. Ad eundem Regem teferunt inſtitutionem habitus Academici , vt ſcilicet Magiſtratus purpura vterentut , pileo rubro more Cardinalium , anulo , oereis. Item inſignium Academicorum , ſeu Teſſellarum Symbolicarum , quæ ſunt tres coronæ & in medio illarum liber patens 7. fibulatum , quaſi 7. artium liberalium ornamento decorus. Cui libro hæc ſententia inſcripta eſt , *Deus illuminatio mea.* Quæ inſignia eos à nobis ſumpſiſſe , nemo eſt qui non videat. Rectoris enim noſtri Teſſella Symbolaris eſt Liber tribus liliis ſparſus , qui manu tenetur. Illi vero 3. Coronas depinxerunt , ad denotanda tria Regna Anglicanum , Seoticum & Hibernum. Et certè quidni fateantur Angli id à nobis ſe mutuatos eſſe , cum fateantur ſuam Academiam à Pariſienſi ſecundam eſſe? Et quanquam initio hiſtoriæ Oxonienſis hæc verba legantur in libro Procuratorum Vniuerſitatis teſte Camdeno. *Conteſtantibus pleriſq; Chronicis multa per orbis climata variis temporibus variarum ſcientiarum ſtudia floruiſſe leguntur , omnibus autem inter Latinos extantibus ſtudiis Vniuerſitas Oxonienſis fundatione prior quadam ſcientiarum pluralitate generalior, in Veritatis Catholicæ profeſſione firmior & priuilegiorum multiplicitate præſtantior inuenitur;* Semper tamen Pariſienſem excipiunt , quæ ſine dubio antiquiot eſt , vt ex hiſtoriis etiam Anglicanis patet.

Peculiare autem eſt eidem Academiæ Oerearum ſymbolum , euius inſtitutionem VVAKIUS acceptam refert S. Benedicti ſeculo , *cuius diſcipuli* , inquit , *cum Auguſtino Monacho Angliam ingreſſi an. 596. hoc inſtitutum à primo inſtitutore habuerunt , vt ocreati incederent , & hoc ſui ad nos acceſſus teſtimonium reliquerunt , tantumque olim Benedicti familiæ , Neotho præſertim Aluredi Adiutori atque Alcuino Academia noſtra tribuit , vt S. Scholaſticæ quæ S. Benedicti ſoror erat , celebritatem religiosè imprimis coluerit , & antiqua Benedictinorum apud nos merita litteris antiquitus conſignarit.*

De eiuſdem etiam Academiæ celebritate , regimine , collegiorum multitudine præclarèquoque Polydorus Vitgilius Hiſt. Angliæ l. 4. ad Henricum VIII. an. 1533. *Aluredus Neothum imprimis Monaſticæ profeſſionis virum ſanctiſſimum ob eximiam eruditionem miro amore complexus eſt , quo hortante Oxonij Gymnaſium inſtituit propoſita mercede omnibus qui publicè bonas Artes profiterentur , quo multi doctrina clari confluxerunt docendi gratia. Etenim ab eo tempore quo Sigebertus Orientalium Anglorum Rex ſcholas in ſuo Regno extruxerat , deinceps fuere viri ſemper in inſula eruditiſſimi.* & paulò poſt. *Academia Oxonienſis ſtatim à principio tum Diuinarum humanarumque litterarum ſtudiis , tum mira hominum Doctrinis incumbentium frequentia multo celeberrima eſſe cœpit deincepſque vſque eo floruit , vt iam facile cum quouis alio totius orbis Gymnaſio de nominis gloria certare poſſet : in qua Scholaſtici ipſi vt cuiuſdam religionis obſeruatione à primo imbuti neutiquam minus animos bonis moribus quàm litteris excolunt. Habent enim Cœnobia magnifico apparatu constructa , multorum cum Epiſcoporum tum Regum hominumque nobilium ac fœminarum probatiſſimarum muneribus opulentiſſima , quæ Collegia vocant , quòd eorum Collegia eo loci collocata ſint quorum Magiſtri ſunt viri Doctrina imprimis probati & honeſti. Igitur ibi cum abunde ſuppeditentur Facultates , communiter viuunt , ac quotidie bene mane ſacris prius aut operam dant , aut interſunt , quàm ad rem litterariam aggrediantur : atque ita Deum cum primis venerantes ſe ſe caſtiſſimo ſimul viuendi genere & Doctrinarum omnium ſtudiis exercent. Vnde iugiter ſingulari pietate & eruditione viri velut ex quodam ampliſſimo Diſciplinarum Theatro exiſtunt , qui tam pie quam vtiliter nunc docendo , nunc ſcribendo mirum in modum rem Chriſtianam iuuant , celebrant , tuentur.*

Sed quorſum tam multa de Academia Oxonienſi? vt pateat qualis fuit primus eius ſtatus, atque inde cõijciatur qualis erat tunc temporis ſtatus noſtræ, quæ eius adminiſtratio & penes quos eſſet. Nam cũ in inſtaurãda ſeu erigenda Oxonienſi vſus ſit Alfredus Academicorum noſtrorum opera, Grimbaldi & Ioannis Erigenæ, ſtatimque priuilegiis eam decorarit, ſtipendiis dotauerit, ſtatutis munierit, ei verò regendæ & adminiſtrandæ certos Magiſtratus præfecerit, quis diffiteatur, quin eandem quæ noſtræ erat, aut certè non abſimilem rationẽ inſtituerit? Itaque renatis hoc ſeculo & reparatis per Adrianum Papã, Carolum M. & Offam litteris, generoſa deinde ſurrexit ſtudiorum æmulatio inter Bardam Conſtantinopolitanum Imperatorem, Carolum Caluum & Alfredum Reges. Cuius rei ratio proculdubio hæc eſt, quia moleſtè & grauiter ferebant Græci Anglique ſuos ſubditos cogi peregre proficiſci ad ſcientias acquirendas; veritique ſunt ne Franci tam literarum Principatum ſibi arrogarent, quàm terrarum Imperium virtute ſua ſibi vindicauerant. Sed ex orbita in viam.

894. Anno 894. Secundum Reginonem dum Odo in Aquitania occupatur, Carolus Simplex à Fulcone Remis in Regem inungitur. Ægre fert id ſe inconſulto factum Arnulfus, factique culpam in Fulconem coniicit. Hanc ille à ſe amolitur per litteras, reſcribitque Francos poſt mortem Craſſi, cum ipſe noluiſſet Regni regimen ſuſcipere, inſtante imò perſeuerante immaniſſima Normanorum perſecutione coactos fuiſſe Odonem rebus præficere, donec puer Regni gubernaculis foret idoneus: nunc autem eam ætatem attigiſſe, vt poſſit ſalubre ſibi conſilium dantibus præbere conſenſum. Quod autem id ſine ipſius Arnulfi conſilio præſumpſiſſent, talem eſſe Francorum morem, vt Rege decedente alium de ſtirpe regia vel ſucceſſione *ſine reſpectu vel interrogatione cuiuſquam maioris aut potentioris Regis* eligerent, vt legitur apud Flodoardum.

Odo Arnulfum ſibi conciliat, & ambo Fulconi offenſi agrum Remenſem depopulantur. Itaque Fulco qui à Formoſo inuitabatur ad Concilium Romanum, hanc prætexit cauſam detrectationis, ſimulque rogat vt Arnulfo & Odoni fulmina Apoſtolica interminetur, niſi à bello deſiſtant, vt videre eſt apud Flodoardum l. 4. c. 3. *Arnulpho Trans-Rhenenſi authoritate Apoſtolica præciperet, ne Caroli Regnum inquietaret, quin potius ei auxilio eſſet, vt propinquum propinquo deceret. Odoni verò mandaret, ne Regnum iſtud inuadere aut deprædari præſumeret; quod ſi auderet, Apoſtolicæ ſedis ſententiam reformidaret. Item quia poſt admonitionem ipſius Papæ nec Arnulphus Orbitati Caroli ſubuenire voluit, nec Odo à peruaſione Regni, rapinis ac depopulatione ceſſauit: ſed & Arnulphus res Eccleſiæ Remenſis, tam eas quas aliquandiu iniuſtè ſublatas ipſe reſtituerat, quàm eas etiam, quæ nunquam prius ſubſtractæ fuerant, abſtulit ob id tantummodo, quia temerariam eius inuaſionem hic Præſul recipere noluerit. Et quod Odo Ciuitatem Remenſem obſederit, innumeras etiam cædes & deprædationes exercuerit, & Res Eccleſiæ Remenſis ſuis ſatellitibus dederit, huius Eccleſiæ inſiſtens rapinis, donec Carolus cum valido exercitus apparatu adueniens eum ab obſeſſa Ciuitate depelleret.*

895. *Reliquiæ San Dionyſianæ furto ſublatæ.* His autem temporibus, cum Arnulfus & Odo fœdus & amicitiam pacti Carolum infeſtis armis perſequebantur, aiunt Germanici quidam Scriptores Giſalbertum quendam iuſſu Odonis furto ſuſtuliſſe ſacras D. Dionyſij Reliquias, eaſque ad Arnulfum miſiſſe, veluti Palladium quo ſibi eius amicitiam demereretur, deque Francorum leuitate vindictam ſumeret, à quibus in Regem electus, poſtea deſertus fuerat. Rem ſic deſcribit Auentinus l. 4. Hiſtor. Bohem.

Otho quo viciſſim Arnulpho gratificaretur ſacra Galliæ peculiaria ſurripit, Arnulpho tradit. Nempe Dionyſium illum Gallorum tutelarem Cælitem: & quem tanti æſtimant, librum auratum atque gemmatum, ob honorem tanti Herois iuſſu Imperatoris Caroli Calui Rectoris Occidentalium Francorum, aureis litteris ſcriptum & ædi eiuſdem Diui ampliſſimæ in agro Pariſiorum ſita donatum. Arnulphus hæc pietatis monumenta Reginoburgij in D. Haimerani Tutelaris Boiorum Numinis condidit, vbi adhuc monſtrantur, religioſè coluntur, paſſim coït frequens populus, vota reddit. Noſque hos dies quibus illa Religionis pignora ex Gallia furto ſublata & in Boiaoriam tranſlata ſunt, in faſtos & acta retulimus & feſtos habemus. Atque is de quo dixi, Codex Vitam & Diuinam Philoſophiam Chriſti Domini noſtri Ieſu Chriſti, quos 4. Euangeliſtas vulgus nuncupat, continet. In liminari pagina Imperator Caluus Rex Franciæ

Digitized by Google

Occidentalis depictus cultu Regio, ſolio reſidet in alto: dextra lauaque adorabundi ac ſupplices Cornucopiæ exhibent, cum hiſce Carminibus.

Francia Grata Tibi Rex inclyte munera defert,
Gothia te pariter cum Regnis inchoat altis.

Circum Regem hæc Pentametra Hexametraque Elegiaca ſcripta leguntur.

Hic reſidet Carolus Diuino munere fultus
Ornat quem pietas & bonitatis amor.
Hludouic iuſtus erat, quo Rex non iuſtior alter
Qui genuit prolem hanc tribuente Deo.
Alma viro peperit Indith de ſanguine claro
Cum Genitor Regnis iura dabat propriis.
Hic nomen Magni Caroli de nomine ſumpſit,
Nomen & indicium ſceptra tenendo ſua.
Iſtius Imperio Codex reſplendet & auro
Qui bona conſtruxit multa fauente Deo.

Ad vmbilicum hi ſunt verſiculi.

Bis quadringenti volitant & ſeptuaginta
Anni, quo Deus eſt virgine natus homo.
Terdenis annis Carolus regnabat & vno
Cum Codex actus illius Imperio.
Hactenus vndoſum calamo deſcripſimus æquor,
Litteris ad finem noſtra Carina venit.
Sanguine nos vno patris matriſque creati,
Atque Sacerdotis ſeruat vterque gradum:
En Beringarius, Leuthardus nomine dicti
Queis fuerat ſudor difficiliſque nimis.
Hic tibimet lector ſuccedant verba precantis
Vt dicas, capiant regna beata poli.

Seruantur inſuper in Contubernio D. Halmerani ſaxa quadrata, in quibus hoc Epigramma, litteris Romanis Maiuſculis inſculptum eſt.

DIONYSIVS AREOPAGITA HIC REQVIESCIT SVB ARNVLPHO IMPERATORE ET OTHONE REGE. SVB EVBVLONE ABBATE MONASTERII S. DIONYSII GISALBERTVS FVRATVS EST V. NON. IVLII. FVRTO SVBLATVS HVC VENIT PRIDIE NON. DECEMB TEMPORE TVTONIS EPISCOPI.

Is Giſalbertus procerum locupletiſſimus fuit, ex compoſito ſacrilegij condemnatus, de induſtria monaſterium D. Dionyſij deportatus libenter à Monachis recipitur: cum quibus frequenter bene victitaus, nam & habebat quod dabat, & dabat nemo largius, longè gratior factus eſt. Hactenus Auentinus.

Anno 896. Arnulfus à Formoſo Pontifice in auxilium aduocatus Romam poſt Gothos primus per vim capit, Sergianoſque omnes qui Formoſo & ſibi aduerſabantur interimit, nec pueris parcit, aut mulieribus, aut ſacerdotibus ſacratiſue virginibus, adigitque omnes quibus parcit, in ſua verba iurare, ac demum Imperatorem ſe & Auguſtum conſecrari iubet. Formoſus paulo poſt fato communi fungitur, & poſt biduum ei ſubſtituitur Bonifacius: eo vero poſt quindecim dies è viuis ſublato, Stephanus VIII. Anagninus Epiſcopus Sergianæ factionis; qui ſtatim in frequenti Epiſcoporum Conuentu Formoſi cadauer è tumulo extractum, Pontificalibus exutum veſtibus, & laicalibus indutum Simoniæ damnat, damnatum iubet proiici in Tiberim; omnia eius acta reſcindit; Arnulfum Imperatorem vitio creatum pronunciat, & Lambertum Auguſtum inungit. 896.

Ad hunc Conuentum iuſſus eſt ire Fulco Remenſis, & ni iret, minatus eſt Stephanus ſe canonicam in eum ſententiam laturum. Tam graue tamque vehemens edictum Fulconem à profectione deterret: reſcribit tantùm mirari ſe vnde tanta ſit neceſſitas proficiſcendi? vnde tam acerbus in ſe Pontificis animus,

Digitized by Google

cum à ſede Romana nihil niſi dulce & mellitum ſcribi ſoleret?

Verum Stephano Kalendis Aprilis an. 897. ſublato minæ iſtæ quieuerunt. Ei
897. ſucceſſit Romanus Conſtantini filius, & Marini quondam Pontificis nepos, qui Formoſi cauſam tetractans, habito nouo Epiſcoporum conuentu Stephanum quod impotenti animo deſæuerit in mortui Corpus, damnat. Et eo intra quinque menſium ſpatium ſublato Theodorus II. ei ſubſtitutus omnes à Formoſo initiatos & à Stephano abdicatos ordinibus ſuis reſtituit. Quo poſt 20. dies defuncto Albertus Sergianæ factionis ſubrogatur: at victus & repulſus locum ceſſit Ioanni IX. contrariæ factionis Pontifici. Hæc an. 897. contigiſſe refert Sigonius.

Circa eadem tempora Fulco Pacem inter Carolum & Odonem Franciæ Re-
898. ges compoſuit, veritus ne Carolus abſolueret fœdus cum Normanis, quod pactus fuerat ea lege, vt in recuperando Regno auxilium ſibi præſtarent. Cuius rei indignitas impulit Fulconem ad ſcribendum acriter Carolo in hæc verba, quæ leguntur apud Flodoardum l. 4. c. 5.

Quis, qui vobis ſicut oportet, fidelis non expaueſcat vos inimicorum Dei
„ amicitiam velle, & in cladem ac ruinam nominis Chriſtiani Pagana arma &
„ fœdera deteſtanda ſuſcipere? Nihil enim diſtat vtrum quis ſe Paganis ſocier,
„ an abnegato Deo Idola adoret. Nam ſi, vt ait Apoſtolus, bonos mores Collo-
„ quia praua corrumpunt, quantò magis corrumpitur caſtitas animæ Chriſtia-
„ næ Ethnicorum Conſiliis & ſocietate? Neque enim poterit non imitari quod
„ aſſiduè viderit: quin potius aſſueſcet paulatim, & quaſi vinculo malæ conſue-
„ tudinis trahetur ad facinus. Certè Progenitores veſtri Reges depoſito Gentili-
„ tio errore Diuino cultui ſe ſublimiter ſubdiderunt, & à Deo ſemper auxilium
„ expetiuerunt, propter quod & feliciter regnauerunt, & Regni hæreditatem ad
„ ſuos Poſteros tranſmiſerunt. Vos è contra nunc Deum relinquitis. Dicam
„ certè, licet nolens, quia Deum relinquitis, cum vos eius hoſtibus ſociatis. Vn-
„ de & meritò prophetica illa vox ad vos dirigitur, quæ quondam ad Regem
„ Iſraël ſimilia facientem directa eſt. IMPIO PRÆBES AVXILIVM, ET HIS QVI
„ ODERVNT DEVM AMICITIA IVNGERIS. Et certè cum deberetis malis præteritis
„ terminum ponere, & rapinis & deprædationibus pauperum renunciare, ac pro
„ his omnibus pœnitentiam agere, nunc ad maiorem iram Dei prouocandam,
„ his qui Deum ignorant & in ſua feritate confidunt, vos coniungitis. Credite
„ mihi, quia nunquam ſic agendo ad Regnum peruenietis, imò velociter diſper-
„ det vos Deus quem irritatis. Hactenus quidem de vobis meliora ſperabam;
„ nunc video vos cum omnibus Conſanguineis veſtris perituros, ſi tamen hoc
„ verè vultis agere, & talibus conſiliis acquieſcere. Re vera qui tale vobis dant
„ conſilium non fideles, ſed per omnia infideles eſſe comprobantur: quos ſi au-
„ dire volueritis, terrenum ſimul & celeſte Regnum amittetis. Deprecor itaque
„ vos per Deum vt tale deſeratis conſilium, neque velitis vos in æternum præci-
„ pitare interitum, & mihi cæteriſque, qui ſecundum Deum vobis fideles ſunt,
„ æterni doloris afferre diſpendium. Melius enim fuerat vos non naſci quàm Dia-
„ boli patrocinio velle regnare, & illos iuuare, quos deberetis per omnia impu-
„ gnare. Sciatis enim quia ſi hoc feceritis & talibus conſiliis acquieueritis, nun-
„ quam me fidelem habebitis, ſed & quoſcumque potuero, à veſtra fidelitate
„ reuocabo, & cum omnibus Coëpiſcopis meis vos & omnes veſtros Excom-
„ municans æterno anathemate condemnabo. Pro fidelitate quam vobis ſeruo,
„ hæc gemebundus vobis ſcribo, quoniam cupio vos ſecundum Deum & ſecu-
„ lum ſemper eſſe honoratum, & non Sathanæ ſed Chriſti adiutorio ad debitum
„ vobis conſcendere Regni faſtigium. Regnum enim quod Deus dat, firmum
„ habet fundamentum: quod verò per iniuſtitiam & rapinas acquiritur, cadu-
„ cum eſt, & citò deciduum, nec poterit diu permanere.

Hiſce tamen temporibus magnam cladem acceperunt Normani ab Arnulfo Imp. qui cum per annos 70. Chriſtianos afflixiſſent, ab eo cæſi ſunt ad centum millia vix vno aut altero è Chriſtianis amiſſo, ſi vera ſcribunt Helmold. c. 8 & Sigebertus. Fames verò tum erat tanta, vt multi cogerentur veſci humanis carnibus. Verùm paulò poſt Gens illa deteſtanda crudelius quàm an-

tea

tea Galliam vaſtauit, donec Rollo fidem Chriſtianam amplexus eſt, vt ad 2. ſeculum dicemus.

Anno igitur 899. obiit Eudo ſeu Odo ex filio Roberti Comitis Andium Rex 899.
Franciæ inauguratus per Gualterium Senonenſem Archiepiſcopum ſcientiâ & nobilitate clariſſimum, inquit Monachus Antiſſiodorenſis, reluctantibus Balduino Comite Flandriæ & Fulcone Remenſi, eo quod ad Caroli M. Gentem nihil attineret. Obiit autem Feræ in Picardia die 1. Ian. & in æde San-Dionyſiana ſepultus eſt inter Reges. Scribunt aliqui ab eo primum vſurpata fuiſſe Tria Lilia pro Teſſella ſymbolica Franciæ: at alij communiter è cœlo delapſa cum phialâ chriſmatis autumant ad inunctionem Clodouæi primi Regis Chriſtiani. Filius erat Roberti Comitis cognomento Fortis e Principibus Saxonicis orti, qui in prælio contra Normanos commiſſo fortiter dimicans occubuit. Fratrem habuit Robertum, quem Rex factus Palatij Præfectum fecit: at iſte occupato Regno in Prælio Sueſſionenſi occidit. an. 922. Filium verò reliquit Hugonem Magnum Comitem Pariſiorum, ex quo ortus Hugo Capetus Regnum recuperauit, quod Gens ſua Odonis & Roberti morte amiſerat. Hinc patet quamobrem Fulco ad Arnulfum ſcribens dicat *Eudonem à ſtirpe Regiâ alienum eſſe*; quippe qui è Saxonicâ Gente, non ex Francica & Gallicana originem ducebat.

Digitized by Google

SYNOPSIS PRIMI SECVLI

DE FORTVNA ET STATV

VNIVERSITATIS PARISIENSIS;

ET I. DE FORTVNA.

AD huiuſce Vniuerſitatis ſplendorem illuſtrandum, nobis propoſitum eſt quæ fuerit eius fortuna & quis ſtatus in ſinguliſ ſeculis, demonſtrare. Fortunam in duobus ponimus, in eiuſdem vtilitate atque neceſſitate circa Religionem & Regnum; & in fauore ſeu Patrocinio ſummorum Pontificum & Regum Francorum. Statum ſimiliter in duobus; in ordine ſeu regimine, & in profeſſione Diſciplinarum.

Primum igitur hoc ſtatuimus, Academiam noſtram ab initio inſtitutionis ſuæ ad hæc vſque tempora quibus ſcribimus firmiſſimũ fuiſſe fidei propugnaculum, Eccleſiæ Columnam Clypeumque veritatis: hæreſeon vero frænũ ſcopulumque hæreticorum. Adeo vt vel vna hæc ſchola ſuffecerit ad tutelam fidei peruerſorumque dogmatum repulſionem aut extirpationem. Vix bene nata erat, cum Carolus M. Alcuini & quorundam aliorum Academicorum vtitur opera ad confutandam hæreſim Felicis Epiſcopi Vrgelitani, qui prauè ſentiens de Chriſti diuinitate negabat verum eſſe Deum, & Chriſtum in duos filios diuidens vnum vocabat *proprium*, alterum *Adoptiuum*: & in duos ſimiliter Deos, vnum *verum*: alterum *Nuncupatiuum*. Illudque virus ſuum iam latè per Hiſpaniam ſparſerat ante an. 790.

1. *Hæreſis.* Contra hanc Hæreſim plurimas habuit Synodos Carolus: alij tres, alij quatuor, nonnulli quinque in hanc rem habitas ſcribunt. Primam Reginoburgi. 2. Aquiſgrani. 3. Ratiſbonæ: 4. Francofurti. 5. in Aquenſi Palatio. Primæ non interfuit Alcuinus vt ſcripſit ipſe lib. 1. aduerſus Elipantum. *Antequam ego*, inquit, *eodem ſapientiſſimo Rege Carolo iubente veniſſem in Franciam, hac eadem veſtri erroris ſecta eodem glorioſo Principe præſidente, præſente Felice, quem multum laudare ſoles, veſtra partis tunc temporis defenſore ventilata eſt in celeberrimo loco qui dicitur Raiginis Burgum, & ſynodali authoritate ſacerdotum Chriſti qui ex diuerſis Chriſtiani Imperij partibus conuenerant, æterno anathemate damnata: imo & à B. memoriæ Adriano, Papa, qui tum temporis S. Romanæ Eccleſiæ Apoſtolica authoritate rexerat ſedem, funditus exterminata, donec idem Felix infeliciter ad veſtras refugiens partes, ſopitos infidelitatis cineres vobis exorantibus ſuſcitare intendit.*

2. Synodus Aquiſgrani habita eſt, in qua Alcuinus contra Relapſum acerrimè diuque diſputauit, tandemque fateri coegit errorem & abiurare: vt ſupra retulimus. Prius tamen quam congrederetur, imo quàm Synodus conuocaretur, hoc

obtinuit à Carolo vt nonnullis Magiſtris & Doctoribus Theologis exemplaria traderentur libri Feliciani examinanda priuatim, quibus adiutoribus poſſet ipſe in arenam deſcendere. Hac de re ſic habet in Ep.4. à Carolum. *De Libello vero Infelicis non Magiſtri, ſed ſubuerſoris placet mihi valde, quod veſtra ſanctiſſima voluntas & deuotio habet curam reſpondendi ad defenſionem fidei Catholicæ: ſed obſecro ſi veſtræ placeat pietati, vt Exemplarium illius libelli Domno dirigatur Apoſtolico: aliud quoque Paulino Patriarcha; ſimiliter Richbodo & Theodulfo Epiſcopis Doctoribus & Magiſtris: vt ſinguli pro ſe reſpondeant. Flaccus vero tuus tecum laborat in reddenda ratione Catholicæ fidei.* Et Ep.8. ad eundem. *Huius verò libri vel magis erroris reſponſio multâ diligentiâ & plurimis adiutoribus eſt conſideranda. Ego ſolus non ſufficio ad reſponſionem. Prouideat verò tua ſancta pietas huic operi tam arduo & neceſſario adiutores idoneos, quatenus hæc impia hæreſis omnimodis extinguatur.*

De Synodo Ratiſbonenſi & Francofurtenſi quibus ipſe quoque Alcuinus interfuit, dictum eſt in Hiſtoria. Vltimò tandem an. 796. ad Aquenſe Palatium Felix à Laidrado Archiepiſcopo Lugdunenſi perductus collatis amicè rationibus præſente Leone Papa, qui eo anno Adriano ſucceſſerat, & Epiſcopis numero 57. errorum ſuorum manifeſtè conuictus rediit in ſinum Eccleſiæ, & citra omnem ſimulationem ſe verè Catholicum tandem profeſſus eſt. Cui ſynodo adfuiſſe quoque Alcuinum ſcribunt, cum ipſe dicat lib. ad Elipantum, *Ego cum Ruffino B. Felicem Martyrem non feci, ſed Felicem olim veſtri erroris complicem Deo miſerante Catholicum effeci.*

Extant Alcuini & Paulini ſcripta quædam aduerſus Felicem & Elipantum Hæreſiarchas, quæ quanti fuerint momenti, ponderis & authoritatis apud Pontificem & Eccleſiam, docet Hincmarus hiſt. Remenſis l. 3. c. 15. apud Flodoardum *Eorum*, inquit, *Sententias qui diuinâ dignatione, poſtquam ipſe Canon à B. Gelaſio conſcriptus eſt ſenſu & doctrina Catholicâ & ſanctitate conuerſationis in Eccleſia floruerunt, & ab ipſorum Orthodoxorum Patrum, qui in eodem Canone adnotati ſunt, fideli, qui à Catholica doctrina nihil diſſonum ſcripſerunt vel docuerunt, reuerentia pari amplectimur, veluti venerabilis Bedæ Presbyteri à Diſcipulis S. Papæ Gregorij Catholicâ fide imbuti & à S. Theodoro Archiepiſcopo vtriuſque linguæ, Græcæ videlicet & Latinæ perito, & à S. Romana Eccleſia ad Anglos, poſt diſcipulos B. Gregorij ad eruditionem tranſmiſſo non mediocriter inſtructi, ac venerandæ memoriæ Paulini Patriarchæ Aquilejenſis Parochia, atque Alcuini viri religioſi & docti: quorum fidem & doctrinam Apoſtolica ſedes Româna non ſolum benigniſſimè acceptauit, verum & multis laudibus extulit: ſicut in ſcriptis ipſius S. Sedis inuenimus, quæ Eccleſia noſtræ ab eadem Eccleſiarum matre acceperunt tempore Diuinæ memoriæ Karoli Imperatoris, quando ſynodus pro cognita infidelitate Felicis eſt habita, & ad Rom. Eccleſiam velut ad apicem Eccleſiarum tranſmiſſa, ſed & eorum ſcripta qui legit, quàm ſint laudanda & recipienda, intelligit.*

2. Huiuſce ſeculi hæreſis fuit circa cultum Imaginum. Claudius enim Tau- 2. *Hæreſis.*
rinenſis Felicis Vrgelitani, vt aiunt, Diſcipulus ex Hiſpania à Ludouico Pio euocatus & in Palatio aliquandiu retentus, dubium an ad docendum, poſtmodum ab eo Taurinenſi Eccleſiæ ſedique præpoſitus omnes Sanctorum imagines atque ſimulachra de templis deijci iuſſit, vetans vllum iis cultum exhiberi, libellumque in eam rem emiſit aduerſus Theodemirum Abbatem pro earundem cultu decertantem. Quæſtio hæc in ſynodo Conſtantinopolitana paulo ante agitata fuerat, in eaque bellum imaginibus indictum. Agitata quoque eſt Pariſiis iuſſu Pij in conſeſſu ſeu Collatione virorum quorundam Doctorum: & quod ibi deliberatum eſt, ad Eugenium Pontificem perſcriptum, vt ad an. 825. retulimus. Sed nec Eugenio, nec ipſis etiam Doctoribus Gallicanis poſtea placuit: qui re accuratius examinatâ Claudium Taurinenſem pro hæretico habuerunt. Dungalus inſignis tunc temporis Theologus & magnæ vir eruditionis contra eum ſcripſit: opuſque ſuum Ludouico & Lothario Auguſtis dedicauit. Ionas quoque Aurelianenſis Doctrinam illam tribus libris confutauit, quam nonnulli Claudij & Aogbardi Lugdunenſis cum Iconomachis aliquo modo conſentientis Sectatores adſtruere conabantur. Sed tandem authoritate Apoſtolica compreſſi ſunt.

3 Hæreſis, aut talis ſaltem vulgo credita, de prædeſtinatione fuit & præſcien- 3. *Hæreſis.*
tia diuina atque humani arbitrij libertate: cuius author Gotheſcalcus Presbyter

Digitized by Google

Belga, ſeu Orbacenſis Cœnobij Monachus, vir multæ quidem litteraturæ, ſed myſteriorum Diuinorum nimis forte curioſus perſcrutator. Ille multos Sectatores habuit & Doctrinæ ſuæ aſſertores, Prudentium Tricaſſinum eximiæ doctrinæ & ſanctitatis virum. M. Florum Eccleſiæ Lugdunenſis Diaconum, ipſam Eccleſiam Lugdunenſem, plurimos Epiſcopos, Synodos complures. Hincmarus inſignis quoque Theologus Archimyſta Remenſis, Amalarius & Ioannes Erigena contra Gotheſcalcum ſcripſerunt: ſed tandem tota hæc diſputatio quæ magno animorum æſtu per quindecim circiter annos habita eſt, cum Gotheſcalco ſepulta fuiſſe videtur. Hac de re ſatis fusè in Hiſtoria ad an. 860.

4. *Hæreſis.* 4. Hæreſis ad Myſterium Euchariſtiæ pertinuit, hocque modo emerſit, vt ſcribit Petrus de Marca Archiepiſcopus olim Toloſanus, poſtea Pariſienſis, in Ep. ad Lucam Dacherium Bibliothecarium S. Germani Pratenſis in 2. Tomo Spicil. Paſchaſius Abbas Corbeienſis an. 818. adhuc iuuenis librum edidit de myſterio Euchariſtiæ, in quo paulò nimis græcis locutionibus adhærens docuit Symbola panis & vini abſque vllo quantitatis & ſubſtantiæ diſcrimine per ſanctificationem tota & integra in corpus & ſanguinem Chriſti mutari. Contra Heribaldus ſeu Heriboldus Antiſſiodorenſis Epiſcopus & Rabanus duo diſtinguebant, formam ex quantitate & cæteris accidentibus compactam, & carnem & ſanguinem inuiſibilem & ſpiritualem Domini ex Virgine natam, quæ per conſecrationem conficitur, quamque ſpeciebus externis coniunctam Sacramentum eſſe dicebant carnis crucifixæ, & verti in alimentũ corporis Chriſti imo ſeceſſui obnoxium. Quod Paſchaſiani dicere abhorrebant, putantes quantitatem etiam mutari in Corpus Chriſti: imo poſt 300. adhuc annos ſcilicet Berengarianis temporibus non potuerant aſſueſcere huic ſententiæ Rabani homines Pii & Religioſiores. Præterea Rabanus aſſerebat aliud eſſe Corpus Chriſti paſſum, ab eo quod eſt in ſacramento, vtpote illud viſibile, hoc inuiſibile & ſpirituale.

Ex hac Paſchaſianorum & Rabaniſtarum altercatione nata eſt opinio tertia Bertrami Preſbyteri, ſeu Ioannis Scoti aſſerentis in ſacramento myſticam eſſe tantummodo Chriſti carnem aliamque à corpore Crucifixo: quod erat corruptibile, itaque nudam eſſe in Sacramento figuram & ſpeciem, non veritatem corporis, quod ſola fide perſpiciebatur: eamque opinionem dicebat eſſe ſuam & veterum Patrum, non tamen Eccleſiæ quæ tunc erat. Paſchaſius tum ſenex morti propinquus contra hanc nouam opinionem ſcripſit, *Audiant*, inquit, *qui volunt extenuare hoc verbum corporis quod non ſit vera Caro Chriſti, quæ nunc in ſacramento celebratur in Eccleſia Chriſti, neque verus ſanguis eius, neſcio quid volentes plaudere aut fingere, quaſi quædam virtus ſit Carnis aut Sanguinis in eo tantummodo ſacramento, vt Dominus mentiatur, & non ſit vera Caro eius neque verus Sanguis, in quibus vera mors Chriſti annunciatur, cum ipſa veritas dicat.* HOC EST CORPVS MEVM... *Nec itaque dixit, cum fregit & dedit eis panem,* HÆC EST, *vel in hoc myſterio eſt quædam virtus vel figura corporis mei, ſed ait non fictè,* HOC EST CORPVS MEVM*: & ideo hoc eſt quod dixit, non quod quiſque fingit.*

Exiſtimat autem Marcanus Ioannem Scotum Bertrami Preſbyteri nomen ſuppoſuiſſe loco ſui: quia Hincmarus lib. de Prædeſtinat. c. 31. non Bertramum nominat, ſed Ioannem Scotum huius ſententiæ authorem.

Alii Bertramum à Ioanne Scoto diſtinguunt, & Bertramum putant tempore Paſchaſii huius fuiſſe hæreſeos authorem, Ioannem verò ei adhæſiſſe, pluſque nominis in ea tuenda comparaſſe. Vnde à Nicolao Papa dicitur *non ſapere in quibuſdam*, licet multæ ſcientiæ uir eſſe prædicaretur. Conueniunt autem Docti Bertramum à Ratramno diſtinguendum. Bertramum nempe fuiſſe Preſbyterum prauæ illius opinionis authorem: Ratramnum verò fuiſſe Monachum Corbeienſem, veramque & Orthodoxam Paſchaſij Abbatis ſui ſententiam propugnaſſe. Exiit nuper in lucem Dacherij operâ Ratramni Opus 4. Libris diſtinctum contra Græcorum oppoſita. Hæreſis vero prædicta e tenebris & obliuione excitata à Berengario, in Concilio tandem Vercellenſi, Pariſienſi & Romano damnata eſt, vt referemus ad an. 1050.

Eodem ſeculo Religio Chriſtiana mirum in modum per noſtros amplificata eſt in Hiſpania, Aquitania, Saxonia & aliis Germaniæ regionibus, vbi teſte Krantzio Carolus M. nouas erexit Cathedrales Eccleſias. Bohemorum Duces

14. baptizari curauit Ludouicus Pius Bathurico Regino Burgenſi in Epiſcopum conſtituto ſub. an. 816. eodem anno Anſgarium ad Boiorum Regem Sueciæ Doctores fidei poſtulantem miſit. Sub eodem Rex Bulgarorum baptizatus eſt. Item Harioldus Danorum Rex à Rabano Moguotiæ. Ebbo quoque miſſus in Daniam multos ad fidem conuertit. Alij alios ſimiliter : refloreſcentibus enim opera piorum Imperatorum litteris refloreſcere quoque cœpit Religio Chriſtiana : & haud ſcio an fuerit vllum ſeculum viris doctis & in omni litteraturæ genere verſatis abundantius.

Hinc quoque ſatis intelligitur quàm fuerit vtilis Regno Academia Pariſienſis, quamque inſignes viros tulerit Reipub. gubernandæ habiles & idoneos, quorum paſſim in hiſtoria meminimus. Sed duos hic præterire non poſſumus, Hiocmarum & Fulconem, quorum ille ſapientibus ſuis conſiliis Carolo Caluo Franciæ Regnum, deinde Imperium comparauit, domum vero Regiam ita rexit, vt ſchola virtutis eſſe videretur. Alter verò Carolo Simplici thronum reſtituit : vt in hiſtoria retulimus.

Quod ad fauorem & gratiam Principum attinet, dubium non eſt imprimis, quin *Fauor Principum.* ipſa Vniuerſitas ſummopere cordi fuerit Carolo M. Fundatori & Inſtitutori, Ludouico Pio & Carolo Caluo vt ex hiſtoria patet. Et quod inſignius eſſe poteſt amoris argumentum, quàm in ipſa Regia Scholã Publicam collocare & eius profeſſores, gratia, præmiis, beneficiis, officiis cumulare ? Alcuinus apud Carolum Diſcipulum non modo gratia & authoritate valuit, ſed etiam Regiæ Domus adminiſtrationi præfectus eſt: in omnibus conſiliis Regiis partem habuit præcipuam & potiorem. Idem Princeps Paulinum Aquileienſem Patriarcham in Francia exulem, Paulum Diaconum Deſiderij quondam Lombardiæ Regis Secretarium, Petrum Piſanum ſuum in Grammatica Magiſtrum, Angilbertum cognomento Homerum, Amalarium Fortunatum Treuirenſem Archiepiſcopum, Laidradum Lugdunenſem, Agobardum, Ieſſe, Theodulphum & alios plurimos ſcientiarum profeſſione & peritia inſignes mirificè fouit & coluit. Ebbo Remenſis apud Ludouicum Pium tanta gratia valuit, vt maior eſſe non poſſet, quandiu Principi ſuo cuius Collactaneus & Conſcholaris fuerat, fidelis fuit. Hilduinus, Theodulfus, quandiu fidem ſeruarunt, Rabanus Moguntinus, Ionas Aurelianenſis, & alij docti viri piique eidem Principi ioter præcipuos conſiliarios fuerunt, imò nimio plus etiam litteras & litteratos, vt multis videbatur, colebat. Carolo Caluo præter cæteros gratiſſimi acceptiſſimique fuerunt Ionas Aurelianenſis, Hincmarus Remenſis, Lupus Ferrarienſis, Æneas Pariſienſis, Erricus Antiſſiodorenſis, Ioannes Erigena, & Fulco Hincmari ſucceſſor.

Quàm vero grati quoque & accepti fuerint Academici Noſtri ſummis Pontificibus, Adriano, Leoni III. Stephano, Eugenio, Sergio, Nicolao, Formoſo & aliis qui ſedem hoc ſeculo tenuerunt, patet tum ex legationibus quas ad eos obierunt, tum ex hæreſibus quas confutaruot, tum ex litteris quas ad eos dederunt, ſeu potius ex mutuo inter eos litterarum commercio.

Ex fauore & gratia Principum ſequuntur & promanant Priuilegia, ſine quibus *Priuilegia.* nec cõponi, nec conſeruari poteſt Academia. Eſt enim Priuilegium veluti anima Corporis Litteratorum. Et in hoc conueniunt omnes Iureconſulti. Idque facile eſt omnium Academiarum tam veterum, quàm à Principibus Chriſtianis inſtitutarum & erectarum exemplis confirmare. Omnia autem Priuilegia ad duo præcipua capita poſſunt reuocari, ſcilicet ad Patrocinium ſeu Protectionem Principum, & Præmium. Ex Patrocinio proueniunt ſecuritas in eundo, redeundo, morando : & quies in ſtudio, vnde oriuntur exemptio à tributis, & à litigatione extra vrbem, in qua poſita eſt Academia ; quod priuilegium maiores noſtri vocabant *De non trahi extra.* Hinc, quia contra vexatores non poſſunt commodè quacunque occaſione adiri Principes, concedi ſolent Academiis ſeu Scholis Publicis Priuilegiorum Conſeruatores.

Præmium duplex, lucroſum, & glorioſum ſeu honorificum. Lucroſum ad neceſſitatis remedium & præcipuè pertinet ad docentes : idque duplex, publicum & priuatum. Publicum ex ſtipendio publico pendet, ſeu vt vulgo dicimus ex fundatione : priuatum ex liberalitate diſcentium. Glorioſum verò ſeu Honorifi-

Digitized by Google

cum ad docentes & diſcentes pertinet, conſiſtitque in honore publico, qui illis ob ſtudia defertur & prærogatiua quadam, quâ diſcentur litterati ab illiteratis: vnde oriuntur promotiones ad Magiſtratus & Beneficia Eccleſiaſtica.

Iam quæritur an Carolus M. Vniuerſitati priuilegia conceſſerit, & quænam illa ſint? Nemo certè dubitauerit, ſi quàm ipſe ſtudioſus eſſet omnium bonarum artium, attenderit. Imprimis igitur hoc ſtatuendum, inuictum illum Imperatorem, cum erga omnes maximè liberalis eſſet, erga litteratos fuiſſe liberaliſſimum, eoſque ſingulari patrocinio fuiſſe tutatum, non populares modò & ſubditos, ſed & aduenas quoſcunque & peregrè venientes teſte Eginharto. *Amabat peregrinos & eorum ſuſcipiendorum magnam habebat curam; adeo vt eorum multitudo non ſolum Palatio, verum etiam Regno non immeritò videretur, oneroſa. Ipſe tamen præ magnitudine animi huiuſmodi pondere minimè grauabatur cum etiam ingentia incommoda laude liberalitatis ac bona fama mercede compenſaret.* Et alio loco. *Artes liberales ſtudioſiſſimè coluit, earumque Doctores plurimum veneratus magnis afficiebat honoribus.*

Hiſce verbis multa comprehendit Eginhartus. Hinc enim diſcimus Carolum ipſummet ſe Academicorum hominum præſtitiſſe Patronum & Defenſorē, eorumque ſuſcipiendorum curam habuiſſe maximam. Ac ne quis eos vexare auderet, dum variis bellis diſtractus abeſſet, Conſeruatorem dediſſe videtur. Duos enim Magiſtratus Palatinos inſtituit, qui de omnibus negotiis prius cognoſcerent, quàm ad Regem deferrentur, ne plurimis & importunis conqueſtionibus audiendis fatigaretur, Apocriſiarium ſcilicet & Comitem Palatij; hunc quidem, qui de ſecularibus & politicis, ſeu ad Regni adminiſtrationem pertinentibus, illum qui de Eccleſiaſticis & ad Eccleſiam ſpectantibus, Ordinibus, Dignitatibus, Priuilegiis & aliis eiuſmodi iudicium interponeret, vt infra fuſius docebitur. Ab his vero ſi ius non redderetur, aut ſi grauiora negotia eſſent, adiri ſe voluit. Idque ex veteri & primæuo more retinuit Vniuerſitas, vt Regem adeat ipſum, ſi quid velit, aut ſi vlla in re ſua putet imminui priuilegia, ſeque ſemper authoritate Regis tueatur: quia Reges primi inſtitutores, ſeu fundatores ſub vmbra quodammodo alatum ſuarum eam tectam eſſe voluerunt. Hinc Erricus Antiſſiodorenſis Caluum laudat, quod authoritatis ſuæ fomento multiplici ſtudia bonarum artium proueheret. *Tu fomento multiplici tum Beneficiorum, tum authoritatis vſquequaque prouehis.* Eodem videtur reſpicere Eginhartus ſupra, cum ait Carolum M. ingentia Doctorum peregrè venientium incommoda *laude liberalitatis & bona fama mercede* compenſaſſe. Et Monachus San-Gallenſis, *audito Albinus de Natione Anglorum, quod gratanter ſapientes viros Religioſiſſimus Carolus ſuſciperet.*

Ad Patrocinium pertinet ſecuritas viarum & portuū, eundo, redeūdo, morando, portando, reportando: item exemptio ab omni iure portorij, nauli, tranſuectionis rerum ad Magiſtros & Scholares pertinentium, per ſe, per Nuncios ſuos vectarum aut reuectarum. Atque ob eam rem certè Scholaſtici qui vrbis Romanæ & Conſtantinopolitanæ Studia adibant, à Præfecto Prouinciæ aut Oppidi vnde digrediebantur, accipiebant litteras ad Præfectum vrbis vt legitur in Cod. Theod. Titul. de ſtudiis liberalibus vrbis Romæ & Conſtantinop. tum vt poſtquam ad vrbem adueniſſent, Magiſtros ſortirentur idoneos & domos ad habitandum; tum vt in via ſecuri eſſent reſque ſuas ſecutè deferrent. Quod priuilegium conceſſit quoque Academiæ Bononienſi Fridericus 1. an. 1158. vt habetur in Authentica Habita. Sic enim legitur. *Omnibus qui cauſa ſtudiorum peregrinantur, ſcholaribus & maximè diuinarum atque ſacrarum legum profeſſoribus hoc noſtræ pietatis beneficium indulgemus: vt ad loca, in quibus exercentur litterarum ſtudia, tam ipſi, quàm eorum Nuncij veniant & habitent in eis ſecurè. Dignum namque exiſtimamus, vt cum bona facientes noſtram laudem & protectionem omnes mereantur, eos quorum ſcientia mundus illuminatur, & ad obediendum Deo & nobis eius miniſtris vita ſubiectorum informatur, quadam ſpeciali dilectione ab omni iniuria defendamus. Quis enim eorum non miſereatur, qui amore ſcientiæ facti exules, de diuitibus pauperes ſemetipſos exinaniunt, vitam ſuam multis periculis exponunt & à viliſſimis ſæpe hominibus, quod grauiter ferendum eſt, corporales iniurias ſine cauſa perferunt?*

Quas rationes hic affert Fridericus, eædem omnibus ſunt & eſſe debent Scholarvm Pvblicarvm Institvtoribvs: niſi enim omnibus eas frequen-

tantibus, Magiſtris, Scholaribus, eorumque Nunciis & Famulis ſecurum liberumque curent præſtari commeatum, fruſtra illas patere volunt, ad quas nempe nemo niſi ſecurus perſonæ ſuæ ſuarumque rerum accedere velit. Rerum dico, quia ſecuritas iſta quam pollicetur Imperator, non eſt propriè priuilegium quoad perſonas, quibus de iure communi competit ſecurè ire & redire. Hinc ad officiū Præſidis prouinciæ ſpectabat curare, vt malis hominibus careret, pacata eſſet & quieta, in eaque homines ſecurè viuerent: vnde reſpondent hic Iureconſulti quoad hoc, non eſſe priuilegium; at in eo eſſe, quod, vt aiunt Bartolus & Baldus, Scholaſtici non teneantur ſoluere vectigalia & ſint ab aliis oneribus exempti. Aliis ergo etiam de iure communi datur ſecuritas veniendi & habitandi, ſed non ſunt ob id exempti ab onerum ſolutione. Tandem Rebuffus in hunc locum ſic concludit. *Textus permittit ſecurè ire non ſolum propter vectigalia, ſed etiam propter repreſalias contra Studentes non concedendas & alia onera, quæ aliis imponuntur, quæ à ſtudioſis debent eſſe aliena.* Similiter Gregorius IX. approbans & confirmans ea quæ à Legato ſuo Portuenſi acta fuerant in Inſtitutione Vniuerſitatis Toloſanæ, Bulla ſua data an. 1233. ſic cauet de Magiſtris & Nunciis eorum. *Et ſi quid eos, vel eorum Nuncios in bonis ipſorum pecuniâ vel rebus aliis ſpoliauerint, ipſi* (nempe Comes Toloſanus, Balliui & alij Iudices *vel emendare faciant, vel emendent.*)

Hunc quoque Authenticæ prædictæ locum præ oculis habuiſſe videtur Philippus Pulcher in priuilegio quod an. 1312. Vniuerſitati conceſſit ad exemptionem vectigalis de Weiſſant, *Nos attendentes*, inquit, *labores, vigilias, & ſudores, penurias, tribulationes & ærumnas, quas præfati ſtudioſi ſubeunt pro ſcientiæ margaritæ quærenda, qualiter etiam amicos, parentes dimittant & patrias, fortunas ſuas atque ſubſtantias ſuas contemnunt de longinquis partibus venientes, ſitientes ad aquas veniunt viui fontis fluenta ſumentes vbique riuos deriuant; ex quibus mundus ſui diuerſis partibus irrigatur, lumen fidei, Patrum traditiones, & doctrinam S. Matris Eccleſiæ recipiunt, ſuſcepti luminis radios emittentes ex quibus Orbis terrarum clarè luceſcit, monemur & meritò pro libertate dicti paſſagij ..... Nos præfatis perſonis ad Studium Pariſienſe venientibus, vel inde redeuntibus, dicti paſſagij quatenus per dictum Comitem* (Boloniæ) *vel eius nomine leuabatur, libertatem & immunitatem concedimus perpetuò per præſentes. Prohibemus deinceps quidquam ab eis exigi, vel leuari pro perſonis, libris, equis, ſeu rebus eorum quibuſlibet, quas ſecum deferent vel habebunt pro ſui neceſſitate vel ſtudij ſupradicti, ſaluo præfato Comiti ſucceſſoribuſque ſuis in perſonis aliis cuiuſcumque ſtatus aut conditionis exiſtant ac rebus eorum, iure ſuo dicti paſſagij, prout hactenus extitit conſuetum.*

Similiter Ludouicus Hutinus an. 1315. confirmans omnia, quæ à prædeceſſoribus ſuis Vniuerſitati fuerant indulta Priuilegia, ſic habet. *Notum facimus quod Nos Progenitores noſtrorum Regum Franciæ veſtigiis inhærendo, Vniuerſitatem ipſam & ſingulos eiuſdem benignis proſequi deſiderantes affectibus, nec non fauore placido omnia quæ eiuſdem firmitatem ac proſperitatem reſpicient, nutrire & augere ſincerius intendentes, concedimus & volumus quod omnes & ſinguli de quacumque regione vel natione oriundi de huiuſmodi corpore Vniuerſitatis exiſtentes & eſſe volentes, ad eam accedere, morari, redire, & ſe,* NVNCIOS *reſque ſuas vbilibet transferre pacificè & liberè, abſque aliqua inquietatione, poſſint, ſicut eiſdem melius videbitur expedire.*

DISSERTATIO PRIMA.

DE NVNCIIS VNIVERSITATIS.

ADmonet Nos iſte locus, vt de Nunciis Vniuerſitatis Pariſ. agamus, quorum Inſtitutio ad hoc primum ſeculum neceſſariò referenda eſt. Cum enim, vt ex annalibus noſtris patet, certum ſit regnantibus Magno, Pio & Caluo confluxiſſe ad Scholas Palatinas ex omnibus Orbis Chriſtiani regionibus Magiſtros & Scholares, Græcos, Danos, Germanos, Italos, Hiſpanos, An-

Magiſtrorum & ſcholarium miniſterio adſtringuntur. Viatores vero mixtam operam ab omni æuo Vniuerſitati & omnibus Regis ſubditis præſtiterunt. Porro Maiores proceſſu temporis Sodalitatem inſtituerunt apud Mathurinenſes in honorem B. Virg. & Caroli M. fundatoris, quæ etiamnum hodie perſeuerat. Et illis ſimiliter Reges noſtri priuilegia eadem conceſſerunt, quæ Vniuerſitati; immunitatem ſcilicet à vectigalibus ſubſidiarijs, excubiis aliiſque ſeruitutibus vrbanis. Quæ quidẽ priuilegia diuerſa eſſe conſtar ab iis quæ Viatoribus indulſerunt. Nam illa vrbana ſunt, iſta viatoria & ad vias, portuſque pertinentia: diuerſa inquam pro diuerſitate ſcilicet vtriuſque muneris & miniſterij. Quippe Maiores ſuis gaudent, vt in vrbe ſcholaribus operam præſtent: Viatores ſuis, vt peregrè proficiſcantur, vtque vehant & reuehant, quæcumque illis tam ad ſcholares quam ad alios quoſcumque vehenda & reuehenda committuntur.

Iam de numero Nunciorum ſi quis quærat, ſic videtur reſpondendum. Viatores, quos paruos & ordinarios vulgo nuncupamus, nullo fuiſſe olim numero definitos & circumſcriptos. Quia cum illi pro numero ſtudentium inſtituti ſint, prout creſcebat iſtorum numerus, aut prout ex locis vnde non ſolebant eſſe, confluebant ſcholares, Nunciorum quoque numerum augere neceſſe fuit. Hinc ad ſupplicationem Magiſtrorum & Scholarium, nonnunquam etiam vrbium & oppidorum noui Nuncij creabantur. Inter acta Nationis Gallicanæ ad diem 7. Sept. an. 1408. legitur ſupplicaſſe ſcholares Lucionenſes pro nouo Nuncio, eorumque ſupplicationi Nationem annuiſſe in Comitiis Mathurinenſibus. *Fuit etiam conceſſa ſupplicatio Scholarium Lucionenſium, qui ſupplicauerunt pro quodam Nuncio in Natione: & commiſſa poteſtas Procuratori & Deputatis recipiendi iuramenta dicti Nuncij* Sœpe etiam vrbes & oppida Nuncios ab Vniuerſitate poſtularunt; aut eorum aliquando poſtulatio & Nuncij alicuius nominatio à ſenatu Pariſienſi admiſſa ea lege vt Vniuerſitati nomen daret & à Rectore protectorias litteras impetraret. Hinc factum, vt in plurimis huius Regni Diœceſibus & Prouinciis ſint Nuncij Vniuerſitatis numero inæquales, in aliis plures, in aliis pauciores, pro maiori vel minori numero ſcholarium, maiorive vel minori Oppidanorum illorum cum Pariſienſibus commercio.

Numerus Nunciorum.

Hinc quoque factum vt Vniuerſitas nonnunquam ad poſtulationem & conqueſtionẽ vrbium Nuncios muneribus ſuis priuaret, ſi eos contra præſtitum iuramentum iis abuti agnoſceret, vt patet ex Actis Nationis Gallicanæ ad diem 17. Sept. an. 1441. M. Ioanne de Oliua tunc Procuratore. *Ad requeſtam D. Lugdunenſis* (Archiepiſcopi) *Reuocauit Natio Mater mea quinque Nuncios de Dioceſi Lugdunenſi qui erant abuſores priuilegiorum, ſcilicet Io. Muſſyen, Lud. Foyol, Iacob. Guimeux, & Philip. Pillet: & voluit Natio quod Petrus de Villa vicioſa ſolus remaneret Nuncius, eo quod erat bonus & fidelis dictæ Vniuerſitati. Alios autem declarauit priuatos & periuros.*

Maiorum Nunciorum numerus fuit certus pro numero ſcilicet Diœceſeon tam in Regno quàm extra Regnum. Vnus enim ſufficere creditus eſt ſubminiſtrandæ pecuniæ vniuſcuiuſque Diœceſis Scholaribus. Itaque cum regnante Carolo VI. plures ciues vt ſe ſubſidiariis vectigalibus, & ſeruitutibus vrbis liberarent, litteras ſubreptitias ab Vniuerſitate impetraſſent, auctuſque fuiſſet extra ordinem præſertim in Natione Gallicana illorum numerus, quamobrem conquerebantur Generales Subſidiarij & Redemptores Publici, quod plures e ciuibus nuncios ſe dicerent eiuſdem diœceſeos, ob idque ab oneribus exẽptos, ipſa volens lubenſque numerũ correxit & ad priorem legitimumque redegit: qua de re ſic legitur in Commentariis Nationis Gall. ad diem 16. Sept. an. 1445. M. Ioanne de Martigniaco tum Procuratore. *Placuit Nationi remediare & obuiare abuſibus commiſſis vel committendis per Nuncios Nationis. Vult ſpecialiter quod fiat vna diſtincta tabula omnium Diœceſeon & ſoli veri Nuncij ibi diſtinctè ponantur & approbentur cum inſtitutione & deſtitutione.* Et ad diem 20. Martij an. 1468. *Voluit Natio quod Procurator cum cæteris deputatis haberet à Regiſtris Rectoralibus redigere ſeu retrahere nomina Nunciorum dictæ Nationis ad partem & vocare Magiſtros & Scholares Diœceſeon pro quibus eſt pluralitas Nunciorum & non diuerſitas linguarum, ac eoſdem Magiſtros & ſcholares interrogare quis ſit eorum Nuncius vt reſponſione habita maneat ipſe quem nominabunt, & expellantur alij illius Diœceſis.*

Maiorũ Nuncij

Digitized by Google

Denique correctus fuit illorum numerus, deſcriptuſque Catalogus & Curiæ Subſidiariæ traditus, atque ab ipſa acceptus; qua de re ſic legitur in Actis eiuſdem Nationis ad 10. Menſis Oct. an 1476. *Reſponſum hoc dederunt quod ipſi erant contenti acceptare & approbare Rotulum ſicut datus erat eis à matre Vniuerſitate: & quod ipſi erant parati ſeruire Vniuerſitati & manutenere priuilegia ipſius quantū poſſent, & etiam releuare illos, qui erant in proceſſibus & ipſos defendere, dum tamen eſſent in Rotulo; & quod exinde ipſi regerent ſe in iſta materia Nunciorum ſecundum Rotulum eis datum ab Vniuerſitate.*

Sodalitas Maiorum Nunciorū. Nuncij autem ita deſcripti in catalogo, vt omnem amouerent ab Ordine ſuo confuſionem, Sodalitium, ſeu vt vocant Confratriam inſtituerunt an. 1478. in honorem B. Virginis & Caroli Magni Academiæ fundatoris, ſi tamen Vniuerſitati ita placeret. Atque in eam rem tres eorum nomine Procuratorio Nationi Gallicanæ, quæ longè pluribus quàm cæteræ Nationes abundabat, ſupplicarunt, & illa demum ſupplicationi annuit, dummodo Regis & D. Epiſcopi Pariſienſis conſenſum obtinerent; vt patet ex hoc publico inſtrumento ſigillo eiuſdem Nationis munito, quod eſt eiuſmodi.

VNIVERSIS præſentes litteras inſpecturis Procurator & Natio Gallicana in alma Vniuerſitate Study Pariſienſis ſalutem in Domino. Nouerint Vniuerſi, quod an. Dom. 1478. die 21. menſis Marty Nos omnes & ſinguli Magiſtri Nationis Gallicanæ apud S. Mathurinum per M. Antonium Ciſtelli dictæ Nationis Procuratorem ſpecialiter conuocati ad audiendum ſupplicationem Vienneti Pingoti Nuncy Lingonenſis Diœceſis, Guill. Drouet Burdigalenſis Diœceſis & Guill. Mallart Lodeuenſis Diœceſis Nunciorum Procuratores & Procuratorio nomine cæterorum Nunciorum præfatæ Nationis, de quo Procuratorio promptam fidem fecerunt. Quorum ſupplicatio continebat in effectu quod ipſi Nuncij recognoſcentes gratiam eis à Natione factam, conſiderantes excellentiam & dignitatem Vniuerſitatis Pariſienſis, cuius primum & firmius membrum eſt ipſa Natio, quæ quidem Vniuerſitas originem creditur traxiſſe ab Athenis, tandem per S. Karolum Magnum ab vrbe Roma in hanc Pariſiorum Vrbem adducta & fructuosè collocata innumerabiles fructus continuò producens, proponebant ex præſenti voto ſi Natio laudaret fundare vnam Confratriam ad honorem Dei Omnipotentis, B. Mariæ & S. Karoli Magni ad diuini cultus augmentum, ad exorandum Altiſſimum pro felici ſucceſſu Regis & ſuorum, etiam ad recommendationem tam Vniuerſitatis quàm Nationis prædictarum. Attendentes itaque quod plures inde tollentur abuſus in Inſtitutione primaria dictorum Nunciorum, promittentes nihilominus & ad hoc per dictum eorundem Procuratorium ſe obligantes dictam Confratriam honorabiliter manutenere per ſe ſingulos quamdiu eorum officia exercebunt & in eorumdem Officiis intertenebuntur, & poſt eos, eorum ſucceſſores qui ſinguli in eorum prima Inſtitutione dictæ Confratriæ ſoluent 16. ſolidos Pariſienſes cum annuali onere ſtatuendo per dictos Gubernatores ſtatuetur ad celebrandam dictam Confratriam Pariſius comparebunt. Quorum deuotæ petitioni fauorabiliter annuentes conceſſimus auxilium & fauorem concedimus per præſentes habito conſenſu ſupremi D. noſtri Regis, ac Reuerendi in Chriſto Patris & D. D. Pariſienſis Epiſcopi. Datum Pariſius ſub Magno Sigillo anno menſe & die ſupradictis. ſig. T. Meynart cum ſyngrapha. de præcepto D. Procuratoris præfatæ Nationis Franciæ.

Iuxta prædictam ergo correctionem & Catalogum, ſeu Rotulum Curiæ Subſidiariæ porrectum ſecundum Diœceſes Carolus VIII. Litteris ſuis, vt vocant, Declaratoriis tales Nuncios, vnum ſcilicet pro qualibet Diœceſi Regni Gallicani & Ditionum Regi ſubditarum, item pro qualibet extra Regnum, dum ex ea Scholares eſſent in Academia aliqui, priuilegiis Vrbanis gaudere voluit. Qua de re ſic breuiter Gouletus, circa an. 1516. ſic ſcribens. *Nuncij Vniuerſitatis, vnus de qualibet Diœceſi Regni Franciæ & Dominiorum Regni ſubditorum: & vnus ſimiliter ex qualibet Diœceſi extra Regnum, ſi de illa aliquis fuerit Scholaſticus in ipſa Vniuerſitate ſtudens. Item conceſſum eſt ipſi Vniuerſitati, quod de Diœceſi, in qua eſt varietas linguarum, ſit etiam pluralitas Nunciorum, ſcilicet pro qualibet lingua vnus.* Hæc de Nunciis dixiſſe ſufficiat, deque Patrocinio Regio, iam ad ſtipendia tranſeamus.

DISSERTATIO II.

DE STIPENDIIS ET NOMINATIONIBVS AD BENEFICIA.

STipendium duplex, vt dictum eſt ſupra, Publicum & Priuatum. Dubium *Stipendia.* non eſt, quin primi huiuſce Academiæ Inſtitutores maximè liberales fuerint erga viros litteratos, eamque ob rem ſtatim ad Scholas Regias vndequaque confluxerint plurimi, vt præmij, quod pollicebantur & concedebant, communionem acciperent: vnde factum eſt vt tam multi primo hoc ſeculo floruerint viri in omni Doctrinarum genere præcellentes; nam vt rectè Martialis,

Sint Mecenates, non deerunt, Flacce, Marones,
Nam tibi Virgilium vel tua rura dabunt.

De Caroli liberalitate ſupra egimus. Patrem æmulatus eſt Pius filius, vtrumque Caluus: quâ de re laudatur ab Errico Antiſſiodorenſi. *Ad ſapientiæ abditæ perſequenda, omnes quidem exemplo allicitis, quoſdam etiam præmiis inuitatis.* Et paulo poſt. *Luget hoc Græcia nouis inuidiæ aculeis laceſſita: quam ſui quondam Incolæ iamdudum cum Aſianis opibus aſpernantur, tua potius magnanimitate delectati, ſtudiis allecti, liberalitate confiſi.* Et Lupus Ferrarienſis Ep. ad Æneam Pariſienſem teſtatur ſe Scholas libenter repetiturum, ſi Rex ſibi communionem faceret præmij, quod promiſerat, & aliis Profeſſoribus impertiebatur. Hæc fortaſſis attendens Cario lib. 2. Chronol. & poſt eum Hoſpinianus ait Carolum M. Scholam ſuam tanta prouentuum & poſſeſſionum amplitudine locupletaſſe, *quantam vix omnes Galliæ & Germaniæ, quæ inde natæ ſunt Academiæ poſſent æquare.*

Ex hiſce authoritatibus, quæ primariæ ſunt notæ conijcere licet, imò affirmare Fundatores noſtros ſtipendia quædam de Fiſco Profeſſoribus aſſignaſſe, ſaltem ad vitæ ſuſtentationem, cultum & habitum: nec minus hac parte Carolum, quàm Scholæ ſuæ Publicæ inſtitutione Romanos Imperatores & Ptolomæum Alexandrinorum Regem æmulatum fuiſſe, qui Doctores Artium honoribus & præmiis ſtipendiiſque publicis ad docendum inuitaſſe leguntur. Nec ignorabat Athalaricum Italiæ Regem ſemeſtres annonas profeſſoribus penſitari voluiſſe, ne cogerentur de alieno pendere arbitrio. Sic enim ille apud Caſſiodorum l. 9. Ep. ad Senatum Rom. *Et ne aliquid pro voluntate præbentium relinquatur incertum, mox vt ſex menſes exempti fuerint, ſtatutæ ſummæ conſequantur prædicti Magiſtri mediam portionem: reſidua verò anni tempora cum annorum debita redhibitione claudantur; ne cogantur de alieno pendere faſtidio, cui piaculum eſt vel horarum aliquot vacaſſe momento.* Cum ergo ex Hiſtoria conſtet quærenti & interroganti Carolo, quid Aduenæ Magiſtri pro litterarum profeſſione peterent, reſpondiſſe tria tantùm ſe petere, loca opportuna, adoleſcentes ingenio præditos, & alimenta ad vitæ ſuſtentationem, nemo iure dubitare poteſt, quin illa quæ petebant conceſſerit, & vltra quam optabant, liberaliter elargitus fuerit.

Ab eodem Primo noſtro Fundatore ius & conſuetudo procul dubio profluxit *Nominationes ad Beneficia.* Nominationum ad Beneficia Eccleſiaſtica. Nam certum eſt eos qui in Scholis Palatinis ſtuduiſſent & ſtudendo profeciſſent, ab eo aut ampliſſimis Regni Aulæque honoribus, aut Beneficiis Eccleſiaſticis affici & compenſari ſolitos fuiſſe. Sic enim ille teſte Monacho San-Gallenſi ad ſtrenuos adoleſcentes Clementis Diſcipulos. *Nunc ergo ad perfectum attingere ſtudete, & dabo vobis Epiſcopia & Monaſteria permagnifica, & ſemper honorabiles eritis in oculis meis.* Et ſtatim ſubiungit idem Author eius rei exemplum in quodam Clerico ſeu Scholaſtico paupere, quem primùm, quia optimus *dictator* & *ſcriptor* erat, in capellam ſuam aſſumpſerat, deinde pingui Epiſcopatu donauit repudiatis precibus & poſtulatis Aulicorum ac Procerum; imò ipſiuſmet Reginæ Hildegardis feruentiſſimis petitionibus & blandiciis, quæ idem Beneficium Capellano ſuo poſtulabat.

Vno verbo neminem Princeps ille agnouit, qui ſe ſtrenuè geſſiſſet in caſtris Mineruæ quem debitâ mercede non affecerit, vt narrat idem Author l. 1. c. 8. *Ne vero*, inquit, *obliuiſci videar vel negligere, hoc verè de induſtria & meritis eius agnoui; quia de Diſcipulis eius*, Clementis, *nullus remanſit, qui non vel Abbas ſanctiſſimus vel Antiſtes extiterit clariſſimus.* Subdit exēpla. *Apud quem & Dominus meus Gallus*, Abbas S. Galli *primum in Gallia, mox vero in Italia Liberalibus eſt Diſciplinis imbutus. Sed ne à ſcientibus rerum illarum arguar mendacij, qui nullum exceperim, fuerunt in eius Schola duo Molinariorum filij de familia S. Columbani, quos quia non congruit ad Epiſcoporum vel Cœnobiorum regimen ſubleuari, tamen per merita, vt creditur, Magiſtri ſui Alcuini, Præpoſituram Bobienſis Monaſterij vnus poſt alterum ſtrenuiſſimè gubernauerunt.*

Sic ergo affectus erat erga eos Carolus qui profecerant in litteris. At ex aduerſo ignauos oderat & in fæce ac ſordibus relinquebat vt indignos promoueri. Ecce quomodo ad adoleſcentes nobilitate quidem generis conſpicuos ſed inertes & negligentes apud eundem Authorem loquitur. *Vos nobiles, vos primorum filij, vos delicati & formoſuli in natales veſtros & poſſeſſiones confiſi mandatum meum & glorificationem veſtram poſtponentes litterarum ſtudiis neglectis, luxuria, ludo & inertia vel inanibus exercitiis indulſiſtis.... Per Regem Cælorum non ego magnipendo nobilitatem veſtram, licet vos alij admirentur. Et hoc proculdubio ſcitote, quia niſi cito priorem negligentiam vigilanti ſtudio recuperaueritis, apud Carolum nihil vnquam boni acquiretis.*

Ex hocce Caroli inſtituto quod poſtea vim legis habuit & ſacræ conſtitutionis duo profluxiſſe videntur, quæ ab omni æuo in hacce Vniuerſitate legimus obſeruata, ius nempe nominandi ad Beneficia & examen Nominandorum. Nam cum ad ea Carolus dignos & bene meritos promoueret, indignos vero & inertes repelleret, neceſſe fuit examen inſtituere vt digni ab indignis ſecernerentur. De quo nos opportunius alio loco dicemus. Nunc vero quia ius illud ad Beneficia authenticum eſt, & ab ipſo Fundarore noſtro citra omnem dubitationem Academiæ conceſſum, operæ pretium eſſe videtur generatim hic exponere, quid in hanc rem actum fuerit, & veluti in tabella totam hanc hiſtoriam oculis ſubiicere.

Primo itaque ſciendum eſt Reges noſtros per plura ſecula, aut authoritate ſua viros Academicos ad Beneficia promouiſſe, aut apud Clerum effeciſſe, vt promouerentur. Non diſputo hic de iure Regum & Imperatorum: quod factum reperio, hic duntaxat commemorabo. Imprimis igitur Carolus Alcuinum, Magiſtrum ſuum & Academiæ ſuæ quondam Præfectum ſeu Rectorem donat rum aliis Beneficiis, tum maxime Abbatia S. Martini Turonenſis, Theodulfum Epiſcopatu Aurelianenenſi, Angelramnum Metenſi, Amalarium Fortunatum Treuirenſi, Ieſſe Ambianenſi, Agobardum Lugdunenſi: prætereo reliquos.

Ludouicus Ebbonem Collactaneum & Condiſcipulum ſuum Archiepiſcopatu Remenſi, Rabanum Abbatia Fuldenſi, Claudium Taurinenſi, Drogonem Metenſi, Landrannum Turonenſi. Caluus Ionam Epiſcopatu Aurelianenſi, Æneam Epiſcopatu Pariſienſi, Heliam Scorigenam Engoliſmenſi, Hincmarum Remenſi, Rabanum Moguntinenſi, Wenilonem Senonenſi, Lupum Abbatia Ferrarienſi. Quid opus eſt cæteros commemorare? ex iiſdem ſcholis prodierunt Abbo Antiſſiodorenſis Heriboldi ſucceſſor, Anſegiſus Senonenſis, Wala frater Anſegiſi Antiſſiodorenſis cui ſucceſſit Humbaldus Ioannis Scoti auditor, Ratbodus Traiectenſis, Mancio Catalaunenſis, Fulco Remenſis & alij innumeri.

In 2. ſeculo tanta fuit rerum omnium confuſio, tantaque omnium ſcriptorum deſidia, vt pauci admodum quæ geſta ſunt, litteris mandare voluerint. At poſt quam Hugo Capetus ſceptrum Regale tractauit, cœperunt refloreſcere litteræ & earum profeſſoribus honor exhiberi. Ab eo autem Gerbertus Aquitanicus inſignis Galliarum Magiſter Roberti filij præceptor ad Archiepiſcopatum Remenſem promouetur.

In 3. Leothericus ex Archidiacono Senonenſi fit Archiepiſcopus, Gerberti quondam Diſcipulus, Fulbertus à Roberto Rege fit Carnotenſis Epiſcopus;

Ingo Abbas San-Germano-pratenſis, qui cum Roberto in iiſdem ſcholis ſub iiſdem præceptoribus fuerat.

In 4. dici non poteſt, quàm multos Ludouicus Craſſus, Ludouicus VII. & Philippus Auguſtus ad dignitates Eccleſiaſticas aut promouerint, aut promoueri curarint. de quibus paſſim ſuo loco dicetur.

Sub hiſce Regibus cœperunt Pontifices Romani excuſſâ ſeruitute Romanorum Imperatorum Franciæ ſtudioſius incumbere, & Academiæ noſtræ curam ſuſcipere: vnde nonnulli ex Academicis ad Cardinalatum & Pontificatum maximum elati ſunt. Præcipuè vero Alexander III. Petro S. Chryſogoni Cardinali Legato mandauit vt ſibi nomina perſcriberet virorum doctorum, quos ad Cardinalatum aliaſque dignitates Eccleſiaſticas prouehere poſſet. Innocentius III. omnibus prædeceſſoribus ſuis in ea re palmam præripuit, qui quod in hac Academia ſtuduiſſet & Magiſterium conſecutus fuiſſet, omnes quos potuit ex Academicis, promouit. Teſtes ſunt inter cæteros Petrus Corbolienſis, quē ad Archiepiſcopatum Senonenſem: Stephanus de Langetona, quem ad Cantuarienſem, Robertus Curtonius quem ad Cardinalatum prouexit. Vno verbo ab anno circiter 1100. Pontifices Rom. cum Regibus noſtris ad amplificandam hanc Academiam, priuilegiis ornandam & decorandam certatim concurriſſe videntur.

In 5. Similiter Academici tanto numero ad omnis generis Beneficia promoti ſunt, vt nulla quantumuis accurata diligentia perſcribi poſſint. Vnde cum an. circiter 1283. confugerunt Franciæ Prælati ad communem hanc matrem contra Mendicantium Priuilegia, hæc aurea verba æreis & marmoreis tabulis inſculpenda per Ægidium Romanum tunc ex Academico profeſſore Bituricenſem Archiepiſcopum ad eam habuerunt. *Venimus ad vos qui præſentes ſumus & habemus litteras de Ratihabitione omnium Epiſcoporum Regni Franciæ ad conquerendum vobis de tanta fratrum inſolentia.* QVIA QVOD NOS SVMVS, VOS ERITIS. CREDO ENIM QVOD HODIE NON SIT PRÆLATVS INTER NOS QVI DE HAC VNIVERSITATE NON SIT ASSVMPTVS.

In 6. ſeculo & deinceps inualuit uſus Reſeruationis Beneficiorum, quam Bonifacius VIII. primus induxit. Hinc cœperunt Academici noſtri ad ſummum Pontificem Magiſtrorum Catalogum ſeu vt olim dicebant, Rorulum Nominandorum mittere. Quo pacto Pontifices Romani magnam ſibi poteſtatem & authoritatem non modo in Epiſcopos, ſed in Vniuerſitatem noſtram ſibi vindicarunt, vt in hiſtoria fuſius exponemus: donec tandem ſub Carolo VI. de Gratiis eiuſmodi Expectatiuis, Mandatis de prouidēdo, Reſeruationibus aliiſque iuribus conqueſta Vniuerſitas in Synodis Gallicanis, deinde in concilio Conſtantienſi & Baſilienſi, poſtremo tandem in Synodo Bituricenſi ſub Carolo VII. anno 1439. habita effecit, vt omnino abrogarentur. Tumque facta & condita Pragmatica Sanctio, & Nominationum alia ratio inuenta: quæ denique an. 1516. ſummo omnium litteratorum dolore & queſtu abolita eſt per Leonem X. & Franciſcum I. Hincque Concordata, vt vocant, introducta: iuxta quæ deinceps ius dictum eſt in materia Beneficiorum.

Cum autem Carolus maximè liberalis fuerit erga pauperes cuiuſcunque generis, iure ſuſpicari poſſumus eum pauperes ſcholaſticos liberalibus impenſis in ſtudio ſuſtentaſſe, exemplumque dediſſe poſteris inſtituendi Collegia Pauperum Clericorum, certoſque iis reditus miniſtrandi. Et haud ſcio an aliis quam primis noſtris fundatoribus adſcribenda ſit Collegiorum in Luparæa regione ſitorum SS. Thomæ & Nicolai de Lupara, quæ omnium antiquiſſima eſſe legimus paſſim in monumentis Vniuerſitatis, inſtitutio & fundatio, ſi non ex perpetuis reditibus, ſaltem ex temporaneis, & quandiu vixerunt. Et certè quis credat, poſtquam à Normanis tota illa regio deuaſtata eſt, coactæque ſunt inde migrare Muſæ in vrbem & ad hæc Vniuerſitatis loca, redituras illuc fuiſſe vnde migrauerant, & rurſum loca illa tam longè diſſita & à cæteris ſcholis remota occupaturas, niſi domum ibi fundumque aliquem ante depopulationem eiuſmodi habuiſſent?

Quod ergo Carolus M. id genus liberalitatis exercuerit, paucis docet Eginhartus. *Circa pauperes*, inquit, *ſuſtentandos & gratuitam liberalitatem, quam Græci Eleemoſynam vocant, deuotiſſimus: vt qui non in patria ſua ſolum & in ſuo Regno eam*

facere curauerit: verum trans maria in Syriam & Ægyptum atque Africam, Hieroſolymis, Alexandria atque Carthagini: vbi Chriſtianos in paupertate viuere comperrat, penuria illorum compatiens pecuniam mittere ſolebat.

DISSERTATIO III.

DE PRATO CLERICORVM.

Idem quoque Princeps PRATVM, quod vulgo CLERICORVM dicitur, iuuentutis Academicæ recreationi addixit, æmulatus certè veteres Romanos, qui Campum Martium Romæ Campeſtribus exercitationibus ludiſque Iuuenilibus & ambulationi reliquerant. Itaq; duplex erat locus prope vrbẽ Lutetiã exercitationibus Corporeis addictus. Vnus quidem ad radicem Montis-Martis, qui vulgo Mons-Martyrum appellatur; vbi ciues Pariſini & Nobiles Equeſtribus certaminibus ſe exercebant ſub Imperio Romanorum, hoc eſt quandiu illi Gallias tenuerunt. Ibidem quoque habebantur ſub primis Regibus Francis Comitia Generalia, ſeu vt olim dicebant, Placita. Ideo autem locus ille à veteribus dictus eſt MONS MARTIS, quod in vertice Templum fuiſſet à Romanis Marti dedicatum, cuius etiamnum hodie dicuntur extare veſtigia. In campo verò ſeu valle ſuppoſita Ludi exercebantur Equeſtres & alia ludicra certamina. ABBO SAN-GERMANO-PRATENSIS meminit huiuſce montis lib. 2. de bello Pariſienſi.

Armipotens Montis ſuper Odo cacumina Martis
Emicuit.... &
Sic ternis Sequanam Martiſque cacumina ſtratis
Sexcenti copulant ex millibus. Hinc remeantque... &
Sub Martis pedibus Montis ſpeculamque ſecundum.

At Flodoardus ad an. 944. MONTEM MARTYRVM appellat à Paſſione ſcilicet Dionyſij & Sociorum, vt vulgo creditur.

Alter locus trans Sequanam in Luparæa regione habitantibus fuit Scholaſticæ recreationi deſtinatus. Cuius rei fidem facit antiquiſſima, quæ ibi fuit olim S. Martini de Ordeis Capella, in qua Scholaſtici mane die non legibili ſacrum audiebant, antequam luderent. Quamobrem verò vocatus ſit ille locus *Pratum*, præterquam quod locus ipſe ad Sequanam ſitus euincere videtur, alia ratio afferri poteſt, quod ſcilicet Scholaſtici irent in pratum ad certamina ludicra curſus præſertim, follis, ſaltus & luctæ exercenda; nonnunquam etiam & ſeria pugnorum. Et hinc forte Phraſis Gallica profluxit, *Aller ſur le Pré* cum loquimur de ſingularibus certaminibus ſeu Duellis: ſicut & iſta, *habere Campos* cum vacant Scholaſtici, ſitque ludendi & ſpatiandi per campos copia. Meminit huiuſce Prati Abbo in Carmine de Obſidione Vrbis Pariſienſis, vt ad an. 886. retulimus. Exercitia verò Iuuenum præclaris verſibus deſcribit Boteræus in ſua Lutetia.

Martius vt Campus diſco, luctante Palæſtra
Sphæra, Circo, armis & equorum præpete curſu
Romuleam pubem quondam exercebat, & iſto
Pubem æuo exagitant noſtram, qua Prata vireſcunt
Littore Sequanio, poſſeſſa Scholaribus olim
Arua, Minerualis ludis conceſſa Iuuenta.
Vomere & incuruo qua non ſulcanda ligone
Decreuit toties inarata manere Senatus.
Ludorum varia ſpecies, ſpectacula mille.
Hic volucer pedibus prauertere nititur Euros,
Ille admirando ſaltu ſuperare ſodalem....
Ille lacertorum confiſus robore ſaxum
Aëre ſuſpenſum vacuo contorquet, & vltra
Limitem agit: pars multa globum, ſeu flatibus vtrem

Digitized by Google

Diſtentum toties repetito percutit ictu:
Illa grauis vento, tereti illa volubilis orbe
Neſcia ſtare loco, nunc hinc nunc motibus illinc
Errabunda ſalit tremulis: agitataque pugno
Nunc rurſum alta petit; nunc & petit ima deorſum.

In regione autem Luparæa tum habitantes Scholaſtici tranſibant in Pratum per pontem, de quo certè mentio fit in Priuilegio Ludouici Pij an. 829. Monachis San Germano-pratenſibus conceſſo, pro conſeruatione, exemptione & augmento Monaſterij. *Sed neque ſeruitia ex eis exactet*, inquit, *neque parauerедos aut expenſas ad hoſpitum ſuſceptiones recipiat, neque ullas ex aliqua re exactiones inde exigat abſque ineuitabili neceſsitate, præter menſuras in Principali Eccleſia B. Germani & in Ponte Pariſius longo à tempore diſpoſitas.* Tunc erat Hilduinus S. Germani Abbas & ſacri Palatij Archicapellanus, vt in eodem priuilegio habetur, quod extat apud Aimoinum l. 5. c. 10. ſub finem.

Ibidem Alcuinus Scholam ſuam habuit quam deſcribit Poëm. 222. ibi enim Carolo & liberis cæteriſque qui in Palatio degebant: item Cellæ in qua ſolebat docere, æternum vale dicit, ægrè ferens alium in vſum fuiſſe conuerſam. Videtur quoque indicare Pratum Clericorum, quod dum ibi doceret, habebat in conſpectu: & vnus hic locus ſatis innuit Scholas Palatinas extra vrbem fuiſſe poſitas.

O mea Cella, mihi habitatio dulcis, amata,
Semper in æternum ô mea Cella vale.
Vndique te cingit ramis reſonantibus arbos,
Siluula florigera ſemper onuſta comis.
PRATA ſalutiferis florebant omnia & herbis
*Quas medici quærit dextra ſalutis * ore*
Flumina te cingunt florentibus vndique ripis,
Retia piſcator qua ſua tendit ouans.
Pomiferis redolent ramis tua clauſtra per hortos,
Lilia cum roſulis candida mixta rubris.
Omne genus volucrum matutinas perſonat odas,
Atque Creatorem laudat in ore Deum.
In te perſonuit quondam vox alma Magiſtri,
Quæ ſacros ſophia tradidit ore libros.
In te temporibus certis laus ſancta Tonantis
Pacificis ſonuit vocibus atque animis.
Te mea Cella modo lachrymoſis plango Camœnis,
Atque gemens caſus pectore plango tuos.
Tu ſubito quoniam fugiſti carmina vatum,
Atque ignota manus te modò tota tenet.
*Te modò nec Flaccus, nec fatis * Homerus habebit,*
Nec pueri Muſas per tua tecta canent.
Vertitur omne decus ſæcli: ſic namque repente
Omnia mutantur Ordinibus variis.

At vero Monachi San-Germano-Pratenſes negant Prati donationem eſſe Carolo M. adſcribendã: ſed alicui è tribus Abbatibus cõmendatariis & ſecularibus, Roberto Comiti Pariſienſi, Hugoni Magno, aut Hugoni Capeto, qui Abbatiam ſubſequenter & continuata ſerie tenuerũt: illudque tandẽ à Vvalone ſeu Gualone Abbate Regulari reſtitutum fuiſſe contendunt fulti authoritate Aimoini l. 5. c. 45. de illo ſic ſcribentis. *Qui inter cætera quæ noſtræ Eccleſiæ contulit bona, Pratum ſub ipſo Monaſterio ſitum à Dominatione S. Germani alienatum cupiditate prædictorum Ducum & Abbatum præfatæ Eccleſiæ reſtituit, & ab omni inquietudine tam Regum, quàm omnium mortalium immune reddidit.* Additque Brolius in antiquitatibus Pariſ. l. 2. vbi de Monaſterio S. Germani, Vniuerſitatem non habita ratione redemptionis à Vvalone factæ & vindicari ſeu reſtituti Monaſterio Prati, nihilominus poſſeſſionem eius contra fas iuſque repetiiſſe. Sic ergo ille hanc hiſtoriam contexit

Robert Comte de Paris, Hugues le Grand & Hugues Capet, ayeul, pere & fils ont eſté ſucceſſiuement Abbez de Saint Germain pour le defendre contre les ennemis du Royaume, & non pas pour le deſtruire & aliener les terres, comme ils ont fait *Tanquam ex Protectoribus Prædatores facti, & quaſi Canes in lupos conuerſi.* Et l'vn des trois ſuſdits Robert Comte de Paris, Hugues le Grand & Hugues Capet, qui ont eſté plus de cent ans apres Charlemagne fit la premiere alienation du Pré contigu à l'Abbaye, qui s'appelloit le Pré de Saint Germain. Aymon ou le Continuateur de ſon Hiſtoire l. 5. c. 45. apres auoir dit que cette Abbaye eſtoit deuenuë ſi pauure par le mauuais Gouuernement des ſuſdits hommes militaires, qu'il ne ſe trouuoit qui en vouluſt, & qu'aux inſtantes prieres du Roy Lothaire & Hugues Capet Duc de France Vvalo, Waldo ou Gualo auoit acquieſcé à la prendre, il adiouſte, *Qui inter cætera quæ noſtræ Eccleſiæ contulit bona Pratum ſub ipſo Monaſterio ſitum à Dominatione S. Germani alienatum, &c. vt ſupra.* Et en la Charte de la Dedicace de l'Egliſe dudit Saint Germain faite par le Pape Alexandre III. en l'an 1163. il eſt dit qu'il alla en proceſſion ſolemnelle au Pré qui eſt ioignant les murs de l'Abbaye & qu'il y preſcha. *D. Papa Alexander ad Pratum, quod eſt iuxta Monaſtery muros cum ſolemni proceſſione procedens ad populum ſermonem fecit.* Mais il n'eſt pas nommé Pré aux Clercs, ce qu'il n'euſt obmis, s'il euſt eſté de leurs appartenances. Le plus ancien titre que i'aye veu appellant ce pré le Pré aux Clercs, eſt de l'an 1267. duquel la premiere poſſeſſion ne leur peut prouenir que de l'alienation faite par leſdits Abbez ſeculiers. Laquelle depuis ils ont repetée ſans auoir égard au rachapt qu'en auoit fait ledit Waldo ou Walo Abbé Regulier, qui eſt vne grande iniuſtice.

Idem Brolius in Scholiis ad lib. 5. Aimoini c. 45. vbi de Vvaldone, ſic ſcribit. *Hinc videre eſt quàm inſulsè Scholaſtici Academiæ Pariſienſis hoc Pratum ſibi à Carolo M. donatum iactitant, cum prima eius alienatio ab aliquo trium Secularium Abbatum (neque enim plures antea habueramus) Roberto inquam Comite, Hugone Magno, vel Hugone Capeto proceſſerit. Denique illud Gualo ſiue Vvalo aut Vvaldo Abbas, qui ſub Lothario generis Caroli M. penultino Rege fuit, ſicvt dictum eſt, alienatum Monaſterio reſtituerit. Non abſurdum tamen eſt opinari Vniuerſitatem prædictam ab hac prima alienatione Ius aliquod in ipſo Prato vſurpaſſe, quod decurſis multis annis non obſtante Vvaldonis iuſtâ recuperatione tandem repetere voluit.* Hæc Brolius.

Ad huiuſce autem Hiſtoriæ illuſtrationem imprimis notandum eſt quinque libros Hiſtoriæ Gallicanæ, qui vulgò ſub Aimoïni nomine eduntur, nullatenus adſcribendos eſſe Aimoïno San-Germano-Pratenſi Monacho, qui viuebat adhuc an. 892. & cui Abbo eiuſdem Monaſterij Monachus libros ſuos de obſidione Vrbis Pariſiacæ dedicauit: ſed eorum quatuor Aimoïno Floriacenſi Abbonis Abbatis Diſcipulo: qui ambo ſub Roberto Rege floruerunt, vt ex eius Epiſtola nuncupatoria patet, quæ eſt ad Abbonem Abbatem. Nullum autem temporibus Aimoïni San-germano-Pratenſis fuiſſe apud Pratenſe Cœnobium eius nominis Abbatem, ex Hiſtoria clarum eſt. Præterea Sigebertus Gemblacenſis Monachus, qui obiit an 1113. c. 101. de Scriptoribus Eccleſiaſticis diſertè ſcribit Aimoïnum Floriacenſem Authorem eſſe Hiſtoriæ Francicæ. Sic enim ille. *Aumonius*, ſeu vt Miræus corrigit *Aimoinus, Monachus Floriacenſis hiſtoriam miraculorum S. Benedicti ab Adrenaldo initiatam perfecit, perducens eam à tempore Odonis Regis vſque ad tempus Roberti Regis Francorum. Scripſit etiam Hiſtoriam Francorum & ſitum Galliarum diſtinxit.*

In illa verò Hiſtoria plurima ad Cœnobium Pratenſe pertinentia, celeberrimorum huiuſce ætatis noſtræ Scriptorum iudicio, interpolata ſunt à quodam Monacho Pratenſi Anonymo. Item & multa in libro 5. qui cuiuſdam eſt Continuatoris vſque ad an. 1165. vt ſunt ea quæ Capitibus 43. 44. & 45. de Alberico, Morardo & Gualone leguntur. Quod ſi ita eſt, concidit fides Continuatoris aut Interpolatoris, qui fortè verba illa de Gualone Abbate inſeruit poſt litem Academiæ à Monachis intentatam, vt fidem poſſeſſioni noſtræ & Carolinæ donationi derogaret, Pratumque ſibi Monachi data occaſione ſi poſſent, repeterent.

Dicet

Dicet aliquis prædictâ iſtâ authoritate Walonis vſos fuiſſe Monachos in Concilio Turonenſi an. 1163. ab Alexandro III. habito contra Scholares Pariſienſes & obtinuiſſe quod petebant, de qua controuerſia videtur loqui Hugo Pictauinus Monachus Vezeliacenſis l. 4. hiſt. ad an. 1163. vbi de Concilio Turonenſi. *Cum plurimæ huiuſmodi Controuerſiæ*, inquit, *hinc & inde in eodem Concilio proponerentur, ſicut fuit* CAVSA PARISIENSIVM CLERICORVM *& Monachorum Cænobij S. Germani de Pratis, quæ plenius ventilata iniuſtis Clericorum vocibus æternum ſilentium impoſuit.*

Verum an hinc euincitur Academicos cauſa cecidiſſe & Prati poſſeſſionem amiſiſſe? nullatenus; ſed id adſummum, apud Alexandrum iniuſtè de Monachis conqueſtos (forte quod ſibi vim inferri viderent & paterentur in prato, aut ludos ſuos turbati & impediri) nec ſatis probaſſe: ac proinde à Pontifice fuiſſe illis ſilentium impoſitum. Certè, ſi cauſa eiuſmodi agitata eſt in Concilio, eius tanquam rei nullius aut leuis momenti nulla ratio habita eſt, ſecus verò fuiſſet, ſi poſſeſſio in diſceptationem veniſſet. Ad quod ita ſtatuendum pluribus adducor argumentis.

1. Quia nihil eius rei legitur vſquam in actis Concilij, nec vllus Author coæuus meminit præter Hugonem: non ipſe Continuator, qui eum ad an. vſque 1165. ſcripſerit, non omiſiſſet proculdubio rem iſtam hiſtoriæ ſuæ inſerere, præſertim cum de cœnobio ſuo ageretur.

2. Quia ſi Alexander peremptorio decreto de poſſeſſione litem decidiſſet, cenſuræ Eccleſiaſticæ pœnam proculdubio interminatus fuiſſet, interdixiſſetque ſcholaſticis omni ambulatione & ludo in Prato: at neutrum horum factum legimus. Quinimo contrarium extat in Ep. 208. Stephani Tornacenſis ad Octauianum Epiſcopum Oſtienſem. Nam cum an. 1192. Scholaſtici de more luderent in Prato, quidam ſerui & clientes Abbatiæ in eos impetum fecerunt: quoſdam eorum vulnerarunt, quoſdam occiderunt: timuit Fulco tunc Pratenſis Abbas, ne conquereretur Vniuerſitas apud Cœleſtinum Pontificem, illudque facinus iuſſu ſuo perpetratum fuiſſe putaretur. Itaque apud eundem Pontificem amicorum auxilium implorat, & præcipue Stephani tunc ex Abbate San-Genoueſiano Tornacenſis facti Epiſcopi. Et ille in timore & tremore commendatitias preces Octauiano porrigit pro Abbate, *vt ſicut immunis erat à culpa, ita & alienus iudicaretur ab inſania ſiue pœna.* Hæc inſuper addit. *Innocentiam ſuam purgauit coram D. Remenſi & multitudine Clericorum.* Et fugientibus illis qui eadem perpetrauerant, *accenſus in vindictam, domos illorum diruit & vaſtauit. Occurrite & ſuccurrite, ſi opus fuerit, Viro Innocenti, ne veritatem falſitas abſorbeat, mendacium negotietur ſibi fidem, amor inuidiæ Religionem corrumpat.*

Quid vero cauſæ erat, cur tantopere ſibi Fulco timeret, ſi ſecundum Monachos in Concilio Turonenſi ab Alexandro pronunciatum fuerat & iudicatum? Quamobrē ſi pratū iſtud Clericorum non erat, illuc ſe illi conferebant? præſertim cum tunc iam montem San-Genoueſianum occupaſſent à Prato longe diſtantem. Quidni inter alias rationes hanc, quæ peremptoria fuiſſet, non producebat Fulco Abbas? quod Scholares contra Interdictum Alexandri & ſæpe alias moniti, nihilominus in Prato ludere non deſtitiſſent, eaque inſolentia & temeritate atque proteruia clericorum exacerbati fuiſſent ſuorum hominum animi.

Quod nam autem ſecutum fuerit inde iudicium, & an res illa in Foro Romano agitata & diſceptata fuerit, nondum mihi innotuit. Certum vero eſt aut illic aut Pariſiis de dominio Prati litem fuiſſe intentatam, illudque ex decreto Vniuerſitati ceſſiſſe. Nam in reformatione an. 1215. iuſſu Innocentij III. qui Cœleſtino ſucceſſit, per Robertum Curthonium Cardinalem facta hæc verba leguntur. PRATVM S. GERMANI IN EO STATV, IN QVO EIS FVIT ADIVDICATVM, EIS PLANE CONFIRMAMVS. Hinc videtur poſſe colligi pratum iſtud certis limitibus fuiſſe deſcriptum & definitum, vt occaſio rixandi omnis deinceps tolleretur.

3. Ergo cum pateat ſecundum Vniuerſitatem fuiſſe iudicatum, non eſt credibile Monachos in conteſtatione litis vſos fuiſſe exceptione alienationis per prædictos Abbates factæ, & redemptionis atque reſtitutionis per Gualonem: aut ſi vſi ſunt, clarum eſt non potuiſſe probare quod aſſerebant. Nam ſi patuiſſet Abbates illos alienaſſe fundum prædictum, alienationis vero illius quæ legitima

eſſe non poterat, pretium à Gualone fuiſſe Emptoribus ſeu poſſeſſoribus perſolutum, quid iniquius, quàm illum addicere Vniuerſitati poſſidenti quidem, ſed vi aut precario poſſidenti?

Denique ſi donatio iſta prati Carolo M. aut ſaltem Caluo derogetur, non video cuinam Regum aut Principum Francorum attribuenda ſit: nam cum ex dictis conſtet poſſeſſionem quam ſibi illius vindicat Vniuerſitas, longæuam eſſe, & ante quingentos annos certiſſima illius argumenta extare; ſi replicemus Annales noſtros ab an. circiter 1160. vſque ad incunabula & primæuæ originis tempora, ſitumque & habitationem locorum in quibus conſtitit, vix reperiemus quibuſnam, ſi non illis prædictam donationem tribuere poſſimus.

Etenim à quocumque tandem facta ſit, facta eſt procul dubio propter commoditatem ſcholæ pratique viciniratem. At initio collocata eſt Schola in Palatio, & locis Lupareæ regioni circumuicinis, ibique conſtitit centum circiter annos. Ac proinde à Prato, interlabente Sequana & ponte tantum intermedio diſtabat: poſtquam vero loca illa vaſtata & deſtructa ſunt à Normanis, ſedem mutare coacta eſt & ad interiores vrbis partes, præſertim vero ad Atrium Baſilicæ Cathedralis & Montem San Genoueſianum vallemque ſubiectam ſe transferre, ad loca inquam iam procul à Prato diſtantia. Si quæ autem proceſſu temporis in eadem regione Luparæa reparatæ ſunt ſcholæ, certè paucæ admodum fuerunt, & minus celebres: vnde colligitur euidentiſſimè illis temporibus potius conceſſum fuiſſe pratum Vniuerſitati, cum frequentiſſimæ erant ſcholæ in Luparæa regione, quàm cum raræ fuerunt: tum inquam conceſſum, cum Prato vicinæ erant, quàm cum remotiores fuerunt, ac proinde à Carolo M. aut Caluo, quibus imperantibus magis floruerunt, quàm à conſecutis Regibus ſub quibus plurimum defloruerunt.

Neque hoc omittendum olim propter rixas quæ frequentes accidebant inter Monachos & Vniuerſitatem, Rectorem 4. Procuratoribus Nationum, 4. ipſarum Intrantibus, octo Apparitoribus ſeu Bedellis faſces præferentibus, & Scriba comitatum quotannis die ipſo Paſchæ, à quo Maiores noſtri annum auſpicabantur, vel poſtridie in Pratum ſe conferre ſolitum ad denotandum dominium poſſeſſionemque continuandam, eiuſque rei Scribam confeciſſe inſtrumentum. Plurima paſſim occurrunt in Actis Vniuerſitatis huiuſce conſuetudinis exempla. Vnum profero an. 1538. *Hodie lunæ in craſtino feſti Reſurrectionis Domini noſtri I. Chriſti, Dominus Rector ſcilicet M. Claudius Berthot cum 4. Procuratoribus & 4. magnis Intrantibus Nationum Facultatis Artium & Bidellis eiuſdem Facultatis cænobium D. Germani de Pratis adiuerunt, Miſſamque ibidem more ſolito audiuerunt. Qua audita ad Pratum Clericorum acceſſerunt & illud pro more viſitauerunt me Notario & Scriba dictæ Vniuerſitatis in præmiſſis adſtante.*

Quæ luſtrandi Prati conſuetudo ad noſtra fere tempora perducta eſt: ſic enim legitur in commentariis Germanicæ Nationis ad an. 1614: ſcribente M. Petro Valens Procuratore. *Die 31. Martij pridie Kal. April. Ampliſſ. D. Rector vna cum Scriba & Procuratoribus Academiæ Pratum Clericorum rite recteque more inſtitutoque maiorum ſibi vindicauit. Et nos poſtea ientaculo lautè excepit.* Et ad an. 1623. die 23. April. *ſolemniter per Rectorem ampl. & Procuratores firmata eſt Poſſeſſio Prati clericorum itione & profectione in rem præſentem.*

Tandem ab an. circiter 1630. mutata eſt natura Prati & in ædificia conuerſa; quanquam ægre id tulit Vniuerſitas & nonniſi à Publicanis coacta mancipari & proſcribi paſſa eſt, vt legitur in iiſdem Commentariis. Nam cum eam in rem conuentum fuiſſet apud Rectorem 3. Non. Sextil. an. 1636. variique varias ſententias ferrent, Procurator eiuſdem Nationis dixit. *Ego miſerum mihi videri dixi prædium iſtud antiquum quod Muſis aberrantibus in ſeceſſum & voluptatem pateret, vanire. Quo nunc ituram Iuuentutem, quid porro fore iucundum oculis profunda lectione feſſis erepta fluminis amoenitate? vicit tamen omnium dolorem auaritia Publicanorum, quorum opes & conſilia ne noſtris amplius cunctationibus inualeſcerent, Pratum maturè locandum cenſuimus.* Ab eo igitur tempore fundus ille cenſu & reditu annuo atque perpetuo oppigneratus eſt, qui ab omni æuo iuuenilibus oblectamentis addictus fuerat.

II. DE STATV VNIVERSITATIS.

DIximus de fortuna Vniuerſitatis, qualis fuerit primo eiuſdem ſeculo. De ſtatu nunc dicendum qui in duobus conſiſtit, loco & regimine. De loco fusè ſupra fol. 104. & ſequentibus: nimirum toto fere primo ſeculo Muſas in Lupararo ſuburbano lociſque circumuicinis habitaſſe. Poſtquã vero inde migrare coactæ ſunt, cum Epiſcopalibus & San-Genoueſianis ſocietatem iniiſſe & loca proxima occupaſſe, atque ita mutatâ tantum ſede Academiam Pariſienſem ex tribus ſcholis coaluiſſe; neque enim dubitandum, quin regnante Carolo M. & eius ſucceſſoribus ſcholas ſuas etiam habuerit Epiſcopus ad inſtruendos in primoribus litteris minores clericos: ſuas quoque Canonici San-Genoueſiani in ſuo monte & clauſtro: quippe cum Carolus publicam in palatio inſtituit, non modo non deſtruxit cæteras, quinimo in omnibus paſſim locis erigi & inſtitui voluit, vt ex illis tanquam è ſeminariis ad publicam frequentiores accederent, Grammatices rudimentis iam imbuti.

Neque vero cum dicimus e Lupararo ſuburbano migraſſe Muſas, ita ea loca deſeruiſſe credendum est, vt poſtquam paulò pacatior fuit Reipub. Gallicanæ ſtatus, non repararint ibi ſcholas ſuas aliquæ: quinimo S. Thomæ, & S. Nicolai de Lupara Bonorumque Puerorum Collegia certiſſima ſunt veteris illius inhabitationis, ſeruatæque & reparatæ ſedis argumenta. Quis enim ſibi perſuadeat, poſt illam migrationem, hoc eſt poſtquam ſcholæ multiplices in atrio Baſilicæ Pariſienſis & in monte San-Genoueſiano lociſque interiectis erectæ & inſtitutæ fuerunt, alias in Luparæa regione tam longè diſtanti collocatas aut collocandas fuiſſe, ſi non ante iam collocatæ fuerant? vnde profectò non leue ducitur coniecturæ argumentum, fuiſſe primis etiam illis temporibus fundum aliquem Scholis illis tribus aſſignatum & attributum in gratiam Pauperum Scholarium: alioquin non videtur, quamobrem Magiſtri qui in illis docuerunt, loca tam longè à cæteris poſita occuparint, aut occupare voluerint. Sed quacumque tandem de cauſa id acciderit, certum eſt Collegia illa, pro antiquiſſimis fuiſſe ſemper exiſtimata. Hæc de loco ſufficiant: nunc de regimine.

Circa Regimen verò duo nobis inueſtiganda. 1. Quis fuerit Ordo primitus inſtitutus inter Magiſtros, qualeſque Leges & Legiſlatores, qualiaque Comitia habuerint. 2. Quis ordo inter diſciplinas, & quarum Artium initio publicum fuerit exercitium. Nam cum hodie 4. præcipuæ facultates exerceantur, nimirum Artes quæ vulgo dicuntur Liberales, Medicina, Ius Canonicum, Theologia, meritò dubitari poteſt, an omnes illæ ab initio, an aliquæ tantùm earum exercitæ fuerint. *Regimen Vniuerſitatis.*

In Magiſtris tria conſideranda, numerus, ordo, adminiſtratio. Numerus ordinem poſcit: Ordo ex adminiſtratione pendet: Adminiſtratio ex legibus: ac proinde ex Legiſlatoribus & Præfectis. Certum eſt ex Annalibus noſtris regnante Carolo M. regnantibus quoque ſucceſſoribus plurimos Magiſtros & Diſcipulos diuerſarum Nationum & Gentium ad Scholas Palatinas vndequaque confluxiſſe, Gallos, Aquitanos, Britannos, Belgas, Germanos, Saxonas, Danos, Italos, Romanos, Hiſpanos, Græcos, Anglos, Scotos & Hibernos: ac proinde inter tam multos homines diuerſorum morum, variarum linguarum, variarumque profeſſionum ſimul habitantes neceſſe fuiſſe ordinem aliquem conſtituere, leges condere, & legum obſeruationi electos viros præficere; cum nulla ſit Ciuitas, nulla hominum ſocietas, nulla Mercatorum, Artificum & Opificum: imò nulla tam vilis Sartorum & Cerdonum ſodalitas, quæ ſine ordine aliquo & adminiſtratione politica Syndicorum, ſeu vt vocant, Iuratorum coaleſcere & conſiſtere poſſit.

Præclarè in hanc rem Petrus Abailardus reſpondens ad Quæſita Heloiſſæ ſuæ de Monaſterio Sanctimonialium inſtituendo & gubernando Ep. 8. quæ eſt

de Regula Sanctimonialium *Sicut in Caſtris ſeculi, ita & in Caſtris domini, id eſt congregationibus Monaſticis conſtituendi ſunt, qui præſint cateris. Ibi quippe Imperator vnus, ad cuius nutum omnia gerantur, praeſt omnibus. Qui etiam pro multitudine exercitus, vel diuerſitate Officiorum ſua nonnullis impertiens onera, quoſdam ſub ſe adhibet Magiſtratus, qui diuerſis hominum Cateruis aut Officiis prouideant. Sic & in Monaſteriis fieri neceſſe eſt, vt ibi vna omnibus praſit Matrona; ad cuius conſiderationem atque arbitrium omnes reliquæ omnia operentur, nec vlla ei in aliquo præſumat obſiſtere, vel etiam ad aliquod eius præceptum murmurare. Nulla quippe hominum Congregatio, vel quantulacumque Domus vnius familia conſiſtere poteſt incolumis, niſi vnitas in ea conſeruetur; vt videlicet totum eius regimen in vnius perſonæ Magiſterio conſiſtat:* Refert deinde verba S. Hieronymi ad Ruſticum Monachum de Inſtitutione vitæ ſcribentis. *Nulla*, inquit, *Ars abſque Magiſtro diſcitur. Etiam muta animalia & ferarum greges Ductores ſequuntur ſuos. In Apibus vnam præcedentem reliquæ ſubſequuntur. Grues vnum ſequuntur ordine litterato. Imperator vnus, Iudex vnus prouinciæ. Roma vt condita eſt, duos fratres ſimul habere reges non potuit & parricidio dedicatur. In Rebeccæ vtero Eſau & Iacob bella geſſerunt. Singuli Eccleſiarum Epiſcopi, ſinguli Archipresbyteri, ſinguli Archidiaconi & omnis Ordo Eccleſiaſticus ſuis Rectoribus nititur. In naue vnus Gubernator. In Domo vnus Dominus. In quamuis grandi exercitu vnius ſignum ſpectatur.*

Hinc igitur liquet tam multos Magiſtros non potuiſſe ſimul habitare ſine aliquo ordine, legibus & præfectis. Et quis credat Carolum M. tam prudentem, tam litterarum, tamque in Romanis Græciſque conſuetudinibus verſatum, adminiſtrationis politicæ & Eccleſiaſticæ tam ſtudioſum, Academiam inſtituiſſe ſine ordine, ſine legibus, ſine Magiſtratibus ſeu Præpoſitis atque Rectoribus. Hæc ergo ſufficiant ad obſtruendum os iis qui exiſtimant fuiſſe quidem Pariſiis multos profeſſores, quorum alij alias diſciplinas, alij alio in loco docerent, ſed ſine vllo certo ordine, nullis certis legibus, ſinguli pro arbitrio ſuo, quid, quandiu & quantum vellent. Hæc inquam ſufficiant ad obſtruendum os ita ſentientibus; qui non modò litteratorum hominum numero derogant, quod nulli hominum corpori derogari poteſt, ſed ea dicunt quæ ſenſui communi repugnant.

DISSERTATIO I.

DE NATIONIBVS ET FACVLTATIBVS.

IAm verò ſi fuit ab initio in Vniuerſitate conſtitutus aliquis Ordo, inueſtigandum qualis ille fuerit. Neque id factu facile eſt. Nihil enim de eo ſcriptum extat quadringenrorum annorum ſpatio. Si tamen accuratè rem examinare placet, ex ea quæ nunc eſt adminiſtratione, licebit coniicere quæ & qualis initio fuerit. Duo ſunt hodie regiminis noſtri politici genera: nempe per Nationes Nationumque Procuratores & Rectorem ſeorſim: & per eaſdem eoſdemque Præfectos cum tribus Facultatibus earumque Decanis. Neque extat vllum aliud aliûs regiminis veſtigium. Itaque difficultatis cardo in eo ſolo verti videtur, an Vniuerſitas prius adminiſtrata fuerit per Nationes earumque Præfectos, quàm per Facultates ſimul & Nationes.

Et quia non Academicis tantùm ſcribimus, ſed omnibus rei noſtræ etiam ignaris, operæ pretium eſt exponere quid per Nationes, quid per Facultates intelligi ſoleat. Igitur Nationis nomine intelligimus Corpus ſeu Sodalitium aliquod Magiſtrorum omnes Artes indiſcriminatim profitentium, in eadem matricula conſcriptorum & ſub iiſdem legibus, inſtitutis Præfectiſque viuentium. Et quemadmodum olim Tribus Romanæ non modò ex Ciuibus Rom. & Romæ degentibus, ſed etiam ex iis qui ruri degebant, qui in Municipiis Italicis, imò qui in Regnis Exteris, puta Gallis, Hiſpanis, Germanis, Græcis aliiſque qui Ciuitate Romanâ donabantur, conſtabant: ita & Nationes Academicæ non

ex ſolis ſœpe Magiſtris vnius Gentis conſtant, puta Gallicana ex ſolis Gallis; ſed etiam ex multis aliis diuerſarum Gentium & Regnorum, qui omnes vni Procuratori parent, eaſdemque & communes leges habent. Nam Gallicana non ſolos Gallos comprehendit, ſed & Italos, Hiſpanos, Græcos, & totum Orientem. Similiter Anglicana ſeu Germanica, non ſolos Anglos & Germanos complectitur, ſed & Scotos, Hibernos, Saxonas, Polonos, Danos, Suecos, Noruegos, denique totum Septentrionem.

Facultatis verò nomine, quod ad regimen & adminiſtrationem attinet, intelligimus Corpus & ſodalitium plurimorum Magiſtrorum certæ alicui diſciplinæ addictorum ſine vlla diſtinctione Nationis. Puta Facultas Theologica comprehendit omnes & ſolos Magiſtros, qui Theologiam profitentur, aut qui in ea gradum Magiſterij conſecuti ſunt, etiamſi diuerſarum Nationum ſint: nam Galli, Angli, Normani & Picardi, qui quatuor Nationes in hac Vniuerſitate componunt, vnius eſſe poſſunt Facultatis, hoc eſt eandem Diſciplinam, puta Theologiam, Ius Canonicum aut Medicinam exercere.

His iſta poſitis teſtat inquirendum, an in Vniuerſitate prius facta fuerit Nationum, quàm Facultatum diſtinctio. Nec difficile erit iudicium ferre, ſi attendamus Naturam à facilioribus ad difficiliora ſemper progredi, intellectum quoque à magis notis magiſque generalibus ad minus nota & ſingularia, quorum cognitio difficilior eſt. At longè facilius eſt homines diuidere per Nationes, quàm per Facultates: nam Nationum diuiſio quæ numerum ſeu multitudinem ſupponit, pendet ex arbitrio & iudicio diuidentis, attendentiſque Quinam ex variis Gentibus ſub iiſdem legibus melius viuere poſſint. Facultatum verò diuiſio pendet ex peritia & perfectione, ſeu potius vtramque ſupponit. Prius autem eſt eſſe, quàm melius eſſe: & in re litteraria prius eſt diſcere, quàm peritum eſſe. Item Magiſtri de nouo venientes prius adſeribi debent in matriculam Vniuerſitatis, quàm ad docendum admittantur, ſicut qui Romana Ciuitate donabantur, prius Tribu donari debebant, quàm munera capeſſerent. Et qui ad examen accedunt, prius nomen & patriam profitentur, quàm examen ſubeant. Vno verbo ſine Nationum diuiſione non poteſt commodè ſtare Vniuerſitas, poteſt commodè ſine Facultatum acceſſione: illæ enim ad faciliorem & commodiorem regiminis rationem ita diuiduntur; iſtæ ad ornamentum & pompam accedunt, non ad neceſſitatem adminiſtrationis. vnde plurimæ Vniuerſitates ſine vlla Facultatum diuiſione per 4. Nationes, quæ nihilominus ex omnium Artium diſciplinarumque Profeſſoribus conſtant, adminiſtrantur. *Nationum Antiquitas.*

Hinc igitur colligitur euidentiſſimè, ſi quod fuit Vniuerſitatis Pariſienſis regimen antiquitus, illud penes ſolas Nationes fuiſſe Rectoremque & earum Procuratores, & tandiu fuiſſe, donec Facultates acceſſoriæ competentem Magiſtrorum numerum habuerunt & ad regiminis partem veluti ſociæ à Nationibus admiſſæ ſunt.

Ac ne quis putet Nationum diſtinctionem diuiſionemque in re ſcholaſtica nouam eſſe, certum eſt ex Eunapio in Proæreſio Athenienſem Academiam, vt variis Scholarium & Magiſtrorum atque ipſorum etiam ciuium factionibus mederetur, omnes ſcholares è toto Imperio Romano aduenientes in 4. has Nationes diuiſiſſe Atticam, Orientalem, Arabicam & Ponticam: ſinguliſque ſuos Procuratores veluti Magiſtratus præpoſuiſſe; itaut omnes qui de nouo Athenas aduenirent, non ante poſſent ad ſcholas admitti, quàm Præfectum Nationis ſuæ adiſſent, & Profeſſorem idoneum accepiſſent. Qua de re fuſè egimus tit. de Regimine veterum Academiarum fol. 74. & 75.

Nec dubium quin ad id agendum inducta ſit exemplo & inſtituto Conſtantini Magni, qui totum Imperium Rom. in 4. Præfecturas ſeu Prætoria diuiſerat, ſinguliſque ſuum Præfectum præpoſuerat, itaut ſub Imperatore quatuor eſſent Præfecti Prætorio, qui ſuum ſinguli tegerent & adminiſtrarent. Et quemadmodum ſingula Prætoria multas complectebantur Prouincias & Gentes, puta Prætorium Galliarum non modo Gallias, ſed & Germanias, Hiſpanias & Angliam, Scotiam & Hiberniam; & ſimiliter de Italico, Illyrico & Orientali: ita ſingulæ Nationes Academiæ Athenienſis multas complexæ ſunt Gentes & Prouincias,

ſuæ Gentis, à quibus commodè doceri & quos facile intelligere poſſent. Vt & apud Atheoas quoque videtur fuiſſe vſurparum, ſic enim Gell. l. 18. c. 2. *conueniebamus ad eandem cœnam compluſculi qui Romani in Græciam veneramus, quique eaſdem auditiones eoſdemque doctores colebamus.* Vnde quicumque litteris operam daturi veniebant Pariſios, illos primum adibant, nomen & patriam edebant, inter Academicos recipi poſtulabant. Procuratores viciſſim receptos tuebantur, ſi quid iniuriæ illis fieret, cauſam ſuſcipiebant: Nuncios ad parentes expediebant: pecuniam & cætera quæ ad victum & habitum erant neceſſaria, dari & ſubminiſtrari curabant.

Hæc omnia ſi quis attenderit, nullo negotio fatebitur tam Nationum in Academia Pariſienſi diuiſionem, quàm Procurarorum inſtitutionem Carolo Magno adſcribere oportere. Quod niſi facimus, haud ſcio cuinam Regum noſtrorum id adſcribere, aut quo tempore, ſi non hoc ſeculo, factum fuiſſe dicere poſſimus. Itaque non ſatis circumſpectè Ioannes Fileſacus in ſuo de veteribus Theologiæ ſtatutis libello air diſtinctiooem illam Nationum factam fuiſſe 12. ſeculo propter multitudinem ſcholarium ad ſcholas Pariſienſes vndequaque confluentium, rixaſque quæ inter eos de Nationum ſuarum dignitate oriebantur: quod probat teſtimonio Ioannis Vittiaci Cardinalis, Academici olim alumni ſic aientis. *Non ſolum autem ratione diuerſarum ſectarum vel occaſione diſputationum ſibi adinuicem aduerſantes contradicebant, ſed pro diuerſitate Regionum mutuo diſſidentes, inuidentes ac detrahentes multas contra ſe contumelias & opprobria impudenter proferebant...* Quibus ſubdit Fileſacus. *Huic malo non aliter poſtea proſpectum eſſe voluerunt, qui Academiæ Pariſienſis curam geſſere, quàm vt illas omnes & idiomate & imperio longè diſſimiles & diſcrepantes Gentes in 4. Nationes diſtribuerent, Gallicanam, Picardicam, Normanicam & Germanicam, cuique harum aſſignatis ſcholis publicis, ad quas diſcendi gratia conueniebant, quibus peculiares Magiſtri præfecti erant. Iis interim 4. Nationibus adnumeratæ erant cæteræ omnes, quas Cardinalis ipſe Vitriacus memorat. Sic enim Natio Gallicana Hiſpanos omnes atque Italos complectebatur, vt de cæteris ſileam.*

Non ſatis inquam circunſpectè, meo quidem iudicio, Fileſacus: nam ſi ob rixas quæ tum erant inter ſcholares, facta eſt illa Nationum diuiſio ſinguliſque Nationibus ſui præpoſiti ſunt Procuratores, qui illas in officio continerent, minor ne futura erat inter ipſas Nationes ſic diuiſas, imo in ipſis Nationibus inter varias gentes rixa & contentio? potuiſſent ne Procuratores ſinguli tot gentes ſuis Nationibus inſcriptas, moribus linguiſque diſcrepantes, puta Gallos ab Hiſpanis, Italos à Græcis, Siculos ab Africanis ſemper diſſidentes in officio continere?

Sed demus potuiſſe: iam inter Nationem Gallicanam & Germanicam ſeu Anglicanam æque latè patentem orta diſſidia non facilius fuiſſet compeſcere, imo longè difficilius, vtraque enim iure de dignitate potuiſſet contendere dum Gallicana Regni nobilitatem, Aoglicana Imperij ſublimitatem, vnde Franci exciderant, oſtentaret.

Deinde vnde tam iniqua facta eſt 4. Nationum diuiſio, ſi tum facta eſt? Gallicana enim innumeras prope gentes continet: Anglicana ſeu Germanica totidem. At Normanica ſolos Normanos. Picardica Picardos & Flandros atque Batauos ſolummodo complectitur. Quod ſi quis dicat, tum Normanicam fuiſſe ſubditam Regi Angliæ, ac proinde non debuiſſe tam latè patere quàm Gallicanam; Iam iſta ratio non valebit pro Picardica, quæ quia ſubdita erat Regi Francorum, ſub Gallicana comprehendi debebat, nec tam iniquam partem ſortiri. Adde quod non modò Normania, ſed Pictauia, Aquitania, Vaſconia, & aliæ eius plagæ Prouinciæ tunc ſimiliter Angliæ parebant: quid ni ergo illæ omnes ſub Normanica Natione comprehenſæ fuerunt?

Prærerea non eſt credibile Ludouicum VII. aut Philippum Auguſtum illis temporibus paſſuros fuiſſe diuiſionem iſtam fieri, quibus ſcilicet bellum erat internecinum cum Regibus Anglis: aut ſi quæ pax fiebat, tam parum ſtabilis erat, vt à perpetuo bello nihil fere differret. Et cum tunc tanta eſſet in Academia Pariſienſi Scholarium multitudo, vt ciuium Pariſienſium numerũ excederet, aut certè æquaret, vt docebimus cum ad illa tempora peruenerimus, quis ſibi perſuadeat paſſuros fuiſſe Reges iſtos, vt Rex Angliæ in Academia Pariſienſi duas Nationes

ſibi vindicaret, quæ omnia flagrante inter Principes, imò inter ipſas bello miſcere potuiſſent? Adde quod circa an. 1280. Nationes iſtæ duæ Picardica & Anglicana totum prope ſtudium Pariſ. conuulſerunt, quod vtraque ſibi primatum arrogaret. Anglicana quidem ſe primam in Vniuerſitate fuiſſe dicebat. Adeo ne verò exciderat omnis memoria diuiſionis illius ſi ante annos circiter centum facta fuerat? & quomodo ſibi primum locum arrogare auſa fuit, ſi ſe vltimo loco tam paucis ab hinc annis poſitam fuiſſe meminerat?

Poſtremo ſi tum facta fuiſſet famoſa illa diuiſio, non eſt profectò credibile neminem id ſcriptis conſignaturum fuiſſe, præſertim cum tam multi extiterint illo ſeculo Scriptores Academici, Hiſtorici, Poëtæ, Oratores, Commentatores, Medici, Theologi. Inſtitutio enim Rectoris, Nationum, Procuratorum, res erat memoratu digna & poſteritati tradenda ad laudem & gloriam Regum ſempiternam; quibus regnantibus, annuentibus, aut iubentibus facta fuiſſet: maximè cum Rigordus & alij Diuinis eos laudibus afficiant ob ſingularem eorum erga litteras & litteratos amorem.

Itaque vt huic diſſertationi finem tandem imponamus, ſic videtur exiſtimandum, bimembrem primum factam fuiſſe Vniuerſitatem atque in duas Nationes à Carolo Magno diuiſam, Gallicanam ſcilicet & Anglicanam. Vnde non abſque fundamento forſan ſuſpicari poſſumus duas illas Nationes denotari dialogo de Grammatica, quem inſtituit Alcuinus inter duos diſcipulos ſuos, quorum vnus erat Franco, alter Saxo, per hunc ſcilicet, Anglicanam; per alterum, Gallicanam. Dialogũ autem ſic incipit. *Fuerunt in Schola Albini Magiſtri duo pueri vnus Franco, alter Saxo qui nuperrime ſpineta Grammaticæ denſitatis irruperunt.* Quandonam verò additæ fuerint cæteræ duæ Nationes, Normanica & Picardica, ad ſecundum ſeculum dicemus. Ipſa enim diuiſionis inæqualitas & limitum Nationalium definitio & circumſcriptio ſatis indicat non fuiſſe omnium quatuor eodem tempore factam. Cæterum iſta Studioſorum in Nationes diuiſio ita viſa eſt commoda, vt eam omnes fere Vniuerſitates acceperint & vſurparint teſte Coringio diſſert 5. de Antiq. Acad. *Hodie in omnibus fere Galliæ Italiæque Scholis antiquioribus manet illa Studioſorum in Varias Nationes Nationumque Præſides ſeu Conſiliarios, vt vocant diſtinctio, qui ipſi Rectorem quem ei rei idoneum credunt præficiunt.* Hinc Alfredus in ſua Oxonienſi Academia duas Nationes inſtituit, ſuumque vtrique præfecit Procuratorem, vt ante dictum eſt. Viennenſis Auſtriaca teſte Laſio ex 4. Nationibus compoſita eſt: ex totidem Pragenſis à Carolo IV. Imperatore adinſtar Pariſienſis inſtituta. Simili modo omnes Gallicanæ.

Neque in re Scholaſtica tantùm ea res viſa eſt percommoda, ſed in Conciliis quoque Generalibus vſurpata. Sic enim Conſtantienſe diuiſum eſt in has 4. Nationes, Germanicam, Italicam, Gallicanam & Anglicanam: quarum ſingulæ ex multis membris & ſuppoſitis conſtabant, aliæ ex pluribus, aliæ ex paucioribus; ita tamen vt ſingulæ non niſi vnum ſuffragium haberent: vt fatetur Ioannes Pontifex in Ep. ad Ducem Biturigum, *pacta ordinatione quod non eſſent niſi 4. Nationes & illæ haberent 4. voces, vnaque alteri æquipararetur, nulla habita ratione meriti ad meritum & numeri ad numerum procurata extitit vnio duarum Nationum, videlicet Germanicæ & Anglicanæ, quas ſuæ voluntati addixit Rex Rom.* ideò autem hanc factam fuiſſe diuiſionem agnoſcimus, *vt plus ordinis & compendij, quanto minor eſſet multitudinis confuſio, ſeruaretur:* vt legitur in Reſponſione ad articulos Papæ. Nimirum proſpexerant Proceres Conſtantienſes fore vt Pontifex quàm plures poſſet Italos ad Concilium euocaret, qui ſi omnes ſingulariter deliberarent, cæteros peregre venientes numero & multitudine obruerent; diuiſo verò toto Concilio in 4. Nationes, non plus ſuffragij habituram illam, quæ ex 200. ſuppoſitis conſtaret, quam quæ ex 20. *Dolet Papa,* inquiunt, *non præualuiſſe multitudinem quorumdam titulatorum euocatorum ſedulò & certatim concurrentium, qui quod multi eſſent numero & pauci grauitate vel merito, Nos ipſi proſpeximus, & euanuerunt ſubitò tanquam nebula matutina.*

Talem profectò credibile eſt fuiſſe Carolo rationem, cur præter exempla quæ præ oculis habuit veterum Academiarum, Scholam ſuam in 2. Nationes diuideret: quippe prouidebat fore confuſionem in ea maximam ſi in delibe-

rando

Digitized by Google

rando ſinguli numero non ordine ſuffragium ferrent. Et fortaſſis accidit initio, cum propter frequentes rixas quæ inter Magiſtros contingebant, Alcuinum reuocare voluit in Aulam, vt eorum animos placaret.

DISSERTATIO II.

DE RECTORE VNIVERSITATIS.

IAm inquirendum an præter Procuratores Nationum Vniuerſitatis regimini præfuerit aliquis ſupremus Moderator, qui vulgò Rector appellatur, & quandonam fuerit inſtitutus. Rector à regendo dicitur; eſtque in hacce materia ſcholaſtica duplex, priuatus & publicus ſeu communis. Priuatus vocatur, quiſquis docet Scholamque regit. Hinc Petrus Abailardus *celeberrimarum Scholarum Rector* appellatur; & Mauricius Epiſcopus quondam Pariſienſis SCHOLÆ THEOLOGICÆ RECTOR dicitur apud Henricum Gandauenſem: quæ verba explicans Fileſacus. *Nequis*, inquit, *aliter quam par ſit Rectoris nomen exponat apud Henricum, nec enim eo nomine nuda quadam & ſolo honoris titulo inſignis adminiſtratio intelligenda, ſed Mauricium non ſecus ac Petrum Lombardum publicè Pariſiis Theologiam docuiſſe nimis quàm verum eſt. Eodem ſenſu apud illum ipſum Henricum, Petrus Cantor Pariſienſis, Ioannes Belet Scholæ Theologicæ Pariſ. dicitur* PRÆSIDENS. *Ita Stephanus Anglicus Pariſiis* LIBERALIVM ARTIVM SCHOLIS PRÆFVIT, *inde* THEOLOGICÆ SCHOLÆ PRÆSIDENS. *Quamquam Rectores & Præſidentes nominatos idcirco dixerim, quandoquidem cæteris huius temporis Doctoribus Theologis longè præſtantiores doctioreſque habiti ſunt.*

Rector publicus ſeu Communis eſt Caput Vniuerſitatis, vt Princeps ſeu Magiſtratus Rector & Caput eſt Reipub. Abbas Cœnobij, Epiſcopus ſuæ Diœceſeos. Itaque hic antonomaſticè & per excellentiam RECTOR abſolutè appellatur, vel RECTOR VNIVERSITATIS; cum alij priuati ſcholæ tantum ſuæ, puta Theologicæ, Philoſophicæ, Rhetoricæ Rectores dici poſſint. De Publico hîc quæſtio eſt. Ac ne ſit quæſtio de nomine, quæritur an fuerit ab initio inſtitutus SCHOLÆ PALATINÆ Præfectus, ſeu is Rector, ſeu Moderator, Præpoſitus, aut Gymnaſiarcha appellatus fuerit.

Certum eſt imprimis veteribus Scholis Publicis ſeu Academiis præfuiſſe aliquem ſupremum Rectorem, ſiue is de numero & ordine Profeſſorum & Magiſtrorum eſſet, ſiue quis alius; puta Athenis Archontes: Romæ quondam *Cenſores*, poſtea *Præfectum Vrbis*. Apud Hebræos verò Synagogæ præfectus de numero Doctorum ſumebatur, dicebaturque Archiereus vel *Archiſynagogus*, de quo habetur in Euangelio S. Lucæ, quod murmurauerit ob claudum à Chriſto e terra eleuatum. Iudæi quoque Pumbedithanæ & Soranæ Academiæ temporibus ipſis Caroli M. ſuos præficiebant Rectores quos Geonæos appellabant, & Hebraïcè RAF, quod idem ſonat ac ACADEMIÆ CAPVT ſeu RECTOR: vt notat Hottingerus in Octauo Seculo. Ptolomæus Alexandrino Muſæo præfecit de Magiſtrorum genere Moderatorem, de quo Strabo. Ἱερεὺς ὁ ἐπὶ τῷ Μουσείῳ τεταγμένος. Exempla ex Reliquis Academiis petita non refero; de quibus fusè egimus fol. 69. ſequentibus.

Certum eſt deinde Scholis Epiſcopalibus & Cœnobialibus præfuiſſe aliquem è Canonicis vel Monachis, qui earum ſub Epiſcopo & Abbate Moderator eſſet. In Epiſcopalibus quidem vocabatur antiquitus Primicerius: deinde in quibuſdam *Scholaſter*, *Scholaſticus*: in nonnullis *Magiſter Scholæ*, vt in Atrebatenſi Eccleſia ſub Lamberto Epiſcopo Achardus vocatur *Magiſter Scholarum*, qui cum eo ad Vrbanum II. profectus eſt an. 1093. in aliis *Capiſchola*, hoc eſt CAPVT SCHOLÆ à militia deducto vocabulo: in qua *Capita Scholarum* dicebantur Præfecti exercitationis militaris. In Cœnobialibus erant quoque Præfecti eiuſmodi vulgò ab hoc officio dicti SCHOLASTICI; teſte Trithemio in Chronico Hirſaug. ad an. 840. qui enumeratis quibuſdam maioribus Cœnobiis in quibus publicum

fiebat litterarum exercitium, ſubdit. *in his omnibus erant Monachi & multi valde Studioſi: ex quorum Collegio in ſingulis Cænobiis vnus cæteris in ſcientia Scripturarum excellentior* SCHOLASTICVS *ponebatur.* De his Scholis, earumque adminiſtratione fusè egimus fol.79. nec repetimus quæ ibi dicta ſunt, ne actum agere videamur.

De Quæſtione verò propoſita quintuplex eſt opinio. 1. Negantium fuiſſe vllam à Carolo Magno inſtitutam ſeu fundatam Vniuerſitatem, ac proinde fuiſſe vllum Academiæ Rectorem ante Philippi Auguſti ætatem, quem Pariſienſis authorem faciunt. Verum iſtam opinionem argumento Chronologico ſupra fuſiſſimè refutauimus, ex authoritate ſcilicet petito Scriptorum, qui nouem ſeculorum ſpatio de ſtudio Pariſienſi verba fecerunt.

2. Eſt fatentium quidem fuiſſe Lutetiæ à temporibus Caroli M. exercitium continuum perpetuumque litterarum, at non aliter quàm in cæteris Franciæ vrbibus: ſingulareſque duntaxat Magiſtros in priuatis ſcholis docuiſſe abſque vlla ſocietate & Collegio, eo planè modo, quo qui hodie PARVAS vt aiunt SCHOLAS habent. Quia credibile non eſt Vniuerſitatem in ipſis incunabulis Magiſtratus eos habuiſſe, quos hodie cernimus, aut adminiſtrationem initio tam perfectam: ſed paulatim & proceſſu temporis adoleuiſſe, & tandem Rectores & Procuratores inſtituiſſe. Quæ ſententia videtur eſſe Belforeſtij; aut certè eius authoritate poſſe fulciri ſic aientis in Coſmogr. Munſteri. *Or les Lettres de la fondation de l'Vniuerſité n'eſtant tombées entre mes mains, ſi ſcais-je, que la premiere inſtitution vient de Charles le Grand, mais non pas auec cét ordre de Magiſtrats d'Eſchole qu'on y void à preſent. Car ie ne penſe pas que cecy ait eſté inſtitué que du temps ou de Capet, ou de ſes Succeſſeurs. Qu'il ſoit vray,* PHILIPPES AVGVSTE *ſurnommé* DIEV-DONNE', *fait aſſez euidente preuue de cecy, & que long-temps auant luy cette Vniuerſité auec ſes Ordres, Eſtats & Offices auoit eſté miſe en honneur, lors qu'il conferme les Priuileges que ſon Pere Louys auoit donné en faueur des Eſcholiers. Lequel Louys en eſtabliſſant cette loy fauorable aux Eſcholiers, montre auſſi que la France ayant recouuert le repos des guerres auec les Allemans & des troubles auenus par les courſes Normandes, ce fut lors qu'elle recouura ſa gloire. Qui me fait croire que celuy qui le premier mit les Dignitez de Recteur & de Procureur en auant, fut Robert fils de Capet, qui eſtoit homme Debonnaire, de grandes lettres & ſinguliere erudition. Et ne pourrois me perſuader qu'il n'y ait eu des Lettres, Priuileges & Ordonnances pour le fait de l'Eſchole de ce Roy cy auſſi bien que des autres, leſquelles ne ſont pas venues à noſtre connoiſſance, & que l'iniure du temps a fait perdre, & le peu de ſoin des hommes en a égaré les Originaires.*

Verum cum certiſſimum ſit etiam regnante & imperante Carolo multiplices diſciplinas multipliceſque profeſſores iis exercendis fuiſſe præpoſitos in Gymnaſio Palatino, neceſſe quoque eſt inter eos fuiſſe aliquam ſocietatem & ordinem, legeſque habuiſſe & ſtatuta, ac proinde Magiſtratus, quibus Parerent. Credibile quippe non eſt Carolum, qui domum ſuam tam prudenter gubernabat, quique Palatinis Miniſtris pro diuerſis officiis diuerſos tribuerat præfectos, Scholæ Litterariæ reique gymnaſticæ nullum Præfectum Rectoremque præpoſuiſſe.

3. Opinio eorum eſt, qui fatentur fuiſſe Ordinem, leges, & ſtatuta Scholæ Palatinæ ab initio fundationis, ſed eorum curam pertinuiſſe ad duos Procuratores Nationum Gallicanæ & Anglicanæ, qui veluti duo Præfecti Prætorio, aut duo Conſules Rempub. litterariam ſub Imperatore gubernarent communi ſtudio & opera; at cum proceſſu temporis Nationes à ſe inuicem nonnunquam diſſiderent, viſum eſſe opportunius, vt communis Rector crearetur, qui Comitiorum diem indiceret, de Procuratorum conſilio ad Nationes referret, atque ex earum deliberatione leges promulgaret. Quandonam verò mutatio iſta aduenerit, & quandonam primum Rector creatus ſit, id eſſe incertum.

At cum nullum extet indicium aut veſtigium eiuſmodi adminiſtrationis per Procuratores ſine Rectore; imò quoties eo contingit Academiã carere, ſtatim ad Ex-Rectorem recurratur, qui Rectoris vices obeat, Comitia indicat, & referat, iſta opinio fidem facere non poteſt. Inter duos enim ſæpè diſſidium interuenit, & quod vnus probat, alter improbat. Vnde in exercitu vbi ſunt multi Præfecti, Tri-

buni, centuriones, neceſſe eſt vnum eſſe Ducem: quo deficiente ſæpe diſſipatur exercitus ob multitudinem Rectorum. Hincque probat Abailardus Cœnobio Paracletenſi neceſſe eſſe vnam Abbatiſſam præficere, eique adiutrices adiungere inæqualis poteſtatis. *Nulla hominum Congregatio*, Inquit, *vel quantulacunque Domus vnius familia conſiſtere poteſt incolumis, niſi vnitas in ea conſeruetur, vt videlicet, totum eius Regnum in vnius perſonæ Magiſterio conſiſtat. Vnde & arca typum Eccleſiæ gerens, cum multos tam in longo, quam in lato cubitos haberet, in vno conſummata eſt. Et in Prouerbiis ſcriptum eſt* PROPTER PECCATA TERRÆ MVLTI PRINCIPES EIVS. *Vnde etiam Alexandro mortuo multiplicatis Regibus mala quoque multiplicata ſunt. Et Roma pluribus communicata Rectoribus concordiam tenere non potuit.....Vt igitur in omnibus Concordia ſeruari poſſit, Vnum omnibus præeſſe conuenit, cui per omnia omnes obediant.* Ità ne ſcripſiſſet Abailardus ſi ſuo tempore nullus fuiſſet Rector Vniuerſitatis, aut ſi per Procuratores Nationum illa fuiſſet ſine Rectore adminiſtrata? neutiquam certè, præſertim ad Heloïſſam, quæ legum Academicarum & Scholæ Pariſienſis notitiam habebat maximam.

4. Opinio eſt Paſchaſij, Hemeræi & aliorum quorumdam exiſtimantium fuiſſe quidem à temporibus Caroli M. SCHOLAM PVBLICAM PARISIIS, ei quoque regendæ & gubernandæ præfectum fuiſſe Gymnaſiarcham aliquem, nempe Cancellarium Eccleſiæ Pariſienſis: nullum verò alium RECTORIS nomine ante tempora Ludouici Craſſi, Ludouici Iunioris aut Philippi Auguſti fuiſſe creatum. Quod quidem quomodo acciderit, explicare nititur Hemeræus pluribus in locis, maximè verò c. 9. Libelli de Academia Pariſienſi, vbi ſic habet. AB VNIVS CANCELLARII *ſapientia olim, cum nulli adhuc in Academia Rectores eſſent, Scholæ moderatio atque ordinatio omnis pendebat. Nam vt Ego ſentio, Cancellarij Rectoribus priores ſunt, quod ante dictum eſt. Vbi verò Humanitatis Artium Profeſſores Auditoreſque numero in immenſum aucti ab Inſula Pariſiorum in montem ſe Genoueſianum receperunt, & in multiplicatas in eo Scholas molliores ſuas Diſciplinas tranſtulerunt, impoſueruntque ſibi denique Rectorem ac velut Dictatorem; penes quem ſummum Imperium rei litterariæ reſideret, tum & Cancellarij dignitas aliqua parte circumciſa, cum nempe duos Soles vna Schola, duos Principes vna Academia non ſuſtineret. Cancellarij verò authoritatem à Clericis Ciſpontanis minoris fieri ineunte 12. ſeculo cœptum eſſe, cum eſt Vniuerſitas in monte muris & vallo circunſepta, & tranſfuſis illuc Mercurialibus alius à Cancellario Moderator impoſitus eſt, qui in Philippica an. 1200.* CAPITALE PARISIVS SCHOLARIVM *nominatur*, *colligimus e verbis Roberti Curtonienſis, quæ reponemus ad an. 1215. cum de Reformatione agemus. Sic enim ille. Et cum legere diſpoſuerit, examinetur quilibet ſecundum formam quæ continetur in Scripto D. Petri Pariſienſ. Epiſcopi, vbi continetur Pax confirmata inter Cancellarium & Scholares à Iudicibus delegatis à D. Papa.*

Agnoſcit quidem Hemeræus Carolum Magnum fuiſſe Academiæ Pariſienſis fundatorem & parentem; eoque imperante fatetur c. 1. illam ſtatum illum accepiſſe, *quo & litterarum Vniuerſitas dici & Quidam Generalis ſtudiorum mercatus videri poſſet.* Fatetur quoque fuiſſe etiam primis illis temporibus Præfectum aliquem Academiæ, qui illam regeret & adminiſtraret: & vult id muneris obiiſſe Cancellarium, quod rectè ne affirmet an perperam, ſpeciali diſſertatione infra diſquiretur.

5. Denique opinio illorum eſt, qui aiunt Rectorem qualis eſt hodie, rei Academicæ ab ipſis incunabulis Vniuerſitatis præpoſitum fuiſſe. Quibus Nos quoque accedimus. Atque vt hoc clarum fiat, imprimis præmittendum quod in confeſſo eſt apud omnes, ex docentium & diſcentium multitudine conſtare Vniuerſitatem: indeque naſci Præfectorum creandorum neceſſitatem; cùm neceſſe ſit Magiſtrorum Scholariumque multitudinem certis legibus & ſtatutis in officio Moderatorum authoritate contineri. Quorum quidem multitudinem cum præfati authores videant maximam fuiſſe Ludouici Craſſi, Ludouici VII. & Philippi Auguſti temporibus, tum Scholæ Præfectos natos eſſe putant. Verum quandonam maior eorum copia fuit, quàm primo ſeculo Vniuerſitatis, & præſertim regnantibus Magno & Caluo? liquet ex Hiſtoria. Alcuinus Ep. 13. ad Carolum indicat quantâ ille ſollicitudine ſapientiæ Magiſtros ex diuerſis mundi partibus ad docendum euocarit. *Veſtram optimam ſollicitudinem. Domine*

Digitized by Google

mi Dauid, ſemper amare & prædicare ſapientiam agnoſcebam, omneſque ad eam diſcendam exhortari; imo & præmiis honoribuſque ſollicitare, atque ex diuerſis mundi partibus amatores illius, veſtra bonæ voluntatis adiutores conuocare ſtuduiſſe: inter quos me etiam infimum eiuſdem ſanctæ ſapientiæ vernaculum de vltimis Britanniæ finibus adſciſcere curaſtis.

Similiter Eginhartus de petegtinis illis ex diuerſis mundi partibus euocatis verba faciens, ait eorum multitudinem non modo Palatio, ſed toti etiam Regno fuiſſe onetoſam, at Carolum omnes præmiis & honoribus affeciſſe. *Amabat peregrinos, & eorum ſuſcipiendorum magnam habebat curam: adeovt eorum multitudo non ſolum Palatio verum etiam Regno non immeritò videretur onerosa. Ipſe tamen pro magnitudine animi eiuſmodi pondere minime grauabatur, cum etiam ingentia incommoda laude liberalitatis ac bonæ famæ mercede compenſaret.* Ex his ergo patet quanta eſſet tegnante Catolo M. frequentia Magiſtrorum.

Regnante veto Caluo maior adhuc fuiſſe videtut. Nam ille ſcholas nonnihil diſpendij paſſas ob bella ciuilia inſtaurauit & ad eas inſtaurandas plurimos vitos doctos Aui ſui exēplo vndique accerſiuit. Teſtatur Errieus Antiſſiodorenſis præclata & eleganti illa Epiſtola dedicatotia vitæ S. Getmani, qua multiplex eiuſdem Caroli erga quaſlibet optimas artes & diſciplinas ſtudium curamque mirificè laudat & prædicat. *Ne noſtra inertia de præceptorum inopia meritò cauſaretur, id tibi ſingulare ſtudium effeciſti, vt ſicubi terrarum Magiſtri florerent Artium quarum principalem operam Philoſophi apollicetur,* HOS AD PVBLICAM ERVDITIONEM, *vndecumq; veſtra Celſitudo cōduceret, Comitas attraheret, Dapſilitas prouocaret. Luget hoc Græcia nouis inuidiæ aculeis laceſſita: quem ſui quondam Incolæ iam dudū cū Aſianis opibus aſpernantur, veſtra potius magnanimitate delectati, ſtudiis allecti, liberalitate confiſi... Quid Hiberniam memorem contempto Pelagi diſcrimine ad littora noſtra migrantem? quorum quiſquis peritior eſt, vltro ſibi indicit exilium, vt Salomoni ſapientiſſimo famuletur ad votum? Itaque Cæſar inuictiſſime, pæne eſt, vt Vniuerſus orbis nouas in te ſtruat controuerſias, nouis aduerſum te declamationibus inuehatur: qui dum te tuoſque ornamentis ſapientiæ illuſtrare contendis, cunctarum fere gentium ſcholas & ſtudia ſuſtuliſti. Sublatis enim præceptoribus confine & conſequens eſt facile omnium ingenia otio congelaſſe.*

Quis hæc cum legit, non ſibi perſuadeat tantam ad publicas illas ſcholas tum confluxiſſe Magiſtrotum & Scholarium multitudinem, quanta poteſt eſſe maxima? Et quis non inferat quoque tot vitos & adoleſcentes ex diuerſis Mundi partibus ad ſtudium generale conuolantes non potuiſſe ſimul in eadem litterarum profeſſione conſiſtete ſine certis legibus & ſtarutis, aut tegi ſine aliquo primatio duce & Rectote? alioquin Cotpus compoſuiſſent ſine capite, quod omnino monſtroſum eſt, inquit Baldus Authentica Habita C. ne filius pro patre, Benius, Anchoranus in Ptoœmio l. 6. Dectetal. & alij Doctores qui Vniuerſitatem ſine Rectore non plus ſubſiſtete poſſe contendunt, quàm Cotpus ſine Capite. Quibus accedit Rebuffus in Tractatu Nominationum q. 6 §. 11. vbi quærit an Facultates poſſint Nominationes ad beneficia concedete, & reſpondet non poſſe ſine Rectore, etiamſi omnes eſſent congtegatæ. *Quia*, inquit, *Non videtur Vniuerſitas, etſi omnes Facultates eſſent congregatæ ac omnes Conſiliary Vniuerſitatis, niſi Rector adſit. Nec tunc ſine Rectore eſſet formoſa, ſed acephala, quia caput eſt principale membrum corporis.* Huius tei luculentum extat in Hiſtoria noſtra exemplum. Cum enim an. 1535. die 12. Sept. omnes Facultates & Nationes ex Edicto Rectoris apud Mathurinenſes conueniſſent ad Supplicationem Rectoris, quæ ſingulis trimeſtribus fieri ſolet, nec inteteſſet Rector quia apud Senatum de Luthetana hæreſi improbè Reus factus fuerat, ob idque latebat, omnibus placuit non procedete, *quoniam* vt legitur in Actis illius diei, *abſurdum videbatur & monſtroſum, vt tot viri ſine Capite per vrbem progrederentur.*

2. Longè magis monſtroſum eſt plures ſimul eſſe Rectores aut Præfectos: quod accidiſſet, ſi vt opinantur aliqui, Procuratores ſuarum ſinguli Nationum, ac ptoinde Vniuerſitatis Rectores fuiſſent. Nam cum dignitate ſint pates, quis eotum alteri cedete voluiſſet? & cuius illorum fuiſſet Comitia indicere, vndecu m circa an. 1265. Nationes à ſe inuicem diſſidentes duos Rectores elegiſſent, Gallicana ſcilicet vnum, tres reliquæ alterum, Simon Cardinalis S. Ceciliæ diuulſa iſta membra coadunans, eis caput vnum vt antea conſtituit *Re-*

Digitized by Google

ctoribus, vt in Inſtrumento publico legitur in eam rem confecto an. 1266. *quos ſibi monſtruosè præfecerant ſine omni dilatione dimiſſis.* Et ſub finem *eligetur autem Rector vnicus à 4. Procuratoribus Nationum, vel aliis 4. earum Magiſtris Iuratis.*

3. Quia non erat nouum illis temporibus rei literariæ Moderatorem aliquem præfici; vt ſupra veterum Scholarum Epiſcopalium & Cœnobialium, itemque Academiarum veterum exemplis demonſtrauimus. Deinde id factum eodem ſeculo à Barda Imperatore Conſtantinopolitano & ab Alfredo Anglorum Rege. Bardas quidem Scholas inſtaurans Conſtantinopoli, ſingulis Magiſtris ſtipendia publica decreuit, omnibus verò Magnum & communem Moderatorem præfecit LEONEM Philoſophum circa an. Chriſti 858. Alfredus verò Oxonienſi Academiæ Grimbaldum præpoſuit: vt fusè in hiſtoria probauimus ad an. 890.

Neque certè dubitari etiam poſſe videtur, quin Alcuinus Pariſienſi à Carolo præpoſitus fuerit: ad cuius regimen reſumendum ſœpe per litteras ab ipſo inuitatus eſt, propterea quod Magiſtri Academici contrariis affectibus ſtudiiſque diſtraherentur, nec à quouis Rectore facile regi poſſent: quorum cum noſſet Alcuinus ingenium, eiuſdem Academiæ habenas reſumere detrectauit: ſic enim ille Ep. 9. ſub finem. *Supplex deprecor, vt liceat Flacco tuo ad hanc beatitudinem in terra pacis & lætitiæ peruenire, non in* TERRA DISSENSIONIS ET BELLI. *Quid valet infirmitas Flacci inter arma? quid inter Apros lepuſculus? quid inter Leones agniculus? in pace nutritus, educatus, neque in prælys verſatus. Dum præcepta Domini Dei habetis, timidus domi remaneat, ne faciat alios timere.* Et Ep. 27. ad Angilbertum Diſcipulum quondam ſuum, quem Homerum vocabat. *Miror cum Flaccinæ pigriciæ ſocordiam ſeptiplicis ſapientiæ Decus dulciſſimus meus Dauid interrogare voluiſſet de Quæſtionibus Palatinis, emeritaque nomen militia in Caſtra reuocare pugnantia, vt* TVMVLTVOSAS MILITVM MENTES SEDARET. Accedit authoritas Anonymi cuiuſdam Scriptoris qui vitam S. Aldrici Senonenſis Archiepiſcopi & Ferrarienſis quondam Abbatis, Alcuini diſcipuli edidit, de Alcuino verò ſic ſcribit, *ſuper quibus iocundatus Imperator Auguſtus eum Præceptorem Palatinum inſtituit, vt vitæ Imperialis Aulæ & maiora negotia ſuæ diſcretionis arbitrio definirentur.* Hinc Poſſeuinus eum vocat Academiæ Pariſienſis AVTHOREM ſiue DIRECTOREM; & Trithemius SCHOLASTICVM. Ioannes quoque Waſſelburgus Gymnaſiarcha olim Collegij Marchiani in Antiquitatibus Belgicis probat authoritate Ioannis de Colonia Alcuinum erexiſſe & extruxiſſe Scholas aptas exercitio litterarum, obtinuiſſéque à Carolo ſtipendia, libertates immunitates, & priuilegia RECTORIBVS & MAGISTRIS.

Manno ſeu Nanno ſimiliter ſub Carolo Caluo & Ludouico Balbo eius filio Scholis Palatinis præfuiſſe dicitur. Sic enim de eo Surius ex veteribus manuſcriptis in vita Ratbodi quem ait ad Aulam Caroli ſe contuliſſe, non quod Palatinos ambiret honores, *ſed quod intra Regis Palatium* LIBERALIVM DISCIPLINARVM STVDIA *præclarè colerentur.* PRÆERAT *autē* COLLEGIO ILLI *Manno Philoſophus.* Nicolaus Papa in Ep. ad Caluum de Ioanne Scoto Erigena ſcribens, eum vocat CAPITAL Pariſienſis Studij. *Pariſius in Studio cuius* CAPITAL *iam olim fuiſſe perhibetur, morari non ſinatis.* Gerbertus Aquitanus qui Scholæ Remenſi præerat circa an. 980. ſe in inſcriptione Epiſtolarum non rarò Scholaſticum vocat, & Scholarem Abbatem, id eſt Caput Scholæ, vt Hadrianus Valeſius explicat in notis ſuis ad Carmen Adalberonis. Similiter Glaber Rodulphus de M. Heriberto Aurelianenſi loquens l. 3. c. 8. *Ille*, inquit, *S. Petri Eccleſiæ cognomento puellaris* CAPITALE SCHOLÆ *tenebat* DOMINIVM. Et Philippus Auguſtus in priuilegio dato apud Beſtiſiacum an. 1200. *Adhuc in* CAPITALE PARISIENSIS STVDII SCHOLARIVM *pro nullo forefacto Iuſtitia noſtra manum mittet.* Quibus verbis nemo eſt, qui non videat Rectorem deſignari, qui ſœpe CAPVT STVDII & Caput Vniuerſitatis appellatur: quomodo Scholaſtici ſeu Magiſtri Scholarum Epiſcopalium CAPISCHOLÆ dicebantur.

Videtur quoque San-Gallenſis de Rectore loqui lib. 1. cap. 5. his verbis: *fuit conſuetudo vt Magiſter ſcholæ deſignaret pridie ſingulis, quod Reſponſorium cantare deberent in nocte.* Nam illis temporibus & quandiu Muſæ in Palatio habitarunt, Rector non erat tantum moderator ſcholæ & liberalium artium, ſed

etiam Chori Symphoniaci: idemque in palario munus exercebat, quod in Epiſcopiis & Eccleſiis Cathedralibus SCHOLASTRI ſeu Scholaſtici. Iſti aurem antiquitus non tantum regebant Scholas Clericorum in Choro modulantium, præſcribendo quomodo, quo rempore, quo loco & ordine deberent recitare, ſed etiam Grammarices Artiumque aliarum Magiſtris præerant, eoſque ad regendum admittebant. Itaque rectè Hoſpinianus de Collegiis Canonicorum verba faciens SCHOLASTICVM cum Rectore Academiæ componit hoc mod *Erat* SCHOLASTICVS SCHOLÆ *Eccleſiaſticæ inſpector & moderator primæ dignitatis, qualem in ſcholis publicis, quas Academias iam nucupant, dicere poſſumus* RECTOREM.

Sed dicet aliquis, nullibi nomen legitur Rectoris, neque in primo neque in ſequentibus ſeculis. Vnde coniicitur aut nullum fuiſſe, aut non multùm illi honoris tributum. Quid refert quo nomine appellatus ſit, an Præceptor Palatinus, an Magiſter ſcholæ, an Capital aut Capitale? Quanquam exiſtimo nomen etiam cum re inualuiſſe ab illis temporibus, ſiquidem in ſimilibus vſurpatum videmus. Eginhartus ad an. 821. ſic ſcribit. *Adalardum quoque de Aquitania, vbi exulabat, euocatum Corbeiæ Monaſterio, vbi prius fuerat, Abbatem ac Rectorem eſſe iuſſit.* In Chronico Centulenſi l. 3. c. 10. *Verum ſi aliquis quærat cur noſtras Rector Abbas & Comes ſimul extiterit, reddimus.* Et c. 22. *Fulcherius Monachus qui poſt Gerbertum Clericum Clericorumque Abbatem Centulenſis Monaſterij Rector erat.* Ita & apud Alcuinum *S. Dionyſij Rector* dicitur.

Imo ille hoc præſertim nomine Carolum M. affectat appellare, vt in Ep. dedicatoria de S. Trinitate. *Non quod Imperator inuicte & ſapientiſſime ac refulgens* Rector *aliquid ſcientiæ veſtræ Catholicæ fidei incognitum eſſe vel minus exploratum cogitarem.* Et in Epiſtolæ alterius epigraphe. D. DAVID RECTORI OPTIMO, VICTORI MAXIMO. Et in Ep. 8. ait Deo agendas eſſe gratias, *quod talem perdonauit Dominum* & RECTOREM. ſimiliter in Carmine de Carolo.

Vt quoties RECTOR *præclara palatia luſtret.*

Et in Epigrammate ad finem Commentarij in Ioannem.

Non ego parua tuis, RECTOR, *Munuſcula gazis*
Infero, perſona ſit mea parua licet.
Munera ſed Domini Cæleſtibus inclyta Regnis
Porto tibi plenis optime Rex manibus.

Hîc ergo non abs re ſuſpicari poſſumus communicatum nomen *Rectoris* præfecto ſcholarum, qui etiam *Rex Muſarum* & Vniuerſitatis dicitur. *Vicarium Regis* Seruinus appellat. Author de Diſciplina ſcholarium, quem credimus eſſe Ioannem Erigenam, Rectorem Scholarium vocat c. 6. *Pietatis verò ambitu* SCHOLARIVM RECTOR *delinitus diſcipulorum corda paupertate degentium ſtudioſeque diſcentium mulcere tenetur.*

Quemadmodum autem nomen REGIS & RECTORIS; ita & inſignia Regia PVRPVRAM & LILIA credibile eſt Carolum M. aut Caluum voluiſſe Præfecto Scholæ ſuæ communicari: à quibus enim aliis Regibus id factum ſit, ſi non ab iſtis, non eſt facile dictu: cum huiuſce inſtituti nullum initium, ſed vſum tantummodo videamus: vnde coniecturæ locus eſt à primis temporibus eſſe repetendum. Veſtis quidem purpurea violacei coloris cum palliolo ſeu cappa pellibus villoſis munita Regum propria fuit cum inaugurabantur, eaque ſolennis & pomposa; quam ſex Patriciis, ſeu Paribus Eccleſiaſticis & Rectori Vniuerſitatis Pariſienſis communem eſſe voluerunt: vt ante nos notauit Andreas Fauinus in lib. 3. de Officiariis Coronæ Francicæ c 2. ſic enim ille. *Quant aux Pairs d'Egliſe ſe trouuans au Parlement, ils auoient par bien-ſeance & modeſtie leurs manteaux & chaperons d'eſcarlate violette fourrez auſſi d'Ermines. Habillement donné par nos Roys aux Recteurs de l'Vniuerſité de Paris.* Et hanc purpuram vocabant Græci ἁλουργίδα à marino colore & cœruleo: eamque Cornelius Nepos ait ſe iuuene viguiſſe. Hieronymus verò ad Ruſticum de viuendi forma, Regiam oſtendit fuiſſe. *Oſtendam tibi variorum pulchritudinem florum, quid in ſe lilia habeant puritatis, quid roſa verecundiæ poſſideat, quid* VIOLÆ PVRPVRA *promittat in Regno.*

Alterum Purpuræ genus rubro colore ſplēdens, quod veteres Tyrium & coccineum vocabant, quoque etiam vtebantur in veſtibus vulgaribus Reges antiquitus, Procuratoribus Nationum communicaſſe videntur; quemadmodum olim

ImpetaroresRomani Præfectis Prætorio & Senatoribus,qui in Magiſtratibus eſſent,vt legitur apud Suetonium in Iulio. Vnde quoque Commodus ab Albinum ſic habet apud Capitolinum. *Vt tibi inſigne aliquod Imperialis Maieſtatis accedat, habebis vtendi coccinei pallij facultatem me præſente & ad me & cum mecum fueris habiturus & purpuram, ſed ſine auro.*

Cum ergo hi colores omnino Regij ſemper fuerint; quis credat Rectorem Vniuerſitatis violaceam ſeu cæruleam purpuram, Procuratores coccineam & rubram aſſumpturos fuiſſe abſque licentia & authoritate Regia? Et cui ex Regibus id acceptum referendum eſt, niſi ipſimet inſtitutori & fundatori? De forma nihil dico, quæ quanquam longæuam antiquitatem denotat, nonnihil tamen à primæua forte deflexit. Nam & Carolus Caluus Imperator creatus de Italia in Galliam rediens nouos & inſolitos habitus aſſumpſiſſe perhibetur: diebuſque feſtis talari Dalmatica indutus ad Eccleſiam procedebat, vt legitur in Antiquis Annalibus.

Quod ad Lilia ſpectat, quæ trina ſunt in Sigillo Rectoris in triquetram ſicut & Regia in plano ſcuto diſpoſita, clarum eſt ab ipſo fundatore fuiſſe communicata. Et certè quis dubitabit, ſi attenderit, quin manus illa librum tenens è cœlo delapſa, qua ſigillum in ſuprema parte adaugetur & oneratur, indicet Carolum M. arrepta occaſione aduenarum Magiſtrorum ſcientiam vænalem clamitantium quaſi à Cœlo data ſuam inſtituiſſe Academiam? vnde huic cœleſti muneri vt & liliis rectè aptari poteſt dimidiatus hic verſiculus *Cœlo data munera Francis.* *Sigillum Rectorium.*

Lilia vero antiquiſſima ſunt procul dubio Regum Francorum inſignia, ſeu fidei Chriſtianæ puritatem indicent; vnde Reges noſtri Chriſtianiſſimi dicuntur, ſeu ſpicula liliata referant, quibus Galli veteres vtebantur: at nemo dixerit Rectorem auſurum fuiſſe ea ſigillo ſuo inſculpere, niſi à Rege conceſſum id fuiſſet; à quo porro niſi à primo illo fundatore aut ſaltem à proximis ſucceſſoribus?

Quod quidem ſigillum loco ſymboli Academici ſeu Teſſellæ Scutariæ deinde fuit in Cyaneo laterculo, ſeu vt vt vulgus loquitur, in campo azureo: & in hoc nobilius, quam cætera nobiliũ ſigilla & ſcuta liliis quoque micantia quia; implicitati & integritati Liliorum ſcuti Regij, veræque & Natiuæ nobilitati minus detrahit, quàm quæ aduentitio typo infractionem recipiunt. Cõſtat enim ſcutariæ iconis coauctione non adeo minui primigeniam nobilitatem, quàm infractione.

Nec mouet 1. quod ſymbola Gentilitia dicantur originem habuiſſe tantum ſub Ludouico Craſſo circa an. 1110. nam vt vt ſit, certè ſigillorum vſus eſt antiquiſſimus. Poſtquam vero Scutariarum Teſſerarum vſus magis inualuit, non alias aſſumpſit Academia (quanquam & alia habet ſigilla) quam quæ erant in Sigillo antiquo Rectoris: ſicut nec alia eſt Franciæ Teſſera à Regia, licet plura ſint ſigilla minora, maiora, formaque & figura nonnihil diſcrepantia.

Nec mouet 2. quod nonnulli dicunt Carolum VI. Teſſeræ Francicæ lilia incerto prius numero ad tria redegiſſe. Nam præter quam quod non ſatis id conſtat, veriſimile eſt Rectoriam Teſſeram accepiſſe eandem cum ſcuto Francico mutationem, quando vero id acciderit, incertum. Certè vetus Sigillum Rectorium multis Inſtrumentorum publicorum ceris impreſſum ante & circa an. 1300. tale omnino quale nunc habemus, ternis liliis aureis eodem modo diſpoſitis diſtinctum, ſeruatur. Vnde coniici poteſt Regium ſimiliter ſcutum longe ante tempora Caroli VI. tribus liliis conſtitiſſe.

Nangius Monachus San-Dionyſianus qui ante an. 1300. ſcribebat, de quadam Magiſtrorum Pariſienſium ſeceſſione verba faciens quæ accidit an. 1229. ait Vniuerſitatem vnum eſſe ex tribus floribus Lirinis qui Francicam teſſeram componunt: qua diſcedente foret deformior. *Si de Regno Franciæ tolleretur, maneret vtique Liliatum Signum Regis Franciæ quod* TRINI FLORIS SOLIO *depictum eſt, in vna parte ſui mirabiliter deformatum.*

E tribus quippe illis floribus duos pari in ſtatione poſitos contendit allegoricè ſignificare Sapientiam ſeu Artes ac Vniuerſitatem, & Militiam: tertium vero, Fidem. *Duplex*, inquit, *par Flos Lilij Sapientiam & militiam ſignificat: quæ duo ſequentes de Græcia in Galliam Dionyſium Areopagitam cum* FIDE, *quam ibidem Dei gratia ſeminauit*, TERTIVM FLOREM *Lilij facientem cuſtodiunt & defendunt.*

Nec refert quod idem author paulo ante dicat conſueuiſſe *Reges in ſuis armis & vexillis Florem lilij depictum tribus foliis comportare.* Quaſi videatur innuere fuiſſe in ſcuto Francico vnicum tantum florem tribus foliis conſtantem. Non enim ille hic de numero florum agit, ſed de qualitate inſignium ſeu armorum, vt ſi diceremus Gallice. *Le Roy de France porte en ſes armes la Fleur de Lys à trois feüilles.* Quæ verba nullatenus numerum florum, ſed qualitatem tantummodo definiunt.

Sed & alia ratio terni iſtius Lilij afferri poſſe videtur, quæ mihi venit in mentem legenti notas Hadriani Valeſij in Carmen Adalberonis: vnde quoque tempus cõiicitur, quo Reges noſtri terno illo numero vſi videntur ad denotanda tria Regna Franciæ, Burgundiæ & Aquitaniæ quæ ſub vnius principis dominium redierunt, quæ Merouingiorum temporibus à tribus Regibus poſſidebantur. Abbo San-Germano-Pratenſis ait Odonem Regem tria Regna ſibi ſubieciſſe.

Sic uno TERNVM *congaudet ouamine* REGNVM.

Et in conſecratione Ludouici Transmarini, qui filius fuit Caroli Simplicis hanc ait Valeſius Collectam fuiſſe recitatam. *O.S. Deus ſuper hunc famulum tuum quem ſupplici deuotione in Regnum pariter elegimus, benedictionum tuarum dona multiplica...Vt Regale ſolium videlicet Francorum, Burgundiorum, Aquitanorum ſceptra non deſerat. &c.* Similiter apud Flodoardum ad an. 954. *Lotharius puer Ludouici filius Rex conſecratur fauente Hugone Principe cæteriſque præſulibus ac proceribus Franciæ Burgundiæ atque Aquitaniæ.* De iiſdem Regnis intelligendus Adalberto in Carmine ad Robertum.

Plurima ſub pedibus tibi fortia Regna iugauit.

Item in veteri Chronico an. 1059. Philippus Henrici filius conſecratur *adſtantibus Franciæ, Burgundiæ & Aquitaniæ Archiepiſcopis & Epiſcopis 22.* Sed de his pluſquam ſatis.

Iam ergo ſi primo illo ſeculo, quo magiſtrorum & ſcholarum frequentia redundauit Vniuerſitas, Præfecto ſeu Rectore carere non potuit, omnino credibile eſt ſecutis ſeculis eundem Magiſtratuum ordinem conſeruaſſe, eandemque rationem comitiorum & regiminis, & ad nos vſque tranſmiſiſſe. Neque exiſtimandum eſt, & ſi nihil horum legatur in ſcriptis authorum, aut in monumentis, quæ reſtant ipſius Vniuerſitatis, tum primum iſta omnia inſtituta fuiſſe, cum de iis in inſtrumentis publicis incipit mentio fieri: nam cum omnia vetera monumenta, ſeu vt vocant Regiſtra perierint iniuria temporum aut incuria maiorum; nulla vero eorum quæ habemus, inſtitutionem aut Rectoris aut Procuratorũ, aut Nationũ, aut Apparitorũ ſeu Bedellorũ, Nunciorũ, Scriptorum Librariorum aliorumque eiuſmodi Officiariorum, quibus Vniuerſitas carere non potuit, à quoquã factam commemorent, ſed factam ante ſupponant, neceſſe eſt ad ipſa incunabula recurrere. Philippus Auguſtus in priuilegio an. 1200. vetat Rectorẽ Vniuerſitatis prehendi aut carceribus mancipari. An ne tum primũ inſtitutus eſt Rector? Nemo dixerit. Mathæus Pariſienſis an. 1169. meminit *Scholarium diuerſarum Prouinciarum*, hoc eſt *Nationum*: an tum primum cœpit fieri Nationum diuiſio? neutiquam. Itaque cum illis temporibus certum ſit fuiſſe & Rectorem & Nationes nulluſque ſcriptor, nulla monumenta publica inſtitutionem illorum tum factam commemorent, neceſſe eſt proculdubio ad anteriora tempora remeare. Porro ſi ſingula ſecula reuoluimus non alio quàm hoc primo, iſta omnia inſtituta fuiſſe facile euincemus.

Et certè vnde habet Rector, vt e Magiſtris 4. Nationum Facultatis Artium eligatur, nunquam vero è Facultatibus cæteris aſſumatur? niſi quia Nationes primigenia ſunt Vniuerſitatis Corpora & quodammodo homogenea; Facultates verò Theologiæ, Iuris Canonici & Medicinæ poſt conſtitutam Vniuerſitatem, veluti Heterogenea corpora acceſſerunt: ad quarum tamen regimen, quia in ſocietatem à Nationibus receptæ ſunt, authoritatem curaſque ſuaſque extendit. Quod quidem ante nos multi obſeruarunt, & præſertim Belforeſtius his verbis.

L'Vniuerſité de Paris au commencement n'eſtoit que pour les Arts, & les autres ſciences y ſont ſuruenues comme acceſſoires: d'où eſt venu que du ſeul corps des Arts on choiſit le Recteur & les Procureurs des Nations. Et faut noter qu'en-

core

cote qu'à Paris il y ait 4. Facultez parfaiſant le Corps de l'Vniuerſité,à ſçauoir de « Theologie, Decret, Medecine & des Arts, ſi eſt-ce que la premiere inſtitution « de l'Eſchole ayant eſté dreſſée pour les Arts,il n'eſt auſſi loiſible d'élire le Recteur « que du corps de la Faculté des Arts, & lequel neantmoins a puiſſance en ce « qui eſt de la police de l'Eſchole & ſur les Theologiens & ſur les Decretiſtes & « ſur les Medecins.

Idem legitur in Antiquitatibus Pariſienſibus La premiere Faculté & la prin- « cipale dont le Corps de l'Vniuerſité de Paris eſt compoſé, eſt celle des Arts « (*quæ Facultas 4. Nationes complectitur*) pource qu'elle a eſté la premiere Inſtitu- « trice de l'Eſchole; en reconnoiſſance de quoy le chef de toute l'Vniuerſité qui « eſt appellé Recteur, eſt touſiours éleu de ſon corps & iamais de ceux des autres « Facultez; bien qu'il ne laiſſe pas d'auoir pouuoir & egard ſur elles en ce qui eſt « de la police de l'Eſchole.

Ex hac quoque inſtitutione primigenia pendet Nominatio Rectoris perfecta à Nationibus, nec poſtquam ipſæ eius electionem probarunt, vlteriori indiget confirmatione, cumque cæteræ Facultates Rectorem agnoſcere & pro Rectore habere teneatur, vt notauit Rebuffus in Tractatu Nominat: quæſt. 1. n. 18. & 19. Ait enim eſſe quaſdam Nominationes tribuentes quidem ius, ſed non perfectum, ſi debent à Superiore confirmari, vt fit in electione Rectoris Monſpeſſulani & Valentini: at Pariſiis Nominationem ius dare perfectum. *Nominatio alia eſt, inquit, quæ tribuit ius perfectum ſine confirmatione, vt in Rectoris nominatione, quæ in hac Vniuerſitate Pariſienſi fit, & alibi in Franciâ: vbi non eget confirmatione. Tunc nominatio facta à Facultate facit electionem & confirmationem. Sicut in Decreto Decurionum Bartol. in l. 1. §. ſolent. ff. quando appellandum ſit. Feli. in C. eam te Col. 3. verſ. 4. extende de Reſcriptis.*

Ex eadem denique Inſtitutione primæua pendet Iuriſdictio illa antiqua Rectoris & Procuratorum in omnia Vniuerſitatis ſuppoſita: à quorum iudicio non appellabatur antiquitus impunè. Pendet quoque Nunciorum tam Magnorum, quàm Paruorum ſeu Viatorum nominatio. Item Monumentorum Publicorum ſeu Archiuij cuſtodia ſub quinque clauibus, quarum vnam habet Rector, reliquas quatuor ſinguli Procuratores. Item Dominium Prati Clericorum, cuius poſſeſſionem quotannis Rector inſtaurabat 4. Procuratoribus comitatus, Quatuor-viris ſeu Electoribus, quos vulgo Intrantes vocamus, Apparitoribus ſeu Bedellis Nationum & Scriba Vniuerſitatis. Ex eadem denique pendet Syndici, Scribæ, Quæſtoris ſeu Receptoris de Facultate Artium, ſeu de 4. Nationibus aſſumptio: quippe nunquam è Facultatibus aſſumuntur; & nihilominus Officiarij ſunt Generales totius Vniuerſitatis, hoc eſt tam Facultatum quàm Nationum communi ſocietatis vinculo coniunctarum.

DISSERTATIO III.

DE IVDICE ET CONSERVATORE PRIVILEGIORVM ACADEMICORVM.

PRæter autem Magiſtratus prædictos, Rectorem ſcilicet & Procuratores qui rei Scholaſticæ & Academicæ curam habebant, quique cauebant, vt leges quæ vel à Principe vel communi Nationum conſenſu latæ fuiſſent, obſeruarentur, videtur conſtitutus fuiſſe à Carolo M. Iudex aliquis extra corpus ſtudioſorum, veluti Litium Cognitor & Conſeruator Priuilegiorum, quem ſcilicet, ſi quæ lites orirentur, quas ipſi amicè componere non poſſent, adirent vice Principis, ne ille ſæpe de rebus leuibus interpellaretur, neve illo abſente delicta manerent impunita. Talis erat Apocriſiarius, cuius officium ſic deſcribit Hincmarus ex Adhalardi Senis Caroli M. propinqui, & Corbeienſis olim Abbatis libello de Ordine Palatij: vbi ille tres ordines Domus Palatinæ enumerat, & in ſecundo conſtituit Magiſtros & Diſcipulos his verbis. *Alter ordo per ſingula Miniſteria Diſcipulis congruebat, qui Magiſtro ſuo ſinguli adhærentes & honorificabant & honorificabantur: locíſque ſinguli ſuis, prout opportunitas occurrebat: vt à Domino videndo vel alloquendo conſolarentur.*

Ii

Officium ergo Apocriſiarij tale erat. *Apocriſiarius, quem Noſtrates Capellanum vel Palatij cuſtodem appellant, omnem clerum Palatij ſub cura & diſpoſitione ſua regebat: cui ſociabatur ſummus Cancellarius, qui à ſecretis olim appellabatur: erantque illi ſubiecti prudentes & intelligentes ac fideles viri, qui præcepta Regia abſque immoderata cupiditatis venalitate ſcriberent, & ſecreta illis fideliter cuſtodirent.* En ergo forum ſeu tribunal Apocriſiarij, quem latinè vocat Hincmarus RESPONSALEM NEGOTIORVM ECCLESIASTICORVM: *cognoſcebat* enim, *de omni Eccleſiaſtica Religione vel ordine, nec non etiam Canonica vel Monaſtica altercatione.*

Omnino autem Carolus duos toti Palatio & Regno conſtituerat iudices, Apocriſiarium & Comitem Palatij *vt nec Eccleſiaſtici nec ſeculares prius Dominum Regem abſque eorum conſultu inquietare neceſſe haberent, quæ vſque illi prauiderent, ſi neceſſitas eſſet vt cauſa ante Regem meritò venire deberet.* Et alio loco de Apocriſiario ſpecialius loquens, *Non ſolum*, inquit, *de his quæ ad eum ſpecialiter de omni ornamento vel officio Eccleſiaſtico intra Palatium agendo pertinebat: verum quoque & omnem conſolationem ſpiritalem ſiue conſilium totius Palatij quicunque quæreret, apud eum, vt neceſſe erat, fideliter inueniret.* Non eſt igitur dubium, quin eum adirent Academici, quos inter ordines Palatij ſecundum obtinuiſſe ſupra oſtendimus.

Sed & ille, quandiu Muſæ in Palatio Suburbano fuerunt, licentiam ibidem docendi impertiebatur, ne quis aut ſuſpectæ fidei, aut non ſatis exquiſitæ doctrinæ ad docendum temere proſiliret, præclarumque turbaret Ordinem, quem Carolus inſtituerat. Atque in iſtis poſtea muneribus obeundis Apocriſiario ſucceſſerunt Epiſcopus Pariſienſis & Abbas ſeu Decanus San-Genoueſianus eorúmue Cancellarij. Nam quod ad lites attinet, cum circa an. 1130. inter Gualonem Rectorem Scholareſque Academicos & Algrinum Cancellarium lis orta fuiſſet, Stephanus tunc Epiſcopus pro ſuo iure Iudicium obtulit & ad ſuum Tribunal litigantes vocauit: vt legitur in eiuſdem Epiſt. ad Henricum Senonenſem Archiepiſcopum; ad quem Academici confugerant, quia Epiſcopum Cancellario nimis addictum cognouerant. Et quia Epiſcopus Iuriſdictioni ſuæ detrahi nolebat in hac parte, maluit ſummi Pontificis Innocentij II. Tribunal inuitatus adire, quam Metropolitano litem ad ſe euocanti parere. Sic ergo ille ad Henricum. *Pro illius itaque* (Gualonis) *irrationabili & non Canonica inuitatione, quam nullius ponderis eſſe quando & vbi oportuerit, manifeſtiſſimè monſtrabimus, ante veſtram quam valde diligere & honorare volumus, præſentiam ad præſens ire viſum fuit nobis non eſſe opus, cum per Nos tam ſibi quàm* SCHOLARIBVS SVIS PLENARIAM IVSTITIAM OBTVLERIMVS *& ad vltimum in præſentia D. Papæ, ad quem huius cauſæ finis maximè ſpectat, inuitati fuerimus.*

Cœleſtinus III. circa an. 1194. voluit cauſas etiam pecuniarias Scholarium Pariſienſium decidi iure Canonico apud Epiſcopum Pariſienſem & Abbatem San-Genoueſianum: cuius Reſcriptum legitur in 2. veterum Collectionum Epiſtolarum Decretalium. *Hac igitur ratione inducti per Apoſtolicam ſedem mandamus ſi quas cauſas pecuniarias* CLERICI PARISIVS *commorantes habuerint contra aliquos, vel aliqui contra eos, ipſas iure Canonico decidatis.*

Verum quia Academici de iudiciis Epiſcopalibus ſæpe querebantur, præſertim cum agebatur de licentiis à Cancellario impetratis aut impetrandis; ſeu quia Reges veriti ſunt ne Pontifex maximus ſupremam ſibi vindicaret in Academiam ſuam iuriſdictionem & authoritatem, conſtituerunt ipſi ſuorum Priuilegiorum Conſeruatorem Laïcum, nempe Præpoſitum Pariſienſem: quam in rem extat Philippi Auguſti Diploma datum Beſtiſiaci an. 1200. in quo ad multorum priuilegiorum quæ ibi continentur, conſeruationem vult Præpoſitum initio ſuæ Præpoſituræ iuramento obſtringi. *Vt autem hæc cautius cuſtodiantur, & ſtabili in perpetuum iure firmentur, ſtatuimus vt Præpoſitus nunc noſter & quicumque officium Præpoſituræ Pariſienſis adminiſtrandum à nobis acceperit, inter ipſa Præpoſituræ ſuæ initia, Dominica ſcilicet 1. vel 2. in vna Eccleſiarum Pariſienſium poſtquam exinde ſubmonitus fuerit, coram Scholaribus prædicta omnia ſe bona fide ſeruaturum publicè iuramento confirmet.*

Similiter Pontifices ſuorum quoque Priuilegiorum Iudices, Conſeruatores & Executores conſtituerunt ex ordine Eccleſiaſtico, initio quidem ad libitum nec certos aut certi ordinis, ſed modo hos, modo illos, Decanos & Præpoſitos Eccleſiarum, Abbates, Epiſcopos, ſæpe etiam illos quos Academia elegerat & petie-

tat, donec tres Epiſcopi Meldenſis, Bellouacenſis & Siluanectenſis ad id muneris ex delectu eiuſdem Academiæ deſtinari ſunt. Et qui delectus fuerat, ſuum habebat in Comitio ſeu Capitulo Mathurinenſi tribunal, ſuoſque Officiarios: vt ſuo loco docebimus. Hæc breuiter de Iudicibus litium Academicarum, deque Conſeruatoribus priuilegiorum: de Licentiatoribus vero ſeu Licentiarum docendi Impertitoribus, infra dicetur. Hactenus enim fere Vniuerſitatem Pariſienſem eiuſque regimen & adminiſtrationem conſiderauimus, qualis eſſe potuit primis illis temporibus quandiu Luparæam Regionem inhabitauit. Alia deinceps ratio erit.

Porro cum dicimus iſta omnia à Carolo fuiſſe inſtituta, non exiſtimandum eſt fuiſſe ſtatim vndequaque perfecta ſtatimque eo ordine aut ſtatu diſpoſita, quo poſtea fuerunt: nam rudibus inuentis facile eſt ornamentum addere. Non enim ea erat Comitiorum ſolemnitas quæ hodie eſt, non is ordo Supplicationum ſolemnium, quæ vulgo Proceſſiones Rectoriæ appellantur, non ea pompa, non Officiariorum tanta diſtinctio: non ea Graduum Actuumque Academicorum tanta celebritas. Vnumquevel maximè ſplendori illi, quem extraneum vocamus, oberat crebra mutatio Rectorum & Procuratorum: nam cum nemo in Rectorem vel Procuratorem aſſumeretur, qui non actu regeret, plus laboris erat in illis muneribus quàm honoris & pompæ: itaque vt ſinguli participes eſſent oneris, neue diu pauci Academicis negotiis diſtinerentur & à ſtudio diſtraherentur; ſingulis fere menſibus alios aliis ſubſtituebant.

Hinc factũ exiſtimo, vt multa quæ contingebant, ſcribere & poſteritati mandare negligerent, quia parum erat diuturna prouincia, quam ſuſcipiebant. Ita pariter, ſi quid negotij aut lis aliqua contingeret, aliquem ex ſuis Procuratorem ſeu Syndicum eligebant, qui finita lite nullus erat. Cum contribuendum in lites aut in alia negotia, Receptorem quoque temporaneum nominabant. At proceſſu temporis creſcente mole negotiorum Scribam, Syndicum, & Quæſtorem ſeu Receptorem Ordinarios conſtituerunt.

DISSERTATIO IV.

DE EPISCOPO PARISIENSI.

IN hacce diſſertarione res eſt nobis cum Hemeræo & quibuſdam aliis opinantibus Cancellarium Pariſienſem origine priorem eſſe Rectore, diuque antequam crearetur vllus Rector, Academiæ præfuiſſe. Hoc autem nituntur fundamento, vt legitur apud Hemeræum initio cap. 1. Academiam ſcilicet Pariſienſem natam in frontiſteriis Epiſcoporum pauciſque ſuburbanis ad aliquod incrementum primò adoleuiſſe: tum inſula relictâ commigraſſe in montem Lecutitium & in eo ædificato robore vegetiorem & legibus ornatiorem in quouis optimarum artium genere eruditè ſolerterque tractando famam illuſtrem fuiſſe conſecutam, patentemque factam & altricem aliarum quæ per orbem Chriſtianum infinitæ poſtea emerſerunt. Et poſtquam ſex Capitibus longam probauit Hemeræus ſucceſſionem Scholarum Epiſcopalium, hinc tandem euincit Cap. 7. SCHOLASTICVM ſeu Cancellarium ſub Epiſcopis illarum regimini præfuiſſe, Magiſtros idoneos ad docendum aduocaſſe, Cathedris præfeciſſe & tandem eos Laurea Magiſtrali donaſſe. De Cancellariis ſpeciali diſſertatione agemus infra: de Epiſcopo nunc agendum.

Non negamus, quin Schola Epiſcopalis in frontiſterio Baſilicæ aut in Clauſtro Canonicorum conſtiterit, quinque eius curam, & regimen Cancellarius, ſeu quiuis alius ſub Epiſcopi authoritate habuerit. Certum eſt enim in Epiſcopio Pariſienſi, quemadmodum & in cæteris iuxta conſtitutiones STEPHANI, EVGENII & CAROLI M. fuiſſe ſcholas conſtitutas iis præſertim inſtituendis, qui Clericali militiæ deſtinabantur, vel ei iam nomen dederant: ſed negamus ſcholam illam fuiſſe Vniuerſitatis Pariſienſis ſcholam ab anno ſaltem circiter 790. ad an. 900. Nam

vt in Annalibus & alibi fusè demonſtrauimus, CAROLVS SCHOLAM PVBLICAM In Palatio Regio conſtituit, eamque omnibus docere & diſcere volentibus patere voluit.

Hoc autem ſuppoſito negamus Epiſcopum aut Cancellarium Pariſienſem illi ſcholæ præfuiſſe. Cuius rei ratio eſt, quia Domus Regia ab omni Iuriſdictione Epiſcopali libera ſemper fuit & immunis: itaque neque Capellani, neque Clerici vlli Epiſcopo ſubditi erant: hincque vocabantur LIBERI CLERICI: cæteri enim Epiſcopis quidem parere tenebantur; at Regij minimè quia ſpeciatim ſe ſacramento Regiis miniſteriis obſtringebant. Vnde Carolus Caluus in ſynodo Tullenſi an. 859. aduerſus Wenilonem quem ad Archiepiſcopatum Senonenſem promouerat, in libello proclamationis hæc habet. *Vacabat tunc Paſtore Metropolis Senonum, quam iuxta conſuetudinem prædeceſſorum meorum Regum Weniloni tunc Clerico meo in Capella mea meis ſeruienti, qui more* LIBERI CLERICI *ſe mihi commendauerat, & fidelitatem ſacramento promiſerat, ad gubernandum commiſi.* Igitur Scholæ Palatinæ regimen ad alium pertinere non potuit, quoad licentias impertiendas & alia munia Eccleſiaſtica, quàm ad eum, qui in Palatinis erat miniſteriis & Officiis. Qualis erat Apocriſiarius, cui in ſpiritualibus, hoc eſt in Sacramentorum adminiſtratione, Magiſtri & Scholares ſubditi erant. Vnde *Antiſtes ſacri Palatij* dicebatur. Quomodo Hilduinus ab Agobardo appellatur; nonnunquam Magiſter Epiſcoporum totius Regni, Archiepiſcopus, & *Summæ ſanctæ Palatinæ dignitatis Præſul*, vt fusè probat Guill. Peytatius l. 1. Antiq. Capellæ Regiæ. c. 62. Eundemque Schola prædicta, vt & omnes Clerici in iudiciorum exercitio Iudicem & Præſidem agnoſcebant; vt ante probauimus.

Et hinc factum eſt vt Vniuerſitas Pariſienſis Iudicem Conſeruatorem priuilegiorum à Rege habeat, Rector verò in rei litterariæ adminiſtratione neminem præter Regem ſuperiorem agnoſcat, Regemque agat in ſuo fundo, & omnes Prælatos in Actibus quibuſcumque ſcholaſticis præcedat. Regem quippe repræſentat, qui ſolus CAPVT eſt & fundator Vniuerſitatis. Quam in rem præclare Ludouicus Seruinus lib. 1. Cauſarum Forenſium.

» Donc nos Rois ſont Fondateurs & Patrons de l'Vniuerſité, & comme tels
» nous les deuons reconnoiſtre premiers Chefs. Quant à Monſieur l'Eueſque de
» Paris, il eſt bien noſtre Paſteur en ce qui concerne le Spirituel, & le Pape qui
» eſt par deſſus luy eſt noſtre S. Pere, Souuerain de ce Paſteur & de nous en ce
» qui touche la ſpiritualité. Mais il n'eſt le Chef des Eſcholes, & le gouuernement
» d'icelles ne depend pas de luy, meſmement au temporel, ains elles ſont en la
» protection du Roy. Quant au Chancelier de l'Vniuerſité, il n'eſt auſſi le Chef
» d'icelle. La dignité du Chancelier eſt celle du Scholaſtique, qui eſt Chanoine
» de l'Egliſe Cathedrale, ſa Charge eſt telle qu'en pluſieurs autres villes, eſquel-
» les y auoit vn maiſtre d'Eſchole entre les Chanoines de l'Egliſe Cathedrale,
» comme Berengarius en celle d'Angers: & celuy qui eſt Scholaſtique, retient
» encore ſon premier nom, & d'auantage a cét honneur d'eſtre Chancelier de l'V-
» niuerſité.
» Quant au Chancelier qui eſt en l'Egliſe de Paris, il garde bien les ſceaux de
» l'Vniuerſité: mais pourtant il n'en eſt le Chef: ains le Recteur, qui eſt le pre-
» mier & ſeul en qualité auec l'Vniuerſité és cauſes qui touchent les Eſcholes ou
» Eſtudes. Il eſt vray que le Recteur qui eſt Laïc, parce qu'il ne peut pas benir;
» apres que les Eſcholiers ſont paſſez Maiſtres & admis au giron de l'Vniuerſité, il
» les preſente au Chancelier, qui eſt Eccleſiaſtique, à ce qu'il leur donne la bene-
» diction. Mais pourtant le Chancelier n'a pas la direction & conduite des Col-
» leges ny des Eſcholiers qui ſont és Eſtudes publiques, ains elle appartient à l'Of-
» fice du Recteur, *ad quem ſpectat prouiſio Magiſtrorum qui debent dici Scholares*,
» comme i'ay veu par vn Acte de l'an 1271. enregiſtré au liure de l'Vniuerſité.
» *Similiter Belforeſtins in Coſmog.* Mais qu'eſt-ce à dire que la Majeſte du Recteur
» ſoit ſi grande en l'Eſchole, qu'és Actes publics de quelque Faculté que ce ſoit,
» il precede Eueſques & Cardinaux, & fuſſent-ils Pairs de France: & ne ſouffri-
» roit-on que le Nonce du Pape ne Ambaſſadeur de Prince au monde euſt cét
» auantage de le preceder. Quem forte locum præ oculis habuit Hermannus Co-

Digitized by Google

ringius ſic ſcribens differt. 5. de Antiq. Acad.

Quid ad Academiæ authoritatem conciliandam ſplendidius poſſit conſtitui, quàm vt hoc vno exemplo vtar, quod Pariſiis Vniuerſitas primogenita Regis filia audiat, & in ſolemnibus Conuentibus Rectori primus locus præ ipſo Nuncio Apoſtolico concedatur? Vnde & iſta pars Dignitatis Rectoriæ inter Iuramenta quæ tenebantur olim præſtare quicumque incepturi erant in Artibus, continebatur his conceptis verbis. *Item iurabitis quod ſtatutum factum & ordinatum de* PRÆPOSITIONE RECTORIS IN ACTIBVS COMMVNIBVS VNIVERSITATIS *inuiolabiliter obſeruabitis ad quemcumque ſtatum deueneritis.* Extant huiuſce rei exempla plurima. Pauca referam. Cum an. 1381. die 13. Martij Vniuerſitas apud Carolum VI. Ciuibus gratiam deprecatura, Epiſcopus quoque cum Clero conueniſſet, ortâ nter vtrumque corpus de præeminentia & præceſſione, diſcordia tandè à Rege & Ducibus tam Laïcis quàm Eccleſiaſticis pro Vniuerſitate iudicatum eſt, vt legitur in lib. Rectoris f. 144. verſo his verbis. *Non eſt ſub ſilentio prætereundum quod anno Domini præmiſſo menſis Martij die 13. Vniuerſitate vna cum Epiſcopo in præſentia D. Regis DD. Burgundiæ, de Valois, fratris Regis de Borbonio, de Conchy, Dalberet ac plurimorum aliorum Nobilium, & etiam ſex de Archiepiſcoporum vel Epiſcoporum exiſtentibus & ſupplicante veniam & gratiam pro populo Pariſienſi ſuper tunc forefactis, nonobſtantibus quibuſdam altercationibus præhabitis inter dictum Rectorem & Epiſcopum Pariſienſem in Pontificalibus exiſtentem ſuper præmenitate propoſitionis faciendæ coram D. Rege & de loco ſtationis; dictus Rector obtinuit locum dextrum & propoſitionem primam, quam fecit M. Ioannes Goyleyn Doctor in Theologia Ordinis B. Mariæ de monte Carmeli. Et tam in Reſponſionibus Regis quàm in faciendo Edictum per villam de pace & gratia dicto populo facta ad Inſtantiam Vniuerſitatis Epiſcopi & Cleri, ſemper prænominabatur Vniuerſitas Epiſcopo & Clero. Sic quod in omnibus Mater noſtra Vniuerſitas in comparatione ad Epiſcopum, Decanum & Capitulum & Clerum Pariſienſem tam coniunctim quam diuiſim obtinuit principatum.*

Anno 1448. M. Ioannes Normani Rector cum 4. Procuratoribus inuitatus eſt ad ſolenne Conuiuiū à Guillelmo Quadrigario Epiſcopo Pariſienſi. Ad quod cū inuitati quoque fuiſſent Epiſcopi plurimi, noluit ire Rector priuſquam certior factus fuiſſet de præceſſione. Nemo quidem inficias ibat, quin Rectori deberetur in Actibus Scholaſticis: at ibi videbatur Epiſcopis poſſe concedi citra Rectoriæ dignitatis iniuriam. Re tamen in deliberationem adducta, Rectori præceſſio adiudicata eſt. Qua de re ſic ſcribit Ioannes Beguin Procurator Nationis Gallicanæ ad diem 5. Aug.

In hac præſenti Procuratione accidit vnum quod multum facit ad ſoluendum quandam obiectionem ſæpe fieri ſolitam. Nulli ſiquidem formidant, quin D. Rector Vniuerſitatis debeat præferri Epiſcopis in Actibus Scholaſticis: quia à tam longinquis temporibus ita ſolitum eſt fieri, quod non eſt memoria de contrario. Et etiam quia omnes feré Prælati huius Regni ſunt iurati de hac Vniuerſitate, modo vnuſquiſque iurat quando incorporatur Vniuerſitati, ferre honorem D. Rectori etiam ad quemcumque ſtatum peruenerit. Sed multi dubitant in Actibus Hierarchicis. Et fuit mota iſta Quæſtio in Deputatis: Iſtam autem dubitationem penitus reſoluit & annihilauit Reuerendus in Chriſto Pater & D. D. Guill. Chartier Epiſcopus Pariſienſis, qui dum intrare deberet in habitu Pontificali Ciuitatem ſuam; licet à multis pulſaretur, vt non inuitaret Rectorem ad ſuum ſolenne Prandium, quia graue eſſet DD. Epiſcopis quod D. Rector eos debeat præcedere, præfatum tamen Rectorem cum Procuratoribus 4. Nationum licet proprio ore inuitaſſet in quadam viſitatione per Rectorem facta, attamen denuo fecit inuitari, & ordinauit vt intuitu antiquæ Vniuerſitatis Pariſienſis, & etiam Scholaſticæ Profeſſionis D. Rector Vniuerſitatis omnibus Prælatis præponeretur: quod de facto executioni dedit eo modo quo prius ordinauerat.

In quibuſdam Vniuerſitatibus Extraneis idem obſeruatur exemplo Noſtratis quæ omnium Chriſtianarum parens eſt & nutrix. Adrianus Barlandus Rector Academiæ Louanienſis in ſuo de Inſignioribus Germaniæ Oppidis Libello, ait hanc eſſe dignitatem Rectoris, vt Conſules, Magiſtratus & Clariſſimi quique viri, denique omnium Dignitatum Gradus Academiæ Principi aſſurgant & decedant de via. At Iuſtus Lipſius in deſcriptione Louanij l. 2. ſic habet. *Rector à Senatu Academico creatur, idque ſingulis ſemeſtribus, vt nunc res ha-*

bet......Dicam ne etiam, ſed narrantium fide? Aiunt Carolum V. Imperatorem verè Auguſtum cum forte hic eſſet, loco ceſſiſſe. Magna humanitas, ſi non debuit: magna etiam, ſi debuit. Idem notat Vernulæus in deſcriptione eiuſdem Academiæ, Rectoremque Indicat M. Iudocum Raueſteinium, cui latus texiſſe dicitur Carolus an. 1545. Idem notat ad an. 1464. Carolum Bellicoſum, vulgo Audacem Brabantiæ Ducem conuocatis Antuerpiam ſuarum Prouinciarum Ordinibus præcepiſſe, vt Rector Academiæ Louanienſis coram ſe primum dicendi locum obtineret.

In Academia Colonienſi apud Vbios idem prope obſeruari ſcribit Hermannus Coringius diſſert. 5. de Antiq. Academ. Subditque de Rectore Louanienſi hæc verba. *Louanij ne Nuncio quidem cedit Rector, niſi is ſimul fuerit Legatus a latere, ceu vulgo appellamus. Sed & vbinis fere locus proximus Principibus aut Patronis Rectori Academico ſolet vltro tribui. Prudentiſſimus Senatus Venetus Patauina ſchola ſuæ Rectori non purpura tantum, ſed & aurea ſtola induere ſe permittit, & Magiſtratu abeuntem cum Doctoris titulo exornat, tum torque aureo donatum Ordini Equitum S. Marci inſerit.*

Similiter in Exequialibus Regum defunctorum Pompis RECTOR ET EPISCOPVS Pariſienſis, ſeu quis alius, qui defuncti corpus efferat, e regione in vtroque latere oppoſiti procedunt iuxta Decretum ſenatus Pariſienſis latum die 20. Nouemb. an. 1380. occaſione funeris Caroli V. In funere Caroli VIII. an. 1497. dextrum latus tenuit Clericorum & Prælatorum Ordo, proſtremique duo Cardinales: *Siniſtrorſum*, inquit Gaguinus, *præter Scholaſticos nemo incedebat. Eratque Rector e Regione Prælatorum ſuo ordine poſtremus.* Et quoniam in hanc materiam incidimus non erit omnino extra rem in hacce diſſertatione referre ordinem, quem tenet Vniuerſitas in eiuſmodi Funeribus, prout legitur in ACTIS PRÆTORII VRBANI SEV CASTELLETI PARISIENSIS ſub hoc titulo. SEQVITVR ORDO QVEM TENET VNIVERSITAS IN DELATIONE CORPORVM REGVM FRANCIÆ.

Ordo Vniuerſitatis in Exequiis.

„ Die celebrationis vigiliarum pro remedio animæ Chriſtianiſſimi defuncti ta-
„ lis Regis Franciæ congregari debet Vniuerſitas in ſancto Mathurino aut alio lo-
„ co citra Pontes: & ibi conuenire debent omnes Magiſtri, Doctores, Scholares
„ tam iurati quam non iurati vocati per ſcedulas Rectoris, valuis Eccleſiarũ affixas,
„ habituati Cappis Doctoralibus, houſiis & aliis indumẽtis ſcholaſticis ituri proceſ-
„ ſionaliter obuiam corpori defuncti Regis. Qui quidem Rex ſi Vicennis deceſ-
„ ſit, & corpus allatum fuerit ad Eccleſiam S. Antonij de Campis leuandum per
„ Eccleſiam Pariſienſem & ſuos de Eccleſia Pariſienſi, tunc Vniuerſitas ibit obuiam
„ corpori vſque ad vnam crucem, quæ eſt quaſi media inter dictam Eccleſiam S.
„ Antonij & Caſtrum quod Baſtilia nuncupatur reuerſura proceſſionaliter in Ec-
„ cleſia Pariſienſi ad eandem Eccleſiam. Si autem Rex Pariſius deceſſerit & in San-
„ cto Paulo, tunc Vniuerſitas eum ſuis de Vniuerſitate exſpectat Defuncti cor-
„ pus, quod cum intrauerit vicum S. Antonij, Rector & ſui tenentes vnum latus,
„ Epiſcopus Pariſienſis, alij Prælati, Domini Eccleſiæ Pariſienſis, & cæteri viri Reli-
„ gioſi per Epiſcopũ vocari tenentes aliud latus progredi proceſſionaliter incipient
„ ad Eccleſiam Pariſienſem ducentes corpus quod erit quaſi medium inter Epiſco-
„ pũ Pariſienſem & Rectorẽ Vniuerſitatis. Nec debent aliqui mediare inter Epiſco-
„ pũ & ipſum Corpus in latere Epiſcopi & inter Rectorem & corpus ex alio latere,
„ niſi Præpoſitus Pariſienſis qui cum virga in manu eſt ante corpus in medio vici. Et
„ debet Rector Vniuerſitatis eſſe ſemper oppoſitus Epiſcopo Pariſiẽſi in ſuo Rengo.
„ Et ſimiliter Epiſcopus Rectori. Et ſi contingeret multos Prælatos illic adeſſe Põ-
„ tificalibus indutos, ij omnes tenere debent latus Epiſcopi & eſſe oppoſiti Docto-
„ ribus in Theologia & nunquam Rectori. Quiquidem Prælati ſi abeſſent, habentes
„ in Eccleſia Pariſienſi dignitates locum abſentium Prælatorum tenent oppoſitum
„ Magiſtris in Theologia & nunquam Rectori. Epiſcopus autem Pariſienſis, quia
„ ibi Eccleſiam repræſentat & ſuum exercet paſtorale Officium, Corpus defuncti
„ leuat, & ipſius Ductor eſt principalis, latus dextrum habere prætendit.
„ Rector autem cum ſuis propter legitimas & rationabiles cauſas idem præten-
„ dentes ad euitandum diſcordias, ſcandala & lites ſæpe latere contentãtur ſiniſtro,
„ honoris cauſa potius quàm iuris rigore deferentes Pontifici. Domini de Curia
„ Parlamenti dum Corpus per vicos defertur, ipſum corpus ſtipant. Domini de
„ ſanguine Regis ſequuntur Corpus: duo de Præſidentibus Parlamenti, Præpoſitus
„ Mercatorum & vnus Scabinorum Villæ tenent Pallium dum Corpus quieſcit

in Eccleſia Pariſienſi Canonicis Officium celebrantibus. Domini de ſanguine Regis tenent ſedes lateris dextri verſus Nauim Eccleſiæ. D. Cancellarius Franciæ, DD. Præſidentes & alij Domini Officiarij Regis tenent ſedes ſiniſtri lateris oppoſitas ſedibus Dominorum de Sanguine Regis. Epiſcopus autem Pariſienſis tenet Cathedram ſuam, quæ eſt prima in latere dextro verſus altare Epiſcopi, & qui eum aſſociauerunt tenent illud latus contiguè ad ipſum.

Rector autem tenet primam Cathedram ſuam quæ eſt prima in latere dextro verſus altare, quæ eſt ſedes Cancellarij Eccleſiæ Pariſienſis. Alias ſequentes Catherdas vſque ad numerum 12. tenent Magiſtri in Theologia, Doctores in Decretis, Magiſtri in Medicina & 4. Procuratores, 4. Nationum, Franciæ ſcilicet, Picardiæ, Normaniæ & Angliæ: Canonici Eccleſiæ Pariſienſis habentes dignitates in eadem tenent ſedes ſeu Cathedras medias in vtroque latere.

Idem in ducendo corpus Regis per vicos & plateas faciunt in ſubleuamine Portitorum corporis Defuncti ſtationes plures. Quo ſic ſtante Epiſcopus Pariſienſis aſſociatus quibuſdam accedit ad Corpus, & ibi pias orationes & ſuffragia fundit ad Dominum pro remedio animæ Defuncti. Pendente horum Rector ſtare debet: & dum Epiſcopus dictis orationibus redierit ad locum ſuum, progredi debent proceſſionaliter vt prius. Corpore tandem extra portam S. Dionyſij deuecto & vſque ad Leproſariam, poteſt Vniuerſitas reuerti: ſi autem velit vltra progredi, ſcilicet vſque ad Capellam S. Dionyſij aut vltra, poteſt & ad hoc eſt libera, neque ipſa arctatur, tenetur, ſeu obligatur conducere corpus vſque ad certam diſtantiam, vti Eccleſia Pariſienſis, quæ ad hoc obligatur.

Ex his igitur manifeſtum eſt Epiſcopum Pariſienſem SCHOLÆ PVBLICÆ PALATINÆ nunquam præfuiſſe. Credibile enim non eſt eum, ſi ſe aliquando ſupremum Academiæ Moderatorem fuiſſe meminiſſet, præcedi ſe paſſurum fuiſſe non modo in Actibus Scholaſticis, ſed & in Pompis publicis & ſolennibus aliiſque eiuſmodi ſpectaculis. Nec alia certè ratio afferri poteſt, quamobrem Rectori homini ſæpe Laïco Præceſſionis Gradus attributus ſit, niſi quia Vniuerſitatis, quæ Filia Regum eſt primogenita, Caput eſt & Cuſtos, Regemque Parentem & Fundatorem repræſentat. Vnde à multis REX quoque STVDIORVM, & à Seruino REGIS VICARIVS appellatur.

Vnde enim habet hanc dignitatem, niſi ab inſtitutione & ab INSTITVTORE? nam ſi proceſſu temporis eam ſibi arrogauit, aut vi, aut clam, aut precariò arrogarit, neceſſe eſt. Clam? dici non poteſt, cum Rectoris authoritas latere non poſſit. Precariò? nihilo magis. Quis enim credat Epiſcopum cedere iuri ſuo, ſeque hominem Eccleſiaſticum & primariæ dignitatis in Eccleſia Rectori viro ſæpe Laico ſubmittere voluiſſe etiam precanri? Ergo reſtat vt vi ſibi arrogarit. At vnde illa vis? à Regibus? nihil tale aſſeritur: equidem Regum eſt opus ſuum tueri, dignitatemque illibatam conſeruare quam dederunt ipſi & attribuerunt. Vnde non minus læſæ & imminutæ Maieſtatis Regiæ reus eſt, qui Rectori iniuriam facit, quàm qui Magiſtratui à Rege inſtituto, Principi Senatus, aut Comiti Palarino aliiſque qui in ſacram Palatij Regij militiam adſcripti ſunt. Vnde ergo? à Pontificibus? nullum eſt in hanc rem diploma Pontificum, nulla ſanctio Eccleſiaſtica: fidemque excedit, quod Pontifices Epiſcopalem dignitatem ſuæ vicinam & proximam ita deprimere voluerint. A Scholarium multitudine, qui Epiſcopi aut Cancellarij regimini parere detractarint? id ſi ita eſt, mirum videri debet, cum tot olim lites inter Epiſcopum Cancellariumque & Rectorem interceſſerint, totieſque diſceptatæ & tandiu apud ſummos Pontifices, apud Reges & apud Senatum Pariſienſem fuerint, nullum vnquam de ablata ſibi per vim & extorta authoritate conqueſtum fuiſſe.

DISSERTATIO V.

DE CANCELLARIIS VNIVERSITATIS.

CErtum eſt antiquitus Epiſcopos ipſos curam habuiſſe Scholarum & inſtituendæ iuuentutis, atque adeo præficiendorum huic muneri obeundo Magiſtrorum. At cum fides Chriſtiana latius propagata eſt, cœperuntque in Eccleſiis Cathedralibus componi Capitula & Corpora Canonicorum, in ſingulis præpoſitus eſt litteratus Gymnaſiarcha, qui ſub authoritate Epiſcopi Scholarum regimini intenderet, quique licentiam docendi Magiſtris idoneis impertiretur. Id obſeruatum procul dubio antequam vlla Vniuerſitas inſtitueretur, & neceſſariò: quippe ſi liberum fuiſſet vnicuique abſque vllô examine aut non obtentâ poteſtate ſcholam aperire, Eccleſia Dei hæreſibus & erroribus innumeris obnoxia fuiſſet.

Quod autem iſte Præpoſitus qui Scholaſticus, Capiſchola, Magiſter Scholæ Epiſcopalis dicebatur, docendi licentiam impertiretur etiam vbi nulla eſſet Vniuerſitas inſtituta, ſi authoritate confirmare opus eſt, Stephanus Tornacenſis exemplum ſuppeditat Ep. 133. ad Fulconem Scholaſticum & Magiſtrum Scholarum Aurelianenſium, qua cum rogat & monet vt iuxta mandatum Pontificium cuidam Magiſtro G. licentiam docendi indulgeat, ſin minus Pariſios ſe conferat oſtenſurus non eſſe idoneum nec peritum. *Sicut primo vos commonueram, ita & ſecunda commonitione vobis conſulo, vt Magiſtrum G. ſecundum mandatum D. Papæ* LICITE LEGERE PERMITTATIS. *Quod ſi forte nolueritis, peremptorio velim nolim vobis edicto denuncio, vt prima inſtantis aduentus Dominici Pariſius eundem G. ad tale regimen ſcholarum minus idoneum oſtendatis.*

Quare Pariſius? nimirum vt ego arbitror, quò palam fieret Academiæ malè illi M. G. conceſſum fuiſſe Magiſterium, nec ſatis diligenter examinatum. Patet ergo Fulconem Scholaſticum licentias docendi impertiſſe Aureliæ, vbi nondum erat Academia conſtituta.

In iis autem vrbibus vbi fuerunt erectæ Vniuerſitates, eiuſmodi Præpoſiti ſeu Scholaſtici & Magiſtri Scholarum Cancellarij nomen fere omnes aſſumpſerunt munuſque exercuerunt: vt ſcribit Innocentius Cironius Academiæ Toloſanæ Cancellarius in lib. 5. Decretal. tit. 5. de Magiſtris. *In aliis Eccleſiis*, inquit, *in locum Scholaſtici ſucceſſit* CANCELLARIVS Vniuerſitatum *ſublato Scholaſtici nomine: vt in Eccleſia Toloſana, Bituricenſi, Cadurcenſi. In quibuſdam Eccleſiis adhuc* SCHOLASTICI *nomen manet, vt in Eccleſia Aurelianenſi, quo ſignificatur Cancellarius.* Certè cum Paulus II. an. 1464. Vniuerſitatem Bituricenſem erigit, conſtituit, vt *Scholaſticus qui ab antiquo conſueuit diſponere Scholares dictæ Ciuitatis, ſit Cancellarius Vniuerſitatis, digniſque licentiam docendi impertiatur.* Similiter Papyrius Maſſonius de Berengario verba faciens qui obiit an. 1080. *Fuerat*, inquit, *Andegauenſis Archidiaconus, Theſaurarius, Scholaſticus: qui honores grauibus duntaxat, doctiſque viris deferebantur. Et in maximis Eccleſiis* SCHOLASTICI *munus erat Clerum docere: quo munere Bruno Remis, Berengarius Andegauis, Honorius Auguſtoduni Heduorum functi ſunt.* Et SCHOLASTICI *nomen in Eccleſia Andegauenſi hodie retinetur, quem honorem quiſquis habet*, ACADEMIÆ CANCELLARIVS EST.

Dubium autem non eſt quin Epiſcopi ipſi per ſe licentiam dare poſſent: & reuera in multis Vniuerſitatibus Epiſcopi Cancellariorum munere funguntur. In Patauina id ab ipſa inſtitutione obſeruatum legimus in Bulla Vrbani IV. circa an. 1260. data ad Epiſcopum Patauinum. *Lecta coram nobis Fraternitatis tuæ petitio continebat, quod Rectores Vniuerſitatis Magiſtrorum & Scholarium Paduæ deliberatione prouida ſtatuerunt, vt Scholares ipſius Vniuerſitatis qui debent in Magiſtros aſſumi, coram Epiſcopo Paduano præſentibus Doctoribus eiuſdem Vniuerſitatis examinari debeant diligenter, & idem Epiſcopus eis, ſi reperiantur idonei, debeat* DOCENDI LICENTIAM *concedere, & quod ſtatutum eiuſmodi eſt, vt affirmas inuiolabiliter obſeruatum.*

uatum. Nos igitur tuis ſupplicationibus inclinati ſtatutum ipſum ſicut eſt prouidè factum, ratum habentes & gratum authoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus, decernentes vt qui ſecus ibidem ſibi Magiſtri nomen aſſumpſerit, pro Magiſtro nullatenus aſſumatur. Idem à Clemente VI. & ab Eugenio IV. confirmatum. Quorum Pontificum Bullæ extant apud Anton. Ricobonum lib. 1. Gymnaſij Patauini. Idem fit Bononiæ, Baſileæ, Lipſiæ, Monpeſſuli, Remis: ibi enim Archiepiſcopus, ſeu eius Vicarius authoritate Apoſtolica licentias impertitur.

In Academia Louanienſi Præpoſitus Eccleſiæ Collegiatæ D. Petri perpetuus eſt Cancellarius, & in omnibus Comitiis & Conuentibus proximum à Rectore locum habet. Cuius Munus Martinus V. deſcribit in Bulla erectionis illius Vniuerſitatis. *Singuli*, inquit, *qui curſu feliciter conſummato in ea Facultate in qua huiuſmodi inhæſere ſtudio brauium obtinere meruerint, ſibique etiam pro aliorum erudimento docendi licentiam ac Doctoratus ſiue Magiſterij honorem petierint elargiri, per ipſorum inibi Doctores ſiue Magiſtros Præpoſito, quem Cancellarium ſtudij in Oppido huiuſmodi eſſe perpetuò volumus, ſi illic præſens fuerit: alioqnin Decano dictæ Eccleſiæ pro tempore exiſtentibus, ſiue aliis ab eis deputandis, præſententur, vt ab illis, ſi ſeruatis conſuetudine & modis ſuper talibus in dictis ſtudiis generalibus obſeruari ſolitis, ad hoc extiterint idonei ſufficienteſque reperti, licentiam & honorem ſortiantur & reportent ante dictas. Et quidem præſentati quamprimum illos adepti fuerint, abſque vlterioribus ab eis habendis examine & approbatione, in ipſa facultate in qua licentiam & honorem attigerint, in iiſdem legere & docere liberè & licitè vbique poſſint & valeant.*

Ex his liquet quale ſit præcipuum Cancellariorum munus. Liquet quoque tam Epiſcopos quàm Cancellarios potuiſſe licentias impertiri: quandonam verò in Vniuerſitate Pariſienſi impertiri cœperint, nunc inquirendum. Imprimis hoc eſſe videtur indubitatum, quandiu ſtetit Vniuerſitas in Palatio, neminem admiſſum fuiſſe ad docendum, qui ab Apocriſiario, quem diximus fuiſſe ſacri Palatij Antiſtitem, docendi licentiam non obtinuiſſet. Quippe ſecundus Ordo Palatij qui *Magiſtrorum erat & Scholarium* in rebus Eccleſiaſticis & Scholaſticis ab eius arbitrio & iudicio pendebat. Poſtquam verò Vniuerſitas è Luparæa Regione migrare coacta eſt, ſeque tranſtulit partim ad Atrium & loca Baſilicæ Epiſcopalis vicina, partim ad montem San-Genoueſianum vallemque ſubiectam, tum ditionis eſſe cœpit Epiſcopalis & San-Genoueſianæ: ac proinde ab Epiſcopo & Abbate, ſeu Decano Genoueſiano licenrias accipere, aut ab iis qui eorum nominibus Scholaſtico muneri erant præpoſiti.

Nec alia profectò, ſi bene attenditur, quærenda eſt huius inſtituti origo, & qui aliam fingunt, omnino fingunt. Migrantibus enim è Palatio Muſis iam ceſſabat Apocriſiarij iuriſdictio. Migrantibus verò ad ea loca quæ diximus, æquum erat vt Epiſcopus in atrio locisque aliis ſibi ſubiectis & Decanus ſeu Abbas San-Genoueſianus, qui in ſuo fundo Antiſtes erat, ſeu Vicarij ipſorum nominibus licentias impertirentur. Atque ita ſicut Rector in Scholas Epiſcopales & San-Genoueſianas quas inſtitutas reperit, ius acquiſiuit quoad regimen; ſic vterque Antiſtes ſeu Cancellarius in Magiſtros & Scholares, qui in ſuum fundum migrauerant, licentiandi ius extendit quod habebant in ſuos vterque ſubditos: ſicque è tribus Scholis Palatina, Epiſcopali & San-Genoueſiana vna Publica coaluit Pariſienſis Vniuerſitas.

Porro licet vnicuique liberum fuerit vbi vellet, ſcholam habere & aperire, videtur tamen Theologi plus cæteris frequentaſſe ſcholas Epiſcopales: tum quia pauci erant longéque pauciores, quàm profeſſores Artium: tum quia locus ille conuenientior erat Theologis ad docendum, cum ſchola Epiſcopalis propriè Theologica ſit & eſſe debeat. Vnde fit, vt Schola quoque iuris Canonici, poſtquam eius profeſſio inualeſcere cœpit, ibidem habita ſit diu, donec in vtraque Facultate aucto Profeſſorum numero arctior locus viſus eſt, adeo vt in montem quoque migrare coacti ſint.

Ex hac autem ſtatione Theologica tria iura quaſi peculiaria Cancellario Pariſienſi ſeu Epiſcopo in Theologos accidere viſa ſunt: quoad locum, quoad licentiam & quoad Conuentus. Quoad locum quidem, quia Theologiæ Profeſſionem ita Baſilicanis ſcholis addictam eſſe contenderunt, vt alibi non poſſet exer-

ceri. Vnde cum poſt Anſelmum Laudunenſem & Lombardum creuiſſet in immenſum Theologorum numerus & in monte San-Genoueſiano valleque ſubiecta Caſtra poſuiſſent, eos ad docendum intra duos Pontes reuocare ſub interminatione Cenſurarũ moliti ſunt, neminique Theologo licentiam impertiebantur, quem huic legi iuramento non adſtringerent. Qua de re San-Genoueſianos, quorum plurimum intererat, apud Gregorium IX. conqueſtos fuiſſe legimus, vt patet ex Bullis quas ipſe Gregorius dedit ad Cancellarium Pariſienſem & ad Curatores ſeu Commiſſarios quoſdam, quibus in rei veritatem inquirendi negotium demandabat; quarum Bullarum plurimi mentionem faciunt, apographum verò pro ſua humanitate mihi præbuit cum archetypo collatum Reuerendus P. Molinetus Canonicus San-Genoueſianus à quo Hiſtoriam Regiæ iſtius Domus expectamus. Prior quæ eſt ad Cancellarium talis eſt.

Gregorivs Episcopvs servvs servorvm Dei Dilecto Filio Cancellario Parisiensi sal. et Apostol. Bened. Dilecti filij Abbas & Conuentus S. Genoueſæ Pariſienſis nobis inſinuare curarunt, quod cum ad ius eorum pertineat vt Doctores Theologiæ & Decretorũ ac liberaliũ Artiũ de ipſorum licentia liberè regere valeant in Parochia & terra eorum infra Pariſienſium murorum ambitum conſtituta, tu Theologiæ Decretorumque Doctores ad regendum inter duos pontes adſtringis vinculo iuramenti, propter quod & ſi Doctores Artium de licentia ipſorum regant in prædicta Parochia, Theologiæ tamen & Decretorum Doctores non audent regere in eadem. Vnde non ſolum honori ſed etiam vtilitati Monaſterij ſui plurimum derogatur. Volentes igitur eiuſdem Monaſterij honores & iura illibata ſeruari diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi præmiſſis veritas ſuffragetur, illos qui prædictas ſcientias in parochia & terra ipſa docere voluerint, & ipſi ad id reputauerint eſſe idoneos, id facere ſine contradictione permittas: alioquin dilectis filiis Abbati & Priori S. Ioannis in vineis & R. de Coudun Archidiacono Sueſſionenſi noſtris damus litteris in mandatis, vt partibus conuocatis audiant hinc inde propoſita, & cauſam huiuſmodi, ſi partes conſenſerint, debito fine decidant facientes quod decreuerint per Cenſuram Eccleſiaſticam firmiter obſeruari: alioquin eandem ad nos remittant ſufficienter inſtructam præfigentes partibus terminum competentem, quo per procuratores idoneos propter hoc noſtro ſe conſpectui repræſentent. Datum Laterani 10. kal. Decemb. Pontific. noſtri an. 1. *id. an.* 1227.

Ex quibus verbis apparet hanc fuiſſe inter vtrumque Cancellarium materiam litis, quod Pariſienſis Theologiæ Decretorumque profeſſionem loco adſtringeret, nimirum intra duos pontes, minorem ſcilicet & maiorem, itaut extra hos limites licitè non poſſe exerceri contenderet, non item Artium profeſſionem. San-Genoueſianus verò omnium artium tam diuinarum, quàm humanarum exercitationem liberè vbilibet poſſe fieri conteſtaretur. Experientia autem demonſtrat viciſſe San-Genoueſianum, ſcholaſque omnes cuiuſcunque profeſſionis ſucceſſu temporum fuiſſe in montem tranſlatas.

Quo ad licentiam verò impertiendã, quæ erat altera pars litis, eadem experientia demonſtrat viciſſe Pariſienſem, ipſumque vnum & ſolum Theologis, Decretiſtis & Medicis earum concedendarũ ſibi arrogaſſe poteſtatẽ: quoad Artiſtas verò, vtrique communẽ & æqualem fuiſſe attributam. Quando nam vero id acciderit, & quamobrem, non eſt facile dictu: Nam temporibus Gregorij an. 1227. & Alexandri IV. circa an. 1256. videtur San-Genoueſianus adhuc habuiſſe generalẽ, tamque Theologis, Decretiſtis & Medicis, quàm Artiſtis licentiam impertiſſe.

Gregorij Bullam retulimus. Alexandri vero Bulla data Laterani 7. Kal. Decemb. an. 1. ad Cancellarium San-Genoueſianum hæc habet. *Diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta firmiter præcipiendo mandamus, quatenus* Regendi Parisivs in aliqva Facvltate Nemini licentiam *tribuas, qui dictam ordinationem noluerit obſeruare.* Et in altera data Anagniæ 14. Kal. Iulij an. 5. Præſentium tibi authoritate præcipiendo mandamus, quatenus nullum de cætero Licenties Parisivs in aliqva Facvltate, *niſi prius iuret Ordinationes & ſtatuta pro tranquillo ſtatu Pariſienſis ſtudij dudum à nobis edita, & ea quæ continentur in ipſis ſe inuiolabiliter obſeruaturum.* Ex quibus verbis liquet San-Genoueſianum generalem tum habuiſſe li-

centiandi poteſtatem. Quandonam verò & vnde arctata ſit eiuſmodi poteſtas, & Artiſtarum finibus coercita; item an id honori & primæuæ fundationi, an iuris imminutioni tribuendum ſit, controuerſia eſt.

Aliqui exiſtimant ob id dictum Cancellarium Facultatis Artium; quod cum Vniuerſitas Pariſienſis ob hanc Facultatem primùm inſtituta ſit, eaque primæuæ putetur eſſe originis, cum cæteræ ſint aduentitiæ; ipſa quoque ſuum habuerit initio Cancellarium origine & tempore priorem Cancellario Pariſienſis Eccleſiæ, qui cæteris Facultatibus acceſſoriis licentias impertitur. Et huius ſententiæ ſunt non contemnendi Authores Belforeſtius, Andreas Ducheſnius & Brolius in Antiquit. Pariſ. Belforeſtius quidem ſic habet. *On ſçait qu'enuiron l'an 1304. ſeant à Rome Benedict XI. du nom, ce Pape donna faculté au Chancelier de Noſtre-Dame de Paris de licentier & faire Docteurs en Theologie & en Decret. Or eſt-il qu'auant ce temps il y auoit Docteurs Theologiens à Paris & qu'il falloit qu'ils receuſſent les licences de la main de quelque Eccleſiaſtique. Il ne pouuoit eſtre autre que celuy de Sainte Geneuiefue, veu ſon ancien eſtabliſſement, ſi le Pape n'y auoit hommes exprés pour le fait de ces licences. Et de cecy fait foy vne Bulle du Pape Gregoire IX. en datte de 1227. laquelle montre apertement que le ſuſdit Chancelier de Sainte Geneuiefue vſoit & ioüiſſoit du Priuilege de licentier les Docteurs en Theologie & en Decret. Et ſi on met en auant qu'il n'eſt ſans grande occaſion appellé Chancelier des Arts, & que pour cette Faculté il a eſté inſtitué, il eſt aiſé à y reſpondre. Et la reſponſe ſera l'eſtabliſſement plus grand de l'authorité de ce Chancelier. Veu que chacun ſçait que l'Vniuerſité de Paris au commencement n'eſtoit que pour les Arts, & que les autres ſciences y ſont ſuruenuës comme Acceſſoires. D'où eſt auenu que du ſeul Corps des Arts on choiſit le Recteur & Procureurs des Nations, ainſi que nous auons dit cy-deſſus. Par ainſi le Chancelier de Sainte Geneuiefue eſtant celuy des Arts, s'enſuiuroit que ſeul il eſtoit iadis en cette Charge. Et celuy de N. Dame ayant receu le Priuilege de licentier les Eſtudians en Theologie & Decret long-temps apres que celuy de Sainte Geneuiefue en auoit pleine ioüiſſance, il me ſemble auſſi que mal à propos luy donne-t'on le ſimple titre des Arts, puiſque la generalité luy eſt deuë & octroyée. Si ce n'eſt que pour l'incapacité d'aucuns Chanceliers on y a pourueu: les Eſcoliers & les Nations preſentant au Pape requeſte pour ſe pouruoir ailleurs; qui a eſté cauſe que les Religieux perdans ce droit, ſe ſont contentez de la ſeule puiſſance de licentier les Artiſtes.* Ita Belforeſtius.

Brolius verò lib. 2. Antiquit. Pariſienſ. plurima quoque affert in hanc rem non indigna memoratu. Sic ergo ille. *Le Chancelier de S. Geneuiefue a eſté ſeul iadis en cette Charge. Car nous trouuons que les premiers Colleges & plus habitez furent fondez en cette Montagne, eſquels il ſemble que les Chanoines de S. Geneuiefue y commettoient des Regens & Precepteurs comme on le peut coniecturer des paroles ſuiuantes, qui ſe liſent en vne Epitaphe, qui eſt en l'Egliſe de S. Iean l'Euangeliſte de Liege, honorant la memoire de Notger iadis Eueſque de ladite ville, lequel viuoit pendant le Regne de Robert fils de Capet.* Quid de Huboldo dicam? qui dum adoleſcentulus e Scholari diſciplina aufugiſſet, Pariſius veniens S. Genouefæ Canonicis adhæſit, in breui multarum Scholarum inſtructor fuit, vbi cum aliquandiu à D. Notgero ignoraretur, tandem Canonica Epiſcopalis ſententiæ executione compulſus eſt redire, pluribus ibi relictis ſtudiorum ac moralitatis inſignibus. *Et de ce que le ſeul Chancelier de l'Vniuerſité auoit eſté pris de cette maiſon pluſtoſt que d'aucune autre; car ce ne fut qu'en l'an 1304. que le Pape Benoiſt XI. crea & donna la meſme puiſſance & faculté au Chancelier de N. Dame. Et par conſequent le Chancelier de Sainte Geneuiefue eſtoit donc ſeul en cette Charge, puis qu'il appert qu'auant ce temps il y auoit des Theologiens & des Eſtudes en noſtre ville, leſquels receuoient indubitablement les licences de la main de quelque Eccleſiaſtique, qui ne pouuoit eſtre autre que ce Chancelier de S. Geneuiefue, veu ſon ancien eſtabliſſement. Que ſi on vouloit dire qu'il n'euſt eſté inſtitué & eſtably que pour la ſeule Faculté des Arts, comme le nom qu'on luy attribuë de Chancelier des Arts le fait preſumer, ie reſpondrois & iuſtifierois par ma reſponce la ſeule authorité de ce Chancelier. Car puis que chacun ſçait que l'Vniuerſité de Paris n'eſtoit au commencement que pour les Arts, les autres Sciences y eſtans depuis admiſes par Acceſſoire, comme encore, pour reconnoiſſance on n'élit le Recteur ny les Procureurs des Nations que du ſeul Corps de cette Faculté, ainſi que nous dirons cy-apres, Il s'enſuit donc que le Chancelier de Sainte Geneuiefue eſtant pour la*

Faculté des Arts, eſtoit tout ſeul en cette Charge. Outre que nous auons encore les Bulles des Papes Gregoire IX. & Alexandre IV. Qui montrent aſſez que non ſeulement le Chancelier de Sainte Geueniefue auoit pouuoir de Licentier les Artiſtes de toute ancienneté, mais dauantage les Theologiens & Decretiſtes.

Et poſtquam Bullas illas retulit, quibus conſtat Cancellarium prædictum in quacumque facultate licentias impertiri ſolitum, ſubdit. *Ce qui rend preuue aſſez ſoluable de l'ancienne authorité de ce Chancelier S. Geneuiefue & de la connoiſſance d'icelle de noſtre temps, puis que ce Chancelier eſt declaré tant pour les Arts que pour les autres Facultez.*

Andræas Ducheſnius in Notis ad Abaelardum eandem ſententiam iiſdem rationibus confirmat. Poſtquam enim retulit locum præallatum de Huboldo Leodienſi, ſubdit. *Quare & in illius rei memoriam ac velut honorificum teſtimonium Cancellarius Vniuerſitatis Pariſienſis ex ſola Canonicorum S. Genouefæ Congregatione longo poſtea tempore delectus eſt, & vſque ad Pontificatum Benedicti XI. Papæ, qui primus authoritatem ac Facultatem parem Cancellario Eccleſiæ B. Mariæ Virginis conceſſit.*

Hæc Sententia, vt verè dicam multum habet probabilitatis, ſed falſo nititur fundamento. Probabile quidem eſt Muſas poſt migrationem è Luparæa regione primùm inhabitaſſe montem San-Genoueſianum, vt Huboldi exemplo rectè probatum eſt; quia hic locus commodior erat exercitio litterarum atque à ſtrepitu vrbis remotior: Sicque ſuum ibi primitus habuiſſe Cancellarium, qui licentiam concederet: deinde verò nonnullas deſcendiſſe in Atrium, ſcholaſque clauſtrales & alias vicinas occupaſſe: iſtas verò proprium quoque vt in alio fundo poſitas habuiſſe Cancellarium: atque ita vtrumque in ſua quemque ditione licentias impertiſſe Magiſtris cuiuſcunque Facultatis eſſent. Vt videntur ſignificare Bullæ Gregorij & Alexandri. Quæſtionem iſtam in medio poſitam relinquo, nec definio. Crediderim tamen Theologos prius inhabitaſſe Atrium, quàm montem: & ſecutis temporibus ex atrio in montem quoque migraſſe.

Verum certum eſt Benedictum XI. an. 1304. non primùm dediſſe Cancellario Pariſienſi licentiandi poteſtatem in Theologia & in Decretis; ſed ademptam tantummodo reſtituiſſe. Bonifacius enim VIII. ægrè ferens Doctores Theologos & Decretiſtas de controuerſia quæ inter ipſum & Philippum Pulchrum intercedebat, conſultos Philippo fauiſſe, non tantum Cancellario Pariſienſi, ſed aliis omnibus interdixerat omni poteſtate licentiandi in iſtis Facultatibus, vt patet ex eius Bulla data Anag. 18. Kal. Sept. an. 1303. Benedictus verò Bulla ſua data Viterbij 14 Kal. Maij an. 1304. eandem reſtituit: vt ad illum an. referemus.

Quandonam verò Sangenoueſiani poteſtas arctata ſit & Facultatis Artium finibus coercita & quamobrem, non eſt facile dictu. Certe negari non poteſt quin communem & æqualem olim habuerit cum Pariſienſi, vt conſtat ex Bullis Gregorij IX. & Alexandri IV. Itaque, aut incuriâ, aut lege & ſtatuto aliquo eam amiſerit neceſſe eſt: vt rectè ſcribit Brolius. *Il eſt aduenu ſoit que les Religieux de Sainte Geneuiefue ayent perdu ou égaré leurs vieilles Chartres, ou qu'il y ait eu quelque nouuelle Ordonnance en faueur du Chancelier de Noſtre-Dame, que maintenant les Facultez de Theologie, Decret & Medecine vont ſeulement à l'Eueſché pour les Licences & le Bonnet, & pour les Arts ſont departis à tous les deux Chanceliers.* Ita pleraque iura deſuetudine pereunt, & amiſſa ſemel non facilè reuocantur, cum datus eſt vſurpationi locus: quemadmodum accidit in electione Cancellarij Pariſienſis: nam cum nulli olim Facultati addictus eſſet, ſed ex omnibus & ſingulis promiſcuè & indiſcriminatim ſumi poſſet, quia tamen longo annorum decurſu plurimi fuerant ex Ordine Theologorum aſſumpti, poſt mortem Dionyſij Citharoedi contendentibus de Cancellariatu duobus circa an. 1482. quorum vnus erat M. Ioannes Huë Doctor Theologus, alter M. Ambroſius de Cameraco Decretorum Doctor, (cuius cauſæ acceſſit Vniuerſitas) vix obtentum eſt, vt libertas antiqua remaneret. Ea de re Robertus Gaguinus ad Cardinalem Borbonium elegantem orationem habuit, ex qua paucula hæc decerpimus.

Cum duæ ſint in ſchola noſtra primariæ dignitates, Rectoratus & Cancellaria, quidam ſibi alteram ita ambiunt & vſurpant, quaſi nemini niſi Theologo debeatur. Et iſti quidem noſtri turbatores id maximè nunc agunt, & per conuenticula & clandeſtinas conciones vt

totus ipſe Theologorum cætus id petere iure optimo videatur; cum reuera bona pars eius Facultatis ab hac ambitione longè diſſentiat & iſtorum quidem non dicam temeritati ſed audaciæ vt noſtrum ſe opponeret ſtudium, conuocatâ nudius tertius graui filiorum ſuorum Concione appellationis ſe clypeo contra communis honoris vſurpatores protexit. Adeoque fuit ad hanc rem vnus & concors omnium aduerſum iſtam pauciſſimorum Theologorum nouitatem vanitatemque conſenſus, vt ad infringendos conatus eorum corpora ſua imprimis & fortunas omnes impendere ſint libertimè ſolliciti. Et poſtquam multas rationes ad confirmationem rei propoſitæ retulit, ſic tandem concludit.

Non deſunt prætereà ex Artium Liberalium ſtudio graues Philoſophi & variarum diſciplinarum præceptores, qui hoc orant atque ſimiliter comprecantur, ne præter ſuæ appellationis ſpectatiſſimam rationem aliquid per ius prætenſæ deuolutionis veſtra ſapientia de noſtri Cancellarij cauſa commutet. Ne in quo iure ſeptingentos fere annos FELIX SCHOLA PARISIORVM *quietiſſimè manſit, in eo per paucos admodum Theologos diſpendium accipiat, neue ab eo honore Cancellariatus* VLLA STVDII NOSTRI FACVLTAS *ſegregetur, quam ipſis quoque aduerſariis bono animo ſuſtinemus per vices eſſe communem.*

Lis iſta anno circiter 1482. incepta, nondum erat an. 1489. deciſa. Electus tamen à reliquis Facultatibus Ambroſius de Cameraco Cancellariatum geſſit; eique ſucceſſit Stephanus Poncherius, poſtea Epiſcopus Pariſienſis. Ante Ambroſium verò idem munus geſſerat Ioannes Guignecurtius Baccalaureus in Theologia an. 1387. in quo primum ait Hemeræus prætermiſſam fuiſſe legem antiquam Facultatis Theologicæ; Nulli vt Cancellaria niſi Magiſterium in Diuinitate conſecuto committeretur. Hæc de Cancellariorum Pariſienſium inſtitutione ſufficiant. Nunc de muneribus & regimine Scholarum, quod illis tribuit Hemeræus, dicendum.

Munera Cancellarii Pariſienſis hæc duntaxat fuiſſe legimus. Nomine Epiſco- *De Regimi-*
pali vel Apoſtolico cenſuris illigare, ab iiſdem abſoluere, licentiam docendi *ne Cancel-*
vtroque nomine impertiri, Magiſtrum aliquem in clauſtro præficere ad docen- *larij Pari-*
dum, Bibliothecæ & ſigilli capitularis curam habere. Extant in hanc rem ſtatuta *ſienſis.*
Odonis Epiſcopi an. 1207. Petri Cambii an. circiter 1215. in quibus cum de Cancellarij muneribus agatur, nihil quidquam de præfectura Academiæ Pariſienſis habetur: quod veriſimile non eſt prætermiſſuros fuiſſe, ſi ius illud habere crediſſent.

Materia litium vna fere ſemper hæc fuit, exactio pecuniæ pro licentiarũ cõceſſione. contendebat Vniuerſitas gratis debere concedi. Cancellarius laborem examinis obtendebat. Et hinc opinor orta eſt an. circiter 1130. aut 32. inter Walonem ſcholareſque Pariſienſes & Stephanum Epiſcopum Algrinumque Cancellarium controuerſia. Conquerebantur ſcholares ſe contra leges & ſtatuta à Cancellario grauari. Walo qui tum erat, vt credibile eſt, Vniuerſitatis Rector, Scholarium cauſam ſuſcipit, diem Algrino dicit, nec forte petulantium iuuenum iniurias prohibet. Epiſcopus interminatur cenſuras niſi ab iniuriis abſtineant, & fulminat. Walo Innocentium Papam appellat, qui cauſam penes ſe retinet: interim Stephanus Algrinum authoritate & patrocinio ſuo munit, contra quem Walo apud Henricum Archiepiſcopum Senonenſem & Metropolitanum patrocinium inuenit. In tota iſta lite, quæ magno animorum æſtu agitata eſt, ne verbum quidem legitur de poteſtate Cancellarii in ſcholares, deque Scholarum Pariſienſium Præfectura.

Alexander III. circa an. 1163. agnoſcens frequentium rixarum & litium materiam eſſe eiuſmodi exactionem, expreſſo cauit edicto, ne vllus Cancellarius pro licentiis dandis quidquam exigeret aut acciperet. Nonnnihil tamen indulſit poſtea M. Petro Comeſtori Cancellario, ſed ita, vt perſonam eius non excederet.

Anno 1208. Vniuerſitas de Cancellariatu deiecit M. Ioannem de Candelis, propterea quod ab iis, quibus licentiam impertiebatur, pecuniam contra Academiæ ſtatuta & ſanctiones Eccleſiaſticas exigebat, iuramentumque obedientiæ ſibi præſtari volebat à Theologis præſertim & Decretiſtis, vt non alibi quàm in Scholis Epiſcopalibus, aut intra pontes docerent. Et cum res iſta præſentibus Petro Cambio Epiſcopo & Legatis Innocentii III. agitaretur, nihil quidquam

de Rectorij Magiſtratus creatione aut prælatione conqueſtus eſt , ſed tantum
quod ſibi nihil pro licentia impertienda exigere liceret.

Eadem Vniuerſiras ſimiliter circa an. 1271. Ioannem de Allodiis vulgo de Au-
relianis , qui Fernandum Aragonem nullo tentatum examine ad Magiſterium
promouerat,& de licentiis pecuniam exigebat,Cancellariatu cedere coegit. Lis
hæc Romam delata ab an.1271.ad an.1328. durauit.Conſecutis temporibus eadem
quæſtio & ſola ſemper in diſceptationem venit, multotieſque ſopita reuixit an.
1375. tum Cancellario M. Ioanne de Caloribus : & an. 1381. Cancellario Ioanne
Blanchard lis ad Pontificē delata:deinde in Senatu Pariſienſi diu agitata eſt.Ex-
tant vtriuſque Partis rationes & argumenta in actis Curiæ. Nihil ibi Rectoriæ di-
gnitati aut antiquitati derogatur. De honorario tantum quæſtio vertitur in licen-
tiarum impertitione. Vnde colligitur euidentiſſimè Cancellarium Rectori fuiſſe
ſemper & ab omni æuo ſubditum,quoad regimen Vniuerſitatis.

His addamus Cancellarium à Rectore & Vniuerſitate recipi, non Rectorem
à Cancellario inque ſui receptione iuramentum præſtare , ſe licentiaturum di-
gnos, indignos verò repulſurum , non clam , non ſolum, ſed palam, præſentibus
examinatoribus ab Vniuerſitate datis aut confirmatis & approbatis.

Ex his ergo liquet Rectoratum & Cancellariatum ſemper fuiſſe diſtinctos Ma-
giſtratus & veluti vicariatus duplicis ſupremæ poteſtatis , Regiæ & Pontificiæ.
Nam cum duplex ſit in Vniuerſitate adminiſtrationis ratio , vna Eccleſiaſtica &
ſpiritualis , altera politica & temporalis, vt vocant, Eccleſiaſticæ ſemper præfec-
tus fuit Epiſcopus aut Cancellarius , Politicæ Rector. Cancellarius repræſentat
Epiſcopum aut ſummum Pontificem in iis quæ ad fidem , religionem & con-
ſcientiam ſpectant, dum licentias impertitur cauetque ne quis ignarus Chri-
ſtianorum dogmatum , aut Facultatis quam profiteri vult,imperitus, aut non or-
thodoxus ad regimen ſcholarum admittatur:item cenſuris illigat, ab iiſdemq; &
à caſibus reſeruatis abſoluit. Hinc olim Pontifices vulgo ad Cancellarium tan-
quam ad ſuum vicarium ſcribebant, ſi quid vellent in Vniuerſitate fieri. Rector
inſtitutionis eſt Regiæ,Comitia indicit,Comitiis præeſt , conſilium habet Aca-
demicum, iuriſdictionem exercet , purpuram geſtat, edicta legeſque fert de con-
ſilio ordinum, ſcholarum regimini præeſt, vno verbo in Vniuerſitate Regis vices
obit, ſeu Vicariam dignitatem gerit. Vnde cum Reges aliquid Vniuerſitati man-
dant, ad Rectorem litteras ſuas dirigunt , tanquam ad eum cuius eſt vices ſuas
agere. Hinc San-Victorini Canonici de præceſſione cum Benedictinis conten-
dentes *quis dubitet*, inquiunt *contendatque nobis idem ius locumque deberi in Acade-
micis quàm in Regiis ſupplicationibus, cum in iis ampliſſimus Rector Regis ſuſtineat per-
ſonam?*

Denique Rectoris dignitas Regia ſemper fuit & Regiæ inſtitutionis : Cancel-
lariorum vero Authoritas non ſemper Apoſtolica, nec Pontificiæ inſtitutionis.
Quippe valde credibile eſt initio Epiſcopum ipſum in ſua ditione ; item Abba-
tem ſeu Decanum San-Genoueſianum in ſua & vtriuſq; Cancellariū eorum no-
mine licentias impertiſſe: at quia ſic non poterant generalem & vbique docendi
licentiam impertiri , quippe vtriuſque ditionis finibus illorum poteſtas circum-
ſcribebatur & concludebatur , neceſſe fuit ampliorem a ſummo Pontifice po-
teſtatem & authoritatem obtinere, ſecundùm quam ita ſolent licentiare. Ego N.
AVTHORITATE APOSTOLICA QVA FVNGOR IN HAC PARTE DO TIBI POTESTATEM
DOCENDI , REGENDI, INTERPRETANDI , OMNESQVE ACTVS SCHOLASTICOS EXER-
CENDI HIC ET VBIQVE TERRRARVM.

Sigillum Vniuerſitatis. Sunt præterea qui Sigilli Academici cuſtodiam penes Cancellarium olim fuiſ-
ſe putant. Nimirum ſic exiſtimant, quod quemadmodum Rex per Cancellarium
Franciæ gratias & beneficia ſua expedit, ſigilloque muniri curat: ita & Rector Aca-
demiæ per Cancellariū licentias docendi & benedictionē Apoſtolicam quam ipſe
dare non poterat, impertiebatur, litteraſq; ſigillo cuius cuſtodiā habebat, muniri
curabat. Idq; videtur ſenſiſſe Ludouicus Seruinus l. 1. cauſarū Forenſiū in cauſa
Hamiltonis, his verbis. *Quant au Chancelier qui eſt en l'Egliſe de Paris , il garde bien
les ſceaux de l'Vniuerſité, mais il n'en eſt le Chef: ains le Recteur qui eſt le premier & ſeul
en qualité auec l'Vniuerſité és cauſes qui touchent les Eſcholes & les eſtudes. Il eſt vray
que le Recteur qui eſt Laic , parce qu'il ne peut pas benir apres que les Eſcholiers ſont paſ-*

ſez Maiſtres & admis angiron de l'Vniuerſité, il les preſénte au Chancelier qui eſt Ecclesiaſtic à ce qu'il leur donne la benediction. Mais pourtant il n'a pas la direction & conduite des Colleges ny des Eſcholiers qui ſont és eſtudes publiques, ains elle appartient à l'Office du Recteur ad quem ſpectat prouiſio Magiſtrorum qui debent dici ſcholares, *comme i'ay veu par vn acte de 1271. enregiſtré au liure de l'Vniuerſité.* Quod hicait Seruinus Cancellarium eſſe Cuſtodem Sigilli Academici, ſi de ſuo tempore loquitur, alienum eſt à veritate & ab hiſtoria: ſi de priſcis tempotibus, id non abſque fundamento eſt.

Hæc enim opinio poteſt fulciri anthoritate Chtonici Turonenſis, cuius mentionẽ faciunt Sammarthani in Gallia Chriſtiana ſub Battholomæo Pariſienſi Epiſcopo an. 1223. aientis paulo ante hunc annum *Vniuerſitatem Pariſienſem cœpiſſe proprio vti ſigillo in præiudicium Cathedralis Eccleſiæ.* Vnde infertut Vniuerſitatem ante ea tempota aut non habuiſſe aliud ſigillum quàm Capitulare, aut ſi proprium, illud penes Cancellarium fuiſſe. Duo igitur nunc ſunt inueſtiganda, an Vniuerſitas proprium habuerit ſigillum ante ea tempora, & penes quem fuerit.

Quod proprium habuerit, non videtur poſſe dubitari, ſi attendimus ipſam verum Corpus litteratorum hominum ab initio conſtituiſſe, vt ſupra demonſtratum eſt: Corporis autem notas certiſſimas ſecundum Iureconſultos eſſe has 4. *Arcam communem, Res communes, Sigillum commune & Actorem ſeu Syndicum.* Deinde certum eſt ipſam centum annos in Palatio Suburbano ſeu in Luparæa regione conſtitiſſe extra dominium Eccleſiæ Cathedralis. Tunc ergo ſi Corpus fuit, Sigillum proprium habere potuit, quod ſi habuit, non videtur quamobrem eo vti deſierit, poſtquam in Atrium & in montem San-Genoueſianum ſe tranſtulit. Quanquam forte tum non alio quàm Rectorio vtebatur. Quando nam verò commune illud, quo nunc vtitur, habere cæperit, nemo credo dixerit. Certè antiquiſſimum eſſe conſtat vel ex iconibus inſculptis quas præſe fert, D. Virginis veluti in throno ſedentis, & Diuorum Nicolai & Catharinæ qui ab omni æuo Patroni ſunt communes Nationum, ſeu primigeniæ Vniuerſitatis.

An vero Cancellarius Pariſienſis eiuſdem cuſtodiam habebat? Nihil memini me legere. Scio quidem illum cuſtodem fuiſſe ſigilli Capitularis, & cum temporibus Petri Cambij Epiſcopi mota fuiſſet lis inter ipſum & Capitulum de emolumento Sigilli, tandem an. 1215. Pacem fuiſſe inter eos compoſitam hac lege vt in expediendis & ſigillandis Chartis quæ ad Eccleſiam aut Eccleſias ipſi ſubiectas & Capitulum pertinerent, nihil emolumenti perciperet, in cæteris quæ ad alios, 4. denarios haberet. *Si vero extranea perſona aliqua ſuper rebus quæ ad aliquam perſonarum vel Eccleſiarum prædictarum pertineant, litteras ſeu Chartam vel aliud inſtrumentum petierit, quatuor tantummodo denarios inde habebit Cancellarius tam pro ſcriptura quàm pro cera vel ſigillo.* At in eo inſtrumento nihil quidquam de Vniuerſitate aut ſcholaribus, cum tamen tunc temporis ob licentias grauis eſſet inter Cancellarium & ipſam Vniuerſitatem diſcordia. Imo neque in reformatione eiuſdem an. per Robertum Curthonium Cardinalem Legatum facta, ſicut nec in Scripto Petri Epiſcopi, quod ad rationem examinis potiſſimum ſpectabat, cuiuſque fit mentio in eadem reformatione.

Neque etiam in reformationibus ſeu ſtatutis ab Honorio III. & Gregorio IX. poſt Bartholomæum Epiſc. factis; in quibus multa habentur de Cancellario; Nihil vero de Sigillo, aut quod ipſi Cancellario ablatum fuiſſet, aut quod Vniuerſitas ſibi arrogaſſet. Veriſimile autẽ non eſt, ſi in *præiudicium Cathedralis Eccleſiæ* factum fuiſſet, vt in illo Chronico Turon. dicitur contineri, ſilentio præterituros fuiſſe Epiſcopum, Cancellarium aut Capitulum, aut cum Vniuerſitate iniuriarum non acturos. Itaque cum nihil ea de re expoſtulatum legamus, alterum è duobus videtur poſſe inferri, aut non eſſe verum quod ex illo Chronico refertur, aut ſi Cancellarius cuſtos tum erat Sigilli Academici, non factam illi fuiſſe iniuriam, cum in Archiuo repoſitum eſt, ac proinde non habuiſſe vnde quereretur, quod Vniuerſitas iure ſuo vteretur.

Reſtat 3. ius Epiſcopi & Cancellarij Pariſienſis in Cœtus ſeu Conuentus Theologorũ: legimus enim paſſim in hiſtoria eos ſæpe coëgiſſe & Magiſtros in Theologia præſertim, ad res fidei & Religionis decidẽdas conuocaſſe, quod munus obeunt hodie Decanus & Syndicus eiuſdem Facultatis. Ius autem eiuſmodi non

Digitized by Google

aliunde prouenire videtur, quã aut ex eo quod in ſcholis Clauſtralibus & Atrienſibus iuridictioni Epiſcopali ſubiectis docebant: vel ex eo quod iuxta ſanctiones Canonicas in ſingulis Cathedralibus Theologicæ Cathedræ curam & præfecturam habebant Epiſcopi.

Verum vna tantùm eſſe poterat, nec ea publica, ſed ad inſtructionem tantummodo Canonicorum, aut ad ſummum Diœceſanorum Clericorũ. Contra Academicæ omnibus omnium gentiũ patere debent, ac proinde alterius ſunt generis, & ab alia iuriſdictione pendent, puta ab ea quam Fundator inſtituerit. Itaque crediderim Epiſcopum & Cancellarium Pariſienſem poteſtatis & authoritatis ſuæ terminos prætergreſſos fuiſſe, cum omnes Theologos ad docendum intra duos pontes aſtringere voluerunt; quorum ſcilicet non erat aut eſſe poterat ſcholis publicis locum præſcribere.

Ius igitur proprium Epiſcopi, & ſub Epiſcopo, Cancellarij eſt Scholam in Epiſcopio habere Theologicam vel Canonicam, Magiſtrum præficere eiuſque regimini intendere; nec aliud video ſacris Canonibus contineri. Imo Petrus Cambius an. 1215. Pacem inter Cancellarium & Capitulum componens, non aliud aſſignat. Sic enim in inſtrumento legitur. *Libros in bono ſtatu tenebitur conſeruare &* TALEM INSTITVERE MAGISTRVM IN CLAVSTRO *qui ſufficiens ſit ad Scholarum regimen & ad Officium quod debet facere in Eccleſia, & ad litteras Capituli, ſi opus fuerit, faciendas.*

Talis autem Schola, publica non erat, nec Publicarum iuribus gaudere poterat, nec qui ſub tali Magiſtro ſtuduiſſent, ad Gradus Magiſtrales promouendi cenſebantur. Itaque cum an. 1384. Clemens VII. conceſſit Doctori Clauſtrali in Decretis eiuſque Scholaribus frui iuribus Academicorum, reluctantibus ipſis Academicis, non id ſe ex iure, ſed ex mera ſua liberalitate & indulgentia con-
„ cedere faſſus eſt. Sic enim ait in Bulla data Auenioni 17. Kal. Sept. an. 6.
„ Nos cupientes Quæſtioni huiuſmodi finem imponere ipſamque Eccleſiam ſpe-
„ cialis in hac parte prærogatiua gratiæ decorare, motu proprio non ad ipſorum
„ Iacobi, Decani & Capituli vel alterius pro eis nobis ſuper hoc oblatæ petitionis
„ inſtantiam, ſed ex mera noſtra liberalitate prædicto Iacobo, Decano & eius ſuc-
„ ceſſoribus Decanis ipſius Eccleſiæ & præfatis Capitulo authoritate Apoſtolica
„ præſentium tenore concedimus, quod deinceps in perpetuum vnus Canonicus
„ prædictæ Eccleſiæ præbendam inibi obtinens, Decretorum & ipſorum Doctor
„ qui in eodem ſtudio inſigne ſuſceperit, memorata iura Canonica in dictis Scho-
„ lis (*Clauſtralibus*) ordinariè legere valeat.... quodque Canonicus eiuſdem Ec-
„ cleſiæ iura prædicta in iiſdem Scholis pro tempore, vt præmittitur, legens, ve-
„ rus Regens in iiſdem Iuribus perinde reputetur, ac ſi iura prædicta ordinariè in
„ Vico legeret ſupradicto. Et quod ſcholares ſui in iiſdem ſcholis perinde tempus
„ ad lecturam Doctorum ipſorum per ſtatuta & conſuetudines dicti Studij defini-
„ tum cenſeantur complere, ac ſi in Vico prædicto ſub Doctoribus pro tempore
„ in eo regentibus eadem iura audirent. Et quod Canonicus ſic legens, illis qui-
„ bus Doctores Regentes pro tempore in dictis Iuribus in vico prædicto; Scholares
„ verò prædicti illis honoribus, priuilegiis, libertatibus, franchiſiis & immunita-
„ tibus, quibus ſcholares ſub Doctoribus in ipſo vico pro tempore regentibus vti
„ & gaudere noſcuntur, vti valeant & gaudere. Volumus autem quod in cæteris
„ Canonicus in dictis Scholis, vt præmittitur, legens & Scholares ſub ipſo in iiſ-
„ dem Scholis iura audientes, prædicta ſtatuta & conſuetudines Facultatis eiuſ-
„ dem ſeruare & Decano Facultatis & Collegio ſupradictis obedientiam in lici-
„ tis & honeſtis, ſicut cæteri Doctores Decretorum ipſorum & Scholares ſtu-
„ dentes in ipſis dicti Studij impendere teneantur.

Hinc igitur intelligitur Scholam illam Clauſtralem de iure non potuiſſe cenſeri inter Academicas & Publicas: quandoquidem Pontifex ſingulari priuilegio talem conſtituit, vnde etiam liquet multo minus poſſe Cancellarium alibi quàm in Clauſtro Scholas Publicas collocare. Itaque cum poſt ſeceſſionem Academicorum, de qua dicemus ad an. 1229. M. Philippus cognomento Cancellarius Dominicanos admiſit ad docendum publicè, nondum ab Academia in conſortium receptos, omnino in leges Vniuerſitatis peccauit, potuitque læſæ maieſtatis Regiæ conueniri, quod non modò ſuæ poteſtatis limites excedere,

dere, ſed inſtitutionem Regiam conuellere auſus fuiſſet: cum ipſe licentias quidem impertiri poſſit, ſcholas publicas erigere non poſſit, niſi iuxta leges Academieas à Rectore & Vniuerſitate probatæ fuerint, & ij quos ad docendum admiſerit, ab eadem Vniuerſitate prius in Societatem recepti ſint. Quæ cauſa fuit tam multorum diſſidiorum, quæ per 20. annos Academiam turbarunt, totumque eius ſtatum conuulſerunt.

Et hinc etiam intelligitur Cantorem Eccleſiæ Pariſienſis poſſe quidem in regionibus Vrbis minores, ſeu vt vulgò loquimur, PARVAS SCHOLAS conſtituere & iis Magiſtros præficere qui legere & ſcribere doceant, & ad ſummum primis litterarum elementis & rudimentis informent, non poſſe verò, qui quod eſt Vniuerſitatis, vltra doceant: vt pluribus ſtatutis, legibus & Senatus-Conſultis cautum eſt.

DE GENERIBVS DISCIPLINARVM Primi Seculi.

RESTAT vt alteram partem ſtatus Academiei, quæ eſt de generibus Diſciplinarum hocce primo ſeculo in Academia Pariſienſi exercitarum diſſeramus. Imprimis autem certum eſt ab initio ſeptem Artes Liberales in ſcholis Palatinis traditas fuiſſe, vt patet ex hiſtoria Monachi San-Gallenſis, in qua legitur commiſſos Clementi adoleſcentes Imperatori reuerſo porrexiſſe Epiſtolas & Epigrãmata, vnde eorum in Artibus profectum agnouit. Erricus Antiſſiodorenſis ait ſimiliter in Ep. dedicatoria Caluum vndequaque Magiſtros Artium ad publicas Scholas euocaſſe. *Id vobis ſingulare ſtudium effeciſtis, vt ſicubi terrarum* MAGISTRI *florerent* ARTIVM, *hos ad* PVBLICAM ERVDITIONEM *vndequaque veſtra Celſitudo conduceret.* Et infra. *Ita namque ſpretis cæteris in eam mundi partem, quam veſtra poteſtas complectitur,* VNIVERSA OPTIMARVM ARTIVM STVDIA *confluxerunt.*

Iis præſertim delectabatur Carolus, & ipſe nonnunquam aut ſolutâ aut ſtrictâ oratione ſcribebat. Hinc in eius gratiam edidit Alcuinus libellum ſeptem Artium, & ſpecialem Dialogum de Rhetorica, in quo Carolum ſecum diſputantem inducit: ei verò hoc Epigramma præfixit.

Qui rogo Ciuiles cupiat cognoſcere mores
Hæc præcepta legat quæ liber iſte tenet.
Scripſerat hæc inter curas Rex CAROLVS AVLÆ
Albinique ſimul: hic dedit, ille probat.
Vnum opus amborum, diſperſi cauſa duorum:
Ille Pater Mundi; hic habitator iners.
Neu temnas modico LECTOR *pro corpore Librum.*
Corpore prȩmodico mel tibi portat apis.

Et in Dialogo de Grammaticâ ſic Diſcipulus Magiſtrum rogat. *Quos toties promiſiſti ſeptenos Theoriſticæ Diſciplinæ Gradus, nobis oſtende.* Et M. *Gradus, quos quæritis (& vtinam tam ardentes ſitis ſemper ad diſcendum quàm curioſi modo eſtis ad videndum) Grammatica, Rhetorica, Dialectica, Arithmetica, Geometria, Muſica & Aſtrologia. Per hos enim Philoſophi ſua contriuerunt otia atque negotia: iis namque Conſulibus clariores effecti; iis Regibus celebriores; iis videlicet æternâ memoriâ laudabiles; iis quoque ſancti & Catholici noſtræ fidei Doctores & defenſores omnibus Hæreſiarchis in contentionibus publicis ſemper ſuperiores extiterunt. Per has verò, filij chariſſimi, ſemitas veſtra quotidie currat adoleſcentia; donec perfectior ætas & animus ſenſu robuſtior ad culmina Sanctarum Scripturarum perueniat: quatenus hinc inde armati veræ fidei defenſores & veritatis aſſertores omnimodis inuincibiles efficiamini.*

Porro vt erat Carolus vir Ordinis amator, ſingulis Diſciplinis Scholas & Profeſſores aſſignauit, ne ſibi inuicem obſtreperent, vtque ſinguli vni duntaxat profeſſioni intenti melius officium ſuum exequerentur: imitatus proculdubio

Theodoſium, qui in Auditorio Capitolino multiplices ſcholas diſponi voluit à ſe inuicem muris diſcretas, ne Diſcipuli vel Magiſtri ſibi obſtreperent, *neue linguarum confuſio permixta vel vocum aures quorundam aut mentes à ſtudio litterarum auerteret.* Hunc autem ordinem cum inſtituiſſet Carolus, optauit ab Alcuino comprobari: & ille verè ne an ironicè, reſcripſit vnum ſe non probare, quod ſola Poëſis e Regia exularet, forte quia Magiſtrum non habebat, vt reliquæ, ſingularem; cætera verò tam eleganter & accuratè eſſe diſpoſita, vt nihil deſiderari poſſe videretur. Sic ergo ille Poëmate 221. ad Carolum.

Hæc mihi cuncta placent, iſte eſt laudabilis Ordo.
Quid Maro verſificus ſolus peccauit in Aula?
Non fuit iſte pater tam dignus habere Magiſtrum,
Qui doceret egregias pueris per tecta Camœnas?
Quid faciet Beleel Hiliacis doctus in Odis?
Cur rogo non tenuit Scholam cub nomine Patris?
Quid faciet tardus canuto vertice Drances
Conſilio validus, gelida eſt cui dextera bello?
Zacheus arborem conſcendit paruus in altam,
Vt videat turbam Scriptoru currere circum
Literulis, Chartis miſeris ſolatia præſtat.
Non tangat, caueat puerorum ſportula dextras.
Iam tenet Ordo ſuum propriè nunc quiſque Magiſtrum,
Presbyter Egregius toto ſub pectore plenus
Iſte Sacerdotes factis & voce gubernat
Ante illos gradiens clariſſima forma ſalutis.
Ordo Miniſtrorum ſequitur te Ieſſe Magiſtrum,
Vox tibi forte ſonat Chriſti taurina per Aulam:
Vt decet ex alto populis pia verba legenti.
Candida Sulpicius poſt ſe trahit agmina lector,
Hos regat & doceat certis ne accentibus errent,
Inſtituit Pueros Idithun modulamine ſacro,
Vtque ſonos dulces decantent voce ſonora.
Quot pedibus, numeris, rithmo ſtat Muſica, diſcant.
Noctibus inſpiciat Cæli mea filia ſtellas,
Aſſueſcatque Deum ſemper laudare potentem,
Qui Cælum ſtellis ornauit, gramine terras,
Omnia qui verbo mundi miracula fecit.

Idem Poëm. 159. Corionem ſeu Coridonem amicum & Diſcipulum olim ſuum, quem in Palatio docentem reliquerat, arguit quod qui prius ſummâ nominis celebritate docuerat, & multa venuſtè & eleganter verſibus mandarat, nunc obtorpeſcat, & Palatinis deliciis captus genio indulgeat.

Qui ſophiæ libros primis lac ore ſub annis
Suxiſti & labris vbera ſacratius.
Dum tibi dum maior per tempora creuerat ætas,
Tunc ſolitus fueras ſumere corde cibos.
Fortia de gazis veterum & potare falerna,
Senſibus & fuerant peruia cuncta tuis.
Quidquid ab antiquo inuenerunt tempore Patres,
Nobile cuncta tibi prodidit ingenium.
Ac Diuina tuis patuit Scriptura loquelis,
Ædibus in ſacris dum tua vox reſonat.
Quid tua nunc memorem Scholaſtica carmina vatis
Queis cunctos poteras tu ſuperare ſenes!
Viſcera tota tibi cecinerunt atque capilli,
Nunc tua lingua tacet. Cur tua lingua tacet?
Nec tua lingua valet forſan cantare Camœnas,
Atque reor dormit lingua tibi, Coryon..

Dormit & ipſe meus Corydon Scholaſticus olim
Sopitus Baccho. Va tibi Bacche Pater.
Tu quia tu quaris ſenſus ſubuertere ſacros,
Atque meum Coryon ore tacere facis.
Ebrius in tectis Corydon Aulenſibus errat
Nec memor Albini, nec memor ipſe ſui.

Suam quoque ibi habuit Alcuinus Scholam quam deſcribit Carm. 222.

In se perſonuit quondam vox Alma Magiſtri
Qua ſacros ſophia tradidit ore libros.

Porro ex ſupradictis etiam patet ſuas in Palatio fuiſſe Theologiæ Scholas. Vnde Alcuinus Athenen Gallicam longè anteponit Græcæ; propterea quod vt ipſe ait in Ep. 10. ad Carolum, *Græca tantummodo Platonis erudita Diſciplinis, ſeptenis informata claruit Artibus*: noſtra verò *inſuper ſeptiformis S. Spiritus plenitudine ditata omnem ſecularis ſapientiæ excellit dignitatem.* Et in Dialogo de Grammatica, Diſcipulus de quodam Diogenis alumno, qui minis & metu baculi à præceptore diuelli non poterat, loquens ſubdit, *At ſi ille amore ſecularis ſapientiæ flagrans, cæleſtis verò quæ ad vitam ducit perpetuam, ignarus ſic ardenter Magiſtrum ſequi perſiſtebat, quanto magis Nos tua, Magiſter, ingredientem vel egredientem veſtigia ſequi debemus, qui non ſolum Litterario nos* LIBERALIVM STVDIORVM *itinere ducere noſti, ſed etiam meliore Sophiæ via, quæ ad vitam ducit æternam?* Similiter Ionas Aurelianenſis de Caroli M. inſtituto loquens lib. 1. de Cultu Imaginum ſic ait. *Eius memorabilis viri ſolertiſſimo ſtudio & ferventiſſimo deſiderio actum eſt vt Domino opem ferente in ſibi commiſſis Eccleſiæ filiis &* LIBERALIVM ARTIVM *apprimè* DISCIPLINA & DIVINARVM SCRIPTVRARVM *perfecta polleret intelligentia.* Certum eſt igitur in Palatio fuiſſe ſcholas diuinæ & humanæ litteraturæ: ſeu duplicis Facultatis, Theologiæ & Artium. Et vt ſub Theologia continebatur Ius Canonicum, quod non niſi longo poſt tempore diſtinctam habuit profeſſionem; ita Artes ſuo ambitu complectebantur Medicinam, cuius elementa veriſimile eſt tradidiſſe Philoſophos in rebus Phyſicis: donec tandem ipſa circa an. 1160. Scholam quoque propriam & profeſſionem habere cœpit.

Decurſo autem humaniorum litterarum & Philoſophiæ ſtadio ad Theologicas Scholas vt hodie patebat aditus, teſte eodem Alcuino Comment. in Eccleſiaſten c. 1. *Niſi prius*, inquit, *relinquamus vitia & pompis ſeculi renunciantes expeditos nos ad aduentum Chriſti præparauerimus, non poſſumus dicere* OSCVLETVR ME OSCVLO ORIS SVI. *Haud procul ab hoc ordine Doctrinarum & Philoſophi ſectatores ſuos erudiunt, vt primum Ethicam doceant, deinde Phyſicam interpretentur, & quem in his profeciſſe perſpexerint,* AD THEOLOGIAM *vſque perducant.*

Hinc intelligimus Scholaſticos qui in ſeptenis Artibus, quarum Ordinem ſupra ex Dialogo de Grammatica retulimus, profeciſſent, & de iis interrogati atque examinati ad quæſita optimè reſpondiſſent, ad Theologiæ Sholam admitti ſolitos fuiſſe. Itaque primùm imbuebantur Grammatices rudimentis: deinde tranſibant ad Rhetoricam: poſtea ad Philoſophiam, cuius tres erant partes, Phyſica, Ethica, Logica. Phyſica complectebatur Arithmeticam, Aſtronomiam, Aſtrologiam, Mechanicam, Medicinam, Geometriam, Muſicam: vt legimus in Dialogo de Rhetorica editionis Duacenſis. Atque hic locus nos admonet, vt quæ poſt decurſum Liberalium Artium ſtudium ratio fuerit promouendorum Magiſtrorum, inquiramus.

DISSERTATIO DE ANTIQVA PROMOTIONE ad Magiſterium in Vniuerſitate Pariſienſi.

MAgiſtri duplicis erant generis: alij aliunde veniebant ad hanc Academiam: alij confecto ſtudiorum curſu in Academia ad Magiſterium promouebantur. Non videtur dubitandum, quin illi qui peregrè veniebant, examen prius ſubirent, aut ſcriptione, vel alia ratione Doctrinæ ſuæ capacitatem probarent, quàm ad regendum admitterentur. Qui mos olim Athenienſes & Lugdunenſes ſcholas maximè commendauit. Nam teſte Errico Antiſſiodorenſi in vita S. Germani quiſquis Artium Lugduni profitendarum ſtudio afficiebatur, non ante Profeſſorum Albo inſcribi merebatur, quàm diligentiam ſuam aut profectum probaſſet, vno verbo quàm aliorum calculo admiſſus fuiſſet: vt in Academia Lugdunenſi ſupra docuimus fol.

Et quoniam plurimum intererat Eccleſiæ & Regni, non tantum vt quis eam artem calleret quam profeſſurus erat, ſed etiam vt fidei orthodoxæ puritatem haberet, à viro Eccleſiaſtico docendi licentiam obtinebat: nempe ab Apocriſiario ſeu Archicapellano, quandiu Muſæ in Palatio habitarunt; deinde ab Epiſcopo aut alio eius vices gerente, poſtquam inde migrarunt. Quam qui non fuerant conſecuti, ex Academiæ ſtatutis & legibus docere non ſinebantur. Et hoc eſt quod Abailardus ait ſibi ſæpe obiectum fuiſſe à Magiſtris Pariſienſibus, quod nempe nulla authoritate neque Apoſtolica neque Eccleſiaſtica ſeu Epiſcopali docere præſumpſiſſet in Theologica Facultate, vt notauit etiam Hemeræus cuius verba „ ad illuſtrationem Loci ex Ep. 1. Abailardi deſumpti non pigebit referre. Iſtam „ facultatem legendi in Theologiæ ſcholis Pontificia aliquando indulgentia muniri „ oportuiſſe ſubindicat locus Abailardi ſcribentis ſibi ab æmulis obiectum eſſe, „ quod nulla eiuſmodi gratia conceſſioneque vallatus ad legendum ſe tamen „ addidiſſet, petijſſeque eos, vt qua cum Abailardo multi adhuc peccarent, „ temeritas reprimeretur, qui nulla aut Pontificia aut Eccleſiaſtica Cancellarij „ Facultate commendati, publicæ tamen profeſſionis nomen ac munus ſibi aſſu„ rent. Verba ſunt eius Ep. 1. c. 9. DICEBANT *ad damnationem libelli ſatis hoc* „ *eſſe debere, quod nec Rom. Pontificis, nec Eccleſia authoritate commendatus lege*„ *re publicè præſumpſeram, atque ad transcribendum pluribus eum ipſe præſtitiſſem.*

Ita agebatur cum iis qui aliunde veniebant. Qui vero Academici erant alumni & qui poſt curriculum ſtudiorum confectum ad Magiſterium aſpirabant, eos longè pluribus circunſtantiis & gradationibus adſtringebãt, vt diſcimus ex libello de diſciplina Scholariũ, qui vulgo Boëtio ſed malè adſcribitur; cuius vero authorem nos putamus eſſe Ioannnem Scotum ſeu Erigenam: quanquam enim ille de Academiæ Athenienſis conſuetudine loqui videatur, omnino tamen Pariſienſem deſcribit, qualis fuit primo ſeculo. Et de eo videtur loqui Anonymus neſcio quis Author Tractatu de origine & diuiſione Artium, qui legitur ad calcem Epiſtolarum Clemẽtis IV. in MS. San-Victorino, quique falsò tribuitur Richardo de S. Victore: quippe ait Ioannem Scotum ſuis temporibus emiſiſſe libellum de decem Categoriis. Author verò de Diſciplina Scholarium talem librum ſe emiſiſſe innuit ſic aiens c. 1. *viſis autem leuita tum ſcientiis de Speculatione Porphyriana Vniuerſalium quæ ab Ariſtotele monſtra vocantur, attendendum eſt ad ipſius Categorias neceſſarias, quæ luce expoſitionis in commentariis noſtris bis patefecimus.*

Sic autem habet in Tractatu de origine & de ordine ſervando in legendis Artibus. *Prima omnium comparanda eſt Eloquẽntia. Et ideo incipienda eſt Logica deinde per Ethicam pacificandus oculus mentis, ſic ad Rhetoricam tranſeundo.*

Ægyptus eſt Mater artium, de Ægypto venerunt in Græciam, de Græcia in Italiam... primus Theologus apud Græcos Linus fuit: Apud Latinos Narratio

fuit & noſtris temporibus Ioannes Scotus de decem Categoriis. Atqui author de Diſciplina Scholarium agit etiam de Categoriis, earumque neceſſitatem ait eſſe maximam. Vnde crediderim libellum iſtum de Categoriis ab eodem editum.

Sed vt vtſit, ita vult Titonem ſeu Candidarum Magiſterij ſe ſe exercitare ad faciliorem Gradus iſtius conſecutionem. 1. Vt aſſueſcat diſerrè & eloquenter exprimere concepta menris: vt ſi quid proponatur quod illico ſoluendum ſir, explicet facile, nec indigeat ad libros recurrere quemadmodum Luctetius quidam, qui cum ſibi quæſtio ſoluenda proponétetur, non ante reſpondere poterat, quàm libros & codicillos conſuluiſſet.

2. Paranda erat illi copia librotum pro facultatibus ſuis, vt ad eos cum opus eſſet, recurreret non ita tamen illis fidens, vt nihil ipſe inueniret. *Miſerrimi enim eſt ingeny ſemper inuentis & non inueniendis vti:* qualis erat Iugius Montani Diſcipulus qui tam teligioſè iurabat in verba Magiſtri, vt ſingula eius dicta non ſecus ac oracula quædam veneraretur, quæ diligenter in tabellis & codicillis deſcribebat: nec aliud ipſe factus Magiſter diſcipulis enarrarer, quam quæ in commentariis ſuis continebantur. Vnde ſœpè cum ſibilo irriſus abibat.

3. Comparandi erant ſcholaſtici, quos priuatim doceret, libtorumque intelligentia atque aliis rudimentis informaret, vr quæ ipſe didicerat, peritè enunciare poſſet, ac expreſſione frequenri vſum tandem eleganter loquendi compararet. *Alios namque docere*, inquir, *eſt propria Facultati indulgere.* Porro eiuſmodi homines hodie vulgo vocamus Repetitores, Veteres vero, Prodoctores, Subdoctores, Prodidaſcalos appellabant.

4. Eiuſmodi Scholaſticos vult Candidatum ſuum allicete conari comitate ſua, beneuolentia, ſuauitate morum, vt cum opportunitas docendi aderit illorum ſaltem præſentia & iucundo beneuoloque aſpectu reereetur, donec alios ſibi auditores comparauerir.

5. Iubet eorum ſcholas frequentare, quorum calculo & ſuffragio Magiſterij Gradum titulumque conſecuturus erat. Lectionum explicationibus inrereſſe, diſputare, modò arguere, modò teſpondere, obiecta diluere, actibus intereſſe cæteraque munia Scholaſtica obire ad ptobandā peritiā & capacitatē. Ei vero qui ſecus faciebat, vel ignotantiæ, vel ſuperbiæ imputabatur, nec is facile poſtea Magiſtrorum calculis admittebatur. Sic enim author loquitur. *Quinto vt quorum gratia coronandus eſt, fauore illorum Scholas ſemper peripateticè obambulet, curialiterque opponat, proteruienteſque acriter remordeat, diligentiuſque pro tempore reſpondeat, ne ſi muta fuerit voluntas; ignorantiæ imputetur, cæcitati, vel arrogantiæ temeritati.*

Talis fuit Scholarum obambulatio ante Collegiorum inſtitutionem. Nam Scholaſtici qui ad Gradum Magiſterij aſpirabant, Magiſtrorum Scholas frequentabant, diſputabant, arguebanr, inrerrogabant: vt patet vel vnico exemplo Petri Abailardi, qui Diſcipulos M. Guillelmi Campellenſis, immò ipſummet Magiſtrum ita exercuit & exagirauir, vr antiquas ſententias mutare coëgerit. Hodie etiamnum aliquid ſimile vſurpamus in diſputationibus quotidianis, hebdomadariis & actibus ſolennibus: obſeruantque etiam fere Theologi toto licentiæ tempore.

6. Poſt eiuſmodi exercitationes, die promotionis præſentibus Magiſtris & ſociis, eorum ſuffragio admittebatur & inſigne Magiſtrale accipiebat, ſeu vt loquitur Aurhor c. 6. *Magiſtralia Paludamenta* contrahebat. Paludamenta inquam, nempe vt ego exiſtimo, Capucium, *Capperonem* à Cappa vulgus vocat, quo caput operiebant, cuius loco pileum & biretum hodie accipiunt Candidati. Accipiebat autem à Magiſtro proprio cuius lectiones exceperat, & à quo ante diem promotionis ad ædes & ſcholas Comprofeſſorum deductus fuerat, vt ex hiſtoria patebit. Magiſtri autem teſtificatione ſeu tabulis teſtimonialibus ita eis opus erat, vt non aliter admitti poſſenr, quemadmodum exiſtimat Paſchaſius ex his Petri Abailardi verbis, cui obiiciebatur. *Quod ſine Magiſtro ad Magiſterium Diuinæ Lectionis accedere præſumpſiſſet.*

7. Aſſumpto habitu & inſignibus Magiſterij Nouus ille Magiſter e Cathedra ſeu ſuggeſtu breui oratione gratias agebat iis, quorum ſuffragio promotus fuerat, item & ſociis, commendabatque illorum humanitatem cæteraſque virtutes, quibus prælucebant. Teſtis idem authot. *Cum autem dies ſumma promotionis aſ-*

fuerit, breui ſchemate compendioſoque affatu commendetur veneranda Sociorum collectio. Id. vt commentatur D. Thomas, ſeu vt aliqui putant, THOMAS ANGLICVS, Congregatio ſociorum ſuorum ipſum præſentia ſua honorantium *laudetur breui harenga & oratione compendioſa.* Quem morem huc vſque video apud nos obſeruari: nam cum Candidatus in ACtu ſolemni donatur ARtium laurea & pileum accipit, ſolet e Cathedra Magiſtrali, Rectori ſi adſit, Cancellario, Examinatoribus, Magiſtro ſeu Profeſſori ſuo, ſociiſque item ſuis gratias agere, acceptique beneficij & honoris tum erga eos, tum erga Academiam ſe pollicetur perpetuò memorem fore: tales quoque fere paranymphicæ celebritates in cæteris Facultaribus fieri conſuetæ.

Denique promotio iſta feſtiuo conuiuij apparatu terminabatur: vt ex eodem authore intelligimus: ſtatim enim poſt verba proximè allata ſubiungit, *Sicque ad* HONORIS INITIALIS *incrementa intrepide procedendum eſt decenti ornatu, feſtiuo apparatu ſi facultas ſuppetit, cunctis, vel ad libitum eiuſdem ſaltem profeſſionis ſplendide procurato* quibus verbis duo innuit, quæ in hac Academia diu obſeruata legimus, nimirum vt Nouus Magiſter veſtem haberet nouam, non conſarcinatam; propriam, non mutuatitiam; & Magiſtros imò & condiſcipulos ſelectos conuiuio exciperet. Quod fieri vetuit Robertus Curthonius Cardinalis Legatus Reformatione an. 1215. *In Principiis & Conuentibus Magiſtrorum, & in Reſponſionibus vel oppoſitionibus Puerorum vel Iuuenum nulla fiant Conniuia. Poſſunt tamen vocare aliquos familiares vel ſocios, ſed paucos.* Idem vetat donaria fieri veſtium aut alia eiuſmodi, præſertim à pauperibus quæ ſolebant antiquitus Magiſtris fieri. Item pro licentia Cancellario pecuniam dari, aut dandi fidem præſtari.

Quæret aliquis quo ordine & quoto annorum ſpatio Curſus ille Artium compleretur. Video hunc fuiſſe Ordinem, vt poſt 4. ad minus annos in Grammaticâ conſumptos, Logicam deinde Rhetoricam aggrederentur, vel contra poſtea verò ad cæteras Philoſophiæ partes tranſirent. Video quoque Curſum ſex annorum ſpatio fuiſſe legibus definitum. Vt in prædicta Reformatione habetur. Ex qua etiam, vt & ex libello de Diſciplina Scholar. agnoſcimus Nemini olim aditum patuiſſe ad Magiſterium, qui non deinde regeret Pariſius aut alibi, vel ſe recturum ſaltem per biennium iuramento non ſponderet. Vnde tanti fiebat Magiſtri nomen, vt ipſi etiam Cardinales illud cæteris omnibus nominibus & appellationibus præponerent: vt ex hiſtoria patebit.

SECVNDVM SECVLVM
VNIVERSITATIS
PARISIENSIS.

AB ANNO 900. VSQVE AD AN. 1000.

HOC ſeculum vocatur ab omnibus Chronologiſtis *Infeliciſſimum*, eo quod raros viros inſignes & doctrina celebres tulerit, qui aut ingenij ſui ſpecimen ederent poſteritate dignum, aut hæreſes confutare poſſent, nihilque fere memorabile contineat præter Bella Normanorum, qui toties repulſi, toties Galliæ ſpoliis dirati in ea tandem fixam ſtabilemque ſedem poſuerunt & Francici ſceptri quod in manus imbelles inciderat, ad Capetianos tranſmiſſionem.

Antonius Sabellicus l.1. Ennead.9. deplorat huius ſeculi barbariem & feritatē reuera lugendā. Tum enim templa Deo conſecrata impune profanabantur, bona Eccleſiaſtica rapiebantur, Epiſcopatus & cætera pinguiora Beneficia inuadebantur & poſſidebantur à Laicis & vxoratis: diſciplinæ omnes contemptui erant, eloquentia nullius pretij, vno verbo nulla virtus inter homines, omnia vitiorum genera paſſim in toto orbe regnabant. Tanta autem tum fuit Scriptorum penuria aut incuria, vt quid actum ſit hoc ſeculo, quid ve aliqua memoriâ dignum contigerit, fere ignoretur, aut ſi quid ſcriptum eſt, tam incurioſè id factum & indiligenter, vt ex eo veritas vix agnoſci poſſit.

De eadem re queritur Glaber Rodulphus Monachus Antiſſiodorenſis, deinde Cluniacenſis, qui ad Odilonem Abbatem ſcripſit Hiſtoriarum libros 4. ab an. 900. ad an. 1037. ille igitur in Præfatione ſic ait. *Iuſtiſſima Fratrum ſtudioſorum querimonia interdumque propria ſæpius permotus cur diebus noſtri temporis non quiſpiam exiſteret, qui futuris poſt nos multiplicia hæc quæ videntur fieri tam in Eccleſiis Dei quam in plebibus minimè abdenda, qualicumque ſtyli pernotatione mandaret.*

Infelicitatis autem huiuſce cauſam hanc affert Genebrardus, quod per annos ferte 150. Pontifices numero 50. à Ioanne ſcilicet VIII. ad Leonem IX. qui primus poſt tot annos veluti alter Aaron antiquam Pontificum integritatem è cœlo in ſedem Apoſtolicā reuocauit, à virtute Maiorum omnino defeciſſent Apoctatici Apoſtatici ve potius dicendi quàm Apoſtolici. Huius mali reos facit Germanicos Imperatores, qui ſublatis electionibus Pontificū Canonnicis pro libidine & arbitrio & ſœpius pro pecunia in ſede collocabant Pontifices, nec vllum ſedere in Cathedra Petri patiebantur, quem non ipſi promouiſſent, aut promotum non confirmaſſent.

Hoc vno tamen idem Seculum felix eſſe putat idem Author, quod Septentrionales populi ſuis ſe mouentes ſedibus & ad Chriſtianas regiones migrantes dem ſuſceperint: imo ad eos ſacri Concionatores profecti Moſcouitas, Sueuos, Polonos, Sclauos, Hungaros ad Chriſti fidem conuerterint: tumque illuſtres

Digitized by Google

Ne mergatur in inferis.
Sed latetur cum ſuperis,
Et vt Deo dent hoſtiam
Qua purget eius animam.
Tunc omnes Deo ſupplicant
Cum lachrymis & rogitant.
Tenent Candelam ſinguli
Pontifices, presbyteri,
Tyrannum excomunicant,
Et viuentem mortificant.
Omnemque cœtum militum
Qui dederunt auxilium.
Poſthoc defunctum efferunt.
Et honeſtè ſepeliunt,
Eiuſque ante tumulum
Commendant Deo ſpiritum.
In requie ſit anima
Nunc & per cuncta ſecula.
Amen Amen fiat ita,
Dicat omnis Eccleſia.

Fulconi ſuccedit Heriuæus Hucbaldi Comitis ex Sorore nepos & Caroli Simplicis Cancellarius, vir quoque in Palatinis ſcholis educatus, & e Palatio ad ſedem Remenſem annitente Rege promotus: eius eximias laudes prædicat Flodoardus l. 4. c. 11. *Sequitur*, inquit, *in Pontificatu Remenſi Domnus Heriuæus ex Aula quoque Regis ad Epiſcopatum aſſumptus, vir genere nobilis, nepos videlicet ex ſorore Hucbaldi Comitis, qui iuuenis quidem ad hunc prouectus eſt honorem exequentibus & rite celebrantibus eius ordinationem Riculfo Sueſſionum Epiſcopo, Dodilone Siluanectenſi, cæteriſque Diæceſanis conſenſum præbentibus & Decretum huius ordinationis corroborantibus. Qui mox huic adeo gradui ſe ſe exhibere ſtuduit habilem, bonis omnibus præbens amabilem, ipſis etiam ſenibus imitabilem, benignus amator exiſtens pauperum, largus ſolator, multumque miſericors recreator lugentium miſerorum, Eccleſiaſticis apprimè cantilenis eruditus ac pſalmodia præcipuus, & huius exercitatione limatus, animo vultuque iucundus, ſuauis atque mitiſſimus omnique bonitate conſpicuus, Pater cleri ac totius Populi pius Patronus, tardus ad iraſcendum & velox ad miſerandum, amator Eccleſiarum Dei & fortiſſimus ouilis ſibi commiſſi cum Dei virtute defenſor.*

Statim autem poſtquam adeptus eſt ille Archiepiſcopatum, interfectores Fulconis ſolenniter diris deuouet, & ſacris arcet. Cuius deuotionis exemplar ex codice MS. Nicolai Camuzati Canonici Trecenſis legitur in 2. Tomo Annal. Francorum. Eſtque eiuſmodi.

Anno 900. Dominicæ incarnationis pridie non. Iul. Primo ſcilicet die quando 900.
ordinatus eſt Heriuæus in Archiepiſcopatu Remenſi Epiſcopus, lecta eſt excomunicatio hæc quæ ſequitur in Eccleſia S. Mariæ Remis preſentibus Epiſcopis infra ſcriptis. Hæriuæus nomine non merito Remorum Archiepiſcopus, Riculfus Sueſſionum Epiſcopus, Heidolo Nouiomagenſium Ep. Dodilo Cameracenſium Ep. Herimandus Morinenſium Ep. Otgarius Ambianenſium Epiſcopus, Honoratus Beluacenſium Epiſcop. Mancio Catalaunenſium Epiſc. Rodulfus Laudunenſiũ Ep. Offridus Siluanectenſium Ep. Angelramnus Meldenſium Ep. Notum ſit omnibus vbique ſanctæ Dei Eccleſiæ fidelibus tam Clericis quã Laicis, quod Nos & Commiſſa nobis omnis Eccleſia nimia perturbatur triſtitia pro inaudita re poſt perſecutionem temporis Apoſtolorum eorumque ſucceſſorum de occiſione nimirum Patris & Paſtoris noſtri Fulconis ab impiis impiè perpetrata, qui pro Regni vtilitate & totius S. Eccleſiæ ſtatu pro viribus die noctuque deſudans, ac ſeipſum in defenſione omnium Eccleſiarum, in hoc Regno conſiſtentium muro protectionis opponens. Res enim earum à Balduino Comite filio Balduini ac Iudith contra omnem legem & diuinam & humanam peruadebantur. Ideo ab ipſius Balduini hominibus Winemaro, Euuerardo & Ratfrido cæteriſque eorum complicibus interfectus crudeliſſimè occubuit. De eius morte totius Eccleſiæ ordo atq; profeſſio meritò contriſtatur & lamenta compaſſionis ex intimis cordium ſuſpiriis emittit. Quia igitur tale ſcelus noſtris temporibus perpetrare non timuerunt, quod antea n ſi forte à Paganis in Eccleſia non eſt actum, in nomine Domini & virtute ſancti Spiritus, nec non authoritate Epiſcopis per B. Petrum Principem Apoſtolorum diuinitus conlata ipſos à S. Matris Eccleſiæ gremio ſegregamus, ac perpetuæ maledictionis anathemate eos condemnamus, vt eorum aliquando per hominem non fiat recuperatio, nec vlla inter Chriſtianos conuerſatio. Sintque maledicti in Ciuitate maledicti in agro. Maledictum horreum eorum & maledictæ Reliquiæ eorum. Maledictus fructus ventris eorum & fructus terræ illorum, armenta boum ſuorum & greges ouium ſuarum. Maledicti, ſint ingredientes & egredientes, ſintque in domo maledicti in agro profugi.

» Inteſtina in ſeceſſum fundant ſicut perfidus & infelix Artius. Veniantque ſu-
» per illos omnes illæ maledictiones, quas Dominus per Moyſem in populum diui-
» næ legis præuaricatorem ſe eſſe intentauit, ſintque Anathema maranatha
» & pereant in ſecundo aduentu Domini, inſuper quidquid maledictionis ſa-
» cri Canones & Apoſtolicotum virorum Decreta decernunt ſuper homicidis &
» ſacrilegis. Nam illos ſacrilegorum nomine notamus, qui in hunc Chriſtum Domi-
» ni manum mittere auſi ſunt. Omne ſuper illos ac perpetuũ interitum per iuſtiſſi-
» mam diuinæ animaduerſionis ſententiam congeratur. Nullus ergo eis Chriſtia-
» nus vel Aue dicat. Nullus Preſbyter Miſſas aliquando celebrare, nec ſi confirma-
» ti fuerint confeſſiones eorum recipere vel ſacro-ſanctam communionem eis niſi
» reſipuerint, etiam in ipſo fine vitæ ſuæ præſumat vnquam dare, ſed ſepultura aſini
» ſepeliantur, & in ſterquilinium ſuper faciem terræ ſint, vel ſint in exemplum op-
» probrij & maledictionis præſentibus generationibus & futuris. Et ſicut hæ lu-
» cernæ de noſtris proiectæ manibus hodie extinguuntur, ſic eorum lucerna in
» æternum extinguatur.

Scola Turonenſis.

Poſt mortem Fulconis Remigius Antiſſiodorenſis, quem è ſcholis Palatinis ad Scholarum Remenſium inſtitutionem ab eo euocatum fuiſſe diximus, Lutetiam regreſſus eſt, ibique vt ante Litterarum profeſſionem reſumpſit, vbi inter alios Diſcipulos habuit Odonem, dictum poſtea Cluniacenſem Abbatem, annos natum circiter 20. qui cum in ſcholis Turonenſibus Grammaticæ præceptis ſufficienter imbutus fuiſſet, ad maiores ſe contulit, & in Philoſophia Remigij auditor fuit. De eo ſic habet Ioannes Monachus Cluniacenſis Odonis diſcipulus. *Decimo nono ætatis ſuæ anno apud B. Martinum Turonis eſt tonſus, ibique Grammatica Laribus eſt inſtructus: deinde apud Pariſium dialectica Muſicaque à Remigio doctiſſimo viro eſt inſtructus.* Et alio loco. *His diebus Pariſium adiit, ibique Dialecticam S. Auguſtini Deodato filio ſuo miſſam perlegit, Marcionem in liberalibus artibus frequenter lectitauit.* anno vero 911. ad Bernonem ſe contulit annos natus 30. cum quo per 15. annos conuerſatus, anno tandem 926. factus eſt Abbas Cluniacenſis.

Ex hoc autem loco intelligimus Scholas B. Martini Turonenſis ab Alcuino inſtitutas non omnino adhuc contabuiſſe hiſce temporibus: in quibus ante fuerat quoque educatus Willebertus Turonenſis, ſacri Palatij preſbyter factus ſub Carolo Caluo, poſtea Catalaunenſis Epiſcopus: nam interrogatus ab Hincmaro Remenſi, à quo conſecratus eſt an. 868. vnde oriundus eſſet, & vbi educatus, reſpondit ſe natione Turonum in Scholis Turonenſibus fuiſſe inſtitutum liberalibus diſciplinis. Extat Inſtrumentum vetus ad calcem tom. 2. Conciliorum Sirmondi de promotione Willeberti, in quo hæc verba leguntur. *In præſentia veniens interrogatus eſt vnde eſſet. Iſque reſpondit, pago Turonis oriundus. Iterum interrogatus, cuius conditionis eſſet. Et ille peccatis quidem obnoxius, ſed Dei gratiâ natus liber. Item vbi didiciſti? item ipſe,* IN SCHOLA TVRONICA LIBERALIBVS DISCIPLINIS *erudiendus traditus ſum. Item cuius es ordinis, vel cuius es ordinatus? Item ipſe præſentis Patris mei Domini Herardi per ſingulos gradus vſque ad Diaconum ſum ordinatus, poſtea autem ab eodem patre meo Herardo litteris ad Herpoinum datis Presbytery onus ſuſcepi.* Sed qualeſcunque tandem fuerint ſcholæ iſtæ, certum eſt ex iis ſicut ex cæterarum Vrbium ſcholis tanquam e minoribus & priuatis, ad Pariſienſes vt ad maiores & celebriores conuenire ſolitos fuiſſe, quicunque altiores diſciplinas haurire vellent.

Eodem anno 5. Kal. Nouemb. obiit Alfredus ille magnus Anglorum Rex, Oxonienſis Academiæ fundator, poſtquam regnauit an. 29. menſibus 6. Eodemque Vverefridus Anglus, cuius operâ præfatus Princeps in eiuſdem Academiæ inſtitutione vſus fuerat. Alfredo ſucceſſit Edwardus I. eius filius & ipſe litterarum quoque parens. Quippe initio huiuſce ſeculi Cantabrigienſem Academiam inſtituiſſe dicitur, vel ſecundum nonnullos inſtauraſſe: in cuius mentionem quoniam incidimus, non erit forſan ingratum lectoribus accipere, quod de huiuſce Academiæ fundatione ſcribunt nonnulli Authores Angli: quorum aliqui eam Pariſienſi & Oxonienſi longè vetuſtiorem faciunt.

Diſſertatio de Acade-

Sic igitur aliqui ſcribunt, Arthurum Britanniæ Regem in conſtitutionibus an. 581. meminiſſe Scholæ Cantabrigienſis, quaſi iam ante inſtitutæ, eamque

voluiſſe conſeruari: atque in hanc rem diploma Londini edidiſſe: At id alij vel ex hoc falſitatis arguunt, quod nec Arthurus vnquam Britanniæ Rex fuerit, nec ſi fuit, vnquam Londinum occuparit. Alij communiter ſcribunt prædictæ ſcholæ inſtitutionem deberi Sigiberto ſeu Seberto Orientalium Anglorum Regi circa an. 630. idque probant ex Reſcripto Honorij I. quem illic aliquando ſtuduiſſe ferunt. Porro vtriuſque opinionis fundamenta ex Reſcriptis Regum & Bullis Pontificum deſumuntur, quæ in Hiſtoriola quadam vetuſta Cantabrigienſis Academiæ leguntur. Sic ergo edicit Arthurus.

mia Cantabrigienſis inſtitutione.

Arthurus Regali à Deo fultus dignitate Omnibus ſuis ſalutem. Quia Omnipotens Deus per miſericordiam clementiæ abſque vllo antecedente merito ſceptra Regis mihi largitus eſt, libenter ei ex eo quod dedit, retribuo. Idcirco eius gratiâ eruditus pro amore cœleſtis patriæ remedióque animatum Anteceſſorum meorum Britanniæ Regum, pro augmentatione inſuper Reipub. Regni mei Britanniæ ac profectu ſpirituali Scholarium in lege Domini iugiter Cantabrigiæ ſtudentium, conſilio & aſſenſu omnium & ſingulorum Pontificum & Principum iſtius Regni & licentia ſedis Apoſtolicæ ſtatui præſenti ſcripto & firmiter decerno, vt Ciuitas Scholarium prædicta, vbi hactenus ſplendorem ſcientiæ & lumen doctrinæ gratiâ fauente Conditoris mei prædeceſſores acceperunt, à publicis vectigalibus & operibus oneroſis abſoluatur, vt in quietudine Doctores inibi & ſcholares valeant Doctrinæ ſtudio inhærere, ſicut glorioſus Rex Britanniæ Lucius decreuit Chriſtianitatem amplectens prædicatione Doctorum Cantabrigiæ. Quamobrem ſint Scholares atque Doctores Cantabrigiæ manentes in tranquillitate perpetua tuti, priuilegiis muniti Regalibus cum ſuis rebus & familiaribus ab omnibus ſecularibus, nec non à Regalibus tributis maioribus ſeu minoribus. Datum anno ab incarnat. Dom. 531. 7. die Aprilis in Ciuitate Londinenſi.

Refert ergo, ſi diis placet, Arthurus originem & fundationem Scholæ Cantabrigienſis ad Lucium I. Angliæ Regem, quem aiunt omnium Regum primum Chriſtianam fidem fuiſſe amplexum circa an. Chriſti 180. priuilegiaque illi Scholæ conceſſiſſe, quam iam etiam ante ſupponit inſtitutam, nondum verò Priuilegiis Regiis donatam. Quis tales ferat fabulas? ſed quis riſum teneat, cum videt Vniuerſitatis, Graduum Doctoralium, Cancellarij & Rectoris in Bulla Honorij I. fieri mentionem, plurimorumque Anteceſſorum qui iam ante priuilegiis eam ſuis decorauerant? Bulla eſt eiuſmodi.

Honorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei dilectis filiis Doctoribus & Scholaribus in Vniuerſitate Cantabrigiæ ſtudentibus ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Dilectiſſimi in Chriſto filij, non abſque labore & plurima turbatione didicimus, quomodo multitudine nefanda Paganorum VNIVERSITAS VESTRA olim celeberrima vehementer affligitur, quorum prauitate nonnulli propriæ ſalutis immemores Luporum faucibus & vulpinâ facie libertates & priuilegia quæ vobis & prædeceſſoribus veſtris in eadem Vniuerſitate ſtudentibus gratioſè indulſit ſedes Apoſtolica, moliantur eneruare. Ita quod plures Eccleſiarum Præpoſiti abſque rationis iure minus iuſtè in vos iuriſdictionem indebitam & inſolitam vſurpantes, quanquam non conſueuerunt hactenus, ad VNIVERSITATEM VESTRAM accedunt, materiã perturbationis & diſcordiæ ſeminantes, non correctionis, emendationis aut reformationis ibidem officia exercentes contra inhibitionem ſedis Apoſtolicæ. Volentes igitur vt tenemur iuſtitia ſuadente paci & tranquillitati Vniuerſitatis veſtræ paterna ſollicitudine prouidere: vbi clementiâ Saluatoris poculum doctrinæ ſalutaris ſcientiæ hauſimus tunc agentes in minoribus Prædeceſſorum noſtrorum Rom. Eccleſiæ Pontificum Eleutherij, Fabiani Simplicij, Felicis, & Bonifacij veſtigiis debitè inhærentes authoritate omnipotentis Dei diſtrictè inhibemus ſub pœna excommunicationis quam veniens in contrarium ipſo facto incurrat, nequis Archiepiſcopus, Epiſcopus, Archidiaconus, aut eorum Officiales, ſeu Viſitatores Generales aut ſpeciales à ſede Apoſtolica deputati, audeat in aliquem veſtrum ſuſpenſionis, vel excommunicationis ſeu interdicti ſententias inferre, aut vos ſeu familiares veſtros moleſtare præſumat, ſed Cancellarius cum Rectoribus de conſilio Saniorum & Seniorum veſtræ Vniuerſitatis ſecundũ ſtatuta veſtra corrigere & emendare ſtudeat. Chari-

tate ſemper media, ſecundum; quod magis expedire videritis. Si quis vero ſubditorum noſtrorum ſtatutis veſtris contraire præſumpſerit aut contempſerit, obſeruare eum Eccleſiaſtica ſententia percellatis: quam ſcilicet ſententiam rationabiliter latam tam à Diœceſano Epiſcopo, quàm ab aliis inconcuſſam vſque ad condignam cum humilitate & pœnitentia ſatisfactionem præcipimus obſeruari. Decreuimus etiam quod nulli omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis, voluntatis, exemptionis & libertatis infringere, vel ei aliquatenus contraire. Si quis vero hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei ſe nouerit incurſurum. Scriptum Apud S. Petrum anno ab Incarnatione Verbi 424. 20. die menſis Feb.

Referunt quoque Bullam Sergij Pontificis natione Syri, patria Antiocheni, cuius tempore Rex Saxonum ſeu Anglorum poſt multa bella ſtrenuiſſimè geſta ad fidem Chriſti conuerſus Romam profectus fuiſſe legitur, atque à Sergio baptizatus, appellatuſque fuiſſe Petrus, & in albis veſtibus quas in Baptiſmo ſuſceperat, infirmitate præocupatus ad cœleſtia Regna migraſſe.

Sergivs Episcopvs servvs servorvm Dei dilectis filiis Doctoribvs et Scholaribvs Vniversitatis Cantabrigiæ in Anglia ſtudentibus, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quoniam fama bonæ opinionis in doctrina fidei Orthodoxæ veſtræ Vniversitatis vbique terrarum diffunditur, & experti ſumus, vt vobis gratiam faciamus, inducimur iuſtitia ſuadente. Eapropter dilecti in Domino filij, veſtris piis & honeſtis iuſtiſque poſtulationibus annuentes, paci & tranquillitati Vniuerſitatis veſtræ almæ, vbi odor deuotionis cum labore ſanctitatis adeſſe ſolebat, ſolicitè volentes prouidere, præſentium authoritate decreuimus, vt nulli Archiepiſcopo ſeu Epiſcopo alijve Eccleſiaſticæ perſonæ, vel ſeculari liceat Vniuerſitatem veſtram, aut aliquem veſtrum ſuſpendere ſeu excommunicare, vel quolibet ſub interdicto ponere abſque ſummi Pontificis aſſenſu, vel eius mandato ſpeciali. Prohibemus inſuper nequis priuilegia vobis à ſede Apoſtolica gratiosè conceſſa vel indulta auſu temerario infringere ſeu reſtringere præſumat, vel attentet. Nulli igitur hominum omnino liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis & exemptionis infringere, vel ei quouis modo contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit &c. Scripta Romæ in Eccleſia Lateranenſi an. ab Incarnation. 689. 3. die menſis Maij.

Proferunt inſuper Bullas Martini V. an. 1410. & Eugenij IV. an. 1433. datas, in quibus prædictorum Pontificum Honorij, Sergij & aliorum, atque etiam priuilegiorum ab iis conceſſorum fit mentio. Inſuper proferunt neſcio quod diploma vetuſtum Cadwaldi Regis Britonum an. 685. in quo aiunt legi hæc verba *Notifico vobis me conceſſiſſe* Almerico Rectori Scholarivm *Cantabrigiæ & ſingulis ſuis ſucceſſoribus legitimè ordinatis libertates, Iura, conſuetudines & priuilegia ſuper omnes Scholares moram ibi facientes.* In eodem diplomate ſæpe repetuntur verba Rectoris & Scholarivm cuiuſcumque Facultatis.

Licet autem hæc omnia ſuppoſititia eſſe conſtet, adeo tamen vetuſta placent, vt plurimi etiam celeberrimi Authores, vera eſſe cupientes quæ de illa Academia referuntur, eidem Antiquitati ſuffragentur. Polydorus Virgilius lib. 5. Hiſtoriæ Anglicanæ de eius inſtitutione his verbis agit, poſtquam de Oxonienſi Academia verba fecit. *Certat nominis celebritate cum hoc Oxonienſi Gymnaſio Academia, quæ Cantabrigiæ apprime floret, quæ tametſi Diſcipulorum numero ac Cœnobiorum magnificentia minus vincit, bonarum tamen Artium vbertate nequaquam impar eſt. Quid quod vt vera Integritatis mater gloriatur ſe nunquam alumnos habuiſſe, qui de Religione malè ſenſiſſent? At verò antiquitate longè præſtat. Ab hac enim Academia Cantabrigiæ poſita vſque ad initium Gymnaſij Oxonienſis interfuere anni 265. Nam hoc Oxonij Aluredus poſt annum quam regnare cœperat circiter 23. qui fuit humanæ ſalutis 895. Illam verò Sigib-rtus Cantabrigiæ circiter annum ſalutis eiuſdem 630. collocauit. Verum ſi Commentariis credimus Authoris incerti, antiquior eſt tam Oppidi quàm Gymnaſij origo. Ferunt enim poſitum fuiſſe olim oppidum nomine Chergrantium ad radices vicini Monticuli quem vocant Wythyll: eoque docendi cauſa Rege Gurguntio Bellini filio Bartholomæum quendam hominem Cantabrum perueniſſe; & illum deinde duxiſſe vxorem Chambridgiam Regis filiam, condidiſſeque oppidum ex vxoris nomine Can-*

tabrigiam dictum, atque in eo primum docuiſſe. Hæc Polydorus. Hunc verò Cantabrum illius Regionis Regem aliqui conſtituunt anno ante Chriſtum natum 375.

Nec abnuit Ioannes Roſſus Waruicenſis, Academiæ Oxonienſis Magiſter & Alumnos, qui obiit an. 1491. is enim licet Academiæ Cantabrigienſis inſtauratorem agnoſcat Eduardum I. Alfredi filium, fatetur tamen longè ante fuiſſe inſtitutam. Sic ergo ille in lib. de Regibus ex Thoma Radbutno apud Thwynum. *Eduardus dictus Senior circa annum Domini 900. Patri ſuo Alnredo hæreditariè in Regnum ſucceſſit. Qui quamuis in litteratura erat Patri inæqualis, potentia tamen erat maior. Proficientes etiam in Scholis adamauit, & ad dignitates Eccleſiaſticas ſecundum merita ſua moribus & vita ſublimauit. Præterea ad Clerimoniam augmentandam, ſicut Pater ſuus Oxoniam, ſic ipſe ab antiquo cum cæteris* STVDIIS GENERALIBVS *ſuſpenſam, deſolatam & deſtructam Cantabrigiam iterum ad primam gloriam erexit, nec non ibi* AVLAS STVDENTIVM, *& Doctorum magiſtrorumque Cathedras & ſedilia, vt dilectiſſimus Cleri nutritor, amator & defenſor ſuis ſumptibus erigi & fabricari præcepit. Ab Oxonia namque Vniuerſitate quam Pater ſuus Nobilis Rex erexerat,* MAGISTROS ARTIVM, *quas liberales vocamus, pariterque in ſacra Theologia Doctores aduocauit, ibique ad legendum formaliter & docendum inuitauit. Hæc Thomas Radburne in Chronica ſua: ſed plenius hæc vidi Wyntoniæ in Abbatia de Hyda in quadam antiqua tabula, cuius copiam inde habui & habeo. In dicta Abbatia Ambo Reges prædicti Alnredus & Eduardus ſunt conſepulti.*

Nicolaus Harſpheldius eiuſdem Academiæ Cantabrigienſis inſtaurationem eidem Eduardo Regi tribuit, & cum Roſſo conſentit. *Vt legibus,* inquit, *in hunc modum ſaluberrimè promulgandis prudentem ſeſe Principem præſtitit, ita & litterarum ſtudiis fouendis promouendiſque Reipub. Chriſtianæ maximè profuit. Nam Cantabrigienſem Academiam à Dacis paulò ante vna cum oppido flammis abſumptam, ad priſtinam gloriam reſtituit.* AVLAS *enim vt vocant* STVDIORVM *iterum erexit, Doctorum Magiſtrorumque Cathedras atque ſedes repoſuit, & nonnullos qui Liberales Artes ac Theologiam profitebantur Oxoniæ, vt refert Ioannes Roſſæus, euocari curauit. Nec vetera ſolum Deceſſorum ſuorum priuilegia Academiæ Cantabrigenſi ſarta tecta conſeruauit, ſed & noua ipſe conceſſit.*

Abrahamus Thwynus ſcriptor quoque Anglus prima huiuſce Academiæ initia tribuit Ioffrido Normano circa annum Chriſti 1100. erectionem vero Ioanni XXI. Papæ. Pitſæus ex Remingrono ait non ante Chriſti an. 1277. ſub Eduardo I. poſt conquæſtum Angliæ ex ſchola Cantabrigienſi veteri factam fuiſſe ſedis Apoſtolicæ authoritate Vniuerſitatem ad imitationem Academiæ Oxonienſis. De qua etiam hæc cecinit Ioannes Lelandus hoc Epigrammate.

Olim Granta fuit titulis vrbs inclyta multis
Vicino à fluuij nomine nomen habens.
Saxones hanc belli deturbauere procellis,
Sed noua pro veteri non procul inde ſita eſt.
Quam Felix Monachus Sigeberti iuſſa ſecutus
Artibus illuſtrem reddidit atque ſcholis.
Hæc ego perquirens gentis monumenta Britannæ,
Aſſerui in laudem GRANTA DISERTA *tuam.*

Hæc de Cantabrigienſi, Academia, quam licet non exiſtimem ita veterem eſſe, vt prædicant, neque priuilegiis illis Regiis & Pontificiis decoratam quæ retulimus, quæque ſuppoſititia eſſe nemo non videt, propterea quod multa in iis continentur poſterioris ætatis, credibile tamen eſt ibi ſcholas inſtitutas olim fuiſſe, nec adeo infrequentes aut incelebres extitiſſe.

Eodem anno obit Ratiſbonæ Arnulfus Imperator & in æde S. Emmerani Martyris à ſuis ſepelitur. Epitaphium eius tumulo inſcriptum indicat ſeu verè ſeu falsò Dionyſij Reliquias Ratiſbonam ab eo tranſlatas; illudque extat in Choro Monaſterij S. Emmerani.

Hac Arnulfus humo eſt Cæſar Romanus humatus:
Quem Galli Regem, Boij habuere Ducem.
Hic ædem Emmerane tuam defendit & auxit:
Prædia ſunt teſtes, ſplendidus atque liber.

Ad noſtram cineres Dionyſi tranſtulit vrbem
Finibus è Gallis, quos pia furta tulit.
Poſtquam nongentos Titan compleuerat annos,
Cæſar perſoluit debita iura necis.

Eius morte ſæuiſſima tempeſtas armorum tranquillitatem Chriſtianam conturbat. Italia ob diſſenſiones ciuiles direptionibus patet. Germanici Proceres filium eius Ludouicum vix ſeptennem Regem nuncupant, eique Tutores dant Ottonem Saxoniæ Regulum & Hattonem Archiepiſcopum Moguntinum.

901. Anno 901. Benedictus IV. Patria Romanus Pontificatum maximum obtinet. At eo ſedente nihil videmus geſtum quod ſit memoria dignum. Eodem anno vel ſequente obit Leo Philoſophus Imperator Conſtantinopolitanus, cuius Suidas laudat illuſtre reſponſum ad quendam Eunuchum, qui Philoſophorum honoraria tribui volebat militibus, quibus nempe plus egere dicebat Remp. quam litterarum profeſſoribus, *Vtinam*, inquit Leo, *mei Imperij doctoribus contingat, vt qua ſunt militum potius in doctores & litterarum profeſſores conferantur.* Ei ſucceſſit filius Conſtantinus VII. Hæres paterni in litteras & viros doctos amoris: nam Philophiam, quæ pœne in obliuionem venerat, conſtitutis profeſſoribus excitauit, teſte Zonara. Obitum ſuæ coniugis rithmis & omnis generis verſibus defleuit. Illo ergo regnante, in Academia Conſtantinopolitana, quã Bardas inſtaurarat, vt dictũ eſt, Simeon Bulgarorum Rex à puero non ſolum Demoſthenis Rhetoricam, ſed Ariſtotelis Dialecticam diſcit teſte Luitprando. *Vno verbo Conſtantinus Artes liberales pæne emortuas reſocillauit, inuitatis ad eas excolendas, præmio qui ingeniis pollerent.*

903. Anno 903. Franco Leodienſis Epiſcopus, quem in Palatinis ſcholis regnante Ludouico Balbo inſtitutum fuiſſe ſupra diximus, moritur; cui ſuccedit Stephanus Salinenſis Comitis filius, vir quoque litteratus & in iiſdem ſcholis edoctus. De quo ſic habet Sigebertus, *Francone Leodienſium Epiſcopo mortuo Stephanus Epiſcopus ſubrogatur, vir ſanctitate & ſcientia clarus, qui vitam & paſſionem S. Lamberti Martyris apud Hermanum Archiepiſcopum vrbanius edidit, cantum quoque nocturnum de eodem Martyre, de S. Trinitate & inuentione Stephani Protomartyris compoſuit.* Author Chronici Belgici Magni eum vocat Doctorem Sacrum & excellentem Poetam. Obiit an. 920. 14. Kal. Iunij.

904. Anno 904. ad ſupremum Eccleſiæ Pontificatum promouetur Leo VI. Ardeatinus, & poſt menſem Chriſtophorus Patria Romanus ſedis Apoſtolicæ inuaſor, Leoniſque à quo educatus fuerat, impius repulſor, ſed ipſe malè partum Pontificatum ſeptimo menſe amittit à Sergio III. deiectus & in Monaſterium tetruſus.

Quo tempore florebant adhuc Ratbodus Traiectenſis Archiepiſcopus, Mannonis Palatini Profeſſoris quondam Diſcipulus, & Robertus Metenſis Epiſcopus, vir quoque ſcientia præclarus: cui Stephanus Leodienſis Capitularem librum emendandum miſit.

905. Ad annum 905. Rhegino inſignis Hiſtoricus Abbas Prumienſis electus in Diœceſi Treuirenſi Chronica ſua perduxit, vir inquit Trithemius, in diuinis Scripturis eruditiſſimus & in ſecularibus litteris nobiliter doctus *inter Doctores Germaniæ & Galliæ ſuo tempore facile obtinuit principatum*, Ratbodo Treuirenſi amicitia coniunctiſſimus fuit, eiuſque iuſſu librum edidit ſeu tractatum de Diſciplinis Eccleſiaſticis & Religione Chriſtiana in 900. fermè Capitula per rubricas luculenter diſtinctum, qui extare dicitur in membranis Viennæ in Bibliotheca Imperatoris. Notas quoque & commentariola edidiſſe dicitur in Martianum Capellam. Ab Abbatia per æmulos deiectus eſt, Richariumque ſucceſſorem habuit, qui & Epiſcopus Leodienſis fuit.

906. Circa annum 906. obiit Manno Catalaunenſis Epiſcopus. Surius Cabillonenſem Epiſcopum ait fuiſſe, vocem Gallicam *Challons*, male forſan interpretatus, nam ab iis qui Epiſcoporum Cabillonenſium Catalogum contexuerunt, omittitur, & inter Catalaunenſes reponitur. Verum vt vt ſit, Mannonis quondam Rectoris Academiæ Pariſienſis & Philoſophiæ profeſſoris cum Ratbodo Traiectenſi diſcipulus fuit. De quo amplius dicetur in Catalogo virorum illuſtrium.

Hiſce temporibus Francia deplorandum in modum à Normanis diripiebatur, nec Carolus re & nomine Simplex iis obniti aut reſiſtere ſatagebat: ita abiecti erat pectoris, vnde venit omnibus in contemptum adeo, vt Hungaris ex alia parte in Galliam irrumpentibus, ab eo omnes Regni Proceres prope defecerint, maluerintque pacem qualemcunque cum illis & cum Normanis pro ſe quiſque paciſci, quàm certis diſcriminibus vitam ignauo Rege duce exponere. Vnus Heriuæus Archipræſul Remenſis cum mille quingentis militibus ad Eccleſiæ defenſionem accurrit teſte Flodoardo l. 4. c. 14. *Hungaris quoque*, inquit, *Regnum Lotharienſe deprædantibus dum Carolus Proceres Francorum in auxilium ſibi contra gentem ipſam conuocaret, ſolus hic præſul ex omnibus Regni huius Primatibus cum ſuis tantum in defenſionem Eccleſiæ Dei Regi occurrit habens armatos ſecum mille quingentos.*

His quoque temporibus deploranda erat bonorum Eccleſiaſticorum diſpenſatio & deprædatio ab hominibus Laicis, quibus ea Reges plus æquo liberales attribuebant: imo ea quoque ipſi ſibi retinebant, vt legitur in Annalibus Bertinianis. *Anno 867. Ludouicus Abbas Monaſterij S. Dionyſij & nepos Caroli Imperatoris ex filia maiore natu Rotrude 5. idus Ian. obit, & Carolus Rex Abbatiam ipſius monaſterij ſibi retinuit. Cauſas Monaſterij & conlaborationem per Præpoſitum & Decanum atque Theſaurarium; Militiæ quoque curam per Maiorem Domus ſuæ commendatione geri diſponens.*

Nempe iſti Abbates vxorati Monachis Decanos præficiebant, qui Monaſterium regerent, dum interim ipſi bona redituſque poſſidebant. Idem ſcribit Continuator Aimoini. l. 5. c. 41. de Abbatibus San-Germano-Pratēſibus *Defuncto Ebolo*, inquit, *Abbate, Robertus Princeps cupiditate magis ductus, quam cura animarum ſollicitus Abbatiam S. Germani accepit ſeque Abbatem poſt ſupradictum Hugonem Abbatem vocitari fecit. Itaque defuncto Hucboldo qui poſt Ebolum in regimine ſucceſſerat, idem Robertus Comes, vt dictum eſt, Abbatis nomen aſſumpſit, ſtatuens Decanos qui curam haberent Monachorum. Quorum primus nomine Remigius extitit, quo obeunte Abbo ſucceſſit, ipſoque decedente Goſmarus Archiclauij decaniam habuit.*

An. 907. Alanus Magnus Britanniæ minoris Dux, qui Normanos tandiu re- 907.
pulerat & debellarat, diem extremum obiit: cui ſucceſſerunt Iudicael & Colledochus filij, à paterna virtute prorſus degeneres. Quamobrem Normani duce Rollone Britanniam validis defenſoribus carentem inuadunt. Nanneticam præſertim Plagam deprædantur: & imbelles Duces trans mare in Angliam fugant. Nec contenti vaſtaſſe Britanniam, Andegauum, Cenomanumque aliaſque Francici Regni vrbes interiores diripiunt, & Carnutum vſque perueniunt.

Anno vero 908. cum Rollo Carnotenſem vrbem obſideret, & ciues prope ad 908.
deditionem compuliſſet, oſtenſa e muris B. Virginis interula ſeu camiſia, quam aiunt ibi ſeruari, ſubito quaſi fulmine ictus ab obſidione receſſit, manumque expertus diuini numinis de religione Chriſtiana amplectenda iam ſerio cogitauit, nec ſe tam victum à Roberto Duce Odonis quondam Regis Fratre, quàm à B. Virgine Carnuti Domina proſtratum exiſtimauit. Vnde mitior deinceps factus à rapinis & cædibus abſtinuit, & in locis quæ occupauerat, aliquandiu ſe continuit, donec tandem Ægidia Caroli Regis filia in vxorem ducta Neuſtriam pro dote accepit. Ad cuius rei promotionem & executionem non parum contulit operæ & curæ Heriuæus Archipræſul Remenſis teſte Flodoardo l. 4. c. 14. *de Normanorum mitigatione atque conuerſione valde laborauit, donec tandem poſt bellum, quod Robertus Comes contra eos Carnoto tenus geſſit, fidem Chriſti ſuſcipere receperunt, conceſſis ſibi maritimis quibuſdam pagis cum Rothomagenſi quam pœne deleuerant, vrbe & aliis eidem ſubiectis.*

Anno 910. Fundatum eſt à Vvilielmo Aquitanorum duce Monaſterium Clu- 910.
niacenſe in Burgundia Diœceſis Matiſconenis ad Graonam fluuium, quem locū hæreditario iure ab Anana Vvarini Comitis Coniuge obtinuerat. Primum autem ibi Abbatem & Rectorem Monachorum conſtituit Bernonem Balmæ & & Gigniaci Abbatem. Sic enim ille in litteris fundationis. *Præcipimus ſiquidem vt maximè illis* (Monachis) *ſit hac noſtra donatio ad perpetuum refugium, qui pauperes de ſeculo egreſſi nihil ſecum præter bonam voluntatem attulerint, vt noſtrum ſupplementum*

ſit abundantia illorum, ſint ipſi Monachi cum omnibus præſcriptis rebus ſub poteſtate & dominatione Bernonis Abbatis, qui quandiu vixerit ſecundum ſuum ſcire & poſſe eis regulariter præſideat. Poſt diſceſſum vero eius habeant iidem Monachi poteſtatem & licentiam quemcunque ſui Ordinis ſecundum placitum Dei atque regulam S. Benedicti promulgatam eligere maluerint Abbatem atque Rectorem.

Circa eadẽ tẽpora Odo S. Martini Turonenſis Canonicus, Remigij Antiſſiodorenſis in Scholis Pariſienſibus quondam auditor ad Bernonem ſe contulit, & cum eo ad mortem vſque commoratus eſt: cui deinde ſucceſſor electus in Abbatiæ Cluniacenſis regimine an. 926. vt infra dicetur.

Anno 911. Ludouicus Imperator annos natus 22. fato communi defungitur, in
911. eoque Caroli M. ſtirps maſcula deficit, & ad Extraneos deinceps tranſit Imperium. Itaque à Proceribus Germaniæ Conradus Franconiæ Dux, Conradi ab Adalberto occiſi filius Imperator deſignatur, reclamantibus fruſtra nonnullis & Carolum Noſtrum ad Aquilas vocandum exiſtimantibus, vt verum & legitimum hæredem. Imperat Conradus Septennium, non ſine bello: quippe illi æmulum ſuſcitant Henricum Saxoniæ Ducem, cui moriens Imperij tranſmiſit inſignia. Henricus iſte Auceps dictus, quod dum auiculas captaret, ei oblatum eſt imperium. Tunc autem Berengarius Italiam obtinebat.

912. Anno 912. Pacem init Carolus cum Rollone Normanorũ duce, ea lege vt fidem Chriſtianã ſuſcipiat: quæ vt firma ſit & ſtabilis in poſterum, Ægidiam ſeu Giſlam filiam ei deſpõdet Neuſtriamque in dotẽ aſſignat. Prius verò eum in myſteriis inſtitui fidei curat per Vvittonem Archiepiſcopũ Rothomagenſẽ, adnitẽte ad opus tam Sanctum Heriuæo Remenſi teſte Flod. l. 4. c. 14. qui *ad Petitionem Vvitonis*, inquit, *tunc Rothomagenſis Epiſcopi collecta ex diuerſis authoritatibus SS. Patrum 23. Capitula qualiter ipſi Normani tractari deberent, eidem Archiepiſcopo delegauit. Inſuper etiam Romanum Pontificem ſuper eiuſmodi negotio conſulere ſtuduit.* Non potuit tamen Vvito abſoluere quod inceperat, quippe morte præuentus: ſed eius ſucceſſor Franco Rollonem aquis luſtralibus Baptiſmi intinxit, fideique ab eo profeſſionem ſuſcepit, aut anno eodem, aut certe an. 913. Robertus vero Pariſiorum Comes nomen ei ſuum indidit vt Patrimus. Rem ſic narrat Vvilielmus Brito l. VIII. Philippiados.

Tempore quo Simplex in Sceptris Carlus agebat,
Normanos Patriam Noruegia miſit in iſtam
Grandibus euectos duce ſub Rollonione,
Qui paganus erat, vir prudens, ſtrenuus armis
Chriſticolæ populi ſitiens haurire cruorem.
Hic cum multorum ſaturaſſet cædibus enſes,
Vicos inuicta vi depopulatus & vrbes
Peſtiferum extendens in plurima Regna furorem,
Demum Carnoti cum mœnia frangere vellet,
Virgo Dei Genitrix, quæ ſe dignata vocare eſt
Carnoti Dominam, tulit illi luminis vſum,
Vincibilemque dedit populo qui diligit ipſam.
Vt ſic vlterius aliquanto tempore cæcus
Luce mereretur Chriſtum interiore videre,
Qui fugiens victus maiori parte ſuorum
Amiſſâ factus humilis, tum denique Chriſto
Credidit & meruit vitali fonte renaſci.
Proinde ſua gaudens illum Rex Carlus honorat
Coniugio Nata, cum qua Normania pacis
Fœdere ſub firmo datur illi nomine Dotis.
Iam tamen ipſe ſuis illam acquiſiuerat armis.
Inuida cui partus optatos Iuno negauit,
Exortem prolis faciens excedere vitâ.
Rollo tamen iungens aliam ſub lege iugali,
Viribus inuictis patriam totaliter illam,
Et ſua poſt illum tenuit ſucceſſio tota.
Donec poſt annos virtus diuina trecentos
Illam reſtituit per prælia multa Philippo.

Quam

Quam tenet & tenuit longumque tenebit in æuum.
Qua prius antiquum cum Neuſtria nomen haberet,
Poſt à Normanis habuit Normania nomen,
Quo gaudent Patrij memores idiomatis eſſe,
In quo Nort Boreas. Homo Mahſonat, inde vocatus
Normanus Priſcæ meminit Patriæque Tribuſque.

Ex quo autem fidem ſuſcepère Normani, mirum dictu eſt, quàm ſint deinde animis mutati, quámque præſertim Rollo tractabilis fuerit: qui vt qualicumque ratione Deo pro tot malis genti Chriſtianæ illatis ſatisfaceret, per 7. dies quibus in albis fuit, variis muneribus Eccleſiam decorauit. Rem ſic narrat Robertus de Monte in ſuis ad Sigibertum Acceſſionibus. *Anno*, inquit, *Dominicæ Incarnationis 912. benedicto fonte in nomine S. Trinitatis Rollo à Francone Archiepiſcopo Rothomagenſi baptizatus: quem Robertus Dux Francorum à fonte excipiens ei ſuum nomen impoſuit. Rollo autem poſtquam baptizatus eſt, per 7. dies quibus in Albis manſit, Deum & S. Eccleſiam deuotè datis muneribus honorauit. Nam prima die dedit terram permaximam S. Mariæ Rothomagi Eccleſiæ. 2. S. Mariæ Baiocenſi Eccleſiæ. 3. S. Mariæ Ebroicenſi Eccleſiæ. 4. S. Michaëlis Archangeli Eccleſiæ in periculo maris ſupra montem poſitæ. 5. S. Petri & S. Audoeni in ſuburbio Rothomagi Eccleſiæ. 6. S. Petri & S. Richardi Gemmeticenſis Eccleſiæ. 7. Brenneual cum omnibus appenditiis S. Dionyſio dedit. Octauo die expiationis eius veſtimentis ceremonialibus exutus vrbis cæpit acquiſitione terram metiri, Comitibuſque ſuis & cæteris fidelibus largiri. Videntes autem Pagani Ducem ſuum Chriſtianum eſſe, relictis idolis Chriſti nomen ſuſcipiunt, ac vnanimes ad baptiſmum conuolant, & exinde gens Normanorum Chriſto credens fidei ſubacta eſt.*

Idem author commemorat Monaſteria 38. quæ iſti ad fidem conuerſi aut fundarunt aut inſtaurarunt, Gemmeticenſe, Fiſcanum, S. Audoeni & S. Michaëlis in monte Tumba, S. Vvandregeſili, Bernaium, S. Taurini, Villarienſe, Beccenſe, Ceraſienſe, S. Trinitatis & Sancti Stephani Cadomenſis, Vricenſe, S. Trinitatis, ſiue S. Catharinæ & S. Amandi Rothomagenſis, S. Leufredi, Conchenſe, Lirenſe, Cormelienſe, Pratellenſe, S. Vigoris Baiocenſis, Sagienſe, Troarnenſe, Almeniſcarum, S. Petri ſiue S. Mariæ Diuenſis, S. Petri Lexouienſis, Vlterioris-portus. S. Victoris Caletenſis, S. Saluatoris Ebroicenſis, Greſtennenſe, S. Seueri Conſtantienſis, Exaquienſe, S. Saluatoris Conſtantienſis, Fontanetum, Monteburgenſe, Ebroicenſe, Lonleienſe: quæ quidem omnia ab iiſdem Normanis aut fundata aut inſtaurata ſunt ab anno 912. vſque ad an. 1150. quo tempore florebat Robertus de Monte. Itaque Deo ita diſponente nulla natio videtur fuiſſe magis addicta Religioni Chriſtianæ, quàm illa quæ tam acriter eam tot annos vexarat & oppreſſerat.

Atque vt tota illa gens facilius ad Chriſtum conuerteretur, dubium non eſt, quin liberos ſuos Lutetiam ad ſtudia bonarum artium & ad puriorem Religionis fontem miſerit ab ipſo ſuæ Inhabitationis Neuſtriacæ initio: præſertim verò Rothomagenſes & alij viciniores. Idque non obſcurè Chronologiſtes ſcribit Malleacenſis, cum ait Normanos Latinum Sermonem diſcere cœpiſſe. Sic enim ille ad an. 937. *Tempore illo Rollo defuncto, filius eius Vvilielmus loco eius præfuit, à pueritia baptizatus. Omniſque multitudo quæ iuxta Franciam habitabat, fidem Chriſti ſuſcepit & gentilem linguam omittens Latino Sermone aſſue facta eſt.*

Tunc autem credibile eſt factam fuiſſe in Vniuerſitate Pariſienſi Nationum diuiſionem quadrimembrem. Nam vt in ſynopſi ad primum ſeculum diximus, Vniuerſitas videtur fuiſſe primum diuiſa in duas Nationes, Gallicanam ſcilicet & Anglicanam, quod quidem vel ex vnica finium & ditionis illarum dimenſione conicere licet. Quippe ditiones habent nullis finibus limitatas. *Nationes 4. in Vniuerſitate Pariſienſi.*

Anglicana quidem totum Septentrionem quàm longè lateque patet, ſibi ſubiectum habet. Gallicana cæteras mundi partes complectitur. At Normania & Picardia exiguis finibus continentur. Vnde porro tam iniqua illa diuiſio facta fuiſſet, ſi ſimul & eodem tempore omnium facta fuiſſet? Præterea Oxonienſis Academia quæ ab Alfredo vt dictum eſt, erecta fuit & inſtituta circa an. Chriſti 890. ad inſtar Noſtræ Pariſienſis in duas ſimiliter Nationes diuiſa eſt, Borealem ſcilicet & Auſtralem, & vtrique ſuus Procurator aſſignatus.

Igitur ita mihi videtur eſſe de hoc negotio ſtatuẽdum, fuiſſe ſcilicet toto primò

ſeculo duas tantum in Vniuerſitate Nationes, Gallicanam & Anglicanam: poſtquam vero Normani Neuſtriam pacatè inhabirare cœperunt & Chriſtianam fidem amplecti, cum nullibi legatur fuiſſe quondam in Neuſtria ſcholas, in quibus poſſent inſtitui & litteris erudiri pueri, miſſos fuiſſe Lutetiam ad ſtudia litterarum: & ne iis probro eſſet atque iniuriæ, quod Gens illa Galliam, maximè verò Lutetiam ſæpe depopulata eſſet, adeo vt inter Litanias cantari ſoleret A FVRORE NORMANORVM LIBERA NOS DOMINE, conceſſum fuiſſe ex eadem Gente Procuratorem, qui eorum cuſtos & protector eſſet, Normanicamque Nationem Vniuerſitati additam: quæ vt fieret Quadrimembris, Picardicam eodem quoque tempore adiectam: atque ita ſine detrimento Nationis Anglicanæ, Gallicanam quæ antea partes illas ſuæ ditioni ſubiectas habebat, vltro duabus illis Nationibus adiectitiis conceſſiſſe.

Vnde & hic ordo inter illas talis tum inſtitutus fuiſſe videtur, vt Gallicana, quia in fundo ſuo ſita erat Vniuerſitas, ordine ſi non dignitate, prior eſſet: quemadmodum in aliis Vniuerſitatibus antiquis obſeruatum eſt: Picardica, quia Regnicola & antiquæ Ditionis Franciciæ, ſecundum locum obtineret. Normanica licet alienigenarum hominum, quia eidem Franciæ ſubiecta, tertium. poſtremum denique Anglicana, quia omnino erat extranea: ad quem quidem locum moleſtè tulit olim illa ſe fuiſſe reiectam, quia ſe ſcholæ primam fundatricem putabat: eſto enim Gallicanæ cedere deberet, non tamen adiectitiis illis cedere debuiſſe. Verum ea demum præceſſio æqua viſa eſt citra damnum præiudiciumque dignitatis omnium quatuor, quæ ſorores dictæ & pares omnes dignitate fuerunt iudicatæ.

Quod autem iſtis temporibus adiectæ ſint Nationes iſtæ duæ, prætet allatas rationes, hæc maximè conuincit, quod aut fuerint omnes 4. ab initio in Vniuerſitate neceſſe ſit: cui rei obſtat iniqua finium diuiſio: vt dictum eſt: aut iſto certè tempore. Etenim cum per 300. annos Normani aut Angli è Normanis oriundi Normaniam tenuerint ad vſque ſcilicet extrema fere Philippi Auguſti tempora & toto illo tempore intermedio continua propè bella cum Francis geſſerint, non videtur quandonam acceſſio iſta fieri potuerit opportunius, quàm quo tempore ex duabus Gentibus, Francica & Normanica, vna quodammodo facta eſt, quoque ad fidei veritatem accipiendam opus erat lumine ſcientiarum: quod quidem in Neuſtria tunc neutiquam, ſed Lutetiæ tantùm pleniſſimè & commodiſſimè collucebat; & vnde edocti nonnullas poſtea apud ſe Scholas inſtituerunt. Factam enim fuiſſe, quandiu Franci cum Normanis bella geſſerunt, aut poſtquam Normani Angliam ſubiecerunt, quis credat? ſcilicet paſſuti fuiſſent Reges noſtri in vrbe ſua primaria inſtitui duas Nationes numeroſiſſimas & ſæpe inimiciſſimas! Fuiſſe vero factam poſt annum 1215. quo Philippus Auguſtus Normaniam recuperauit, nemo qui Academiæ ſcrinia luſtrauerit, conteſtabitur: cũ certum ſit ante ea tempora Vniuerſitatem habuiſſe Rectorem & Procuratores Nationũ, vt ex hiſtoria conſtabit. Adde quod ſi poſt an. 1215. fuiſſet acceſſio illa facta, non ſubeſt ratio, quamobrem ſoli Normani Nationem vnam conſtituiſſent, cum Gallicana tam multas gentes; Anglicana quoque tam multas complecterentur. Poſtremo quia cum plurimi etiam Academici viri floruerint & ſcripſerint iis temporibus, nemo tamen illius nouæ acceſſionis meminit.

Aureliacenſis Cœnobii fundatio.

Anno 913. Anaſtaſius III. Romanus Papatum obtinuit ſeditque duobus annis & duobus menſibus ſatis laudabiliter. Et hocce tempore fundatum eſt Cœnobium Aureliacenſe Claromontenſis, nunc San-Flotacenſis Diœceſis à Geraldo magnæ ſanctitatis & primariæ nobilitatis viro. Qui regnante Caluo natus nimirum an. 856. mundo cui diu militauerat, ſubſtraxit omnia bona ſua & Monachis addixit an. 914. condito teſtamento quod tale eſt.

„ Mundi termino appropinquante, ruinis creſcentibus iam certa ſigna manife-
„ ſtantur, quia his aduenientibus verè mundus arguetur. Et ſi aliquid de rebus no-
„ ſtris locis Sanctorum conferimus, Retributorem nobis eſſe omnium Deum con-
„ fidimus, qui dicit date Eleemoſynam. Ob hoc igitur Ego Geraldus conſiderans
„ caſum fragilitatis humanæ & pertimeſcens vltimum trementem diem iudicij,
„ propterea cedo ad loca ſanctorum & eorum ſeruitium & in ſubſtantia pauperum
„ & parentibus meis atque fidelibus, hoc eſt imprimis ad locum pro Deo & S.

Petri condonatum habeo qui vocatur Autilhacus Monaſterium, hoc eſt quod à die ptæſenti ipſi Monachi poſſident, & medieratem de ipſa Curte ipſum Caſtellum cum Baccalaria Dominicaria & duos Manſos in Grandimonte & in Fabricas Manſo. 1. Vbi ſtabilis viſus fuit manere, Rainaldus teneat dum viuit, poſt obitum illius Ordini Aurilhaco remaneat. Mediam Curtem æqualiter diuidant Rainaldus, & Monachi, & poſt obitum illius omnia ad Aurilhacum ſuccedant. Decatucerias curte medietatem, ad ipſum locum ſupra nominatum dono & medietatem Rainaldo nepoti meo dono dum viuit, poſtea ad Aurilhacum remaneat. Villam meam ad illos Ermos Monachi habeant. Curtogillo Rainaldus habeat dum viuit: poſtea ad Aurilhacum remaneat. Glaurgo Eccleſiam Monachi poſſideant. Curtem meam Roacina Rainaldus dum viuit, teneat, poſt obitum illius ad Aurilhacum remaneat. De hoc quod in Goliaco viſus ſum habere, Monachi medietatem, Rainaldus medietarem dum viuit, poſt obitum illius ad Aurilhiacum remaneat. Boreſia dono Amalfredo filio Galamon dum viuit, poſt obitum illius ad Aurilhiacum remaneat. Quantum namque ad ipſas cauſas ſupta nominatas aſpicit aur aſpicere videtur, quæſitum vel ad inquirendum cum ipſis mancipiis ibidẽ manentibus & eorum conſanguineis de foris his cauſis iam dictis degentibus, & cum omnibus pertinentijs & appendiciis & adiacentijs eorum, & ad integrum dono & S. Petri & S. Clementis & eorum ſeruientibus dono ad iure ptoprium habendi, tenendi & vſufructuarium recipiendi, ea tatione vt dum viuo poſſideam, & poſt obitum noſtrum Rainaldus nepos meus habeat poteſtatem de hoc ſupra nominato Monaſterio ad Abbates mittendi, tollendi ſicut cauſas Monachorum inquirendi ante Reges & Comites & eorum vicarios ſiue in diuerſis plagis Monachorum & eorum familiis tuitione tenendi. Et acceſſio iſta à me facta omnique tempore firma ac ſtabilis permaneat cum omni firmitate & manibus hominum roborata, ſtipulatione quoque annexa. Facta ceſſione iſta in menſe Septembrio ſub die Iouis an. 17. quod Carolus Rex ſumpſit Imperium. Et ſignatum Geraldus qui donatione iſta ſcribere vel affirmare rogauit. Sig. Fataldi, Sig. Vigoni. Sig. Vicarni. S. Bladino. S. Tugitanni.

Huicce Cœnobio primus Abbas præfectus eſt Aldegarius, Adelgarius ſeu Adalbertus antea Monachus Vabrenſis, Geraldi Fundatoris conſanguineus, qui ad Carolum Simplicem pro obtinenda ptædictæ fundationis confirmatione miſſus facile obtinuit. Hunc excepit Ioannes 1. nobilis quoque proſapiæ & Geraldi affinis, atque Ioanni X. Papæ chariſſimus, à quo priuilegia habuit. Iſti ſucceſſit Odo Cluniacenſis: Odoni Arnulfus: Arnulfo Adiardus, quo Abbate Gerbertus Aquitanus Cœnobio Aureliacenſi nomen dediſſe videtur.

Cæterum hæc Domus fuit ab initio litterarum profeſſione commendabilis: ibique magna nominis fama docuiſſe perhibentur Arnulfus ſucceſſor Odonis, Adiardus, Gerardus de S. Sere, qui & Abbas fuit, Gerberti Magiſter, Raimundus de Lauaur ipſius Gerberti Magiſter præcipuus, ad quem extat eiuſdem Epiſtola 91. Eiuſdem ſcholæ meminit Ioannes Sariſberienſis Ep. 60. vbi Luxouienſium quoque Monachorum meminit, qui cum Auriliacenſibus de litterarum laude decertabant. *Domini ſiquidem Luxouienſes Patres*, inquit, *non modo eloquentium, ſed eloquentiæ quodammodo ſunt, nam cum Aureliacenſibus, qui multarum rerum peritiam & vſum habent, æquentur in plurimis, in eo facillimè antecedunt, quod hic naſcuntur & ſiunt eloquentes.* Itaque temporibus Ioannis Sariſberienſis nempe circa an. 1160. florebat adhuc ſchola Aureliacenſis: non tamen in ea extraneos crediderim inſtitutos fuiſſe, ſed eos tantùm qui ſacræ militiæ ſeſe addixiſſent.

Anno 914. aut 915. Anaſtaſio Pontifici Romano ſuffectus eſt poſt biduum Lan- 915.
dus Sabinenſis nulla re in Pontificatu geſta commendabilis: quo poſt ſex menſes e viuis ſublato, non Cleri nec populi ſuffragiis, ſed Alberti Marchionis & Theodoræ ſocrûs opibus & authorirate ſubſtituitur Ioannes decimus dictus, Rauenatum Archiepiſcopus: filius is erat Sergij olim Pontificis, vt ſcribunt nonnulli. 13. annos ſedit, meliuſque geſſirquàm perperit Pontificatum. Saracenos Italiam vaſtantes expulit, Normaniſque ad fidem conuertendis cum Heriuæo Remenſi ſtudioſè incubuit. Demum à Guidonis Comitis militibus ſtrangulatus eſt.

Anno 917. obiit Ratbodus Friſius Traiectenſis Archiepiſcopus, Mannonis olim 917.
in ſchola Palatina Lutetiana regnantibus Caluo & Balbo Diſcipulus. Ille ex Re-

917. gio ſanguine oriundus Atauum maternum habuit Ratbodum Regem Friſiæ, auunculum Guntherum Archiepiſcopum Colonienſem: apud quem primoribus litteris inſtitutus eſt. at eo de ſede ſua deiecto miſſus Lutetiam ſub Mannone Philoſopho plurimum profecit: demum reuerſus in Patriam Arnulfo Imperatore volente & quodammodo iubente factus eſt Epiſcopus Traiectenſis. Obiit autem apud Trentam, ſeu vt alij ſcribunt, apud Dauentriam, vbi frequentius habitabat, 3. Kal. Decemb. an. 917. Sibique tale Epitaphium condidit.

Eſuries te Chriſte Deus, ſitis atque videndi
Iam modo carnales me vetat eſſe dapes.
Da mihi te veſci, te potum haurire ſalutis,
Vnicus ignotæ tu cibus eſto viæ.
Et quem longa fames errantem ambeſit in orbe,
Hunc ſatia vultu, Patris imago, tuo.

Item B. Martini inuocatione peccatorum remiſſionem à Deo precatur.

Sis pius oro mihi Martine habitator olympi,
Solamen miſero, ſis pius oro mihi.
Porrige quæſo manum ne me trahat ecce profundum
Portus naufragium, porrige quæſo manum.
Imminet vmbra necis, nunc nunc mihi proximus adſis:
Res nimium triſtis imminet vmbra necis.
Eripe me tenebris & diris ſubtrahe flammis
Dilector lucis eripe me tenebris.
Me quoque redde Polo, Regnum quo permanet Agno,
Qui frueris cælo me quoque redde Polo.

Extat & aliud Epitaphium in MS. quo ita Deum alloquitur.

O Deus omnipotens, cuius pietate redemptus
Subſiſtit mundus, qua generatus homo,
Reſpice me miſerum peccati mole grauatum,
Et nimio preſſum pondere, Chriſte, leua.
Ereptumque gregis dira de ſorte Miniſtri
Iudicis inter oues tempore ſiſte tuas.

De eo vero ſic inſuper Trithemius in lib. de Viris Illuſtribus ac Scriptoribus Eccleſiaſticis. *Radbodus 14. Epiſcopus Traiectenſis natione Teutonicus, vir in Diuinis Scripturis valde eruditus & ſecularium litterarum non ignarus, ingenio ſubtilis, eloquio clarus, vita & conuerſatione ſanctiſſimus, multis & viuus & mortuus miraculis coruſcauit. Hunc in omnibus litteris humanitatis Nanno Philoſophus doctiſſimus inſtruxerat, qui aduocatus in Palatio Regis Caroli Groſſi fuit, & poſtea monaſterium ingreſſus, tandem Epiſcopus conſecratus Eccleſiam Traiectenſem in graui perſecutione Danorum 17. annis ſtrenuè gubernauit. Scripſit autem nonnulla præclara opuſcula de quibus iſta feruntur. Laudes S. Martini lib. 1. Laudes S. Bonifacy Epiſcopi lib. 1. De S. Amelberga lib. 1. Homiliarum & Sermonum lib. 1. de S. Willibrodo Flores. Integrum quoque de S. Martini Tranſlatione Officium & varios cantus in honorem Sanctorum. Obiit ſub Ludouico filio Arnulphi Imper. an. 917. Indict. 5. 3. Kal. Decemb. Epiſcopatus ſui an. 18. ſepultus apud Dauentriam vbi reſidere antea conſueuerat.* Errat Trithemius cum ait obiiſſe ſub Ludouico filio Arnulphi: nam Ludouicus iam ante obierat, nim. an. 911. vt ante dictum eſt.

919. Anno 919. Normani, ſeu ij qui Duce Rollone Neuſtriam occupauerant, ſeu alij de nouo aduenientes Aremoricam regionem omnino depopulantur nemine repugnante aut eis reſiſtente: tam calamitoſa erat rerum Francicarum facies illis temporibus, tantaque abiectio animorum. Huius rei meminit Flodoardus in Chronico. *Normani*, inquit, *omnem Britanniam in Cornu Galliæ, in ora ſcilicet maritima ſitam depopulantur, proterunt atque delent abductis, venditis cæteriſque cunctis eiectis Britonibus.* Biennio verò poſt Robertus Comes illis hanc quoque partem, quam vaſtauerant cum Nannetico pago illis habitandam concedit, dum fidem Chriſtianam amplectantur, teſte eodem Flodoardo. *Robertus Comes Normanos qui Ligerim fluuium occupauerant, per quinque menſes obſedit, acce-*

ptiſque ab eis obſidibus Britanniam ipſis quam vaſtauerant, cum Nannetico pago conceſſit, quique fidem Chriſti cœperant ſuſcipere. Tunc quoque Hungari Italiam partemque Franciæ, quæ Lotharingia dicebatur, deprædabantur; vnde eos ægrè Carolus repulit.

Verum ecce grauius malum: bellum Ciuile quocunque extraneo peius & vehementius exardet. Plurimi Proceres indignati, quod Rex nimis puſillanimis hoſtibus infenſiſſimis Neuſtriam ad habitandum conceſſiſſet: neque hoc modò, ſed Aborigines ex auitis fundis expelli permiſiſſet, Haganonem Miniſtrum Regni primatium & talium forte ſuaſorem ex Aula & à Regni adminiſtatione arceri poſtulant. Rex à ſubditis negat ſe poſſe cogi: nec Haganonem dimittit. Ergo illi palam ab eo deficiunt & Robertum Pariſienſem Comitem Odonis quondam Regis fratrem rei Francicæ præficiunt. Vnum Rex habet perfugium ad Heriuæum Remenſem Archiepiſcopum, cuius opibus diu ſuſtentatur, donec tandem placantur animi Procerum & pax reſtituitur. Quâ de re ſic Flodoardus in Chronico. *Anno 920. pæne omnes Franciæ Comites Regem ſuum Carolum ad vrbem Sueſſionem, quia Haganonem Conſiliarium ſuum, quem de mediocribus potentem fecerat, dimittere nolebat, reliquerunt. Heriuæus autem Remorum Archiepiſcopus accipiens Regem, cum omnes eum deſeruiſſent, duxit eum ad hoſpitia ſua in villa quæ dicitur Gareiſiria. In craſtinum verò venerunt Cruſniacum Remenſis Epiſcopij villam, ibique manſerunt donec Remis venirent: ſicque deduxit eum per 7. fere menſes, vſquequo illi ſuos Principes eumque ſuo reſtitueret Regno* Idem ſcribit lib. 4. hiſtoriæ Remenſis c. 15. Pontificemque iſtum ab eximia laudat pietate, fortitudine & fidelitate. 920.

At pax illa diu non ſtetit: etenim biennio poſt, nempe an. 922. iidem Magnates ab eo omnino defecerunt. Prætextus defectionis fuit, adempta Abbatia Cellenſis Rothildi auunculæ ſocrûs Hugonis filij Roberti, Præfecti Palatio & Ducis Franciæ per Regem Odonem fratrem ſuum facti. Ergo Robertus cum filio Hugone Magno, Rodulpho Genero, qui poſtea Rex coronatus eſt, Boſone ſuperioris Burgundiæ Rege & Heriberto Genero Veromanduorum Comite odio Haganonis coniurat aduerſus Simplicem cogitque Lauduno fugere trans Moſam. Coniurati Robertum in Regem inungunt per Heriuæum Remenſem vltima die Iunij. Rem ſic narrat Flodoardus l. 4. Hiſtor. Rem. c. 17. *Excreſcente denique diſcordia inter Regem Carolum & Robertum cum pæne cuncti Regni proceres ad conſtituendum Regem Robertum apud S. Remigium congregati eſſent; idem Archiepiſcopus languore depreſſus vitâ deceſſit, tertia die ſcilicet poſtquam Robertus Rex factus fuerat; quarto verò die antequam vigeſimum ſecundum ſui Epiſcopatus expleret annum. Contigit autem vt ipſa die ſui deceſſus plures qui aduenerant Epiſcopi Remenſem ingrederentur vrbem, quique funus ipſius dignis exequiis celebrantes cum maximo ſuorum, ſed & exterorum luctu decenti eradidêre ſepulturæ.* 922.

Hæriuæo ſubſtituitur Seulfus tunc eiuſdem Eccleſiæ Archidiaconus, Remigij Antiſſiodorenſis olim Diſcipulus, quem Robertus vt ante ſœpe, ſic deinde fidelem ſibi ſemper partibuſque ſuis addictiſſimum expertus eſt. De eo ſic quoque Flodoardus c. 18. *Succeſſit huic Præſuli Seulfus, qui tunc vrbis huius miniſterio fungebatur Arch diaconatus, vir tam Eccleſiaſticis quam ſecularibus diſciplinis ſufficienter inſtructus; quique apud Remigium Antiſſiodorenſem Magiſtrum in liberalibus Studium dederat Artibus. Quo per conſenſum & iuſſionem Roberti Regis ab Abbone Sueſſionico ceteriſque Remenſis prouinciæ Præſulibus ordinato Epiſcopo delati ſunt Odo frater quondam Heriuæi Archiepiſcopi, & Heriuæus nepos ipſius apud eundem Præſulem, quod fidelitatem quam ei promiſerant, minimè ſeruarent. Qua de re quia noluerunt ad reddendam venire rationem coram eodem Pontifice, vel ſingulari certamine cum accuſatoribus decernere; ſublatis ſibi Eccleſiæ poſſeſſionibus, quas plures ex hoc retinebant Epiſcopo, per Heribertum Comitem deducti ſunt ad Robertum Regem & ſub cuſtodia vſque ad mortem Regis Roberti, Odo quidem penes eundem Heribertum, Heriuæus verò Pariſius detenti ſunt.*

Interim Carolus comparatis auxiliis Flandrorum, Lotharingorum & Germanorum redit in Franciam & Robertum inſperato aduentu ſub vrbe Sueſſionica tunc morantem adoritur an. ſequenti nim. 923. die Dominica poſt horam ſextam. Ibi pugnatum, vt de Regno par erat: Altera pars ſub Simplice quaſi du- 923.

ce carens, ſibi quiſque Dux adhortator eſt, nec alrerius impetium expectat. Altera ſub Roberto recentem Regiam maieſtatem à ſe illi collatam, Franciæ decus & fortitudinem contra Germanos quibus iura dediſſet, præ oculis habet. Sed hic tandem euentus pugnæ fuit. Robertus dum ante ſigna pugnat plus memor Regij nominis recenter parti quàm vitæ, citcumuentus & multis lanceis perfoſſus occidit, victoriamque nihilominus moriens ſuis relinquit. Carolus flotentiſſimâ exercitus ſui amiſſâ patte ad Mo ſam refugit, & Normanorum auxilia, qui maximam Galliæ partem inuadentes deuaſtarant, improbo deſperaroque conſilio, inquir Tillius, prouocat: quo facto ſubditorum animos vehementer exacerbat. Vnde nec Heribertum Comitem, nec Seulfum Archiepiſcopum alióſve Regni Ptimates, quos multis Legationibus precatur vt ad ſe reuertantur, permouete poteſt. Imo Seulfus coacto Epiſcoporum Concilio eos qui in acie Sueſſionenſi contra Robertum pugnauerant, ad publicam pœnitentiam adigit: vt legitur in Capitulis veteris membranæ S. Remigij Remenſis.

924. Heribertus verò Comes Simplicem ſpe rerum componendarum illectat & reuocar in Franciam; reuerſum, apud Petonam in cuſtodia retinet an. 924. coactoque Procerum Regni Conſilio cogit ſceptro cedete. Hinc ergo Rodulphus Burgundiæ Rex, Roberti Gener, à Simplice in Baptiſmo ſuſceptus in Regem inungitur apud Sam-Medardum Sueſſionenſem: & paulò poſt Emma Coniux, Roberti filia à Seulfo Remis in Reginam conſecratur. Superſtes quoque fuit Roberto Patri Hugo filius, dictus ob res præclarè geſtas, Magnus, Franciæ Dux, Pariſiorum Comes, Hugonis Capeti Pater, de quo infra.

925. Anno 925. Seulfus Remenſis moritur non ſine ſuſpicione propinati veneni: eique ſubſtiruitur Hugo filius Heriberti Veromanduorum Comitis, puer quinquennis, ex conſilio Epiſcoporum. Rem ſic narrat Flodoardus l. 4. hiſtor. Remens. c. 20. vbi notar quoque ſe, quia electioni eiuſmodi non interfuiſſet, nec
„ deinde præbuiſſet aſſenſum, beneficio ſuo ab Heriberto fuiſſe ſpoliatum. Nec
„ mora, *inquit*, poſt obitum ipſius Heribertus Comes Remis venit aduocans Ab-
„ bonem Epiſcopum Sueſſionicum & Bouonem Catalaunicum. Quibus ſibi iun-
„ ctis tractans ſuper electione Rectoris huius Remenſis Eccleſiæ tam Clericos
„ quam Laicos ad voluntatem ſuam intendere fecit. Sequentes igitur eius con-
„ ſilium, ne forte per extraneas perſonas Epiſcopatus diuideretur, eligunt filium
„ ipſius nomine Hugonem admodum paruulum, qui nec adhuc quinquennij
„ tempus expleſſet. Qua re patrata ad Regem properant eius authoritatis impe-
„ trandæ gratia. Rodulphus igitur Rex hac electione comperta præfatorum
„ Epiſcoporum conſilio Remenſem Epiſcopatum committit Heriberto æqui-
„ tatis cenſurâ diſponendum atque regendum ab ipſo, qui etiam Legatos Ec-
„ cleſiæ cum Abbone præſule Romam mittere ſatagit, huius electionis decre-
„ tum ſuum ferentes & aſſenſum Papæ ſuper ea petentes. Ioannes itaque Pa-
„ pa interueniente Abbone præſule petitioni eorum conſenſum præbens, Epiſ-
„ copium Remenſe Abboni Epiſcopo delegat, quæ ſunt Epiſcopalis Miniſterij
„ ab ipſo in eodem Epiſcopio tractanda ac finienda decernens. Heribertus ita-
„ que Comes poteſtate potitus Remenſis Epiſcopij iniuſtè priuauit tam me quòd
„ non interfueram præmiſſæ electioni ſuæ, quàm nonnullos alios & Clericos &
„ Laicos beneficiis poſſeſſionum Eccleſiaſticarum, quibus à præcedentibus Epiſ-
„ copis munerati videbamur obſecundationis gratiâ.

Annus 926. bellis Normanicis & Hungaricis variiſque tumultibus & diſſidiis
926. turbatur, Carolo apud Caſtrum Theodorici ſub arcta cuſtodia retento & Ro-
De Odone Cluniacenſi. dulpho regnanre. Eodem anno obit Berno primus Abbas Cluniacenſis & Odonem ex nobili Francorum proſapia oriundum, S. Martini Turonenſis olim Canonicum & Remigij Antiſſiodorenſis in ſchola Pariſienſi Diſcipulum ſucceſſorem deſignat: de quo Odone ſic habet Glaber Rodulfus l. 3. *Poſt Bernonem ſuſcepit regiminis curam ſapientiſſimus Abbas Odo, vir per omnia religioſiſſimus qui fuerat S. Martini Turonis Eccleſiæ Præpoſitus, moribus & conuerſatione Sanctitatis valde ornatus. Hic enim in tantum huius inſtituti propagator extitit, vt a Beneuentana Prouincia, quæ habebantur in Italia & in Galliis vſque ad Occeanum mare potiora Monaſteria, illius ditioni gratularentur eſſe ſubiecta.*

Hic vir admirabilis collapſam Monaſticam Diſciplinam incredibili labore & cura inſtaurauit. Cuius laudes in hac parte nemo melius dicendo complecti-tur quam Chronologiſtes Antiſſiodorenſis. Hic Beatus Odo, *inquit*, miræ ſancti-„ tatis extitit & incomparabilis in Monaſtica vita feruoris ac pœne ſuo ſeculo ſingu-„ laris. Valde enim hoc tempore Monaſticæ Religionis feruor in pleriſque Gallia-„ rum locis tepuerat & ratus in aliquo Monaſtico habitu induto Mundi contem-„ ptus inueniebatur. Abbatiæ ſi quidem antiquiores, quæ in vrbibus Franciæ ſeu „ caſtris nobilioribus fuerant editæ à Religioſioris propoſiti tramite adeò exorbita-„ uerant, vt pœne omnes qui in eis diuinis videbantur mancipari obſequiis, cu-„ ris carnis ac ſuæ voluntatis ſtudio & intentioni addicti eſſent. Vnde non im-„ meritò rariores hoc tempore ſpiritales viri fuerunt, vt vix vel vnus magnæ famæ „ aut ſanctitatis immenſæ his diebus extitiſſe, referatur qui poni poſſet in lucem „ Gentium, vt ſalus eſſet his qui in extremis vitiorum finibus morabantur. Nam „ præter domnum Odonem religioſiſſimum Abbatem, qui hoc tempore floruit, „ cuiuſque ſanctitas & religio non mediocris fuiſſe certiſſimè comprobatur, vix „ aliquis enituit, qui fraternæ correptionis ardore repleretur. Hic igitur B. vir ob „ ſuæ ſanctitatis cumulum non ſolum Cluniacenſis, ſed & multorum in Regno „ Heſperiarum cœnobiorum effectus eſt Abbas egregius & diſciplinæ regularis „ ſagaciſſimus propagator. Ipſius enim induſtria & feruore Monachorum tepor „ verſus eſt in ardorem & in fidei & religionis deuotionem venerandam. Val-„ de quippe per eum & ſub eo refloruit exſiccata Monachorum deuotio & S. Be-„ nedicti inſtitutio laudabilis viguit plurimum in Cœnobiis & conualuit repara-„ ta. Cluniacenſis denique Eccleſia tanta religione ſub hoc ſanctiſſimo Patre Odo-„ ne in initio ac longè poſt floruit, vt meritò fonti aquæ viuæ comparari potuiſ-„ ſet, quæ veræ Religionis puritate ad ſe venientes & inibi Deo deſeruientes „ pleniſſimè abluebat. „

Huiuſce viri pietatem maxima commendabat eruditio, vt teſtantur plurima eius opera. Extat in Bibliotheca Floriacenſi, quam Abbatiam iuſſu Leonis Pontificis reformandam ſuſceperat, ſermo quem habuit in feſto Tranſlationis S. Benedicti ad Floriacenſes Cœnobitas, cuius hoc initium eſt *Feſtiua Beatiſſimi* Benedicti Solennitas

Anno 927. obiit Rollo Dux Normanorum, vt multi ſcribunt, iacetque in Capella S. Romani apud Baſilicam Rothomagenſem cum hoc Epitaphio. 927.

Dux Normanorum, cunctorum norma bonorum,
Rollo ferus, fortis, quem Gens Normanica mortis
Inuocat articulo, hoc iacet in tumulo.
Ipſi prouideat tua ſic clementia Chriſte,
Vt ſemper videat cum Cœtibus Angelicis Te.

Fuit autem ille tam omnis Iuſtitiæ tenax, vt nemini ius reddere denegaret: itaque ad Rollonem protinus ſi quid iniuriæ inferretur, concurrebatur. Hinc fluxit Clamor ille Normanicus A Rov vel Haro. id. Ad Rollonem. Georgius Colueneriu in notis ad Chronicum Cameracenſe. *Rollo vel Rol præcipuus Nordmanorum Ductor, qui tandem ad fidem Chriſti eſt conuerſus & baptiſatus an. 912. vt ſcribit Math. Weſtmonaſt. & Baronius tom. 10. qui deinceps ad finem vſque vitæ tantus fuit amator Iuſtitiæ, vt recordatione ipſius etiamnum hodie Normani dum eis infertur iniuria, exclamare ſoleant HA ROL vel HA ROV quaſi ſuſpirantes & inuocantes eum ad faciendam eis iuſtitiam.* Vide Menagium in Originibus ad vocem *Haro.*

Anno 928. rurſus res Franciæ turbantur ob ſimultatem, quæ inter Rodulfum Regem & Comitem Veromanduorum intercedebat, quæque tandem in apertum bellum erupit. Cauſa hæc fuit. Heribertus ſatis bene ſe de Rodulfo meritum putans, cui Regnum capto Carolo contulerat, ægre tulit ſibi denegatum ab eo Comitatum Laudunenſem, filioque ſuo Odoni cui illum petierat prælatum Rotgarium. Itaque liberiori primum cœpit Carolum habere in cuſtodia, deinde cum eo colloqui, poſtremò eidem amicitias comparare, imprimiſque Willielmum cognomine Longa-Sparam Rollonis filium Normanorum Ducem certo fœdere cum eo coniungere, teſte Flodoardo. *Karolus*, inquit, *cum Heriberto colloquium petit Normanorum ad Caſtellum quod Auga vocatur, ibique ſe filius Rol-* 928.

lonis Karolo committit & amicitiam firmat cum Heriberto.

His auditis Rodulfus cum ingentibus copiis e Burgundia in Franciam irrumpit, omnia vaſtans & diripiens. Heribertus infenſiſſimas Normanorum vires opponit. Stat medius & ſequeſter Hugo Magnus Pariſiorum Comes Roberti in Sucſſionenſi prælio occiſi filius, diſſidenteſque conciliat Heribertus Carolum Remos deducit, indeque ad Pontificem legatos mittit affirmans eum iam plena libertate frui, quò fulmina euitet a Pontifice intentata.

929. Anno 929. obit Ioannes Papa, eique ſubſtituitur Leo VI. Patria Romanus: quo poſt 7. menſes dieſque 15. defuncto ſuccedit Stephanus VIII. Imperante Henrico in Occidente. Eodem anno Deroldus inſignis Medicus Ambianenſem Epiſcopatum adipiſcitur poſt mortem Otgarij, qui plenus dierum deceſſerat, nempe Centenarius. Admittitur quoque ab Heriberto Veromanduorum Comite Odalricus Aquenſis Epiſcopus à Sarracenis expulſus ad Miniſterium Archiepiſcopale obeundum in Eccleſia & Diœceſi Remenſi vice Hugonis filii adhuc impuberis: conceſſa ei præbenda & Abbatia S. Timothei, teſte Flodoardo l. 4. c. 22. Vbi etiam ait Hugonem Pariſiorum Comitem & Heribertum ad colloquium Henrici Imperatoris profectos, indeque ad Rodulfum, pacem inter eum & Carolum reſtituiſſe. *Hugo & Heribertus Comites ad colloquium proficiſcuntur Henrici. Vnde reuerſi pergunt obuiam Rodulfo Regi rurſuſque Heribertus committit ſe illi redacto iterum ſub cuſtodia Carolo. At Rodulfus Rex Remis veniens vbi Carolus cuſtodiebatur, pacem fecit cum illo, humilians ſe ante ipſius præſentiam & reddens illi Attiniacum fiſcum, muneribus quoque quibuſdam Regiis eundem honorat.*

930. Anno 930. Rodulfus Rex Normanos Ligerianæ oræ Incolas, qui Aquitaniam deprædationibus ſuis infeſtabant, in agro Lemouicenſi vno prælio omnes pœne deleuit, Aquitaniamque ſibi ſubiecit. Hugonem Roberti filium & Heribertum hactenus amiciſſimos, tum vero animis disiunctos propter Clientes ſeu Vaſſallos quoſdam Hugonis ab Heriberto receptos reconciliauit. Carolus Simplex Peronæ obit. Sicque Rodulfus æmulo carens liberius res Francicas quàm ante adminiſtrat.

936. Anno 936. Rodulfus obit Antiſſiodori ſine prole maſcula, eiuſque Corpus Senonis in Eccleſia S. Columbæ tumulatur. Ludouicus vltra-Marinus dictus Simplicis filius, qui à patre ad Alſtanum Angliæ Regem cum Ogina Matre miſſus fuerat, vt vidit Procerum Francorum à ſe defectionem, ab Hugone Magno ad Paternam hereditatem ex Anglia reuocatur. Rem ſic narrat Flodoardus *Hiſt. Rem.* l. 4. c. 26. & in Chron. *Hugo Comes trans mittit pro accerſiendo ad apicem Regni ſuſcipiendum Ludouico Caroli filio, quem Rex Alſtanus auunculus ipſius accepto prius iureiurando à Francorum legatis in Franciam cum quibuſdam Epiſcopis & aliis fidelibus ſuis dirigit. Cui Hugo & cæteri Francorum Proceres obuiam profecti mox nauem egreſſo in ipſis littoreis arenis apud Bononiam ſe ſe committunt, vt erat vtrimque depactum. Indeque ab ipſis Laudunum deductus ac Regali benedictione ditatus vngitur atque coronatur à domno Artoldo Archiepiſcopo præſentibus Regni Principibus cum Epiſcopis 20. & amplius.* Princeps huiuſce Legationis fuiſſe dicitur Willielmus Senonenſis Archiepiſcopus teſte Chronico Antiſſiodorenſi.

Eodem anno Henricus Imperator fato fungitur: ortoque inter filios de ſucceſſore diſſidio, tandem Othoni I. natu maiori Imperium delatum eſt & ille ab Hildeberto Archiepiſcopo Moguntino Imperialia Paludamenta accipit & conſecratur. Eodem quoque Britones à Normanis olim fugati, Alſtani Regis Anglorum opibus adiuti reuertuntur, terras ſuas repetunt, & non ſine plurimis cædibus victores tandem de inuaſoribus euadunt.

937. An. 937. Ludouicus Rex Aulicorum nonnullorum & præſertim Artoldi Remenſis Archiepiſcopi inſuſurrationibus adductus Hugonem Magnum à quo reuocatus fuerat & in integrum reſtitutus, à ſe abalienat, Regemque agit ab eius *ſe procuratione ſeparans*, inquit Flodoardus.

Vnde ſibi cladem intentari ſuſpicatus Hugo redit in amicitiam cum Heriberto Veromanduorum Comite, qui ambo iunctis copiis Caſtellum quoddam nomine Cauſoſtim ſuper Maternam fluuium ab Artoldo præſule conſtructum prodente quodam Vvicperto capiunt: & Regenbertum Artoldi partes tuentem compre-

comprehendunt. Hinc Ciuile bellum exardet, fitque nimis diuturnum, dum Rex externas copias ad deprædandum Regnum conducit, Hungarorum auxilio vſus; de quorum immanitate Hugo Abbas Flauiniacenſis verba faciens ad hunc annum duo inſignia miracula commemorat. Eo anno, *inquit*, cœli pars ardere viſa & ab eadem parte Hungarorum perſequutio inſequuta eſt, qua villæ & agri depopulati, Domus Baſilicæque conflagratæ, captiuorum abducta multitudo. Nonnullas tamen Eccleſias ignibus applicitis ſuccendere nequierunt. In Eccleſia S. Baſoli cum quidam Hungarorum aſcendere nitens arcum manu applicuiſſet, manus eius adhæſit lapidi, nec omnino quiuit auelli, donec cæteris ſaxum circa manum ipſam incidentibus partem ipſam lapidis in omnium admiratione perferre cogeretur Ethnicus. Quidam Presbyter captus ab eis & vinculis alligatus reuelatione Diuina eſt liberatus. Qui poſtquam Patriam domumque repetiit, retulit in eadem captiuitate fuiſſe Monachum quendam Hucbaldum nomine Orbacenſis Cœnobij, quem multoties Ethnici trucidare voluerunt. Nudum ergo eum in medio poſitum ſagittis appetiere, nec ſaltem cutem valuerunt rumpere. Reſiliebant ab eius corpore ſagittæ, quaſi adamante repulſæ, nec ſignum apparebat in cute. Gladio eum cum omni conaniſi ſunt percutere & nihilominus caro intemerata permanſit. Hanc Hiſtoriam ex Flodoardo ſumpſit Hugo, quam ille refert in Chronico ad hunc annum & in Hiſtoria Remenſi l. 2. c. 10. vbi ait Captiuos reuerſos id reſtatos fuiſſe de Hucbaldo, & etiamnum ſuo tempore teſtari: Tunc enim ille florebat & in Eccleſia Remenſi Canonicus erat.

Porro Artholdus Heribertum præſente Rege Sacris arcet. Cauſoſtim arcem recipit, & à Rege ius monetæ cudendæ, omnemque Comitatum Remenſem obtinet an. 940. ſed paulo poſt à Comitibus Hugone & Heriberto capta vrbe fugatur.

Is erat annus 940. Hugo poſt annum à prima electione 15. reuocatur tunc 941
Diaconus, paulo poſt à Guidone Epiſcopo Sueſſione ordinatus presbyter, litteris ſufficienter inſtructus à Guidone Antiſſiodorenſi, apud quem pueritiæ annos trāſegerat, teſte Flodoardo. Vt autem ei ſedes Archiepiſcopalis aſſeretetur & confirmaretur, habita eſt Synodus 27. Martij an. 941. apud Sueſſionas, in qua depoſitio Artholdi iuſta, conſecratio vero Hugonis legitima iudicata eſt. Huic Synodo Flodoardus iam à quinque menſibus in cuſtodia libera ab Hugone detentus intereſſe cogitur, eique quia parum æquus eſſe putabatur, reconciliatur, vt narrat lib. 4. Hiſtor Rem. c. 28. *Contigit autem mihi* inquit, *Domina mea B. Genitrice intercedente vt ipſa die Conceptionis & Paſſionis Domini noſtri I. C. abſoluerer à cuſtodia & die 3.* ſcilicet *6. Kal. Aprilis, quâ Dominus à mortuis reſurrexit, egreſſus ipſe cum Præfato Electo noſtro ad vrbem Sueſſionicam profectus ſum. Vbi conuenientes Epiſcopi Diœceſeos cum Principibus Hugone ac Heriberto tractarunt quid eis agendum eſſet ſuper Epiſcopali huius Hugonis ordinatione, ſicque decreuerunt petentibus quibuſdam filiis Eccleſiæ Remenſis tam Clericis quam Laicis eum ordinandum, aſſerentibus fautoribus ipſius, quòd Artholdus nequaquam electus, ſed per violentiam fuerit intromiſſus, ſeſeq; Epiſcopali abdicauerit ditione. Ibi ergo Hugo Princeps tunc me per manū accipiens huic Hugoni nepoti ſuo ad benefaciendam commiſit; quique mihi Eccleſiam S. Mariæ dedit in Colrido ſitam, terram quoque quam Pater ſuus mihi abſtulerat, reddidit & aliam in prædicta villa ſuperadiecit.* Hoc facto Epiſcopi qui ſynodo interfuerant, Remos adeunt & Hugonem in Eccleſia S. Remigij dignitate ſublimant Archiepiſcopali, inquit idem Author c. 29. Eodemque anno cum e conflictu vix euaſiſſet Rex Ludouicus amiſſâ victoriâ, ſuaque omnia amiſiſſet Artholdus, ipſe lubens Coniuratis & victoribus ſe ſubmiſit præſtito ſacramento, pactaque pace ad S. Baſolum illic deinceps ſecurè habitaturus ſe contulit. id factum an. 941.

Rebus ita compoſitis Coniurati Legatos Romam mittunt ad Stephanum IX. 942.
ab eoque Pallium Archiepiſcopale Hugoni impetrant. At cum Legatis veniens an. 942. Damaſus à Pontifice litteras tradit Principibus; vt Ludouicum Regem recipiant cumque eo pacem redintegrent ſub interminatione cenſurarum Eccleſiaſticarum, ni faciant. Actum eſt igitur de pace ſeriò, quam non parum promouit Odo Cluniacenſis, tunc Floriacenſis Abbatiæ reformationi incumbens: quem hoc anno obiiſſe ferunt, ſepultumque Turonis apud S. Martinum.

943. Anno 943. Artholdus relicto cœnobio ad Ludouicum venit, & ab eo non obſtante pace & fœdere nuper inito copias impetrat ad recuperandum Archiepiſcopatum, quem bono animo dimiſiſſe videbatur: anceps fuit & varia armorum fortuna; ſed tandem inter vtrumque Præſulem hiſce legibus tranſigitur, vt Hugo Præſulatum, Artholdus Abbatias quas ad Regem profectus dimiſerat, retineret, atque ad alium Epiſcopatum promoueretur; fratribus quoque & propinquis honores quos ex Epiſcopatu Remenſi habuerant, redderentur. Id ita factum procurante Hugone Comite, qui & eo anno filiam Regis ex ſancto lauacro ſuſcepit, & à Rege Ducatum Franciæ totamque Burgundiam obtinuit. Eodem procurante Rex Arnulpho Flandriæ Comiti reconciliatur, qui Willielmum Normanorum Ducem ad Colloquium euocatum doloſè & impiè perimi iuſſerat: & ipſe Richardo Willielmi filio licet de Concubina Britanna nato, vt ait Flodoardus, Ditionem Normaniæ aſſeruit & confirmauit. Eodem anno Heribertus Veromanduorum Comes obit, & apud S. Quintinum tumulatur.

944. Anno 944. iterum orta eſt inter Regem & Heriberti filios diſcordia propter quaſdam vrbes Ditionis Veromanduæ à Proditoribus Regi deditas & ab eo retentas. Varioque euentu, ſed certis deprædationibus hinc & inde pugnatum eſt. Notat verò Flodoardus ad hunc annum vehementem in agro Pariſienſi ortam tempeſtatem Ædificia quædam in Monte Martyrum ſita deieciſſe. *Tempeſtas nimia facta eſt*, inquit, *in pago Pariſiaco & turbo vehementiſſimus, quo parietes cuiuſdam Domus antiquiſſimæ, qui validiſſimo constructi cæmento in monte qui dicitur Martyrum diu perſtiterant immoti, funditus ſunt euerſi. Feruntur autem Dæmones tunc ibi ſub Equitum ſpecie viſi, qui Eccleſiam quandam, quæ proxima ſtabat, deſtruentes, eius trabes parietibus memoratis incuſſerunt, ac ſic eos ſubruerunt. Vineas quoque ipſius montis auulſerunt & omnia ſata vaſtauerunt.*

945. Item an. 945. Rex accito Normanorum exercitu Veromanduenſem agrum vaſtat, Remos obſidet: at à Hugone Præſule acceptis obſidibus ab obſidione diſcedit. Hinc Rothomagum pergit euocatus à nonnullis quos ſibi fideles eſſe putabat: Verum captus & detentus Hugoni Franciæ Duci toties rebelli traditur, ab eoque apud Theobaldum Carnotenſium Comitem per annum ſub cuſtodia detinetur, donec Gerberga Regina Othonis Imperatoris ſoror Laudunum pro libertate Regis fratri tradidit, qui miſſo per Conradum Ciſalpinæ Galliæ Regem validiſſimo exercitu Rebelles terruit quidem, non tamen ab inceptis ſtatim auocare potuit.

Plaga ignis. Ad hunc annum notat Flodoardus in Chronico Ignis plagam Pariſiis & in locis vicinis accidiſſe, quâ plures correpti conflagrarunt. *In pago*, inquit, *Pariſienſi, nec non etiam per diuiſos circumquaque pagos hominum diuerſa membra ignis plagâ peruaduntur: quæque ſenſim exuſta conſumebantur, donec mors tandem finiret ſupplicia. Quorum quidam nonnulla ſanctorum loca petentes euaſere tormenta. Plures tamen Pariſius in Eccleſia S. Dei Genitricis Mariæ ſanati ſunt, adeout quotquot illò peruenire potuerint, aſſerantur ab hac parte ſaluati. Quos Hugo quoque Dux ſtipendiis aluit quotidianis. Horum dum Quidam vellent ad propria redire, extincto efferueſcunt incendio, regreſſique ad Eccleſiam liberantur.*

946. Anno 946 Otho & Conradus cum pugnaciſſimis copiis Ludouico ſuppetias ferunt, Remenſem agrum depopulantur, Ciuitatem ipſam obſident: & Hugo Archipræſul poſt tertium obſidionis diem cernens ſe ſuſtinendæ obſidioni & repugnando imparem eſſe, cum iis quos habebat, militibus ex vrbe egreditur. Reges verò Artholdum reſtituunt. Erat illa ſedes lapis offenſionis; nec vnquam pro vlla re tantum, quantum pro Archiepiſcopatu iſto certatum eſt. Placuit tandem diſſidium iſtud authoritate Eccleſiaſtica dirimere. Itaque Otho & Ludouicus vtriuſque Præſulis rationes in Conuentu celebri audire & examinare conſtituerunt.

947. Placuit verò medium Nouembris an. 947. celebrandæ ſynodo indicere; & habita eſt Virduni præſidente Roberto Treuirenſi Archiepiſcopo. Ad eam vocatus Hugo venire recuſauit: Interim ſynodus, dum alia frequentior celebratur, Epiſcopium Remenſe Artholdo regendum decernit: & ad Idus Ianuarias alium Conuentum indicit. Adfuit Hugo & Agapiti Papæ litteras exhibere

Digitized by Google

contentus Synodum ingredi noluit. At Synodus nulla litterarum Papæ habita ratione, quia per æmulum Artholdi exbibebantur, Artholdo præſulatum confirmat & proclamationis litteras ad Papam mittit. Papa Marinum ad Othonem legat, mandatque & iubet frequentem haberi Synodum, & litem definiri.

Igitur an. 948. 7. idus Iunii in Palatio Regio Engulenheim dicto apud Eccle- 948.
ſiam B. Remigii celebratur Synodus frequentiſſima: cui interſunt Reges Otho & Ludouicus, Epiſcopi plurimi, Germanici & Gallicani. Ludouicus ibi primum exponit, quo pacto à Tranſmarinis regionibus per Legatos Hugonis Comitis cæterorumque Franciæ procerum ad recipiendum paternæ hæreditatis Regnum applaudentibus omnibus reuocatus fuiſſet; poſtea vero quoties ab eodem Hugone dolis appetitus, quoties bello fatigatus: poſtremo ne quid ab eo faeinoris omitteretur, in cuſtodia per annum detentus fuiſſet. Cæterum *de his omnibus malis quæ poſt Regni ſuſceptionem paſſus fuerat, ſi quis obiiceret, quod ſui facinoris cauſa eidem fuiſſent illata, inde ſe iuxta Synodale iudicium & Regis Othonis præceptionem purgare, vel certamine ſingulari defendere paratum ſe eſſe dixit.* Hæc Flodoardus. Deinde ſurgens Artholdus protulit litis quæ inter ipſum & Hugonem intercedebat, originem, tenorem ſeriemque retexuit: & hanc Epiſtolam Marino legato porrexit, quæ legitur apud Flodoardum lib. 4. Hiſtor. Remenſ. c. 35. quam ideo lubens hiſce Annalibus attexo, quia ex ea tota rei valde memorabilis hiſtoria intelligitur. Talis ergo eſt.

Sanctæ Romanæ & Apoſtolicæ ſedis vicario domno Marino, Vniuerſæque ſan- "
ctæ Synodo apud Engulenheim congregatæ, Artoldus, diuina propitiante clemẽ- "
tia, Remorum Epiſcopus. Domnus Agapitus Papa litteras nobis & cæteris coe- "
piſcopis noſtræ diœceſeos direxit, in quibus præcepit, vt ad hoc veſtræ ſancti- "
tatis Concilium conuenire ſtuderemus, ita inſtructi de omnibus, vt rei veritas "
miſeriarum noſtræ ſedis, quas patimur, coram ſanctitate veſtra manifeſta fieri "
poſſet. Quocirca propalare prudentiæ veſtræ commodum duximus, qualiter "
res exordium cæperit litis huius, quæ adhuc inter me & Hugonem miſerri- "
mè ventilatur. Defuncto ſiquidem Heriuæo Archiepiſcopo, Seulfum, qui "
Archidiaconatus vrbis noſtræ tunc officio fungebatur, ad præſulatum eiuſ- "
dem ſedis elegimus. Qui Pontifex ordinatus, aſſumens zelum contra "
proximos prædeceſſoris ſui eum eos per ſemet à loco depellere non va- "
leret, conſilio inito cum quibuſdam laicis, ſcilicet conſiliariis ſuis amici- "
tiam quæſiuit Heriberti Comitis, quam dato iureiurando per eoſdem conſilia- "
rios obtinuit eo tenore, vt poſt obitum ipſius ad electionem Pontificis milites "
Eccleſiæ nullatenus aſpirarent ſine conſilio ipſius Heriberti: idem vero Comes "
fratrem Heriuæi, præſulis & nepotes ipſius à participatione rerum Remenſis Epiſ- "
copij ſepararet. Quibus patratis, inſimulati ſunt iidem propinqui Heriuæi præ- "
ſulis à conſiliariis Seulfi Epiſcopi de infidelitate ipſius ſenioris ſui, acceerſitoque "
Heriberto Comite cum pluribus ſuis iubentur ad rationem reddendam coram "
ipſis venire. Et quia cõtra eos à quibus accuſati fuerant ſingulari congredi certa- "
mine noluerũt, ſublatis ab eis rebus, quas ex Epiſcopio poſſidebant, comprebenſi "
ſunt atque deducti per Heribertũ Comitem ad Rotbertum regem, à quo etiã ſub "
cuſtodia ſunt detenti vſque ad mortẽ ipſius Rotberti. Tertio demum ſui Epiſco- "
patus anno Seulfus Epiſcopus (vt plures aſſerunt) ab Heriberti familiaribus vene- "
no potatus defungitur. Mox itaque Comes Heribertus vrbem Remenſem adiit, "
& Eccleſiæ milites, clericorum quoque quoſdam de Rectoris electione ad ſuum "
conſilium (ceu iuratum fuerat) intendere fecit. Cum quibus ad Rodulfum re- "
gem pergens in Burgundiam, obtinuit ab eo, vt ſibi committeretur idem Epiſco- "
pium, eo tenore, vt tam clericis, quàm laicis debitum honorem concederet & "
conſeruaret, nec iniuſtitiam alicui faceret: ſed ipſum Epiſcopium æquo iure gu- "
bernaret, donec talem clericum eidem Regi præſentaret, qui ad Epiſcopale "
miniſterium exequendum ritè ordinari valeret. Qui Comes ad eamdem vrbem "
regreſſus res Epiſcopii (prout ſibi placuit) fautoribus ſuis diuiſit, cæteris abſtu- "
lit, & abſque vllo iudicio vel lege, quos voluit rebus expoliauit, vel ab vrbe pro- "
pulit. Odalricum denique Aquenſem Epiſcopum in eadem vrbe ſuſcipiens, "
Epiſcopale inibi Miniſterium celebrare præcepit. Sicque per annos ſex, & eo- "

amplius idem Epiſcopium ſuo Dominio vendicauit,pro libitu proprio illud tractans,& in ſede Præſulis reſidens tam ipſe, quàm coniux ſua,donec ſeptimo tandem anno,ortis inter ipſum & regem Rodulfum atque Hugonem Comitem quibuſdam ſimultatibus, Rodulfus rex cum Hugone & Boſone fratre ſuo, cæteriſque pluribus tam Epiſcopis,quàm Comitibus Remorum obſidet vrbem,ſuccenſentibus ſibi Epiſcopis,&conquerentibus aduerſus eum,quòd tã diuturno tẽpore, contra diuinæ legis authoritates,hanc vrbem permiſerit vacare paſtore.Quorum querimoniis permotus rex, admonet clerum & populum de paſtoris electione,dans eis id agendi facultatem ad Dei honorem & ſui fidelitatem. Sicque concordantibus cunctis, tam clericis, quàm laicis, qui extra obſidionem erant, pluribus etiam eorum qui clauſi tenebantur in idipſum fauentibus, eligitur humilitatis noſtræ perſona in hoc magis onere , quàm honore ſubeundo. Aperientibus tandem tam militibus, quàm ciuibus portas vrbis regi Rodulfo, & Epiſcopalem benedictionem mihi tradentibus Epiſcopis qui aderant decem & octo; & ſuſcipientibus noſtram humilitatem tam clero vniuerſo, quàm reliquis ciuibus, inibi inthronizatus ab Epiſcopis noſtræ diœceſeos, impoſitum mihi, prout Deus conceſſit, miniſterium per annos ferme nouem tractaui,ordinans per diœceſim Epiſcopos octo, & in Epiſcopio multos , prout competens videbatur,clericos, quouſque nono poſtmodum ànno, poſtquam Ludouicum regem, fauente Hugone cunctiſque regni principibus , Gerbergam quoque reginam benedixeram , & ſacro perſuderam chriſmate, Inſtigatus Hugo Comes iracundia, quòd ei conſentire vel coniungi noluerim ad ipſius regis infidelitatem , adhibitis ſecum Heriberto Comite, & Willelmo Nordmannorum principe , Remenſem obſidet vrbem. Nec longùm , ſexta ſcilicet obſidionis die , deſeror ab omni pœnè cætu laicalis militiæ. Sicque derelictus ab his,ad Hugonem & Heribertum compellor exire , à quibus coarctatus & conterritus cogor memet Epiſcopali procuratione abdicare,&ita me propellentes,in cœnobio Sancti Baſoli habitare conſtituunt : Hugonem verò filium Herberti,qui Antiſiodori diaconus ordinatus fuerat, in vrbem introducunt, & ciuitate potiuntur. Ludouicus autem rex à Burgundia rediens, me apud ſanctum Baſolum reperit, & aſſumens ſecum,ſimul cum propinquis meis, quorum res Heribertus Comes abſtulerat, Laudunum deducit,quod caſtrum tunc obſidebant Heribertus & Hugo: ſolutaque obſidione oppidum ingredimur, nobiſque metatus degendi diſponitur. Interim clerici noſtri loci ,ſed & Laïci quidam peſſimè ab Heriberto tractantur & quidam clericorum in cuſtodiis retruduntur res eorum auferuntur atque diripiuntur, rapinæ per totam vrbem licitè perpetrantur. Interea conuocantur Epiſcopi noſtrædiœceſeos ab Hugone & Heriberto, ſatagentibus & quærentibus ab eis de ordinatione Hugonis filij Henberti. Qui Sueſſionis congregati, mittunt ad me Laudunum Hildegarium Epiſcopum cum aliis quibuſdam legatis, mandantes vt ad eos venirem, ad conſentiendum ſcilicet huius ordinationis peruerſitati. Quibus remandaui , quòd non eſſet mihi competens ad eos illò proficiſci , vbi aduerſarij & inimici mei cum ipſis erant aggregati. Quòd ſi loqui mecum vellent , ad talem locum deuenirent, vbi ſine periculo ad eos accedere poſſem. Quibus aduenientibus in locum ab eiſdem delectum, profectus ſum ad eos, veniénſque proſternor coram ipſis, obſecrans vt propter amorem & honorem Dei,tam mihi,quàm ſibi competens conſilium dare ſtuderent. Qui me de ordinatione prædicti Hugonis interpellare cœperunt , & hoc omnimodis ſuadere, vt eis in hac ordinatione conſenſum præberem , promittentes res nonnullas Epiſcopij mihi ſe impetraturos. At ego poſtquam reſponſum diu diſtuleram, videns eos eunctos in propoſito quod ceperant perſeuerantes, ſurgens interdixi palam cunctis audientibus , excommunicans auctoritate Dei Patris omnipotentis, & Filij,& Spiritus ſancti,vt nullus eorum ad eamdem ordinationem accederet , nec alicui in Epiſcopali honore , me viuente, manus imponeret : ſed nec vllus eandem benedictionem ſuſcipere præſumeret. Quòd ſi fortè fieret,ad ſedem Apoſtolicam eos prouocabam. Illis inde furentibus , vt poſſem exire de medio eorum, & Laudunum reuerti, tempetaui reſponſum, dicens vt mitterent mecum, qui eis renunciaret quid conſilij reperire valerem ſuper hac re in domina mea Regina , & fidelibus eius, quia Rex non aderat. Ad hoc illi mit-

Digitized by Google

runt Deroldum Epiſcopum , putantes me eſſe mutaturum conſilium. Quo ve- "
niente, & coram domina regina & fidelibus eius inde me interpellante , iterum "
exurgens præfatæ modum excommunicationis in eoſdem Epiſcopos iaculatus "
ſum : vocationem quoque ad ſedem Apoſtolicam iterare curaui excommuni- "
cans ipſum hunc Deroldum , id vt eis omnino non taceret, ſed cunctis manife- "
ſtè proferret. His ita geſtis,paruipendentes illi noſtram excomunicationem, Re- "
mis accedunt, & quidam eorum ordinationi huic manus applicuerunt , quidam "
vero ſe ſubduxiſſe ſciuntur. Ego vero cum rege manens, quas ille ſcitur angu- "
ſtias pertuliſſe, ſecum pertuli : & quando cum bello aggreſſi ſunt Hugo & Heri- "
bertus , cum ipſo eram, & vix mortis euaſi periculum. Prolapſus itaque, au- "
xilio & protectione Dei, de medio inimicorum, profugus & vagabundus loca "
inuia quæque, ſiluaſque perluſtro , non auſus certo conſiſtere loco. Comites "
autem Hugo & Heribertus affari quoſdam noſtros amicos ſibi ſu bditos, ſuadent "
vt me requirentes ,ad ipſos deducant, pollicentes ſe mihi benefacturos , & re- "
bus quas ipſi periſſent ditaturos. Requirentes ergo me amici, reperiunt per di- "
uerſa vagantem, & ita perducor à fratribus meis & amicis ad præfatos Comites. "
Qui poſtquam me in poteſtate ſua conſpiciunt, quærere cœperunt , vt eis pal- "
lium à ſede Romana mihi collatum traderem, & ſacerdotali me miniſterio pe- "
nitus abiurarem. Quod ego nullatenus me facturum, neque pro amore huius "
vitæ præſenti ſattestor. Diſtrictus igitur & coanguſtiatus ab eis,Epiſcopij tandem "
rebus abrenunciare compellor : ſicque rurſus ad S. Baſolum, quaſi vacans, habi- "
taturus deducor. Manſi denique paucis diebus in ipſo cœnobio, quoaduſque "
comperiens per certos ex familiaribus Heriberti Comitis nuncios, quod ab "
eo male de mea tractabatur perditione, iterum iterumque nunciis huiuſmodi "
pauefactus & impulſus, locum deſerui, & abdita luſtra ſiluarum vagabundus re- "
petij, horiſque ſilentibus, & itinere deuio Laudunum reuertor, ibique ſuſce- "
ptus à Rege, ſecum manere conſtituor. Manſi verò ibidem cum ipſo vel fideli- "
bus eius , expectans & deprecans miſericordiam Dei, donec ipſe dignatus eſt "
in cor domni Regis Othonis mittere, vt ad ſubuentionem ſenioris mei Regis , "
& noſtram , properaret in Franciam. Denique poſtquam domina noſtra Regina "
Laudunum , propter abſolutionem Domni Regis, reliquerat , egreſſus inde ad "
domnum Regem Othonem cum ſeniore meo deueni Rege , ſimulque Remos "
aceeſſimus. Cingitur itaque vrbs exercitibus, & Epiſcopi qui aderant , me ſedi "
noſtræ reſtitui cenſent. Mandatur ergo Hugoni à domno Rege Othone , vt "
egrediatur & peruaſam deſerat vrbem. At ille nutans aliquandiu & pro "
poſſe, vbi vidit ad reſiſtendum penitus ſufficere ſe nequaquam valere , nec ami- "
corum ſibi præſidia ſubuenire, decernit exeundum: quærens vt liber cum ſuis "
dimittatur abſcedere. Permittitur itaque ſanus exire , cum omnibus qui ſecum "
voluere comitari, & quæcunque ſecum voluit ferre , nullo contradicente, aſ- "
portauit. Sicque cum Regibus introgreſſus vrbem, præcipior loco noſtro & ho- "
nori reſtitui. Suſceptus igitur à domnis Archiepiſcopis Roberto Treuirenſi , & "
Frederico Magontiacenſi comitantibus cæteris & congratulantibus , tam cleri- "
cis Eccleſiæ noſtræ, quàm reliquis ciuibus, ab ipſis reſtituor cathedræ Epiſco- "
pali. Hugo verò Remis egreſſus Moſomum caſtrum cum ſuis occupat, & mu- "
niens contra fideles regis ſenioris noſtri detinet. Habito denique colloquij pla- "
cito inter reges, ſeniorem meum videlicet ac domnum Othonem , ſuper Cha- "
ram fluuium , conuenimus ad illud tam ego , quàm ipſe Hugo cum ordinatori- "
bus ſuis. Ibique res litis huius ab Epiſcopis auditur : protulitque litteras ad ſe- "
dem Romanam , quaſi ex noſtra perſona datas, excuſationis meæ , ac ſi vacatio- "
nem petentes adminiſtrationis Epiſcopij noſtri : quas me nunquam dictaſſe, ne- "
que vel ſubſcribendo aliquatenus corroboraſſe proteſtatus ſum, atque prote- "
ſtor. Et quia tunc ſynodus conuocata non fuerat (id opponentibus fautoribus "
ipſius Hugonis) altercatio noſtra determinari non potuit. Synodus autem circa "
medium menſis Nouembris habenda Virduni vtriuſque partis Epiſcopis an- "
nuentibus denunciatur. Interim verò ſedes Remenſis mihi regenda decernitur: "
idem verò Hugo Moſomi commorari permittitur. Nec longùm, inſtante ſcili- "
cet vindemiæ tempore, hic noſter æmulus Hugo, aſſumens ſecum Theobaldum "
regis inimicum, & regni noſtri, cum aliis pluribus malefactoribus, in villas Re- "

„ menſis Epiſcopij contiguas vbi deuenit, & omne pœne vinum ex his colligens „ in diuerſos pagos abduci fecit. Tum multa mala inibi perpetrata, & Eccleſiæ „ noſtræ homines captiui abducti, & ad redemptionem variis ſunt adacti tormen„ tis. Synodus autem circa medium menſis denunciata, Virduni celebratur, Præſi„ dente Rotberto Præſule Treuirenſi, præcepto domni Papæ Romani præſente „ quoque domno Brunone, cum Epiſcopis & Abbatibus nonnullis. Ad quam præfa„ tus Hugo euocatus, miſſis etiam ad eum deducendum Epiſcopis, Adalberone „ & Gozlino, venire contempſit. Vniuerſa vero ſynodus mihi Remenſe regen„ dum decernit Epiſcopium. Indicitur que iterum ſynodus habenda die Iduum „ menſis Iannuarij, quæ & aggregatur, vt denunciatum fuerat, in Eccleſia ſancti „ Petri ante proſpectum caſtri Moſomi, à domno Rotberto, conuenientibus cæ„ teris quoque Treuirenſis diœceſeos Epiſcopis, & aliquibus Remenſis. Veniens „ autem illuc æmulus noſter Hugo, & locutus cum domno Rotberto ſynodum no„ luit ingredi: litteras verò quaſi ex nomine domni Papæ direxit ad Epiſcopos per „ clericum ſuum qui eas Roma detuliſſe ferebatur, nihil auctoritatis canonicæ „ continentes, ſed hoc tantum præcipientes, vt Hugoni Remenſe redderetur Epiſ„ copium. Quibus recitatis ineuntes Epiſcopi conſilium cum Abbatibus, reſpon„ derunt non eſſe dignum vel congruum, vt mandatum legationis Apoſtolicæ, „ quam dudum Rotbertus Archiepiſcopus, deferente Frederico Præſule Magon„ tiacenſi, coram regibus & Epiſcopis tam Galliæ quam Germaniæ ſuſceperat „ & partem iam præceptionis ipſius exegerat, propter illas litteras intermitteret „ quas inſidiator noſter exhibebat, immo quod regulariter cœptum fuerat, vt ca„ nonicè pertractaretur, vnanimiter cenſent: præcipiturque recitari capitulum „ Carthaginenſis Concilij nonum decimum De accuſato & accuſatore. Quo reci„ tato, iudicatum eſt iuxta definitionem ipſius capituli, vt communionem & pa„ rochiam Remenſem me retinente, Hugo qui ad duas iam ſynodos euocatus in„ tereſſe contempſerat, à communione & regimine Remenſis Epiſcopij ab„ ſtineret, donec ad Vniuerſalem ſynodum, quæ indicebatur, ſe ſe purgaturus vel „ rationem redditurus præſentaret. Ipſumque capitulum mox in charta Epiſcopi „ coram ſe deſcribi fecerunt, ſubnectentes hanc etiam definitionem ſuam, & ei„ dem Hugoni miſerunt. Qui poſt alteram diem chartam eamdem Rotberto „ præſuli remiſit, hoc verbis remandans, quod ipſorum iudicio nequaquam obe„ diturus eſſet. Sicque abſoluto Concilio ipſe Moſomum contra mandata regum „ & Epiſcoporum retinet, & ego Remos regreſſus reclamationis meæ querelas ad „ ſedem Romanam per legatos domni regis Othonis deſtinaui, præſtolans man„ data ipſius ſanctæ ſedis, eius decretis & Vniuerſalis huius ſancti concilij veſtri iu„ diciis parere paratus.

Lecto & audito eiuſmodi ſcripto lectæ quoque litteræ Pontificiæ ad Hugonem, quas Sigebaldus Quidam Hugonis Clericus Roma detulerat, à Marino vicario Apoſtolico, qui Synodo illi præerat, ſibi datas: quibus Pontifex reſtitui iubebat Hugoni Epiſcopium. Ipſe quoque Marinus litteras Epiſcoporum Diœceſeos Remenſis ad Pontificem miſſas recitari iubet: ſed illæ commentitiæ eſſe viſæ ſunt & ſuppoſititiæ quippe nonnullorum Epiſcoporũ nominibus ſubſcriptæ qui neque litteras illas ſe vidiſſe vnquam, aut vlli legationi aſſenſum præbuiſſe palam conteſtati ſunt. Itaque calumniæ pœna in authorem recidit. Sigebaldus in exilium mittitur & Diaconatus miniſterio priuatur. Artholdo Epiſcopium Remenſe adiudicatur. Hugo ſacris arcetur vt inuaſor, donec ſatisfaciat. In aliis ſeq. ſionibus intentantur coniuratis proceribus minæ exſecrationis, ni ad Regem redeant pacemque cum eo bona fide reſarciant.

949. Decreta iſta Agapitus Papa confirmat an. 949. & Hugo Franciæ Dux Regi reconciliatur.

Schola Cœnobiales. Hactenus nonniſi bella varioſq; motus & agitationes animorum vidimus. Quibus tamen temporibus, quanquam litterario exercitio & muſarum quieti contrariis non omnino conticeſcebant ipſæ in ſcholis Cœnobialibus & Pariſienſibus. Sex præſertim Cœnobia in hacce Artium profeſſione hoc ſeculo floruiſſe video, Hirſaugienſe, Fuldenſe, San-Gallenſe, Lobienſe, Aureliacenſe & Floriacenſe.

Hirſaugienſis. Linthelmus Haderado Abbbate Hirſaugienſi vir omni ſcientiarum genere cu-

mulatiſſimus, natione Sueuus ſcholæ Monaſticæ diu præfectus fuit, multoſque eruditione præſtantes viros effecit ab an. 890. inter alios Sigiſmundum qui poſtea factus eſt Epiſcopus Halberſtadienſis: Guntzigonem, Herdericum Poetam tunc temporis inſignem, qui plurimos Cantus in B. Mariæ & Sanctorum honorem compoſuit; Ambroſium ſeu Anſbertum, Adalberonem, qui Scholaſticus quoque ſeu præfectus ſcholæ factus eſt in Monaſterio S. Albani prope Monguntiam, & poſtea Abbas S. Ferrucij an. 921. quo anno obiit Linthelmus Magiſter cæterorum. Linthelmo ſucceſſit in illa præfectura Diethardus vir quoque in omni litteratura tam Diuina quam humana verſatiſſimus: quo tempore florebat Gildericus ex Abbate S. Germani factus Epiſcopus Æduenſis & Rutgerus Treuerenſis Archiepiſcopus poſt Ratbodum. Diethardo ſucceſſit an. 943. Meginhardus Monachus Linthelmi quoque olim auditor.

San-Gallenſi ſcholæ poſt Notgerum præfuit Hattmundus pluribus annis. Ei ſucceſſit in hac præfectura Adelardus, Adelardo Hilpericus Adelardi & Diethmari diſcipulus, qui dicendi officium in eodem Monaſterio nactus multos præclaros Diſcipulos in omni doctrina eruditos poſt ſe reliquit, inquit Trithemius. *San Gallenſis.*

In Fuldenſi poſt Rabanum multi floruerunt litterarum laude inſignes, quibus enumerandis non immoror: qui volet accuratius eorum nomina perſcripta videre, adeat Trithemium. In Lobienſi quoque hiſce præſertim temporibus commendabiles fuerunt Scaminus, Theoduinus & Ratherius, vt refert Fulcuinus lib. de Geſtis Abbatum Lobienſium c. 19. & c. 20. Nonnulla Ratherij opera commemorat, Agoniſticon ſeu Meditationes Cordis, quem librum ad relegendum ſiue ad probandum erudititiſſimis quos nouerat miſit, Sobboni & Vvidoni Archiepiſcopis, Godeſcalco & Aurelio præſulibus, *Brunoni & Rotberto Galliarum Archiepiſcopis & in Philoſophicis ſtudiis erudititiſſimis, ad extremum Frodoardo Remenſi, miſſis vnicuique Epiſtolis* inquit, Fulcuinus. Libellum quoque vitæ S. Vrſmari emendauit. Et cum in Prouincia, filium cuiuſdam viri ditiſſimi Roeſtangum nomine litteris imbuendum ſuſcepiſſet, ad eum de arte Grammatica librum conſcripſit, quem pro titulo inſcripſit Serua-Dorſum *Pro eo quod qui Scholis aſſueſceret puerulus, dorſum à flagris ſeruare poſſet.* *Fuldenſis & Lobienſis.*

Idem Ratherius Brunonis præceptor: & iſte Bruno Henrici I. Aucupis dicti Imperatoris filius, Othonis I. & Haduidis Hugonis Magni coniugis frater fuit. Is autem multæ litteraturæ vir, Græcè Latinéque doctus ad Colonienſem Archiepiſcopatũ ab Othone fratre promouetur poſt Vvicfridum an. 953. de quo & de Ratherio hæc habet Fulcuinus c. 22. *Otho tunc potentiſſimus Rex Auſtraſiis & ſubactæ Italiæ tunc imperitabat: cuius frater Bruno vnicum & ſingulare in Chriſti Eccleſia decus futurum, velut pretioſiſſimus lapis multiplicibus Philoſophorum poliebatur argumentis. Aduocatur Ratherius, & habetur inter Palatinos Philoſophos primus. Quid multa? non deſtitit donec Regiam illam mirificam Indolem in omnibus Diſciplinis perſpicaciſſimam redderet & perfectam. Quod cernens Regum ſuo tempore maximus* (Otho) *eum* (Brunonem) *à Scholis cum tanto honore vt par erat, euocauit, & in ſuggeſtum Colonienſis Eccleſiæ poſt* Wigfridum *qui nuper deceſſerat*, (nempe 7. Iulij an. 953.) *omnibus acclamantibus & gaudentibus inthronizauit.*

Et cum eodem tempore deceſſu Faroberti Leodienſis vacaſſet Epiſcopatus, ad eum Bruno curauit Ratherium promoueri: ſed cum ille nimis acriter in vitia Magnatum inueheretur, à Leodienſibus eiectus eſt & in eius locum ſuffectus Baldricus vir e Magnarum terræ illius proſapia oriundus. Poſt biennium vero idem Bruno Veronenſem Eccleſiam cui iam ante Ratherius præfuerat, ei reſtituit & tum ille ad Baldricum ſcripſit librum, quem Phreneſim appellauit, eo quod quaſi Phreneticus nimis auſterè & vltra modum in Inuaſorem ſuum inueheretur. Scripſit & duos alios in eundem, quorum vnum Perpendiculum, alterum *Sirmam* vocauit. Item contra Anthropomorphitas qui Deum per membrorum lineamenta depingebant, *Synodica* ad Diœceſanos & Preſbyteros, *Conjecturam* vitæ ſuæ, *Itinerarium Romanum.* Item Sermones plurimos de Paſcha, de Cœna Domini, de Aſcenſione, de die Pentecoſtes & feſtis B. Mariæ.

In Aureliacenſi Cœnobio circa eadem hæc tempora litteris operam dabat Gerbertus Aquitanus, de quo deinceps multa nobis dicenda veniunt, primùm ſub *Aureliacenſis.*

Getaldo de S. Sete deinde ſub Raimundo de Lauaur, qui ambo, eiuſdem Cœnobij Abbates fuerunt: ad quos extant aliquot eiuſdem Gerberti Epiſtolæ.

Floriacenſis. In Schola quoque Floriacenſi ad Ligerim hiſce temporibus ſub Wlfado Abbate (qui an. 962. ad Epiſcopatum Carnotenſem promotus eſt) litteris operam dabat Abbo Aurelianenſis Ciuis filius, Floriaci poſtea Abbas. Quantopere autem hæc ſchola floreret, docet Ioannes de Boſco Cœleſtinus Lugdunenſis Cœnobij in ſua Bibliotheca Floriacenſi: ait enim *in ea plus quinque millibus Scholares recenſitos, qui Didaſcalis ſuis muneris honorarij gratia pro Candelis Edictiſue* (le lendit) *in Pariſienſi Academia noſtra ætate Claſſium Moderatoribus exhiberi conſuetis, bina manuſcripta, eo quod necdum typographica ars emerſerat, offerebant volumina: quorum numeroſitas locupletiſſimam conflarat Bibliothecam Floriacenſem, quam annis Domini 1561 & 62. diritas Caluinitica inæſtimabili litteraria rei iacturâ diripuit, diſſipauit, lacerauit.* Hæc Ioannes ſcribebat circa an. 1605.

Extant adhuc hodie veſtigia quædam Scholarum Floriacenſium Exteriorum & diuerſorum Conclauium atque Cubiculorum, in quibus excipiebantur Externi Conuictores: nam ibi, vt & in aliis quoque famoſioribus Cœnobiis duplices Scholæ exercebantur, Interiores & Exteriores. In Interioribus ſoli Monachi: in Exterioribus omnes paſſim inſtituebantur. Ad has miſſus Abbo à parentibus, vt ſcribit Aimoïnus Monachus Floriacenſis in eius vita c. 1. vbi de origine & vita illius agens, *Venerabilis igitur Abbo*, inquit, *Aurelianenſi ortus eſt in pago* (Boſcus ad Marginem ſcribit eum fuiſſe Ciuem Aurelianenſem) *cuius Patris vocabulum Latus, matris Ermengardis extitit. Quos quidem non vanâ tumens nobilitate ſuperbus alebat ſanguis, ſed tamen auis atauiſque deriuata eos honeſtabat libertas. Quodque omnibus ſuperextat cauſis, timor Domini moribus adornabat honeſtis. Talibus ergo Abbo ortus parentibus in Floriacenſi Monaſterio.* SCHOLÆ CLERICORVM *Eccleſia S. Petri obſequentium traditur litteris imbuendus. Diuinâ pro certo, vt credimus, id præordinante prouidentiâ, vt inde primordia ſumeret litterarum, vbi poſtmodum pleniſſimè fluenta doctrinæ mentibus erat propinaturus ſapientiam ſitientium, redderetque illis ſeu eorum poſteris duplicatum ſuſcepti fœnoris fructum, à quibus ſimplicia tantùm acceperat rudimenta Elementorum. Erant in eodem Cœnobio duo præcellentes viri, quos Carnis affinitas Matri eius propinquos effecerat; vnus dicebatur Gumboldus, qui relictis huius ſeculi nugis ob Dei timorem habitum Monaſtici ſuſceperat ordinis: alter vocatus eſt Chriſtianus, qui ſub Clericali veſte Chriſto ſtudebat deſeruire.* Hinc patet in illo cœnobio etiam alios, quàm Monachos habitare ſolitos ad diſciplinas hauriendas.

Narrat deinde, quomodo virorum illorum admonitione Benedictinum habitum à Vulfado tunc Abbate ſumpſerit: rum c. 2. *Traditus itaque Scholis nulli ſodalium videbatur grauis. Inerat ei columbina ſimplicitas, ſerpentinæ copulata aſtutia, vt & per manſuetudinem leniret beniuolos, & per prouidæ mentis acumen deuitaret ſubdolos. Iam verò litteraria Artis profunda tantâ adhuc puerulus rimabatur inſtantiâ, vt à Didaſcalis ſemel audita firmiter intra cordis conderet arcana.* Hæc Abbonis initia.

Refert idem Author c. 3. eum ibidem factum fuiſſe poſtea Magiſtrum Scholarum. *Cum verò iam ad tantæ profeciſſet faſtigium ſcientiæ, vt aliis quoque percepti talenti valeret donatiuum erogare, imbuendis præficitur ſcholaſticis. Quos ille per aliquot annorum curricula lectione ſimul & cantilena cum tanta erudiuit cura, vt palam ſe gaudere monſtraret, quod pecunia ſibi credita lucra augmentare valeret.*

Tanta autem erat huiuſce ſcholæ fama, vt ex ea euocarentur Magiſtri, qui alibi profeſſuri eſſent: narrat enim idem author c. 4. miſſos ab Anglis Legatos ad Floriacenſe Monaſterium petiiſſe aliquem mitti è Magiſtris in Angliam ad docendum, miſſum autem fuiſſe ab Oiolbodo tum Abbate circa an. 990. Abbonem: illum vero per biennium docuiſſe in Rameſienſi Cœnobio per Oſwaldum Archiepiſcopum, olim quoque Floriacenſem Monachum fundato, cui tum præerat Germanus Abbas ex eodem Floriaco aſſumptus. Porro Abbonem in Anglia moratum per duos annos, & Dunſtani Archiepiſcopi Cantuarienſis familiaritate & Oſwaldi Eboracenſis ſuaui conſortio fruitum ab Abbate ſuo reuocatum fuiſſe in Galliam Oiolbodo verò paulo poſt è viuis ſublato Abbatem electum Hugonis Regis temporibus, qui huic electioni conſenſum præbere non diſtulit.

Ad eandem

Ad eandem Scholam vndique mittebantur imbuendi præſertim Monachi, ex Anglia verò & Normania plurimi, vt legere eſt apud Balæum & Pitſæum Scriptores Anglos. In eadem etiam docuiſſe fertur Gerbertus ille Aquitanus Aureliacenſis Cœnobij Monachus ex Hiſpania reuerſus: vnde Pariſius & in Aulam Hugonis Capeti aſcitus fuiſſe ſcribitur. Ibi inter alios Comprofeſſorem habuit Conſtantinum, qui deinde Scholæ Rector ſeu Præfectus fuit. Extatque ad eum Gilberti Ep. 87. ſub hac inſcriptione CONSTANTINO SCHOLASTICO FLORIACENSI. Mandat verò vt ad ſe veniat, non ſine libris quos petit. *Comitentur iter tuum Tulliana opuſcula, & de Repub. & in Verrem: & quæ pro defenſione multorum plurima Romanæ Eloquentiæ parens conſcripſit.* Et Epiſt. 161. *Vis amicitiæ pœne impoſſibilia redigit ad poſſibilia. Nam quomodo rationes numerorum Abaci explicare contenderemus, niſi te adhortante,* O MI DVLCE SOLAMEN LABORVM CONSTANTINE! *Itaque cum aliquot luſtra iam tranſierint, ex quo nec librum, nec exercitium harum rerum habuerimus, quædam repetita memoria eiſdem verbis proferimus, quædam eiſdem ſententiis. Nec putet Philoſophus ſine litteris hæc alicui Arti, vel ſibi eſſe contraria.* Hæc de Scholis Cœnobialibus.

Quanticumque autem nominis illæ fuerint, ſi cum Pariſienſibus noſtris conferantur, longè profectò inferiores eſſe videbuntur. Neque enim putandum eſt illas omnino poſt Carolum Caluum contabuiſſe, licet magnam reuera paſſæ ſint iacturam ex continuis Normanorum bellis & deprædationibus. Quippe poſt initam cum illis pacem Vrbs Pariſienſis liberior eſſe cœpit, & ſub Regibus ignauis Robertus Odonis Regis frater qui in prælio Sueſſionico cecidit, & Hugo Magnus eius filius Comites Pariſienſes, ab ea omnem belli fragorem, quàm longiſſimè potuerunt, amouerunt. Itaque Muſæ e ſepulchro quodammodo redeuntes ſpiritum & vires paulatim reſumpſerunt; adeout ad eas ſub medium & finem huius infelicis ſeculi ex omnibus aliis Scholis tanquam ad ſplendidius Generaliuſque Emporium Iuuentus Altioribus diſciplinis imbuenda confluerer. Cuius rei teſtis mihi ſufficiat vel vnus Abbo Floriacenſis, qui cum in ſcholis Floriacenſibus inſtitutus fuiſſet, imo ibidem deinde docuiſſet, non exiſtimauit tamen ſe ſatis ad id muneris idoneum eſſe, niſi impetratâ exeundi licentiâ ſcholas noſtras vt longè celebriores excellentioreſque luſtraret & frequentaret. Sic enim de eo Aimoïnus Abbonis Diſcipulus. l. 3. *Schola Pariſienſis.*

Cum verò iam ad tantæ profeciſſet faſtigium ſcientiæ, vt aliis quoque percepti talenti valeret donariuum erogare, imbuendis præficitur Scholaſticis. Quos ille per aliquot annorum curricula lectione ſimul & cantilena cum tantâ erudiuit curâ, vt palam ſe gaudere monſtraret, quod pecuniæ ſibi creditæ lucra augmentare valeret. Verum ipſe adhuc MAIORA gliſcens SCIENTIÆ SCRVTARI ARCANA, diuerſorum adiit SAPIENTIÆ OFFICINAS LOCORVM; vt quia Grammaticæ, Arithmeticæ, nec non Dialecticæ iam ad plenum indaginem attigerat, cæteras ingenio ſuo pergeret ſuperadiicere Artes. Quapropter PARISIOS ATQVE REMOS ad eos qui PHILOSOPHIAM profitebantur, profectus aliquantulum quidem in Aſtronomia, ſed non quantum cupierat apud eos profecit. Inde Aurelianos regreſſus Muſicæ Artis dulcedinem quamuis occultè propter inuidos à quodam Clerico non paucis redemit Nummis. Itaque quinque ex his quas LIBERALES vocant, pleniſſimè imbutus Artibus, ſapientiæ magnitudine cunctos anteibat coætaneos. Supererat Rhetorica nec non Geometria, quarum plenitudinem etſi non vt voluit, attigit, nequaquam tamen ieiunus ab eis funditus remanſit. Nam & de Rhetoricæ vberrare facundiæ Victorinum, quem Diuinæ Interpres legis Hieronymus Præceptorem ſe habuiſſe gloriatur, legit: & Geometricorum multiplicitatem numerorum non mediocriter agnouit. Sic demum viuacis mentis ingenio hæc vniuerſa ſtrenuè aſſecuto facilis erat eorum operatio. Denique quoſdam Dialecticorum modos ſyllogiſmorum enucleatiſſimè enodauit, computique varias & delectabiles ſecularium in morem tabularum texuit calculationes. De ſolis quoque ac lunæ ſeu planetarum curſu à ſe editas diſputationes ſcripto poſterorum mandauit notitiæ.

Hæc de Abbone Aimoinus. Vnde luce meridiana clarius eſt SCHOLAS PARISIENSES cæteris ſplendore, dignitate, Artium multiplicitate & exercitio tum præcelluiſſe: quandoquidem Abbo maiores altioreſque Diſciplinas, quàm quæ

erant apud Floriacum, hauſturus venit Pariſios, tanquam ad Officinam publicam omnium Artium & Diſciplinarum. Nec refert quod ſimiliter Scholas Remenſes & Aurelianenſes luſtrauerit, quæ tamen non dicuntur fuiſſe Academiæ aut Vniuerſitates: nam cum non omnes qui ſe docendo habiles putabant, Lutetiæ docere poſſent, alij aliò ſe conferebant ad docendum, & nonnunquam in aliqua arte excellentes adibantur ab Extraneis. Ita Gerbertus Remis, Fulbertus Carnuti plurimos auditores collegerunt: ſed iis Magiſtris ſublatis ſcholæ illæ vulgo contabeſcebant, quia vnius tantummodo viri fama ſæpe ſuſtentabantur. Quod de Pariſienſibus ſimiliter dici nequit, in quibus plurimi præcellentes viri docebant in multiplici diſciplinarum genere, & in eodem etiam plurimi.

Quæret forte Curioſus aliquis quonam circiter tempore Abbo in Scholis Pariſienſibus verſaretur? Certum eſt ex Aimoino eum ſub Vvlfado Abbate Cænobio Floriacenſi adſcriptum fuiſſe, qui anno 962. electus eſt in Epiſcopum Carnotenſem. Certum quoque vel ſub Vvlfado aut ſub Richardo Abbate qui Vvlfado ſucceſſit, Lutetiam veniſſe, tum valde adhuc Iuuenem, & imberbem, ſi quidem ipſe adoleſcentulum ſe prædicat in Apologetico ad Hugonem & Robertum Reges Lutetiæ tum fuiſſe, cum de fine mundi proximo nonnulli Concionatores populum terrebant. Sic enim ait. *De fine mundi coram populo ſermonem in* ECCLESIA PARISIORVM *adoleſcentulus audiui, quod ſtatim finito mille annorum numero Antichriſtus adueniret, & non longo poſt tempore vniuerſale iudicium ſuccederet. Cui prædicationi ex Euangelio & Apocalypſi & libro Danielis qua potui virtute reſtiti. Denique & errorem qui de fine mundi inoleuit, Abbas meus B. memoriæ Richardus ſagaci animo propulit, poſtquam litteras à Lotharienſibus accepit, quibus me reſpondere iuſſit. Nam fama per totum mundum impleuerat, quod quando Annunciatio Dominica in Paraſceue contigiſſet, abſque vllo ſcrupulo finis mundi eſſet.* Richardus autem ab an. circiter 962. ad annum 981. Abbatiam Floriacenſem rexit. Itaque ſi diligenter ad ea quæ ipſe ſcribit, attendamus, cum prope Sexagenarius obierit an. 1004. & adoleſcentulus Lutetiam venerit, ſub Wlfado Abbate Lutetiam venerit neceſſe eſt, & proinde circa an. 960. quo tempore Pariſiis erat latiſſima & ampliſſima litterarum Officina.

Iiſdem circiter temporibus Gerbertus relicto Cœnobio Aureliacenſi, vbi à puero educatus fuerat & in Grammaticis ſufficienter inſtructus, Lutetiam ſe contulit amore Philoſophiæ aliarumque Liberalium Artium comparandarum deſiderio: deinde in Hiſpaniam ad condiſcendas Mathematicas Diſciplinas: qua de re breuiter Ademarus Engoliſmenſis Gerberto ſuppar. *Gerbertus* inquit, *natione Aquitanus ex infimo genere procreatus, Monachus à pueritia in S. Geraldi Aureliacenſi cænobio cauſa ſophiæ primò Franciam, dein Cordubam luſtrans cognitus à Rege Hugone Remis Archiepiſcopatu donatus eſt.* Idem fere habet Author Chronici S. Maxentij ad annum 996. *Gilbertus natione Aquitanus, Monachus Aureliacenſis ſancti Gerardi Eccleſiæ cauſa philoſophiæ primò Franciam, deinde Cordubam luſtrans cognitus ab Imperatore Archiepiſcopatu Rauennæ donatus eſt.* Primò inquiunt Authores iſti, Franciam luſtrauit Gerbertus. Quis autem dubitet, quin Pariſienſes Scholas luſtrauerit; ad quas maiorum Diſciplinarum diſcendarum ergo communiter alij confluebant? At inſuper ille vt Aſtrologiam & Mathematicas Diſciplinas combiberet, Cordubam profectus eſt & Hiſpaniam luſtrauit, vbi florebant inſignes Aſtrologi. willelm. Malmeſburienſis de eodem ſic habet. *Ex Gallia natus Monachus à puero apud Floriacum adoleuit, moxque cum Pythagoricum Biuium attigiſſet ſeu tædio Monachatus, ſeu gloriæ cupiditate captus nocte profugit Hiſpaniam animo præcipuè intendens, vt Aſtrologiam & cæteras id genus artes à Sarracenis addiſceret.* De eius ex Hiſpania reditu infra dicemus.

Earumdem ſcholarum celebritate excitatus Huboldus Leodienſis ſtudiorum cauſa Lutetiam venit, & ad Canonicos San-Genoueſianos, quorum in clauſtro & monte profeſſio litterarum florebat, ſe contulit. Et ipſe poſtmodum Magiſtrali Laurea donatus, multarum ſcholarum erector multorumque ſcholarium Doctor & inſtructor fuit. Sic de eo Anſelmus Canonicus Leodienſis Coætaneus aut certe ſuppar, in vita D. Notgeri ſeu Notkeri Epiſcopi Leodienſis. *Quid de Huboldo dicam, qui dum adoleſcentulus e ſcholari Diſciplina aufugiſſet, Pariſius veniens S. Genoueſæ Canonicis adhæſit & in breui multarum ſcholarum inſtitutor fuit? Vbi cum aliquan-*

diu à D. Notgero ignoraretur, tandem Canonicâ Epiſcopalis ſententiæ executione compulſus eſt redire, pluribus ibi relictis ſtudiorum ac moralitatis inſignibus. Hæc eadem verba leguntur in veteri inſcriptione poſita in Eccleſias. Ioannis Euangeliſtæ Leodienſis, vbi humatus eſt Notgerus an. 1007.

Atque ex his patet quàm non rectè & conformiter veritati ſcribat Malmeſburienſis de Gerberto, *Quadriuiumita ebibiſſe* in Hiſpania, *vt illas Artes in Galliam reuocaret iam dudum obſoletas.* Nec audiendus pariter Guido in Chronico Belgico Magno, cum ait Gerbertum in Hiſpaniam profectum fuiſſe, vt Aſtrologiam à Sarracenis diſceret, *quam vnâ cum liberalibus Artibus ita ebibit, vt eas induſtria magna reuocaret in Galliam, vbi pridem omnino perierant.* Non eſt, inquam, audiendus: nam licet aliquandiu propter bella externa & ciuilia, Pontificum ignauiam crebramque mutationem, Regumque Francorum incerta ſceptra quaſi in latebris delituerint, aliquid tamen ſplendoris Regij & natiui ſemper retinuerunt, quem ſub Hugone Magno, & deinde ſub Capetianis longè illuſtrarunt & amplificarunt.

Hinc quoque eximendus Carolo Sigonio ſcrupulus, qui de hiſce temporibus ſcribens ait non poſſe certò affirmari an ſub Othone I. fuerint Scholæ Publicæ præter Cœnobiales. *Litterarum* inquit, *ea ætate ſtudia firma nulla niſi Philoſophiæ ac Theologiæ. Nam Ius Ciuile Romanum vſque ad Lotharium Imperatorem, qui Henricum eſt inſecutus, propè Italia fuit incognitum: & Medicorum vſus ſemper fuit maior quàm dignitas. Poetæ & Oratores, ſi qui hoc nomine digni erant, ſibi potius quàm populo canebant. Qui verò cæteris antecedere eloquentiæ laude, ac vnica litterarum doctrina putabantur, ij plerique Monachi erant.* SCHOLÆ *quidem* PVBLICÆ, *quæ nunc paſſim ad excolenda Iuuenum peregrinorum ingenia celebrantur, de quibus affirmari poſſit, nulla tum fuiſſe produntur. Eccleſiaſticorum bonorum amplitudo maxima erat, præſertim verò Epiſcoporum, quorum & reuerentia ſumma & ius in Ciuitatibus ſemper fuit ampliſſimum.*

Certè cum Academia noſtra Pariſienſis eiuſmodi fuerit etiam hiſce barbaris temporibus, vt relictis aliis Scholis aliarum vrbium, immo Publicis Cœnobialibus ad eam conuolaretur tanquam ad maiorem litterarum & ſapientiæ Officinam, vt ſupra probatum eſt, negari non poteſt, quin Schola Publica fuerit, quia ſplendorem, dignitatem & amplitudinem habuerit maximam. Vnde coniicere licet paucos fuiſſe viros doctos hoc ſeculo in Gallia, qui Pariſienſem ſcholam non frequentaſſent.

Floruit quoque hiſce temporibus Schola Leodienſis ſub Baldrico I. Epiſcopo qui Doctor laudabilis dicebatur: ſub Evvrardo, vel vt alij ſcribunt, Heraclio, & poſtea ſub Notgero, omnium ſui temporis doctiſſimo & celebratiſſimo. *Schola Leodienſis,* Eurardus quidem antea Bonnenſis Præpoſitus ex claro Saxonum genere oriundus Coloniæ litteris liberalibus imbutus, vt bene de Ciuitate Leodienſi mereretur, néue peregrè proficiſci tenerentur quicumque litterarum amore & deſiderio capiebantur, Leodij Scholas inſtituit, plurimoſque Magiſtros aduocauit & præmiis ad docendum pellexit. Qua de re ſic habet Author Chronici Belgici Magni ad an. 960. quo ſucceſſit Baldrico. *Scholas igitur*, inquit, *per Clauſtra ſtabiliuit & totam Prouinciam ad ſtudium coaptauit, Magiſtris ſua ope liberaliter prouidit, ſcholas ipſe viciſſim frequenter ingredi Scholaribuſque lectiones tradere, & benignè quæ non intelligebant interpretari & enodare non indignum ſe indicauit: & dum aliquando longius procederet, ſæpe ab Italia vel Calabria dulcibus Epiſtolis Magiſtros ad ſtudium prouocauit. Vnde multos ex rudibus præclaros in ſcientiis reddidit. Idem de Scripturis in via tractabat cum aliis. Vnde charus valde fuit Brunoni Colonienſi Archiepiſcopo & Imperatori Othoni & Conſiliarius eorum. Morbo Heraclius, qui Lupus dicitur in natibus tam durè laborauit, vt carnes eius corroderentur. Dilatio vero mortis erat per hoc quod duo pulli Gallinarum mane duoque veſperi conſumendi Lupinæ rabiei opponebantur, morbo Gallinas conſumente.*

Heraclium vocat iſte Author, quem alij Eurardum, Fulcuinus Euracrum virum ingenuarum artium litteratum appellat, à quo ait Lobienſi Monaſterio præpoſitum fuiſſe an. 960. in Abbatem D. Aletrannum vndecunque doctiſſimum in lege Dei exercitatum ac eloquentem: & eo defuncto poſt quinquennium ſe ipſum ætate adhuc iuuenem ab eodem electum, & Lobienſibus præfectum. Eurardo

autem in ſede Leodienſi ſucceſſit circa an. 972. Notgerus non minus litteratus & litteratorum ſtudioſus: quo ſedente Huboldus relictis ſcholis Leodienſibus ad Pariſienſes venit, vt ante retulimus.

Schola Sorana Iudæorum. Conqueruntur vero Iudæi hoc ſeculo ſuas Academias Pumbedithanam & Soranam, hanc vero maximè a priſtino ſplendore deſciuiſſe, propterea quod munera Synagogica & Scholaſtica vel indignis conferebantur, vel licitationi & venditioni exponebantur. Vnde ſimultates primum inter Doctores exortæ, deinde aperta odia: tandemque in alias mundi plagas ſtudia litterarum è Sora expulſa migrarunt. Traditque Rabbi Abraham in lib. Iuchas pag. 119. quod poſt Raf Ioſeph Raf Saodiæ Collegam in Sorano Rectoratu ceſſauerit Academia, & quod deinceps annos centum Geonæi Pumbedithanæ præfuerint. Hæc notat Hottingerus ad hoc ſeculum.

Antiquiſſima vero erat Academia iſta Sorana, orta nempe circa annum Chriſti 200. plurimaſque prærogatiuas habebat, quas perſequitur Rabbi Abraham apud Hottingerum his verbis.

Hi ſunt Gradus quibus Sorana Academia Pumbedithanæ antecedit. Tempore Raf qua finis fuit Tannæorum & initium Amorræorum, nulla in Babylonia Iudæorum fuit Academia, ſed Neſiim, (id. Principes) *è ſemine Dauid orti imperitabant. Poſt mortem vero Raf, Academiam in Babylonia inſtituerunt exemplo Iſraelitarum, Soranam videlicet, cui Raf Huna præfuit 40. annos. Sub finem autem illius temporis excitauit Rabbah Bar Nachmoni Academiam Pumbedithanam, quæ deinceps ſuū etiā habuit Rectorem: atque ita prior eſt Academia Sorana Pumbedithanâ. Huc accedit quod nullum habuerit Pumbedithana Gaon ſeu Excellentem, niſi ad præſtitutum Rectoris Soranæ Academiæ. Sunt qui dicant quod cum duo illi Rectores Babylonis Æcmalotarcham conueniſſent, Rector Soranus cum Diſcipulis ſuis legerint & ſederint ad dextram, Æcmalotarcha cum Pumbedithano ad ſiniſtram. Eadem ratio obtinuit in accubitu conuiuali. Soranus etiam primò frangit: Pumbedithanus verò vſitata formula cibum conſecrat. Idem valet in introitu & exitu. Primas ſemper tenet Soranus. Sic cum mutuis ſe compellant litteris, Pumbedithanus Rector Soranum Gaon appellat, ſed non viciſſim. Ita ſi Æcmalotarcha aliquid legit in Pentateucho, idipſum Soranus explicat tacente interim Pumbedithano. Quod ſi contingat Æcmalotharcham mori, omnes eius Facultates traduntur Rectori Sorano & nihil cedit Pumbedithano.* Hæc illi de ſuis Academiis. Nos ad noſtram hiſtoriam reuertamur.

954. Anno 954. Dum Ludouicus Rex vrbem Remenſem, velut ibi moraturus repetit, incidit in lupum ſeu lupi ſpectrum quaſi præcedentis, quem admiſſo inſequutus equo prolabitur grauiterque attritus Remos defertur, & protracto languore decumbens Elephantiaſis peſte perfunditur, inquit Flodoardus: quo morbo confectus diem claudit extremum ſepeliturque apud S. Remigium. Paulò vero antequam moreretur, Fulcherium quendam Kentij Archimagiri ſui filium profeſſione Monachum & Decanū Monaſterij Sammedardi Sueſſionenſis in ſedem Nouiomenſem intruſerat excluſo Flodoardo à Clero in Pontificem electo: at ille malis artibus Pontificatum adeptus paulo poſt obiit morbo pediculari, vt ſcribit ex Meyero Demochares in tabulis Epiſcoporum Tornacenſium *Fulcharius ſiue Fulcherius Monachus S. Medardi ſepultus in templo S. Eligij extra muros Ciuitatis Nouiomenſis: de quo ſcribit Meyerus an. 955. Fulcherius homo ſpurius filius exiſtimatus principis coquorum Ludouici Regis Nouiomagenſem malis artibus adeptus Epiſcopatum omnia fecit deteriora, adminiſtrauitque menſes omnino 18. morbo abſumptus pediculari & Phthiriaſi; Magnum exemplum puniti ambitus & Simoniæ, ſi nos poſteri timeremus Deum.*

Dici autem non poteſt quam ægrè tulerit Flodoardus præreptum ſibi fuiſſe præſulatum, nam licet eiurato Canonicatu, quem in Eccleſia Remenſi obtinuerat, ſolitudinis deſiderio ſecularibus diuitiis renunciaſſe videretur, infulæ tamen fulgore adeo captum ſe ſenſit, vt illius ſpe fruſtratus vix vllam conſolationem admittere potuerit. Qua de re eum arguit vehementer Adelagus, ſeu Adalgagus Archiepiſcopus Bremenſis, Apoſtolicæ ſedis legatus his verbis.

„ Adelagus miſeratione diuina Bremenſis Eccleſiæ ſeruus Frodoardo Patri Remenſi verbum pacis. Qui dudum depoſuiſti Beneficium, vt tecum mundanæ
„ gloriæ contemptorem animum in ſolitudinē & Monaſterij latebram deferres, ex

voto non ante finem diſceſſurus, quid iam doles tibi inde non licere egredi ad
Epiſcopium aſcendendo, quod ſurripuit Fulcherius ? ſtas & non ſtas ? Deo pro-
miſiſti de ſtabilitate, vt ſi aliquando aliter feceris ab eo te damnandum ſcires
quem irriſeris, & iam tamen vacillas? eſto firmus in via Dei, & a matutina vſque
ad noctem quæ ſunt honoris & dignitatis obliuiſcere. Oraſti: Suſcipe me Domi-
ne ſecundum eloquium tuum & viuam. Eloquium Dei eſt. Omnis ex vobis qui
non renunciat omnibus quæ poſſidet, non poreſt meus eſſe Diſcipulus. Saluabun-
tur qui fugerint ab eis, & erunt in montibus ſicut Colombæ Conuallium. Vi-
dit Deus boni operis in te affectum, exercendi præſtitit facultatem, exaudiuit
preces, ne dubita conſummandi afferet auxilium. Sed dicis. Negotiari volenti
commodat Deus talentum, lucrantes beat. An neſcis quanto quis altius ere-
ctus eſt, tanto propius eſſe ne cadat? Ignoras honoris gradum ſuperbiæ eſſe ir-
ritamentum, eſſe inanis gloriæ materiam ? Caue ne tibi blandians, ne iuſtitiam
tuam facere deſideres coram hominibus, vt videaris ab eis. Fac te aptum Regno
Dei, negotiare, lucrare ſuper deſtinato brauio tuæ vocationis in Chriſto Ieſu.
Qui te aptum dicunt Dignitati maiori, ipſi te, Frater, decipiunt, & viam greſſuum
tuorum conſultore Diabolo conantur diſſipare. Fateor enim qui prodeſſe non
præeſſe, qui contradictiones non honores, qui labores non delicias, qui opus non
opes Epiſcopus deſiderat, bonum opus deſiderare: ſed in omnibus interiorem
diſcute animum & diſce Chriſtum ſemetipſum clarificaſſe vt Pontifex fieret.

Officium quidem Epiſcopale ſuſcepimus: ſed opus Officij non implemus. In
affectata præeminentia latet periculum. Horreo notare quod dixit Sanctus, reſ-
cripſit Sanctus. NVNC ESSEM DE NVMERO DAMNATORVM, SI FVISSEM DE NV-
MERO EPISCOPORVM Hæc accipe ab eo qui tuus eſt, & iacta tuum in Domino co-
gitatum: patientia tua non peribit in in finem. Fient in deſolationem, ſubitò de-
ficient, peribunt propter iniquitates ſuas qui te oderunt. Cognoſcetur Dominus
iudicia faciens: & in operibus manuum ſuarum comprehendetur Peccator. Ora
pro me; ſcriptum pridie Kal. Octob. an. 951. corrigendum & reponendum an.
955.

Cæterum defuncto Ludouico Gerberga Regina Hugonem Magnum Pariſio-
rum Comitem ſibi filioque ſuo Lothario adhuc impuberi conciliat, eiuſque ope
conſecrari curat ab Artoldo Remenſi Archipræſule, annitentibus Brunone Ar-
chiepiſcopo Colonienſi Othonis Imperatoris Fratre cæteriſque Præſulibus ac
Proceribus Franciæ, Burgundiæ & Aquitaniæ. Et quia totum id ope perfectum
fuerat Hugonis, Lotharius illi Burgundiam & Aquitaniam dedit, hæreditario
iure poſſidendas. Hugo vero Gerbergam & Lotharium Pariſiis honorificè exci-
pit ad ferias Paſchales, ſecumque plures dies retinet hilari vultu & ſincero affe-
ctu. Rarum id iis temporibus, Regem videre Pariſiis. Nam poſt Odonem Rober-
tus & Hugo qui Comitatum obtinuerunt Pariſienſem, perpetua fere bella cum
legitimis Regibus geſſerant, nec ad vrbem accedere paſſi fuerant.

Eodem anno defuncto Agapito ſubſtituitur Ioannes XII. Octauianus ante
dictus, natione Lombardus, venationibus, vt aiunt magis deditus quàm preci-
bus, imo vix bene Catholicus. Anno ſequente obit Hugo Magnus multique
alij Proceres tam Eccleſiaſtici quàm Laici. Quo anno teſte Meyero Arnulfus
Flandriæ Comes multa Cœnobiis detraxit, quæ Magnatibus ſuis & militibus
diuiſit. Hoc ſcilicet malum erat illorum temporum, quod Reges & Imperatores
tam Orientis quàm Occidentis licentiam ſibi ſumerent conferendorum Benefi-
ciorum Eccleſiaſticorum. Vnde clades litterarum deploranda contigit, cum in-
digni ſæpe & Indocti Litteratis & bene meritis præferrentur.

Regni Francici adminiſtratio deinceps tota penes Brunonem Archiepiſ-
copum Colonienſem fuit, Gerbergæ Reginæ & Othonis Imperatoris fratrem. Il-
le enim veluti Regni ſupremus miniſter & Rector milites colligebat, exercitus
ducebat, vrbes diruebat, in omnibus denique Lothario nepoti ſuo & Reginæ
Matri conſilio & ope aderat. Et ne quid ipſis turbarum à Regni Potentioribus
contingeret, eis conciliauit Odonem & Capetum Hugonis Magni filios, Re-
giiſque Imperiis & obſequiis addixit.

Anno 960. Richardus I. Vuilielmi Normanorum Ducis filius Hugonis Magni 960.
filiam in Coniugem accipit. Anno ſequenti Artoldus Remenſis pridie Kal.

Octob. diem extremum claudit. Eoque mortuo nihil non moliuntur Veromandui Comites, vt Hugoni fratri eiecto reſtituatur præſulatus. Regina conſulto Brunone fratre rem remittit ad conſilium Regis. Rex ad Synodum Epiſcoporum, qui in Pago Meldenſi ſuper Matronam numero 13. præſidente Archembaldo Archimyſta Senonenſi conueniunt circa idus menſis April. an 962. & re in medium propoſita poſt multas altercationes tandem conſtituunt conſulendum eſſe ſuper ea re Rom. Pontificem eiuſque iudicio ſtandum. Papa, quod Hugo à Romana Synodo fuiſſet Cenſuris illigatus, indignum ea ſede pronunciat. Itaque ſubſtituitur fauente Lothario Rege & Brunone Colonienſi Odalricus illuſtris Clericus Hugonis cuiuſdam Comitis filius, vt legitur apud Flodoardum.

962. Anno 962. Otho I. nondum Imperiali Diademate donatus Romam contendit à ciuibus aduocatus contra vim & crimina Ioannis Papæ, quæ Trithemius refert, quæque hic referre propter horrorem non auſim. Ille depoſito Leone VIII. in ſolio Pontificio collocat, conuocata prius Synodo 40. Epiſcoporum aliorumque Procerum Eccleſiaſticorum: atque ab eo viciſſim Imperiali diademate redimitur. At Romani immemores fidei præſtitæ, Ioannis pecuniâ corrupti eum inuadere conantur impio & temerario conatu atque ipſis funeſtiſſimo: omnes enim quotquot capti ſunt, aut occidit aut membris truncauit. Eo nihilominus in Germaniam reuerſo Ioannes Romam reuertitur, ſed paulo poſt moritur. Quo mortuo Romani Benedictum intrudunt. Otho Leonem reſtituit, Benedictum Saxoniam relegat, vbi fato defungitur. Talis fuit hiſce temporibus Romanæ ſedis ſtatus.

963. Anno 963. Flodoardus Chronici & Hiſtoriæ Remenſis ſcriptor Septuagenarius Paſtor Eccleſiæ de Cormicy presbyter & Canonicus Remenſis Beneficia ſua Flodoardo Nepoti ſuo reſignat apud Odalricum præſulem: ſic enim ille ſeribit. *Ego vero fractus ætate & attritus infirmitate miniſterio me abdicaui prælatura coram eodem præſule. Quique me hoc abſoluens iugo impoſuit illud per electionem fratrum meorum nepoti meo Flodoardo ſeptuageſimo ætatis meæ anno.* Hinc aiunt aliqui eum ſe ad Cœnobium S. Remigij contuliſſe, ibique habitum ſumpſiſſe Benedictinum.

965. Anno 965. obit 5. id. Octob. Bruno Colonienſis Archidux dictus, eo quod vt legitur in Chronico Belgico, Lotharingiæ Ducatum in temporalibus cum Archiepiſcopatu adminiſtrabat. Albericus in Chronico ait eum in Franciam veniſſet *ad Pacificandos nepotes ſuos Lotharium Regem & filios Hugonis*, Compendij correptum febre Remis obiiſſe, & quidquid iure mancipii habuit, teſtamento ſanctorum Eccleſiis legaſſe. Teſtis autem eſt Rogerus eius vitæ ſcriptor eum litteras Græcas Latinaſque optimè calluiſſe, & ex ipſa Græcia Magiſtros euocaſſe.

966. Anno 966. Lotharius Rex Emam ducit vxorem, Lotharij quondam Italiæ Regis & Adelaidis filiam. Notant quoque ad hunc annum Sigebertus & Krantius Heraldum Regem Danorum cum vxore & Sueuone filio Baptiſmi aquis luſtrari voluiſſe, eo quod Poponem Clericum conſpicatus fuiſſet geſtantem manibus ferrum ignitum candens magnique ponderis citra noxam in fidei argumentum & probationem; edictoque publico idololatriam e Regno expuliſſe, propoſito ad adorandum vno Deo; cum antea Dani Chriſtum ſimul & Idola colerent. Eodem anno obiit Flodoardus Remenſis Canonicus vir litteratiſſimus & ſcriptis notiſſimus.

967. Anno 967. Otho II. volente Patre Cæſar appellatus & conſecratus eſt Imperator. Anno ſequente obit Odolricus Remenſis Archipræſul: cui ſubſtituitur ope Lotharij Regis Adalbero Ardennenſis, Godefridi Ardennenſis Comitis filius & frater Godefridi, Ducum inferioris Lotharingiæ Progenitoris, Franciæ tunc Cancellarius, vir teſte Alberico in rebus Eccleſiaſticis ſtrenuus, carne nobilis, genere potens, conſilio prudens, magnanimitate ſingularis, fidei virtute inuincibilis. Virorum litteratorum Mecenas liberaliſſimus, ſub quo Gerbertus Scholam diu rexit, vt infra dicetur: varias vero fortunæ vices pro variis Regni tempeſtatibus & motibus expertus Eccleſiam Remenſem rexit vſque ad annum 989.

970. Anno 970. Arnulfus vir inſignis quoque virtutis fit Aurelianenſis Epiſcopus, qui Robertum Capeti filium in Regem inaugurauit an. 988. vt ſuo loco dicetur.

Digitized by Google

Eodem anno obit Eurardus Leodienſis Epiſcopus; eique poſt biennium ſubſtituitur Notgerus ſeu Notkerus natione Sueuus, genere nobilis, ſcientia & moribus illuſtris, qui à bonis ad meliora, à melioribus ad optima aſcendens, de ſcholis ad palatium promotus: inde votis & petitione Cleri ac populi, Principiſque fauore ad Epiſcopatum Leodienſem prouehitur, eique præeſt 36. annis. Hic cum in via eſſet, vt legitur in Chronico Belgico, *Scholares adoleſcentes ſecum ducebat, libris ſimul & aliis ſcholarium vtenſilibus ſecum deuectis.* Sub eo multi in litteris & moribus profecerunt, multique ex iis Epiſcopi & Rectores Eccleſiarum facti ſunt. Ille Huboldum qui Pariſiis ſcholas iamdiu regebat, ad ſcholam Leodienſem ſub cenſuræ interminatione reuocauit, exiſtimãs æquius eſſe & conuenientius, vt ille ſapiẽtiæ theſauros ſuis, quàm alienis diſpertiretur. Extant multæ ad eum Gerberti Aquitani Epiſtolæ, ex quibus quantus vir fuerit, intelligitur.

Anno 973. Otho I. moritur cœpitque ſolus regnare filius eius Otho II. cui Gerbertus innotuit, cum circa hæc tempora Romam profectus fuiſſet ex Hiſpa- 973.
nia: vt indicat Hugo Abbas Flauiniacenſis in Chronico Virdunenſi: de Gerberto enim verba faciens ſubdit, *Hic in Cœnobio S. Geraldi apud Aureliacum nutritus fuit, Grãmaticáq; eſt eruditus: & ab Abbate loci Borello citerioris Hiſpaniæ Duci cõmiſſus, vt in Artibus erudiretur: & ab eo Haittoni cuidam Epiſcopo traditus eſt inſtituendus: apud quem plurimum in matheſi ſtuduit. Verum prædicto Duce cum Epiſcopo Romam eunte idem cum eis profectus & propter actus notiſſimus & ab eo Othoni Regi eſt intimatus, & cum Adalberone Archiepiſcopo Remenſi Remis venit, quo tempore Olricus (ſeu Otricus) apud Saxones inſignis habebatur. poſt annum Remenſis Adalbero Romam cum Gerberto petebat & Ticini Otricum cum Auguſto reperit, à quo magnificè ſuſceptus eſt, ductuſque per Padum claſſe Rauennam.* Cum autem in Aula verſaretur Imperatoris, incidit in diſputationem cum Otrico de rebus mathematicis: nam & Otricus doctiſſimus quoque eo tempore habebatur. Adeo verò incaluit ea diſputatio, vt ad materiam diſceptandam Otho Iudices conſtituerit Archiepiſcopum Rauennatem & Scholaſticos viros: & cum diem diſputando conſumpſiſſent, tandem Otho contentioni finem impoſuit, & Gerbertum præmiis donatum remiſit in Franciam. Ea de re ſic habet idem Author. *Et quia anno ſuperiore Otricus Gerberti ſe reprehenſorem in quadam figura cum multiplici diuerſarum rerum diſtributione monſtrauerat, iuſſu Auguſti omnes Palatij Sapientes intra Palatium collecti ſunt. Archiepiſcopus quoque cum Adſone Abbate Deruenſi &* SCHOLASTICORVM *numerus non paruus. Et cœpta diſputatione cum iam totum pœne diem conſumpſiſſent, Auguſti nutu finis impoſitus eſt. Ibi verò ab Auguſto egregiè donatus Remis cum Archiepiſcopo reuerſus eſt.*

Adeo autem placuit Imperatori Gerbertus, vt iam tum ei tradere decreuerit Othonem filium in diſciplinam: imo ſunt, qui tum tradidiſſe putent, verum nondum eâ ætate videtur fuiſſe Otho filius vt litteras diſcere poſſet: nam licet Sigonius ſcribat fuiſſe duodeuiginti annos natum cum adeptus eſt Imperium nempe an. 984 cæteri tamen ſcriptores duodennem tantùm faciunt: quod ſi ita eſt, vix eſſe potuit Gerberti Diſcipulus ante an. 980.

Reuerſus in Franciam Gerbertus Scholas Publicas aperuit primùm Floriaci vt aliqui putant, deinde Lutetiæ vbi Capeto innotuit, poſtremò Remis. Comprofeſſores habuit Conſtantinum, qui fuit poſtea S. Maximini in agro Aurelianenſi Abbas, & Ethelwaldum poſtea Wittembergenſem Epiſcopum, teſte Malmeſburienſi. *Gerbertus*, inquit, *Galliam repatrians Publicas Scholas profeſſus Artem Magiſterij attigit. Habebat Comphiloſophos & Studiorum ſocios Conſtantinum Abbatem Monaſterij S. Maximini, quod eſt iuxta Aurelianis, ad quem dixerit regulas de Abaco; Ethelbaldum Epiſcopum, vt dicunt, Witenburgenſem, qui & ipſe dedit monumenta in Epiſtola, quam facit ad Gerbertum de Quæſtione Diametri ſuper Macrobium & in nonnullis aliis. Habuit Diſcipulos prædicandæ indolis & proſapiæ nobilis, Robertum filium Hugonis cognomento Capet, Othonem filium Othonis Imperatoris.* His addit Balæus Theophilactum, Laurentium Malfitanum, Brazutum, Ioannem Gratianum, Sacerdotes, inquit, Romanos & alios multos: quibus adiungendi Fulbertus Carnotenſis Epiſcopus, Ioannes Antiſſiodorenſis, Ingo San-Germano-Pratenſis Abbas, Leothericus Archiepiſcopus Senonenſis.

Credibile eſt inquã eũ dum Pariſiis doceret, innotuiſſe Hugoni Capeto Franciæ Duci & Comiti Pariſienſi, ab eoque poſtea euocatum in Aulam, vt præceptor

eſſet Roberti filij. Sic enim de eo Ditmarus author æqualis. *Natus de occiduis regionibus à puero liberali arte enutritus in Philoſophia & Aſtrologia tantum profecit, vt ſuos quoque Coætaneos variæ artis notitiâ ſuperauerit. Ingreſſus vitam Monaſticam factus eſt præceptor Roberti Regis filij Hugonis in Regia aula aliquandiu verſatus, ad Remenſem, deinde ad Rauennatem Archiepiſcopatum ſibi aditum præparauit.*

Tandem Remos conceſſit Adalberonis Archiepiſcopi præmiis inuitatus, ibiq; inter alios Diſcipulos habuit Robertum Hugonis Capeti & Othonem Othonis II. Imperatoris filios circa an. 980. idque conſtanter aſſerunt authores æquales & ſuppares. Helgaldus Monachus Floriacenſis in vita Roberti. *Fuit idem Rex ſapientiſſimus litterarum: cuius prudentiſſimo cordi erant inſita à Deo data perfectæ ſcientiæ dona. Nam à piiſſima matre Scholæ Remenſi traditus Domino Gerberto ad erudiendum eſt datus, qui eum ſufficienter liberalibus inſtitueret Diſciplinis, vt in omnibus Deo omnipotenti complaceret virtutibus almis.*

Hinc ait Gabriel Naudæus in ſuis ad hiſtoriam Ludouici IX. Additionibus Robertum relictis Collegiis ſeu Scholis ParisienſibusRemos profectum fuiſſe ad audiendum Gerbertum. Huius viri, quem omnes viri docti noſtri temporis norunt fuiſſe Scrutatorem antiquitatis ſtudioſiſſimum & curioſiſſimum, non erit extra rem proferre teſtimonium: quoniam ad illuſtrandas huius ſeculi Muſas non parum confert. Ille ergo c. 8. & vltimo ſic habet. Entre les Rois de la troiſieſme lignée Robert fut le premier qui careſſa les bonnes lettres. Il eut pour precepteur ce tant renommé Gerbert ou Silueſtre II. que nous auons ailleurs defendu du crime de Magie, lequel enſeignant auec grand honneur & reputation en la ville de Rheims merita comme dit Helgaudus, d'auoir vn tel Diſciple: combien qu'il ſoit conſtant par ce paſſage de la vie de Notger Eueſque du Liege qui ſe trouue eſcrite ſur vne grande peau de Patchemin en l'Egliſe de Saint Ican l'Euangeliſte de ladite ville, que du temps de Robert il y auoit exercice és Colleges de la Montagne Sainte Geneuiefue en cette Vniuerſité. *Quid de Huboldo dicam? qui dum adoleſcentulus è ſcholari diſciplina aufugiſſet, Pariſius veniens S. Genouefæ Canonicis adhæſit in breui multarum ſcholarum inſtructor fuit, vbi cum aliquandiu à D. Notgero ignoraretur, tandem Canonica Epiſcopalis ſententia executione compulſus eſt redire pluribus ibi relictis ſtudiorum ac moralitatis inſignibus.* Et pour ce ie croirois volontiers que la ſeule renommée de Gerbert auroit fait quitter à ſon Diſciple les Colleges de Paris pour frequenter celuy de Rheims. Hæc ille.

Certè cum talis eſſet tunc temporis Academia Pariſienſis, vt relictis aliarum vrbium ſcholis ad eam vndique migraretur, credibile non eſt Robertum primotibus annis alibi fuiſſe inſtitutum; præſertim cum pater eius Comes eſſet Pariſiorum, eamque ditionem & poſſeſſionem auitam haberet. Et id clarè Ludouicus Seruinus Cauſarum Forenſium l. I. in Cauſa Hamiltonis ſcribit. Poſtquam enim manifeſtiſſimis exemplis demonſtrauit a Carolo M. vſque ad Capeti tempora Vniuerſitatem Pariſienſem continuata ſerie floruiſſe, hæc ſubiungit de Capeto & Roberto. Venons au temps de Hugues Capet voyons quel a eſté Robert ſon ſucceſſeur le plus ſçauant de tous les Rois. Qui l'auoit rendu tel? l'Vniuerſité Fille de ſon Pere. Vray eſt que cettuy-cy a fait florir l'Eſchole de Reims, à cauſe de l'authorite de Gerbert, mais cela n'a diminué la grandeur de l Vniuerſité de Paris. Hæc de Gerberto, qui quando Remis docere inceperit non comperitur, at certum eſt ibi circa an. 980. Scholas publicas habuiſſe & in eis Othonem & Robertum vix adhuc puberes edocuiſſe: vnde Otho euocatus an. 983. in Imperatorem electus eſt octodecim circiter annos natus, vt vult Sigonius, vel vt alij ſcribunt duodecim aut quatuor decim tantum.

975. Anno circiter 975. Hugo Capetus Pariſiorum Comes ſub Lothario exulantia SS. Samſonis, Maglorij & Macuti corpora, quæ a Saluatore Maclouienſi Epiſcopo Normanorum furori ſubſtracta fuerant & Lutetiam allata excipit, & in æde San-Bartholomæa prope Palatium vrbanum ſita collocat, Cœnobiumque fundat ſub nomine SS. Bartholomæi & Maglorij Britanniæ Aremoricæ Archipræſulis. Quæ fundatio à Rege eiuſque filio Ludouico approbata fuit & confirmata his verbis.

In Nomine Domini Dei & Saluatoris Noſtri I. C. Hlotarius & Hludouicus Diuina ordinante Prouidentia Reges Auguſti. Dum petitionibus Hugonis Franciæ

ciæ Ducis rationabilibus & iuſtis Diuini cultus amore fauemus, ſuperna nos gratia muniri non dubitamus. Proinde nouerit omnium fidelium noſtrorum præſentium ſcilicet & futurorum ſolertia, quia vir prætextatus honorabilis noſtram petiit clementiam præceptum firmitatis à nobis fieri ex rebus, quas idem piè Monaſterio SS. Bartholomæi Apoſtoli & Maglorij Archipræſulis Britanniæ vrbis ſcilicet Dolenſis contulit, quod fundauit in vrbe Pariſiaca ad Sanctorum corpora, quæ vt peregrina hoſpitabantur per aliorum rura., &c.

Eiuſdem fundationis per Hugonem Capetum factæ meminit Henricus 1. Roberti filius & Hugonis nepos in Priuilegio quod iiſdem Maglorianis concedit. *Quidam*, inquit, *venerabilis Abbas Cœnobij SS. Bartholomæi Apoſtoli atque Maglorij Archipræſulis iuxta Aulam noſtri Palatij ſiti Reginaldus nomine rogans, & obnixè poſtulans noſtræ ſerenitatis adiit præſentiam, quatenus prædicto loco, quem piæ memoria Hugo auus noſter fundauerat & ſuis terris ditauerat, quandam Eccleſiam illius villæ quæ Bruxaria vocatur, donare dignaremur.*

At Helgaldus fundationem iſtam Cœnobij Magloriani tribuit Hugoni magno & Capeto filio his verbis in Epitome vitæ Roberti. *Huius igitur inclyti Regis auus Hugo pro pietate, bonitate, fortitudine Magnus dictus, Monaſterium S. Maglorij Confeſſoris Chriſti in Ciuitate Pariſius ſimul cum filio conſtruens nobiliter Monachos ſub Regula Patris Benedicti viuere paratos ibi collocat.* Hæc de ea fundatione.

Cæterum Bartholomæi ædes antequam Magloriani eam occuparent, Capella erat Regia Palatij vrbani, illique miniſtrabant in officiis diuinis Canonici Regulares, qui tranſlati ſunt inde ad Sacellum, quod nunc S. Michaelis dicitur intra ambitum Palatij. Item antequam Magloriani aduenirent, in æde Bartholomæa erant 4. Cellæ Regiæ, Capellas vulgo appellamus 1. SS. Fiacrij atque Mathutini. 2. S. Stephani, nunc S. Brioci de Vallibus. 3. S. Annæ 4. Sanctæ Catharinæ.

Anno 976. Carolus Lotharingiæ Dux Lotharij Regis frater prælium committit cum Godefrido & Arnulfo Comitibus Lotharienſibus. Eodem anno Rorico Epiſcopus Laudunenſis vir doctiſſimus & eloquentiſſimus diem claudit extremũ. Erat autem ille filius ſpurius Caroli Simplicis conſecratus ab Artholdo an. 949. Monaſticum Ordinem in Cœnobio S. Vincentii reparauit euocatis e Floriacenſi Monachis diplomate dato Lauduni an. 961. Eius meminit Aſſo Monachus Ep. ad Gerbergam Reginam, cui Tractatum de Antichriſto mittit. *Igitur*, inquit, *quia pium ſtudium habetis ſcripturas audire & frequenter loqui de noſtro Redemptore, ſiue etiam ſcire de impietate Antichriſti & perſecutione nec non & poteſtate eius & generatione, ſicut mihi ſeruo veſtro dignata eſtis percipere, volui aliquando vobis ſcribere & de Antichriſto ex parte certam reddere. Quamuis non indigeatis à me hæc audire quæ apud vos habetis prudentiſſimum Paſtorem Domnum Roriconem, clariſſimum ſpeculum totius ſapientiæ atque eloquentiæ hac valde noſtra ætate.* 976.

Anno 977. Adalbero iuuenis Lotharingus Roriconi in Eccleſia Laudunenſi ſubſtituitur, Aſcelinus alio nomine dictus, cuius electionem deſcribit Continuator hiſtoriæ Flodoardi. Conſecratus eſt ab Adalberone Remenſi Archiepiſcopo die ſancto Palmarum qui tunc erat dies 1. Aprilis. Vir ſatis in omnibus felix, ſi Regem ſuum non prodidiſſet, vt infra dicetur. 977.

Eodem anno Godefridus & Arnulfus Comites Lotharingiæ à Carolo Regis fratre & Hugone Capeto expulſi ad Othonem Imperatorem confugiunt & conantur in ſuas partes adducere contra Lotharium. At Otho Carolo Lotharingiæ Ducatum aſſeruit, dum à ſe haberet, acceptumque ſibi referret.

Verum ann. 978. Lotharius collecto ingenti exercitu Lotharingiam totam ſibi ſubiicit. Inde Othonem nihil tale cogitantem Aquiſgrano fugat. Iſte reſumptis armis & viribus Lotharingiam ſubit, Franciam diripit & vaſtat. *Remenſem, Laudunenſem Sueſſionenſemque Prouincias omnia deuaſtando pertranſiens*, inquit Nangius, *vſque Pariſius venit & ſuburbium Ciuitatis incendit.* Rurſus Lotharius Hugonis Capeti & fratris eius Henrici Burgundiæ ducis opibus & copiis adiutus Othonem fugere compellit, cumque ad Sueſſionenſem ciuitatem inſecutus, plurimos ferro conſumit, multo plures aquis Axonæ ſubmergit, & cum triumpho reuertitur in Franciam. Ita Nangius. 978.

Anno 980. Otho & Lotharius Remis pacem componunt æquis conditionibus. 980.

Digitized by Google

Lotharius Othoni Lotharingiam reſtituit, & ille Godefrido partem eius cum Virdunenſi comitatu. Ducatum vero Carolo Regis fratri, vt Imperij Prouinciam; & iis legibus quibus tenebantur, qui beneficio Imperatorum Prouincias obtinebant. Qua pace inita Otho filium ſuum Othonem deinde III. dictum Gerberto tradidit in Diſciplinam. Hugo Capetus ſuum Roberto, qui ambo ætate pares affectu quoque pares fuerunt & æmulatione litterarum.

Anno 984. Othone Romæ defuncto magna ſuboritur de Succeſſore contentio.
984. Germani Othonem III. filium eius Romæ Cæſarem deſignãt. Itali Creſcentium Nomentanum. Alij Henricum Bauarum Regem depoſcunt ſeu Tutorem Pupilli. Iſte Othonem eiuſque Sororem Adelheidem Theophaniæ Imperatrici ſubtrahit, ſeque pro Imperatore gerit. Illa enim audito de morte Mariti nuncio filium è ſchola Gerberti ad ſe reuocauerat, vbi eum Roberto Hugonis filio educabatur. Et in hoc valde peccaſſe ſcribit Gerbertus Ep. 48. *Lotharius Rex Franciæ prælatus eſt ſolo nomine, Hugo vero non nomine ſed actu & opere. Eius amicitiam ſi in commune expetiſſetis filiumque ipſius Roberti cum filio Cæſaris colligaſſetis, iam dudum Reges Francorum hoſtes non haberetis.*

Non ferunt Saxones eripi ſibi magnæ ſpei adoleſcentem, & Henrico Patrueli extorquent matrique reddunt. Cauſa præcipua diſſidij aut prætextus ſaltem, ſuperbia Matris Theophaniæ, Græcæ mulieris, cui nolebant plurimi Proceres committi Othonis educationem, inter quos præcipuas partes agebant aut agere videbantur Egbertus Archiepiſcopus Treuirenſis & Willegiſus Moguntinus: apud quos nihil non egit litteris & Legationibus Adalbero Remenſis, vt eos ab Henrico ad Othonem conuerteret. Ad Ecbertum quidem ſcribit apud Gerberrum Ep. 26,

Labefactari Rempub. veſtram quorundam ignauia cum perhorreſcimus, tum erubeſcimus & priuilegio amoris noſtri circa vos & communi Patriæ cognatione. Pauci-ne creati ſunt Reges, qui nouum filio Domini veſtri præponere vultis? forte quia Græcus eſt vt dicitis, more Græcorum conregnantem inſtituere vultis? quo receſſit ſanctiſſima fides? exciderunt ne animo Beneficia Othonum vobis conlata? Magnam intelligentiam veſtram reuocate, generoſitatem perpendite, ne perpetuo dedecori generi veſtro eſſe velitis. Si vires eos deſtituere acclamatis, meliora ſentientes perquirite: nos fautores, coadiutores in talibus negotiis fore confidite. In perturbatione & confuſione omnium rerum quis alterius leuabit onus? poſtremo ſi ſalua dignitate veſtri nominis vrbem Treuirorum tutari non valetis, Remorum vtrique noſtrum ſit ſatis: ditioreſque erimus, quàm Eucharius quondam & Sixtus. Id vobis ratum ignominiam auferet, irritum nos liberos efficiet.

Ad Vvillegiſum vero Moguntinum eiuſdem nomine ſcribit Gerbertus item & proprio Ep. 34. in qua vehementer inuehitur in Henricum inuaſorem. O mi Pater, moerens ſimili de cauſa *mærentem quibus affabor verbis? Cæſare deſtituti præda hoſtium ſumus. Cæſarem in filio ſupereſſe putauimus. O quis prodidit? quis nobis alteram lucem eripuit? Agnum Matri non Lupo committi oportuit. Me quidem doloris immunitas mihi conſulere non patitur. Nunc fertur animus præceps in hoſtes Italos, qui mea funditus eripiant, nunc quaſi meliora deliberans terrarum longinqua petit. Sed dum redit Otho dumque hærent infixi pectore vultus, dum Socraticæ diſputationes ipſius frequentes occurrunt, refringitur impetus & peregrinationis meæ tædium apud Gallos vtrumque releuatur. Conſule Pater, & ſi erga Maieſtatem veſtram nulla mea ſunt merita, tamen nec defuit, nec effectus aberit, ſi fortuna vt quondam riſerit.*

Cæterum initio fauit Lotharius Othonianis partibus, vt intelligimus ex Ep. 22. eiuſdem Gerberti ad D. Imizam in Palatio Imperatoris inter Matronas Theophaniæ vnam. *Dominam meam Theophaniam Imperatricem nomine meo conuenite. Reges Francorum filio ſuo fauere dicite nihilque aliud eos conari, niſi tyrannidem Henrici Regem ſe facere volentis ſub nomine Aduocationis velle deſtruere.* At poſtea occaſione acceptâ prædarum & rapinarum quas Lotharingi Godefrido Vidunenſi & Sigigrido patruo Othonianæ partis Ducibus exercebant, Lotharingiam cum exercitu numeroſiſſimo inuadit cum fratre Carolo, Virdunum ad deditionem cogit, ipſius Comites Godefridum & Sigifridum capit, cum Henrico Bauaro ſocietatem mutuamque amicitiam contrahit. Adeo verò grauiter tulit & iniquo animo Diedericus Epiſcopus Metenſis Carolum contra fidem Othoni præſtitam, Henrico ſe coniunxiſſe, vt acriter in eum inuectus ſit, vt patet & Ep. 31. apud Gerbertum, quæ talis eſt.

Diedericvs ſeruus ſeruorum Domini, Imperatorum amator, proliſque tutiſſimus Tutor, Carolo ſanguine nepoti, ſed fidei impudentiſſimo violatori. Fidem à nemine vnquam bonorum violatam, vt noſti, præſente venerando Notegario Epiſcopo (Leodienſi) teque licet non nobilioribus, tamen veritate excellentioribus præſentibus ante B. Ioannis aram in ſacra verba datam, leuiſſime transfuga, nec in hanc nec in illam partem fidem habens, cæcus te amor regnandi debilitatum negligere coëgit. Et quid mirum ſi in nepotem (Orhonem) peſtem tui ſordidiſſimi cordis euomis, qui cruentâ manu & ad omne ſcelus ſemper promptiſſima cum latronum grege & furum manipulo, dum fratri tuo nobili Francorum Regi Laudunum Ciuitatem ſuam, inquam ſuam, nunquam vtrique tuam, dolo malo ſurripetes, cumque Regno fraudares & Imperatoriam ſororem Regemque ſui conſortem infamares, tuiſque mendaciis commaculares ? Nihil vnquam penſi habuiſtis, dilatate, incraſſate, impinguate, qui non ſecutus patrum tuorum veſtigia dereliquiſti Dominum factorem tuum. Recordare os tuum impudens, quoties digito compeſcuerim, dum turpia in Remenſem Archiepiſcopum, turpiora in Reginam demenriendo ſerpentino ſibilo effudiſti. Quid in Laudunenſem Epiſcopum feceris, ipſe noſti melius, breui tu Lotharienſium Regni angulo latitans vaniſſimoque ſupercilio toti te præeſſe iactitans. Quid neptis vtriuſque noſtrum fœmina, te te viro melior cum nobilis indolis filio ? quid Apoſtolorum Vicarij Eccleſiæ S. Ouilis Paſtores, quos tu canino dente nocte & interdiu rodere conaris ? quid alij præterea Principes, qui nihil tuo iuri debent, eiuſdem habeant Dominoque authore poſſideant, reminiſcere: & ita tandem inania excuriens omnia frontemque falſiſſimo poculo debriatam expurgans poteris metiri nihil eſſe quod agis, ad nil diuino nutu deueniendum quod moliris. Quorum ergo haud pro merito adſcriptus numero ligandi ſoluendique dignatus honore mihi indigno paſtorali virga commiſſam defenſurus Eccleſiam dico, non aliam quam ſummi Paſtoris ſanguine redemptam, quam tu diuinum ius contemnens cum tuis Complicibus lacerate atque dilaniate pro poſſe tuo contendis, horribilem ſpernens illam Dominicam vocem qua tonatur Qui vos tangit, rangit pupillam oculi mei, &c.

Ad hæc reſpondit Carolus acrius Ep. 32. apud eundem Gerbertum his verbis.

Carolvs ſola Dei gratia ſi quid eſt, hypocritarum ideæ, Imperatorum infidiſſimo Proliſque Parricidæ, ac in Commune hoſti Reipub. Grauitatis ſiquidem meæ fuerat maledicta tua taciturnitate premere, nec penſi habere quod petulantiæ magis tyranni quam iudicium protulit ſacerdotis. Sed ne ſilentium tuis coniuratis videatur facere confeſſionem, ſummum tuorum ſcelerum paucis attingam, & de maximis minima referam, Conſilij quoque mei nonnulla prætermittam, vt qui velut inanis vter ſpiritu intumuiſti, meo vt tu deſipis incraſſati, impinguati, dilatati preſſus pondere detumeſcas. Cur Dominam Ducem Beatricem cum filio Regnique Primatibus à nobis prætendis deluſam ? te miſer non ſentis, nec quemquam pœne fore tuæ coniurationis participem. Nec ſolus nec in angulo fidem integerrimam filio noſtri Cæſaris aſtruo, vt tu nocturno mero eructas. Adſunt mecum Galliæ Principes, Reges Francorum, velis nolis præclatiſſimi Lotharienſes fide deuoti. His eſt curæ filius Cæſaris. Hi nec quærunt Regnum eripere, vt tu, nec conregnantem inſtituere. Tu Diuina & humana confudiſti iura deque legibus oſcitans vt Limax in ſuo Conclaui, Cornupeta tibi videris. Cur Paſtorali officio minus intendis ? quaſi verò tu Paſtor & non lupus rapax & potius alter Iudas, ſi Iudas Apoſtolus qui Dominum ſuum 30. prodidit argenteis, & tu Epiſcopus qui Dominum tuum Regem hæredem Regni Regno priuaſti ſpe famoſiſſimi quæſtus Paruum tibi hoc. Pœnas de eo quantum ad te fine carentes velut de hoſte ſumpſiſti. Siccine Othonum promeruerunt beneficia ? denique nunquam ad eos finem habuiſſe non ſolius filij cauſa conuinceris. An cum Lotharium Regem Francorum, quem glorioſum vocas cum maximè oderis, hunc inquam cum Regno pellebas, meque regnare cogebas, fidem ne ei & mihi promiſſam ſeruabas ? Mihi promiſſam dico ante Aram, quam impudenter nominas. Profecto intelligis quid feceris. Contra fratrem meum ac ſororem Domini tui me arma parare impellebas, vt om-

ne Genus noſtrum Regium mutuis vulneribus confoderes, Tyrannos nomine Regum ſubſtirueres, cum quibus contempto ſacerdotio vacuis aulis incubare poſſes.

Hæc inter Adalbero Remenſis & Gerbertus Cæſari fidelis ad Proceres Orhonis amicos plurimas expediunt litteras & legationes, vt ab hac coniuratorum ſocietate eos dimoueant. Extat in hanc rem Gerberti ad Theophaniam Imperatricem Epiſtola 52.

» Cupienti mihi vos adire ſecundum Imperium veſtrum non fruſtra reniſa eſt
» Diuiniras. Nam XI. Cal. April. captos Comites allocutus Godefridum Patruum-
» que eius Sigifridum. inter hoſtium Cuneos ſolus repertus ſum veſtrarum
» partium cui fidenter de ſtatu Imperij veſtri ſuas ſententias concrederenr. Scripſi
» itaque exhortatorias Epiſtolas ſecundum intellectum eorum Coniugibus, libe-
» ris, amicis vt in fide veſtra perſtent, nullo hoſtium incurſu terreantur, eorumque
» exemplo ſi fortuna tulerit, exilium potius eligant pro fide vobis ſeruanda, quam
» patriæ ſolum cum perfidia. Hos ego viros imprimis chariſſimos habeo, quibus
» grauius eſt, quod veſtra negotia non valeant exequi, quam quod captiuitati ho-
» ſtium videntur addicti. Sed quia Principum diſſenſio interitus Regnorum eſt,
» Principum veſtrorum concordia remedium tantorum malorum nobis fore vide-
» tur. Funiculus quippe triplex difficile rumpitur. Noueritis etiam Reges Fran-
» corum Nos non æquis oculis intueri, eo quod de veſtra fidelitate eis contraria
» ſentiamus, ſimulque quod multa familiaritate fruamur Adalberonis Ar-
» chiepiſcopi Remorum, quem ſimili de cauſa inſectantes infidiſſimum ſibi
» putant. In his omnibus quid nos velitis facere, & ſi inrer hoſtes via patue-
» rit vlla, quando veſtram præſentiam poſſimus adire, certius ſignificate Nobis
» paratis per omnia vobis obtemperare. Res eo proceſſit, vt iam non de ſua ex-
» pulſione agatur quod malum tolerabile eſſet, ſed de vita & ſanguine certet.
» Hoc mihi ſecum commune eſt, quaſi ſe contra conatus Regios incitanti. Mo-
» les denique oppreſſionis tanta eſt, veſtrique nominis tanta inuidia, vt ſuas miſe-
» rias nullis audeat vobis ſignificare reſcriptis. Sed hæc tyrannis ſi inualuerit locus
» que ad vos profugiendi patuerit ſibi, non fruſtra de vobis meliora ſenſerit, ſpem
» certam habuerit qui vobis ac filio veſtro, in quo valuit, ſuffragium medita-
» tus eſt.

Hinc intelligitur quis fuerit Adalberonis animus erga Imperatorem, quantaque ipſius cauſa pateretur. Vnde Lothario non immerito ſuſpectus fuit, qui vt eius in ſe fidem experiretur, mandauit vt munimenta atque propugnacula Monaſterij S. Pauli dirueret, ne hoſtes eo occupato aduerſum ſe vti poſſent; quod ille facturum ſe negauit propoſitis aliorum exemplis, qui Caſtella ſimiliter haberent & munirenr.

Acceſſit altera odij cauſa, quod nempe Adalberonem nepotem ſuum Godofredi Lotharingi filium obſidem Diaconum, Sacerdotem & Epiſcopum ordinaſſet, eique Virdunenſem Epiſcopatum apud Othonem procuraſſet, non apud Lotharium, qui Lotharingiam in proprium ius reuocauerat : vt legitur apud Gerbertum Ep. 57. & 58. Contra ipſum Conuentum habere ſtatuit Lotharius & infidelitatis damnare, niſi obſidem redderet, mandauitque præterea vt aut in ſua verba iuraret, aut regno excederet : qua de re ſic Adalbero ad Theophaniam Imperatricem. *6. Kal. Aprilis*, inquit, *Conuentus Francorum indictus eſt ibique crimine infidelitatis pulſabimur, quod Epiſcopum Virdunenſem licentiâ donauerimus quodque in Presbyterij honorem promouerimus & vt res fiat impoſſibilis, à nobis idem repetendus.*

Pratum Clericorum Ad hæc circiter tempora referunt Monachi San-Germano-Pratenſes redemptionem Prati Clericorum ab Vniuerſitate Pariſienſi per Abbatem ſuum Regularem Waldonem ſeu Gualonem : cui Hugo Capetus Dux Franciæ & Pariſiorum Comes vltro Abbatiam regendam tradiderat, dimiſſâ omnino eiuſdem fiduciariâ Commendâ. Sic enim de eo habet Aimoini Continuator l. 5. c. 44. *Hugo Dux ad maiora animum applicans nutu diuino dimiſſa S. Germani Abbatia, quæ iam pæne ad nihil (dum non eſſet qui curam eius tam exterius quàm interius ageret) redacta fuerat, ſummis precibus tam Regis Lotharij, quam prædicti Hugonis Francorum Regis conſtituit venerabilem Gualonem Abbatem. Deceſſit porro tempore Lotharij Regis.*

Digitized by Google

Verum de Redemptione illa fictitia fuſè egimus ad calcem I. ſeculi, vbi de Prato Clericorum fol. 244.

Cum iſto autem Gualone litem habuit Giſlebertus, ſeu Engelbertus Epiſcopus Pariſienſis, ad quam dirimendam vſus eſt Hugo Capetus nondum adhuc Rex operâ Airardi Abbatis Auteliacenſis, vt teſtatur Gerbertus Ep. 61. *Cæterum Dux Hugo nacta occaſione ex diſſenſione Epiſcopi Pariſienſis & Abbatis Gualonis Abbatem noſtrum Airardum inter cæteros ad ſe venire orat.* Quæ fuerit cauſa diſſenſionis iſtius, non inueni.

Eodem anno Adalbero Magni Adalberonis Fratruelis, Beatricis, quæ Magni Hugonis filia fuit & Soror Capeti & Friderici Lotharingiæ Ducis filius, Scholaribus Diſciplinis apud Gurgitenſes caſtiſſimè detritus & inſtitutus vt legitur in eius vita, ad præſulatum Metenſem Diederici obitu vacantem procurante Beatrice Matre & Adelhaide Auguſta Othonis III. Auia promouetur 17. Kal. Nouembris Vvormaciæ, quo Gallicani Germanique exercitus concurrerant, alij vt Othoni fauerent, alij vt eidem aduerſarentur.

Anno 985. de pace actum eſt inter Imperatorem & Principes hac lege vt Hen- 985.
ricus tutelam Othonis à ſe abdicaret, & in Lotharium transferret, vt pote auunculum. Huiuſce pacis author fuiſſe videtur Notgerus Leodienſis Epiſcopus, Diſſuaſor verò tũ Adalbero Remenſis qui ſic eum cõpellat Ep. 39. apud Gerbertum. *Vigilaſne PP. famoſiſſimæ quondam fidei pro caſtris Cæſaris, an cæca premente fortuna & temporis ignorantiâ diuina & humana iura peſſundari ſimul non cernis? Ecce palam deſtituitur cui ob paterna merita fidem deuouiſti, deuotam ſeruare debuiſti. Germanum Briſaca Rhenani littoris Francorum Reges clam nunc adeunt. Henricus Reipub. hoſtis dictus Kal. Februarij occurrit. Conſule mi pater, modis omnibus reſiſtendum, ne conueniant aduerſus Dominum & aduerſus Chriſtum tuum.*

Quanti autem eſſet momenti Hugonem Capetum in ſuis habere partibus innuit Gerbertus Ep. 48. Innominato ſic aiens, vt ante retulimus. *Lotharius Rex Franciæ prælatus eſt ſolo nomine, Hugo vero non nomine ſed actu & opere. Eius amicitiam ſi in commune expetiſſetis, filiumque ipſius* Robertum, cum filio Cæſaris colligaſſetis, iam dudum Reges Francorum *hoſtes non ſentiretis.* Reges Francorum appellat, Lotharium nempe Franciæ & Carolum Lotharingiæ. Carolus enim qui ante Othoni fidem ſpoponderat, Lothario fratri ſe adiunxit.

Interim verò Barones Theutonici Othonem, quem Henricus retinebat, li- 986.
berant pacemque cum Lothario faciunt ſequeſtro Adalberone Remenſi, his conditionibus, vt Otho ſub Lotharij tutela remaneat; Lotharius Virdunum reddat, & Godefridum Comitem carceribus eximat. At nondum firmatâ pace obiit Remis Lotharius 6. non. Martias an. 986. Regni 32. moriens Ludouicum filium quem ex Emma coniuge ſuſceperat, Hugoni Capeto commendauit. Sepultus eſt in Eccleſia S. Remigij: & Exequiis Gerbertus interfuit, vt ipſe ſcribit Ep. 72, ad Stephanum Diaconum: quâ etiam innuit omnes Captiuos Lotharienſes aufugiſſe è carceribus præter vnum Godefridum Virdunenſem Comitem. *Exequiis D. Lotharij Regis occupati multa tibi quærenti pauca reſcripſimus. Lotharienſes dudum capti omnes elapſi ſunt, præter Comitem Godefridum, de quo in breui meliora ſperantur.* Eundem Regem vocat Adalbero Francorum clariſſimum Sidus Ep. ad Ecbertum Epiſcopum: & Gerbertus hoc in eius honorem condidit Epithaphium.

Cuius ad obſequium coiêre Duces, bonus omnis
Quem coluit. Sate Cæſaribus, monimenta doloris
Cæſar Lothari prætendis luce ſecundâ
Terrifici Martis quod eras conſpectus in Aſtro.

Ludouicus ergo in Regem inungitur, eique & Emmæ Reginæ Proceres fidem ſuam obligant: qua de re illa Gerberti manu vſa certiorem facit Adelaïdem Imperatricem Dotariam Matrem ſuam. *Elapſa ſunt tempora mearum deliciarum, tempora decoris mei, ô mi Domina, & ô dulcis mater, dum is quo florente florebam, quo regnante regnabam, coniugem in perpetuam viduam fecit. O amara dies 6. non. Mart. quæ mihi virum deripuit! quæ me in has miſerias præcipitauit! Intelligat Pia Mater gemitum & anguſtias filiæ doloribus plenas. Non eſſe me penitus præoptarem, niſi Diuinitas ſolatio reliquiſſet mihi matrem. O quando videbo, quando alloquar!....*

Regali potentia in nullo abuti valentes omnia negotia Reipub. in conſultatione & ſententia Fidelium noſtrorum diſponimus, voſque eorum participes fore digniſſimos iudicauimus. Itaque honeſtè ac benigno affectu vos monemus, vti ante Kalendas Nouembris eam fidem quam cæteri nobis firmauerunt confirmetis ob pacem & concordiam ſanctæ Eccleſiæ totiuſque populi Chriſtiani; ne ſi forte quod non optamus, perſuaſione quorundam prauorum diligenter vobis exequenda minus audiatis, ſententiam D. Papæ & Comprouincialium Epiſcoporum duriorem perferatis, noſtraque omnibus nota manſuetudo iuſtiſſimum correctionis aſſumat zelum regali potentiâ.

Sic Hugo verbis minas regaliter addens multos Proceres ad ſuas partes adduxit atque vt Regnum ſuum firmius ſtabiliret, eodem anno Robertum filium, iuuenem robuſtum & agilem, pro ætate vero prudentem & liberalibus artibus inſtructum Succeſſorem deſignauit, Regiaque corona Kalendis Ianuarij Aureliæ per Arnulfum Epiſcopum inſigniri curauit. Qua de re ſic habet Glaber Rodulphus l. 2. c. 1. *Suſcepto igitur Hugo regimine Regni Francorum non multo poſt pleroſque ſuorum, quos etiã prius in Vniuerſis habuerat ſubditos perſenſit contumaces. Tamen vt erat corpore & mente viuidus cunctos ſibi rebellantes paulatim compeſcuit. Habebat enim filium admodum prudentem nomine Robertum Artiumetiam Liberalium ſtudiis plurimum eruditum. Cumque ſe cognouiſſet iam aliquantulum viribus deſici, congregatis in Aureliana vrbe Regia quibuſque Francorum ac Burgundiorum Regni primoribus eundem Robertum filium videlicet ſuum anno ſcilicet decimo tertio ante milleſimum incarnati Saluatoris adhuc ſe ſuperſtite Regem conſtituit.* Hoc ſcribit Glaber Author Synchronus, aut certe ſuppar: cui proinde longè magis fides adhibenda eſt, quam Nicolao Gillio & quibuſdam aliis recentioribus aientibus Robertum anno tantum 890. fuiſſe Regem deſignatum.

Inter hæc Carolus, legitimus fratris ſucceſſor fruſtra damnatâ morâ, quam in conſultando & deliberando poſuerat, vndequaque ſibi parare conabatur amicos, & Proceres Regni ab Hugonis partibus dimouere: quam in rem vti voluit opera Adalberonis Remenſis: at ille offenſus Carolo, quod Reginam comprehendiſſet, Adalberonem Laudunenſem carceri mancipaſſet, Epiſcoporum anathema neglexiſſet, Othonem & Godefridum oppreſſiſſet, Fidem ipſi obligare recuſauit. Extant tamen plurimæ ad eum Epiſtolæ ex quibus apparet vacillaſſe, & optima interdum Carolo conſilia ſubminiſtraſſe: vt ſunt iſta Ep. 115. *Interim fideliter ammoneo, vt Reginam ac Epiſcopum ſecundum dignitatem veſtram leniſſimè tractetis, & ne vos concludi inter mœnia vllatenus patiamini.* Et Ep. 139. ad amicum. *Erudito homini atque puram fidem quæ hodie paucorum eſt, conſtanter tenenti duo verba Chriſti & noſtrum conſilium aperiemus, ac propoſitæ Quæſtioni ſatisfaciemus.* REDDITE QVÆ SVNT CÆSARIS CÆSARI ET QVÆ SVNT DEI DEO. *Sine mortuos ſepelire mortuos.* Et in fine. Cum patientia expectemus illud Prophetæ. VIDI IMPIVM SVPEREXALTATVM ET ELEVATVM SVPER CEDROS LIBANI: TRANSIVI, ET ECCE NON ERAT. QVÆSIVI EVM, ET NON EST INVENTVS LOCVS EIVS. Extat quoque eiuſdem Adalberonis ad Carolum Epiſtola inter Gerbertinas ordine 122. his verbis.

Adalbero Archiepiſcopus Remenſis Carolo Duci. Quomodo à me conſilium «
quæritis, qui me inter infidiſſimos hoſtes deputatis? quomodo Patrem nomina- «
tis, cui vitam extorquere vultis? denique non ſic promerui, ſed prodirorum ho- «
minum doloſa conſilia ſemper fugi ac fugio, non de vobis dico. Recordamini, «
quia dicitis, vt recorder quid vobiſcum contulerim de veſtra ſalute, cum primum «
nos adiſtis, quid conſilij dederim ſuper adeundis Regni Primatibus. Nam quis «
eram, vt ſolus Regem imponerem Francis? Publica ſunt hæc negotia, non pri- «
uata. Odiſſe me putatis Regium genus. Teſtor Redemptorem meum, quia non
odi. Quid potiſſimum vobis ſit faciendum quæritis. Hoc cum difficile dictu
ſit, nec ſatis ſcio, nec ſi ſciam, dicere auſim. Amicitiam meam expoſcitis. Vti- «
nam adſit ea dies, qua honeſtè liceat veſtris intereſſe obſequiis, quamuis enim «
ſanctuarium Domini peruaſeritis, Reginam cui quæ nouimus iuraſtis compre- «
henderitis, Epiſcopum Laudunenſem carceri mancipaueritis, Epiſcoporum ana- «
thema neglexeritis, taceo de ſeniore meo (Godefrido fratre) contra quem vltra «
vires negotium ſuſcepiſtis, tamen beneficij quo erga me vſi eſtis, cum telis ho- «
ſtium quæ ſubduxiſtis, immemor eſſe non poſſum. Plura dicerem & quod ve- «
ſtri fautores imprimis ſint deceptores, ac ſuorum negotiorum per vos, vt ex- «

periemini, Effectores. Sed non eſt huius temporis. Nam metus eſt hæc eadem dixiſſe, ac prioribus ſcriptis veſtris non reſpondiſſe. Idem eſt in cauſa, quoniam cautè tenemus ſcriptum, NVSQVAM TVTA FIDES. Rationes harum rerum tractare, conferre, communicare, quolibet modo liceret, ſi R. K. I. G. H. T. Z. V. datis obſidibus ad nos vſque peruenire poſſet; cui talia credere fas eſt, ſine quo nihil talium agere poſſumus nec debemus.

988. Porro Carolus, ne animum deſpondere videretur, ingentem collegit exercitum, multiſque Franciæ Proceribus ad ſuas partes reuocatis Hugonem acerbiſſimo bello perurget, Laudunum capit, fortiſſimiſque propugnaculis communit an. 988. & Ciuibus Epiſcopum ſuum repoſcentibus reddit, nec reddit modò, ſed eum inter præcipuos conſiliarios adlegit. Aduolat Hugo protinus vrbemque arctiſſimâ obſidione cingit: at poſt duos menſes ab Oppidanis fugatur: caſtra eius incenduntur; plurimi interficiuntur, vixque ipſe Hugo ſaluus euadit. Quanta tum Capetianæ partis conſternatio fuerit, quanta Carolinæ ſuperbia & elatio, ſatis intelligitur. Carolus Lauduni ſedem Regni conſtituit, indeque Franciam populatur, vrbes capit, muniriſſima oppida expugnat, Sueſſionem, Montem-Acutum aliaſque vrbes & arces occupat; plurimos captiuos Laudunum abducit, & inter alios Adalberonem Remenſem, forte non inuitum: vt ſcribunt aliqui: qui Lauduni paulo poſt, nempe 5. Ian. an. 989. obiit.

In Appendice tamen ad Flodoardum nihil de eius captiuitate legitur, ſed Remis obiſſe & in Eccleſia maiori ſub altari S. Crucis repoſitum fuiſſe: ſic enim habetur. *Cum igitur præmemoratus Adalbero Remenſem Diœceſim per decem & nouem annos viriliter gubernaſſet, & honeſta conuerſationis eius bona opinio circumquaque diffunderetur, ad vltimum confectus ſenio, fine bono diem vltimum clauſit, corpuſque eius in Eccleſia maiori ſub altari, quod in honore S. Crucis conſecratum eſt, ſepulturæ traditum fuit. Cuius Epitaphium in Tabula ærea litteris aureis deſcriptum tale adhuc permanet.*

Contulerat natura Parens, quæ ſumma putauit
Ad meriti cumulum, tibi præſul Adalbero, cum te
Præſtantem cunctis mortalibus abſtulit orbi
Quanta dies fundentis aquas cum pondere tecum.

Nec prætereundum reor quod omni anno dies defunctionis eius venerabiliter recolitur, & eleemoſina panis & vini copioſa Pauperibus diſtribuitur: quæ etiam eleemoſyna Mandatum Adalberanis nuncupatur.

Morti propinquus Gerbertum nullo adhuc Beneficio remuneratum ſibi ſucceſſorem, ſi Regi ita placeret, deſignauit, vt ipſe Gerbertus indicat Ep. 152. ad Remigium Monachum his verbis. *Id momentum*, inquit *ac ea vis erat Domini mei & Patris mei Adalberonis in caſis pendentibus ex æterno, vt eo in rerum principia reſoluto in primordiale chaos putaretur mundus relabi. In tanta igitur perturbatione, & vt ita dicam, confuſione mortalium, officiorum immemor quid optares, quid peteres, incautius perſpexiſti. Num in eiuſmodi diſcrimine Repub. derelictâ demigrandum fuit ad Philoſophorum cõmenta interdum non neceſſaria? Taceo de me, cui mille mortes intendebantur: & quod Pater Adalbero me ſucceſſorem ſibi deſignauerat cum totius Cleri & omnium Epiſcoporum ac quorundam Militum fauore, & quod omnium rerum quæ diſplicerent, me authorem fuiſſe contenderent.*

989. Idem Ep. 150. innuit quanta ambitione poſtularetur à pluribus iſte Archiepiſcopatus. Verum anno tandem 989. Arnulfus Lotharij quondam Francorum Regis filius ſpurius & Caroli Lotharingi nepos promouetur ita volente & annitente Capeto, quò eum ſibi demereretur & à Carolo auerteret. Eiuſdem electionem celebrat Gerbertus hac Ep.

„ Sanctæ ac Vniuerſali Eccleſiæ Catholicæ ſalutem dicunt filij Remorum Me-
„ tropolis. Diuæ memoriæ Patre noſtro Adalberone ſenſus corporeos relinquente
„ clarum lumen Paſtoris amiſimus, præda hoſtium facti ſumus. Itaque dum
„ molimur, conamur tanti viri reſarcire ruinas. Elapſa ſunt Canonica tempora,
„ violatę leges, quibus cauetur nullam ſedem amplius 30. dierum ſpatio vacare li-
„ cere. Nuncque tandem pulſantibus diuina lux ſe aperuit, & quo ſequeremur
„ oſtendit, depulſo Antichriſto, Simoniaca hæreſi damnata. Nos inquam qui di-
„ cimur Epiſcopi Diœceſeos Remorum Metropolis cum omni Clero diuerſi ordi-

nis,

nis, populo acclamante, Orthodoxis Regibus noſtris conſentientibus elegimus nobis in præſulem virum pietate præſtantem, fide inſignem, conſtantia mirabilem, in conſiliis prouidum, rebus gerendis aptum; in quo hæ virtutes, quæ ſic clarè relucẽt, indicio ſunt cæteras abeſſe non poſſe, Arnulſum dicimus Regis Lotharij filium, quem etſi altus ſanguis vitio temporis ſub anathemate poſitus aliquo infecit contagio, ſed tamen hunc mater Eccleſia purificans myſticis abſoluit ſacramentis. Hunc inquam dicimus Laudunenſis Eccleſiæ filium, & vt verius fateamur, Remenſis. Ea quippe Ciuitas Remenſe territorium, Remenſis Parochia eſt, nec ſic à B. Remigio diuiſa, vt fieret aliena. Nimirum ille vir Deo plenus, virtutem appetens non ſciſſionem affectans ſic ſcidit vt cohæreret velut pars in toto. Et quis & quantus futurus eſſet, intelligens, natale ſolum beauit ſacerdotij dignitate. Eligimus ergo hunc Arnulfum hinc ortum, hic educatum, Simoniacæ hæreſis expertem, à factione tyrannica remotum, ſua cuique debita iura reddentem, ſanctuarium Dei non diſſipantẽ. Sint procul ab electione noſtra dolus & fraus, nec putent eam ad ſe pertinere filij Belial, filii pacis & concordiæ ſtabilem & ſolidam in perpetuum faciant confirmando, corroborando, ſobſcribendo.

His actis Arnulfus ſacramento fidelitatis ſe Hugoni & Roberto Regibus obſtringit: & tale præſtat, vt legitur apud eundem Gerbertum.

Ego Arnulfus Gratia Dei præueniente Remorum Archiepiſcopus promitto Regibus Francorum Hugoni & Roberto me fidem puriſſimam ſeruaturum, conſilium & auxilium ſecundum meum ſcire & noſſe in omnibus negotiis præbiturum: inimicos eorum nec conſilio nec auxilio ad eorum infidelitatem ſcienter adiuturum. Hæc in conſpectu Diuinæ Maieſtatis & BB. Spirituum & totius Eccleſiæ aſſiſtens promitto pro bene ſeruatis laturus præmia æternæ benedictionis. Si vero quod nolo, & quod abſit, ab his deuiauero, omnis benedictio mea conuertatur in maledictionem. Et fiant dies mei pauci & Epiſcoparum meum accipiat alter. Recedant à me amici mei ſintque perpetuò inimici. Huic ego Chirographo à me edito in teſtimonium benedictionis vel maledictionis meæ ſubſcribo, fratreſque & filios meos, vt ſubſcribant rogo. Ego Arnvlfvs Archiepiscopvs svbscripsi.

Vix autem ſex menſes rexerat Archiepiſcopatum Arnulfus, cum ecce Carolus Lotharingus Lauduni tunc ſedens expugnatis, & captis plurimis vrbibus & oppidis, Ciuitate quoque Remenſi potitur proditione Adelgarij preſbyteri, & Arnulfus Laudunum captiuus abducitur. Quanta tum in vrbe conſternatio fuerit animorum, facile eſt intelligere, ſemper enim illa Capeti partes ſuſtinuerat. Gerbertus quo ſe verteret ignarus hæſit diu, mutaret ne ſolum an Dominum: qua de re Ep. 14. ad Egbertum Archiep. Treuirenſem, & Ep. ad Remigium Monachum Treuirenſem. Item Ep. ad Raimundum Aureliacenſem ſignificat quam valde ſemper ſuſpectus fuerit Carolo, vt qui Reges deponere Regeſque ordinare putaretur, atque idcirco omnino ſibi ab eo eſſe metuendum.

Videtur tamen Gerbertus à Carolo inuitatus, ad eius partes tranſiſſe & in iis fuiſſe: imo Apologeticum quendam libellum Arnulfi nomine ſcripſit qui proditionis Reus apud omnes habebatur. Deinde vero vt agnouit ſibi patrocinandum eſſe mendacio contra veritatem, Libellum repudii Arnulfo miſit ſeque aliò contuliſſe videtur ex Ep. 18. quæ eſt inter addititias ad Egbertum Treuirenſem Archiepiſcopum. *Ille ego*, inquit, *qui ſub imperio B. memoriæ Patris mei Adalberonis militaueram in ſchola omnium virtutum, nunc ego Regiam incolo Aulam, cum Sacerdotibus Dei verba vitæ conferens. Nec ob amorem Caroli vel Arnulfi paſſus ſum diutius fieri organum Diaboli pro mendacio contra veritatem declamando.* Sub exitum verò ſuum ex vrbe ſcripſit ad Arnulfum, ſignificans ſe, com non poſſet ferre miſerrimum vrbis ſtatum, permutare ſolum ſolo, Dominum Dominio, acceptaque illi Beneficia relinquere.

Porro Hugo Rex & Remenſis Diœceſeos Suffraganei ad Ioannem Papam contra Arnulfum legatos mittunt, eumque infidelitatis & inſignis proditionis reum faciunt & poſtulant licere ei Archiepiſcopatum abrogare: non tantùm quia Carolo vrbem tradiderat contra fidei ſacramentum, ſed etiam quod contra ius gentium & captiuitatis, in qua ipſe videri volebat detineri, ſub ſignis Caroli milites collegiſſet, caſtra contra Hugonem cui fidem ſuam addixerat, communiſ-

ſet, vocatus ab Epiſcopis venire contempſiſſet, vt ex litteris ipſius Regis & Epiſcoporum ad Papam intelligitur, quæ ſunt eiuſmodi.

Beatiſſimo Papæ Ioanni Hugo gratia Dei Francorum Rex. Nouis atque inuſitatis rebus permoti ſummo ſtudio ſummaque cura veſtra Conſilia expetenda decreuimus: Quippe cum ſciamus vos omne tempus in humanis ac diuinis ſtudiis peregiſſe. Conſiderare ergo quæ facta ſunt & facienda præſcribite, vt & ſacris legibus ſuus honos reddatur & Regalis poteſtas non annulletur. Arnulfus Regis Lotharij, vt dicunt filius, poſt graues inimicitias ac ſcelera, quæ in nos Regnumque noſtrum exercuit, loco parentis adoptatus eſt à nobis ac Metropoli Remorum gratis donatus iuſiurandum præbuit, quod contra præterita & futura valeret ſacramenta. Libellum fidelitatis ſub nomine Chirographi conſcripſit, recitauit, corroborauit, corrobarique fecit. Milites ac omnes ciues iurare coëgit, vt in noſtra perſiſterent fide, ſi ipſe aliquando in poteſtatem hoſtium deueniret. Contra hæc omnia vt certiſſimi teſtes ſunt, ipſe portas hoſtibus patefecit, Clerum ac populum ſuæ fidei creditum captiuitati & prædæ diſtribuit. Sed eſto eum eſſe addictum alienæ poteſtati, vt ipſe videri vult. Cur Ciues & milites peierare coëgit? Cur arma contra nos comparat? Cur vrbem ac Caſtra contra nos munit? ſi captus eſt, cur non patitur liberari? ſi vi hoſtium oppreſſus, quare non vult ſibi ſubueniri? Et ſi liberatus eſt, cur ad nos non redit? vocatur ad Palatium, & venire contemnit. Inuitatur ab Archiepiſcopis & Coëpiſcopis, nihil ſe eis debere reſpondet. Ergo qui vices Apoſtolorum tenetis, ſtatuite quod de altero Iuda fieri debeat, ne nomen Dei per Nos blaſphemetur: & ne forte iuſto dolore permoti hac veſtra taciturnitate vrbis excidium totiuſque Prouinciæ moliamur incendium. Nec Iudici Deo excuſationem prætendetis, ſi nobis quærentibus atque ignorantibus, ſotum iudicij dare nolueritis.

Epiſtola vero Epiſcoporum eſt eiuſmodi.

Domino & Reuerendiſſimo Papæ Ioanni Epiſcopi Remorum Diœceſeos. Non ſumus neſcij, Beatiſſime Pater, iamdudum oportuiſſe nos expetere conſulta S. Romanæ Eccleſiæ pro ruina atque occaſu ſacerdotalis ordinis. Sed multitudine Tyrannorum preſſi, longitudine terrarum ſemoti, deſideria noſtra hactenus implere nequiuimus. Nunc itaque veſtro examini non ſine magno dolore perferimus nouum atque inuiſitatum crimen Arnulfi Remorum Archiepiſcopi, qui famoſus apoſtata factus locum Iudæ Traditoris olim in Eccleſia tenet: qui filius quondam Eccleſiæ Landunenſis cum Epiſcopum ſuum dolo & fraude ceperit, Eccleſiam eius peruaſerit, ad cumulum ſuæ damnationis Remenſem ſibi creditam cum clero & populo captiuauit. Nec mouet eum noſtra vocatio, vel potius ſaluberrima exhortatio: non Archiepiſcoporum & Comprouincialium multoties repetita admonitio: non Canonicè facta coram Deo & Angelis eius profeſſio, non Chirographi in conſpectu Eccleſiæ recitata deſcriptio, non numeroſa ſacramenta miris excogitata conſiliis. Stant ſuo vitio quam plures Eccleſiæ paſtoribus viduatæ, pereunt innumerabiles populi ſine ſacerdotali benedictione & confirmatione. Ipſe factione tyrannica Diuina humanaque iura contemnens tyrannidem exercet. Regibus noſtris à quibus tantam gloriam gratis conſecutus eſt, interitum meditatur: ergo tandem ad monſtra perditiſſimi hominis expergefacti iuimus in ſententiam Domini dicentis. Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipſum ſolum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum: ſi te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum vel duos, vt in ore teſtium duorum vel trium ſtet omne verbum. Quod ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ. Si autem & Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus. Adeſto Pater ruenti Eccleſiæ & ſententiam ex ſacris Canonibus promulgatam, vel potius ab ipſa veritate prolatam profer in medium. Sentiamus in vobis alterum Petrum defenſorem, & Corroboratorem Chriſtianæ fidei. Ferat S. Romana Eccleſia ſententiam damnationis in Reum, quem Vniuerſalis damnat Eccleſia. Suffragetur nobis veſtra authoritas & in huius Apoſtatæ deiectione, & in eius qui Domui Dei præeſſe poſſit, Archiepiſcopi noua ordinatione, ſimulque inuocatis Epiſcopis noſtris fratribus neceſſaria promotione. Vt ſciamus & intelligamus, cur inter cæteros Apoſtolatum veſtrum præferre debeamus.

Hæc illi. Paulo vero ante Epiſcopi Synodum Siluanecti habuerant, Adalgerum presbyterum proditorē citauerant, atque in eum & in alios proditionis Reos Anathema dixerant, ſimulque in peruaſores Remenſis & Laudunenſis Diœceſis. Ad eam quoque videtur, fuiſſe citatus Arnulfus: ſed ſeu quia captiuum ſe dicebat, ſeu quia iudicium Epiſcoporum reformidabat, Conuentui non adfuit.

Dum hæc agebantur, Hugo Rex collecto ingenti exercitu Laudunum obſidet an. 990. & Carolum vxoremque Herberti Comitis Trecarum filiam, ipſumque Arnulfum arctè incluſos tenet: interque obſidionis moras proditionem proditione vlciſcitur. Adalberonem Epiſcopum Laudunenſem ſibi aliàs amiciſſimum, & Carolo à quo detentus fuerat & frequentis cum Emma Regina adulterij inſimulatus, infeſtiſſimum, tunc vero receptum in gratiam interioriſque conſilij participem demeretur, eóque rem promouet, vt Epiſcopus die Iouis in cœna Domini de nocte portas vrbis aperuerit. Sic captus cum vxore Carolus & Autelię in carcerem detruſus. Vbi paulo poſt vxor grauida gemellos peperit Ludouicum & Carolum, qui poſtea ad Othonem Imperatorem confugerunt: & eorum alter primogenitus Othonem genuit qui Patri in Lotharingiæ Ducatu ſucceſſit. 990.

Anno 991. frequentiſſimam Epiſcoporum Synodum in Cœnobio S. Baſoli Remis habuerunt Hugo & Robertus Reges ad depoſitionem Arnulfi Remenſis à ſede Archiepiſcopali, quod ab eo vrbs Carolo prodita fuiſſet & tradita. Synodo præfuit Seguinus, ſeu Seuinus Senonenſis, quem ætas & vitæ meritum ac ſcientia commendabant, vt legitur in hiſtoria depoſitionis Arnulfi. Multa ei crimina obiecta: ſed omnium grauiſſimum fuit proditio vrbis, poſt acceptum ab Hugone beneficium præſtitumque fidelitatis ſacramentum. Cauſa diu ventilata. Arnulfus Epiſcopus Aurelianenſis vir eloquentiſſimus & clariſſimus in Oratorem Synodi electus fuit, primuſque ſententiam dixit hoc modo. 991.

Ego cum inter varios tumultus bellorum pro pace Eccleſiæ, cui authore Deo deſeruio, totis viribus elaboratem, noui nuncij fama inauditi ſceleris rumore ſic ſubito turbatus ſum, vt etiam in vilibus rebus lingua balbutiret, intellectus hebeſceret. Ferebatur quippe illa nobilis vrbs Remorum dolo, proditionibus hoſtibus patuiſſe, prædæ ac direptioni ceſſiſſe, ſancta ſanctorum armata militum acie polluta fuiſſe. Horum omnium malorum incentor, author, quod ſine magno dolore animi referre nequeo, is qui tutari debuerat, Arnulfus Epiſcopus nunciabatur. Sacerdotalis dignitas huius cauſa impetebatur, vixque erat qui noſtro ordini non inſultaret. Nunc quia Religionis amore & ſtudio ſereniſſimi Regis noſtri Domni Hugonis congregati ſumus, quærendum eſt, quomodo tanta infamia carere poſſimus, & ſi frater & Coëpiſcopus noſter Arnulfus illata crimina diluere queat, vel crimen Regiæ Maieſtatis propulſare. Scitis enim omnes nos inſimulari probro infidelitatis & perfidiæ cauſa vnius. Si, inquiunt, iuſtis Epiſcopi vtuntur legibus, fidiſſimique ſuis Regibus ſunt, cur hominem impuriſſimū ſuis legibus non puniunt? Nimirum aliorum flagitia ideo moliuntur celare, vt impune liceat eis peccare. Abſit hoc à veſtro ſanctiſſimo cœtu, abſit vt contra diuinas & humanas leges quemquam moliamur defendere vel damnare. Dicant tantùm qui nouerunt ſeriem geſtorum: iique ſuos exponant caſus, qui graues vt ipſi aſſerunt, iniurias pertulerunt. Tum ſi qua contradictio fuerit oborta, diſcuſſis partibus ex authoritate Canonum iudicium promulgetur.

Cæteri ſuo ordine ſententias togati dixerunt ad depoſitionem; Daibertus, Bruno Lingonenſis acerrimè, Godeſmannus Ambianenſis, Ratbodus Nouiomenſis, Odo Siluanectenſis. Adducitur in medium Adelgarus presbyter qui iuſſu Arnulfi ſe portas vrbis aperuiſſe faſſus eſt. Adducitur ipſe Arnulfus, qui ſeu conuictus ſeu coactus in depoſitionem conſenſit his verbis iuxta exemplar abdicationis Ebbonis quondam etiam ſub Ludouico pio Archiepiſcopi Remenſis, qui in ipſum cum filiis coniurarat.

Ego Arnvlphvs quondam Remorum Archiepiſcopus recognoſcens fragilitatem meam & pondera peccatorum meorum, teſtes Confeſſores meos Se-

» quinum Archiepiſcopum, Daibertum Archiepiſcopum, Arnulphum Epiſco-
» pum, Goteſmannum Epiſcopum, Heruæum Epiſcopum, Milonem Epiſcopum,
» Heribertum Epiſcopum conſtitui mihi Iudices Delictorum meorum, & puram
» ipſis confeſſionem dedi, quærens remedium pœnitendi & ſalutem animæ meæ
» vt recederem ab officio & miniſterio Pontificali, quo me recognoſco eſſe in-
» dignum & alienum me reddens pro reatibus meis, in quibus me pec-
» caſſe ipſis ſecreto confeſſus ſum, & de quibus publicè arguebar, eo ſcilicet mo-
» do, vt ſint illi teſtes alij ſuccedendi & conſecrandi in loco meo, qui dignè præ-
» eſſe & prodeſſe poſſit Eccleſiæ, cui hactenus indignus præfui. Et vt inde vltra
» nullam repetitionem aut interpellationem authoritate Canonum facere valeam,
» manu propria mea ſubſcribens firmaui. Quo ſcripto perlecto ita ſobſcripſit.
EGO ARNVLPHVS QVONDAM ARCHIEPISCOPVS SVBSCRIPSI.

Actum eſt deinde de electione ſucceſſoris fruſtra renitente & reclamante Seguino Senonenſi, qui neque depoſitioni Arnulfi, nec ſucceſſoris electioni ſubſcribere vllatenus voluit: exiſtimauitque rem eſſe ad ſummi Pontificis Tribunal deferendam. Interim liberum eſſe voluit omnibus defendere Arnulphum, & ad ea reſpondere quæ contra dicebantur. Surrexerunt igitur tres acerrimi defenſores ſcientia & eloquentia inſignes, Ioannes Antiſſiodorenſis Scholaſticus, Romulphus Abbas Senonenſis in diœceſi Tullenſi, ad quem extant quædam Gerberti Epiſtolæ, Abbo Monachus & poſtea Abbas Floriacenſis: quorum authoritate & argumentis aliquandiu tetardata eſt, & dilata ſententia damnationis: nec forte lata fuiſſet, niſi Hugo Synodum ingreſſus addictos ſuis partibus Epiſcopos ad accuſandum excitaſſet & animaſſet, Arnulfi verò defenſores terruiſſet. Nec dubitauit Seguinus eum acriter arguere; vnde vehemens quoque eius in ſe odium concitauit. Multi verò, qui Synodo non adfuerant, hanc agendi rationem criminabantur, & Arnulphum iniuriâ depulſum clamitabant. Itaque Hugo Rex ad Ioannem Papam per T. Archidiaconum Remenſis Eccleſiæ dedit litteras, ipſiuſque Arnulfi rationes perſcribi voluit, & in omnibus illius ſe iudicio ſubmiſit. Gerbertus quoque ad varios ſcripſit in eamdem rem. Extat fragmentum Epiſtolæ ad Wilderodum Argentinæ Ciuitatis Epiſcopum, quæ continet apologiam Synodi Remenſis. ſic ergo ille.

» Arnulfus Regis Hlotharij, vt fama eſt, filius poſtquam ſuum Epiſcopum do-
» lo & fraude circumuentum cum propria vrbe captiuauit, poſt multum cruorem
» humani ſanguinis à ſe effuſi, poſt prædas & incendia in Conuentu Epiſcopo-
» rum totius Galliæ damnatus eſt. At deinde poſt obitum B. memoriæ Adalberonis
» à ſolo Adalberone Epiſcopo Laudunenſi reconciliatus ſpe obtinendæ pacis Me-
» tropoli Remorum donatus eſt, acceptis ab eo terribilibus ſacramentis & libellari
» profeſſione pro fide ſuis Regibus conſeruanda: quam & viuâ voce in conuentu
» Eccleſiæ recitauit & propria manu ſubſcribendo corroborauit. Necdum à ſua
» ordinatione ſextus menſis elapſus erat, & ecce quaſi tempeſtas vrbem ab eo
» proditam hoſtis inuaſit, Sanctuarium Dei polluit, ſpolia diripuit, Clerum &
» populum captiuauit. Poſthæc verò Arnulfus ſuos prædones ſub anathemate
» poſuit, atque vt idem facerent, Galliarum Epiſcopis imperauit. Prædia Eccle-
» ſiæ quæ per ſacramentum ſuis militibus dederat, abſtulit, hoſtibus contulit.
» Coniuratorum manum contra ſuum Regem, eiuſque exercitum in aciem
» ſub ſignis Caroli produxit. Interea legatis & litteris ſynodicis Romanus Ponti-
» fex vt Eccleſiæ turbatæ ſubueniat, ammonetur. Sed neque legatis neque litte-
» ris conſulentibus conſulit. Itaque grauium Epiſcoporum facto conſultu legatis
» & litteris ſynodicis ac miti ammonitione Arnulfus decem & octo continuis
» menſibus, vt à cœpto furore deſiſteret, ſeque à ſcelere proditionis & rebellio-
» nis, quo impetebatur, regulariter purgaret, noluit. Sed cum à ſe fautores maxi-
» mos nequitiæ ſuæ diſcedere ſenſit, territus Regem adiit nouiſque ſacramentis
» ac nouis rerum conditionibus Regiæ menſæ particeps factus eſt. Atque ita irâ
» Regis ſedatâ omni crimine ſe exutum credidit. Indeque mox rediens fidem Sa-
» cramentorum rupit conditionibus non ſeruatis. At ij quorum intererat, totiens
» ſe decipi, totiens bonis ſuis priuari non ferentes Lauduni arcem occupant. Ar-
» nulfus inter hoſtes Regis inuenitur, ſynodo repræſentatur, pro tot tantiſque
» flagitiis rationem reddere depoſcitur. Qui diu ſecum atque cum ſuis familia-

ribus multum deliberans ſua ſponte in confeſſionem peecatotum ſuorum erupit ſuiſque confeſſoribus alios teſtes adhibuit, crimina ſua in libellum retulit, eique à ſe viua voce coram Eccleſia recitato ſubſcripſit, inſignia ſacerdotij depoſuit, eoque ſe abdicauit, confeſſoribus ſuis ac teſtibus atteſtantibus & reſpondentibus: SECVNDVM PROFESSIONEM ET SVBSCRIPTIONEM TVAM CESSA AB OFFICIO.

His factis, vt habetur in hiſtoria depoſitionis, idem Arnulfus Clerum & populum ſuum à ſacramentorum nexu abſoluit, vt omnibus libera facultas in alterius tranſmeandi iura pateret. His etiam intellectis Defenſores Arnulfi petierunt ſe excuſatos haberi, quod ob geſtarum rerum ignorantiam pro eo multa dixiſſent, eiuſque damnationi moram inieciſſent.

Tandem lata eſt an. 991. in Arnulfum ſententia & Epiſcopatus abdicatio pro- 992. Electio Gerberti in Archiepiſ. Remenſem.
mulgata. Succeſſorem vero illi ſubſtitui Gerbertum poſtulauit Hugo Rex, propterea quod eius opera ſæpe multis in rebus vtiliter vſus fuerat Robertique filij præceptorem habuerat, quo maximè inſtigante promotionem eiuſmodi fieri procurauit. Rarum hoc ſeculo exemplum, homines infimæ ſortis ad dignitates Eccleſiaſticas prouehi, ad quas ſolis fere nobilibus patebat aditus. At Robertus non neglectis quidem nobilibus viros promoueri curauit litteris conſpicuos, etſi genere non ſpectabiles: imo etiam nonnunquam minus litteratos, dum Eccleſiæ vtiles eſſe poſſent. Quam ob rem eum iudicat Rodulfus laude ſupra prædeceſſores ſuos maximè dignum. l. 3. c. 2. *Hic*, inquit, *Rex vt ſapientiſſimus Dei cultor ſemper fuit humilium amator ſuperborumque vt valuit oſor. Si qua enim Pontificalis ſedes in ſuo Regno proprio viduaretur Præſule, cura erat ei maxima, vt vtilis Paſtor licet genere infimus reſtitueretur Eccleſiæ, potius quam nobilis eligeretur perſona ſecularis pompæ. Qua de cauſa etiam primates Regni ſenſit plurimum contumaces, qui deſpectis humilibus ſui ſimiles eligebant ſuperbos.*

Igitur Gerbertum eligunt Suffraganei & Clerus Remenſis, cauſaſque electionis edunt ad Coëpiſcopos, quod vir eſſet ætate maturus, in rebus agendis ſapiens, prouidus, in diuinis & humanis litteris verſatus. Quæ quidem electio & proclamatio legitur inter ipſius Gerberti Epiſtolas hoc modo.

Sempet quidem Dilectiſſimi fratres, iudicia Dei iuſta ſunt, ſed interdum occulta. Ecce enim poſt diſſolutionem B. memoriæ Patris Adalberonis quendam ex Regio ſanguine prodeuntem nobis Eccleſiæque Remenſi præfecimus & clamore multitudinis impulſi Scriptura dicente VOX POPVLI VOX DEI & ſanctorum Canonum inſtitutis deſiderium ac vota Cleri ac populi in electione Epiſcopi perquirentium caligauit acies mentis noſtræ litteram incautè ſequendo, concordem ſententiam diuinarum ſcripturarum patum inueſtigando. Non erat quippe vox Dei vox populi clamantis CRVCIFIGE CRVCIFIGE. Ergo non omnis vox populi vox Dei eſt: nec omnis cleri & populi vota & deſideria in electione Epiſcopi perquirenda ſunt. Sed tantum ſimplicis & incorrupti id, ſpe quæſtus minime electi. Sententiæ Patrum exponendæ, *Non liceat*, inquit, *Turbis electionem facere, eorum qui ad ſacerdotium prouocantur, ſed iudicium ſit Epiſcoporum, vt eum ipſi qui ordinatus eſt, probent, ſi in ſermone & in fide & in Epiſcopali vita edoctus eſt.* Nos igitur Epiſcopi Remorum Diœceſeos ſecundum has conſtitutiones Patrum fauore & conniuentia vtriuſque Principis noſtri Domni Hugonis Auguſti & excellentiſſimi Regis Roberti, aſſenſu quoque eorum qui Dei ſunt in clero & populo eligimus nobis Archiepiſcopum Abbatem Gerbertum ætate maturum, natura prudentem, docibilem, affabilem, miſericordem nec præferimus illi vagam adoleſcentiam, ambitionem ſe extollentem, omnia temerè miniſtrantem: imo nec talibus ſubiugati patienter auditu perferimus quorum ſapientia & conſilio Eccleſiaſtica ac Ciuilia iura amminiſtrari non poſſe ſcimus. Cumque in vnoquoque Epiſcopo ſit hoc ſpeculandum, maximè tamen in eo qui cæteris præeſt, Metropolitano. Eligimus itaque hunc Gerbertum qui... fuit. Huius vitam ac mores à puero nouimus, ſtudium in Diuinis ac humanis rebus experti ſumus. Huius Conſiliis ac magiſterio informari quærimus. Electionem ſubſcribendo confirmamus, ſtabilimus, corroboramus communi omnium bonorum conſultu.

Sequitur profeſſio fidei quam præſtitit Gerbertus, quamque haud ſcio an ſo-

lerent Epiſcopi & alij clerici electores à cæteris exigere: at ab eo fortaſſis exegerunt proprerea quod à nonnullis ob mathematicarum, diſciplinarum ſtudium fuerat inſimulatus magiæ, vnde in carmine Adalberonis vocatur Neptanebus ſeu Nectanabus Magiſter, quia vt alter Nectanabus Ægyptiorum Rex Aſtrologiæ & Mathematicæ diſciplina clarus fuit. Vt autem omnem ille à ſe cuiuſcunque hæreſeos aut prauæ doctrinæ ſuſpicionem amoueret, ſeu volens ſeu iuſſus hanc edidit fidei profeſſionem, antequam in Archiepiſcopum inauguraretur.

Profeſſio fidei. Ego Gerbertus Gratia Dei præueniente mox futurus Archiepiſcopus Remorum ante omnia fidei documenta verbis ſimplicibus aſſero, id eſt Patrem & Filium & Spiritum S. vnum Deum eſſe confirmo, totamque in Trinitate deitatem coeſſentialem & conſubſtantialem & coæternalem & omnipotentem prædico: ſingulam quamque in Trinitate perſonam verum Deum & totas tres perſonas vnum Deum profiteor. Incarnationem Diuinam non in Patre neque in ſpiritu S. ſed in filio tantum credo: vt qui erat in diuinitate Dei Patris filius, ipſe fuerit in homine Matris filius, Deus ex Patre, homo verus ex Matre. Carnẽ ex Matris viſceribus habentem & animã humanã rationalem ſimul in eo vtriuſque naturæ id. hominem & Deum, vnam perſonam, vnum filium, vnum Chriſtum, vnum Dominum, Creaturarum omnium quæ ſunt & authorem & Dominum & Rectorem cum Patre & ſpiritu S. confiteor. Paſſum eſſe vera carnis paſſione, mortuum vera corporis ſui morte, reſurrexiſſe vera carnis ſuæ reſurrectione & vera animæ reſurrectione, in qua veniet iudicare viuos & mortuos aſſero. Noui & veteris teſtamenti vnum eundemque authorem credo: authorem, & Dominum & Deum diabolum non per conditionem, ſed per arbitrium factũ eſſe malum. Credo huius quam geſtamus & non alterius Carnis reſurrectionẽ. Credo iudicium futurum, & recepturos ſingulos pro his quæ geſſerunt, vel pœnas vel præmia. Nuptias non prohibeo. Secunda Matrimonia non damno. Carnium præceptionem non culpo. Pœnitentibus reconciliatis communicari debere confiteor. In baptiſmo omnia peccata id. tam illud originale contractum, quàm ea quæ voluntariè admiſſa ſunt, dimitti credo. Et extra Eccleſiam Catholicam nullum ſaluari confiteor. Sanctas Synodos 4. quas Vniuerſalis Mater Eccleſia confirmat, confirmo.

His ita actis Gerbertus inauguratus eſt in Archiepiſcopum Remenſem reclamante Seguino Senonenſi. Quomodo autem ſe in eo munere geſſerit, quandiu illud tenuit, patet tum ex eius Epiſtolis, tum ex Hiſtoria Helgaldi Floriacenſis Monachi ſcriptoris coæui, qui de Roberto rege verba faciens. *A piiſſima Matre*, inquit, *Scholæ Remenſi traditus Gerberto ad erudiendum datus, qui eum ſufficienter liberalibus inſtrueret Diſciplinis. Is quippe Gerbertus pro maximo ſuæ ſapientiæ merito quo toto radiabat in mundo, donatiuo Regis Hugonis munere Pontificium adeptus eſt Remenſe, non multis annis illud adornauit ſplendidè in his quæ forent neceſſaria Eccleſiæ.* Imprimis verò bonorum Eccleſiaſticorum peruaſores collectã ſuffraganeorum Synodo fulminibus Eccleſiaſticis terruit & ad ſatis-faciendum Eccleſiæ compulit. Fulconem quoque Ambianenſem Epiſcopum admonuit, admonitum nec reſipiſcentem, ſeuerè caſtigauit, quod res Eccleſiæ diriperet.

Neque à docendo etiam factus Archiepiſcopus deſtitiſſe videtur, ſi non publicè ſaltem priuatim, & quos nouerat præſtantes ingenio adoleſcentes, hos ad ſe alliciebat, vt patet ex Ep. 41. ad Heruæum Bellouacorum Epiſcopum. *Quo tempore*, inquit, *dilectum nobis D. retinuimus non maleuolentiæ cauſã, ſed ſummæ vtilitatis veſtræ, vt vobis honeſtum & vtile parere poſſit. Et nunc quidem illum Patriam parenteſque, ſed & omne amicorum genus noſtrum ob amorem derelinquentem veſtræ Charitati, vt petitis, dirigimus. Quem velut Theſaurum inæſtimabilem è ſinu noſtro in veſtri iura transfundimus. Suſcipite ergo illum in diſciplinis liberalibus eruditum, in Opificum Magiſterio edoctum, à multis multa mercede expetitum, ſed à nobis obtentum. Quem ſic tractari & cuſtodiri volumus, vt dolorem ei partum ex noſtra abſentia veſtra ſubleuet indulgentia. Eaque munificentia & liberalitate illum habe tote, qua deceat Gerbertum Remorum Archiepiſcopum dantem & Bellouacorum Epiſcopum accipientem.*

Quos vero præſens docere non poterat, litteris ſuis docere ſatagebat, imprimis vero Othonem III. Imperatorem diſcipulum olim ſuum, à quo nonnunquam de certis Quæſtionibus conſulebatur. Extant ipſius ad eum litteræ ſub hoc ti-

tulo. Gerberto Philosophorvm peritiſſimo atqve tribvs Philosophiæ partibvs Lavreato Otho qvod sibi.

Amantiſſimæ veſtræ Dilectionis omnibus venerandam nobis adiungi volumus excellentiam & tanti Patroni ſempiternam nobiſcum ſtabilitatem adoptamus, quia veſtræ doctrinæ diſciplinata proceritas noſtræ ſimplicitati ſemper fuit haud faſtidiens authoritas. Attamen vt omni ambage dimota ad vos nudæ veritatis ſtuamur loquela, iudicauimus & firmū diſpoſuimus, vt vobis manifeſtet hoc noſtræ voluntatis Epiſtola, quod in hac re ſumma noſtræ adoptionis & ſingularitas eſt petitionis, quatenus nobis indoctis & malè diſciplinatis veſtra ſolers prouidentia in ſcriptis nec non & dictis non præter ſolitum adhibeat ſtudium correctionis & in Repub. conſilium ſummæ fidelitatis. Huius ergo noſtræ voluntatis in non neganda inſinuatione volumus vos Saxonicam ruſticitatem abhorrere, ſed Græciſcam noſtram ſubtilitatem ad id ſtudij magis vos prouocare: quoniam ſi eſt qui ſuſcitet illam, apud nos inuenietur Græcorum induſtriæ aliqua ſcintilla. Cuius rei gratia huic noſtro igniculo veſtræ ſcientiæ flamma abundanter appoſita humili prece depoſcimus, vt Græcorum viuax ingenium Deo adiutore ſuſcitetis, & nos Arithmeticæ librum edoceatis, vt pleniter eius inſtructi documentis aliquid priorum intelligamus ſubtilitatis. Quid autem hac de re vobis agendum placeat, quidue diſpliceat, veſtra Paternitas litteris nobis nunciare non differat. Valete, Verſus nunquam compoſui, nec in ſtudio habui: dum in vſu habuero & in eis viguero, quot habet viros Gallia, tot vobis mittam carmina.

Ad Othonem verò ſic reſcribit Gerbertus. Domno et Glorioso Othoni Cæsari ſemper Auguſto Gerbertvs Gratia Dei Remorvm Episcopvs qvidqvid tanto Imperatore dignvm. Supereminenti beneuolentiæ veſtræ, quâ in ſempiternum digni veſtro iudicamur obſequio, fortaſſe votis, ſed reſpondere non valemus meritis. Si quo enim tenui ſcientiæ igniculo accendimur, totum hoc gloria veſtra peperit: Patris virtus aluit, aui magnificentia comparauit. Quid ergò! Theſauris veſtris non inferimus proprios, ſed reſignamus acceptos, quos partim aſſecutos, partim vos quam proximè aſſecuturos indicio eſt, honeſtas & vtilitas ac maieſtate digna petitio. Niſi enim firmum teneretis ac fixum vim numerorum vel in ſe omnium rerum continere primordia, vel ex ſe profundere, non eorum plenam perfectamque notitiam tanto feſtinaretis ſtudio; & niſi moralis Philoſophiæ grauitatem amplecteremini, non ita verbis veſtris cuſtos omnium virtutum impreſſiſſet humilitas. Non tamen animi ſibi bene conſcij tacita eſt ſubtilitas, cum eius vt ita dicam, oratoriam facultatem & à ſe & à Græcorum fonte profluentem oratoriè docuiſtis. Vbi neſcio quid diuinum exprimitur, cum homo Genere Græcus, Imperio Romanus quaſi hæreditario iure theſauros ſibi Græcæ ac Romanæ repetit ſapientiæ. Paremus ergo Cæſar, Imperialibus Edictis, tum in hoc, tum in omnibus quæcumque diuina Maieſtas veſtra decreuerit. Non enim deeſſe poſſumus obſequio, qui nihil inter humanas res dulcius aſpicimus veſtro Imperio.

Circa an. 993. Ioannes 16. aliis 17. à Creſcentio Nomentano qui Romam oc- 993.
cupauerat & vſurpata conſulari & tribunitia poteſtate ſupremam Dominationem exercebat, expulſus in Hetruriam, Othonem inuitauit in Italiam: cuius ille aduentum pertimeſcens & memor eorum quæ Othones egiſſent Romæ, vltro Pontificem reuocat, pedeſque venerabundus oſculatur. Ad eum autem poſtquam reſtitutus eſt, Seguinus Archiepiſcopus Senonenſis, qui iam ante de iis quæ circa Arnulfi depoſitionem contigerant, eum edocuerat, inſignem legationem miſit, cuius Princeps & Orator erat Abbo Floriacenſis, contra Gerbertum tanquam contra ſacros Canones, ſedis Remenſis inuaſorem. Obiectum quoque quod multa in Romanam ſedem iniurioſè protuliſſet & proferre ſoleret: nec id dubium, nam ille Ep. 40. ad Stephanum Eccleſiæ Rom. Diaconum ſic ſcribit. *Tota Italia mihi Roma viſa eſt, Romanorum mores mundus perhorreſcit. In quo nunc ſtatu Roma eſt? qui Pontifices & Domni rerum ſunt?*

Itaque non difficile fuit Ioannis animum aduerſus Gerbertum concitare: verum eum damnare & e ſede expellere, res erat maioris momenti & difficilioris executionis. Quippe Ioannes Othoni ſuam debebat reſtitutionem, & eidem ſciebat Gerbertum eſſe gratiſſimum & chariſſimum: ſciebat quoque Hugoni &

Roberto Regibus aceeptiſſimum , quorum nempe beneficio & opera promotus fuerat. Igitur Pontifex , vt Othonem à Gerberto dimoueat, Leonem Abbatem ad eum mittit & edoeet quo pacto ille contra fas & Eeeleſiæ leges ſe ſe inttuſerit , quantoque erimine ſe ipſe implicaret , ſi factum tueri vellet. Hoe intellecto Gerbertus ad Ioannem ſeribit breuiter hoe modo.

Sanctiſſimo veſtro Apoſtolatui potuiſſe ſubripi me cuiuſpiam peruaſionis reum videri, dolore vehementi afficior & totis viſceribus ingemiſco. Eo quippe animo in Eccleſia Dei hactenus verſatus ſum , vt multis profuerim , neminem læſerim. Non ego Arnulſi peccata prodidi , ſed publicè peccantem reliqui : non ſpe , vt mei æmuli dicunt, capeſſendi eius honoris , teſtis eſt Deus & qui me nouerunt , ſed ne communicarem alienis peccatis.

Idem ad Othonem , euius amieitiæ plurimum eonfidebat , ſeribit in eandem rem videturque non multum ſollieitus fuiſſe de legatione illa quam obibat apud ipſum Leo Abbas ſibi aliunde amieus.

Hoece tempore Rainaldus ſeu Reginaldus Franciæ Caneellarius & Epiſeopus Pariſienſis, vir magnæ authoritatis apud Reges, litterarũ litteratorumque fautot egregius , litem exereebat eum Abbate S. Dionyſij Roberto ſeu Alberto de iuriſdictione Epiſeopali vt videtur, eonſuluitque ſuper ea inter eæteros Gerbertum euius amicitiâ & familiaritate vtebatur. Gerbertus vero reſeripſit in hunc modum Ep. 145. *Et ſi omnis Eccleſia Catholica vna atque eadem eſt , ſingulis tamen ſacerdotibus modus quidam præſcriptus eſt , quo ſe extendere , vbi terminos debeant collocare. Itaque in Cauſa Roberti Abbatis (forte Alberti) ob eam quam ſeruamus ac ſemper vobis ſeruare volumus fidem , hæc trio conſultanda proponimus. Primum non eſſe noſtri iuris falcem in aliena meſſe ponere : in quo multiplices rependimus grates etiam indebito dignari nos honore. Secundum S. Dionyſij Cœnobium eius eſſe reuerentiæ ac dignitatis , vt nullus ibi Magiſtratus debeat deponi aut imponi ſine Comprouincialium quorum intereſt , conſenſu ac fauore ſolemni. Tertium proponimus , ſi rem in dilatione ponitis , veſtræ manſuetudini ſuggerendam , quidquid honeſtius & vtilius cum religioſiſſimis & ampliſſimis viris inueniemus.*

At Monachos damnaſſe eum Arnulfo Aurelianenſi Epiſeopo ſibi etiam coniunctiſſimo legitur in Ep. 32. Edititiarum à Sirmondo. Et ex ea intelligimus Reges ei fuiſſe ob eam rem infeſtos. Sic ergo ſeribit ad Atnulfum. Proeul eſto om-
» nis fraus & dolus. Pax & fraternitas hie adeſto , vt qui alterum lædit , vtrum-
» que læſerit. Me Chriſti potentia protegente non vis tyrannica ab hoc deterrebit
» incepto, non minæ Regum quas in hoc paſchali feſto pertulimus graues. Ac-
» euſabamur quippe Monachos S. Dionyſij iniuſtè damnaſſe. Vrgebamur coram
» damnatis Diuina obſequia eelebrare , nec priuilegiis Rom. Eeeleſiæ Monaſte-
» rio B. Dionyſij factis contraire debere. Ad hoc opponebatur nobis Priuilegiis au-
» thoritate Canonum promulgatis nos non aſſenſum præbituros : Nec ſi quid contra
» leges Eeeleſiaſtieas decretum ſit, pto lege receepturos. Sed cum in me ſpeciali-
» ter pondus eauſæ retorqueretur, mei iuris illum non eſſe aiebam , nec me in
» meorum Dominorum proſilire iniuriam , vt inſimulabar , ipſorum intereſſe , cu-
» ius eulpâ eadem proferant videre.

994. Anno 994. Odilo ad Cluniacenſis Abbatiæ regimen aceeſſit. Et Ioannes ex Magiſtro Seholarum Antiſſiodorenſium factus eſt eiuſdem Eeeleſiæ poſt Heribertum Epiſeopus. Ille , ut legitur in Hiſtotia Epiſeoporum Antiſſiodor. filius erat Anſaldi & Raingardæ , ex parentibus quidem medioeribus editus , ſed ſeeundum proprij nominis ſui præſagium diuina gratia largiente, mentis nobilitate quæ earnis nobilitate pretioſior eſt, excellenter viguit , litterarum ſtudiis à primæuâ indole operam dedit , quibus lueulentiſſimè inſtitutus elaruit ae poſtmodum inter Seholaſticos illius Gerberti viri vtcumque doctiſſimi , tunc Remorum Archipræſulis qui dehinc Rauennæ , ad vltimum Romanæ ſedis Cathedram indeptus Pontificale petaſum meruit. Hæc ibi: & prærerea habentur quæ ſequuntur. *Culmen ſcientiæ Artium liberalium Ioannes perorando roborauit : dehinc efficaciſſimus puerorum Didaſcalus primitus , poſthæc Pædagogus clarus refulſit , & ad honorem perlectus eſt Archidiaconatus : decedente namque ab hac luce ſupradicto Præſule Heriberto nonulli Clericorum , quos altitudo ſeculi ad hoc illiciens impulit qualiter in Epiſcopalem Cathedram tam faſtu parentelæ , quàm promulgatione pecuniæ inueherentur, cumque Regi Roberto de quibuſdam ac præcipuè de quodam Guidone ſeculatiſſimo*

er

per Henricum Ducem ſuaſum fuiſſet vt conſecraretur Epiſcopus , & Rex quemadmodum eam hortabatur aſſenſum præberet ac iam Metropolitanus Senonum Pontifex videlicet Seuuinus vocatus eſſet , vt de more perficeret, ceſſari contigit. Refert deinde quomodo Clerici Guidonem illum reſpuerint, Ioannemque communi voto optarint. Quod vt Rex audiuit qui eius ſcientiam nouerat & pietatem, vltro annuit, eumque ab eodem Seuuino conſecrari voluit.

Interim æmuli quos habebat Gerbertus in Francia, Hugonis & Roberti Regum animos conabantur aduerſus eum accendere, & quos amicos habebat, inimicos reddere, aut falſa ſupponendo, aut vera in prauum ſenſum detorquendo, aut bene cogitata & facta malicioſè interpretando & peruertendo. Leo Abbas Romanus ad Seguinum Senonenſem Archiepiſcopum & ad Reges miſſus à Pontifice, libertatem Arnulfi & reſtitutionem in integrum impetrat, proindeque Gerberti depulſionem. Durum id erat Regi, qui & Arnulfum oderat & Gerbertum quem amabat, promouerat. Verum Regni recens parti conſideratio, inſtantia Pontificis quotidiana, amicorum frequens ſollicitatio eius animum emouerunt: & ne ſtatus ſui nondum ſatis firmati & ſtabiliti initiis aduerſam ſibi faceret ſedem Romanam, Leoni conceſſit an. 994. quæ poſtulabat, viciſſimque poſtulauit à Pontifice vt Roberti filij recens cum Bertha propinqua coniugium approbaret & confirmaret, & non Arnulfum reſtitui, ſed Gibuinum Catalaunenſem Epiſcopum expulſo Gerberto ſubſtitui pateretur.

Quandiu vero Regis voluntas incerta fuit & ſuſpenſa, Gerbertus inter ſpem metumque poſitus Archipræſulis obiit munera. At ſimul atque patuit, tum & Cleri & populi mutatis animis, his Gibuino, aliis Arnulfo fauentibus multas iniurias paſſus eſt, adeo vt ſedem relinquere coactus ſit: qua de re ab Adelaïde Imperatrice vehementer increpitus eſt: cuiuſque mens erat vt quandiu res erat integra, ſedem teneret. At ille quam difficile illud eſſet hac ad eam & ad Suffraganeos, qui idem ſimiliter ſuadebant, data Epiſtola demonſtrat.

Dominæ & Glorioſæ Adelaïdi Reginæ ſemper Auguſtæ Gerbertus Gratia Domini Remorum Epiſcopus & omnibus ſuis Confratribus & Coëpiſcopis Remorum Diœceſeos bene valere in Chriſto. Epiſtola veſtri nominis læta principia pertulit, monita ſalubria habuit, ſed triſti fine concluſa eſt. Suauem quippe animi veſtri affectum circa me oſtendit, ad propriam ſedem reditum maturare admonet. Sed quid ſibi voluit tam acerba Concluſio? ita enim ſe habet. Cognoſcite quia ſi modo huiuſce monita paruipenderitis, vtemur noſtrorum & rebus & conſiliis abſque crimine veſtri. Me vrbi Remorum præſidente quando non licuit, licet vel licebit vobis vti conſiliis & rebus mihi commiſſis? An melius licuit Arnulfo eam obtinente? ſed ille eam vobis dolore & fraude abſtulit, Ego contra multorum dolos & fraudes vobis eam multis vigiliis multoque labore conſeruaui. Mirum nunc eſt veſtrorum hoſtium vos non ſentire inſidias. Qui enim Arnulfum ad veſtri Regni confuſionem ſuæ ſedi reſtituere quærunt, non ſibi hoc tutum fore putant, niſi me prius qualibet occaſione perdant. Quod multum veriſimile eſſe duplici capimus argumento: quia me Remis nuper poſito eum abſoluere decreuiſtis. Et quia Leo Romanus Abbas vt abſoluatur, obtinuit ob confirmandum Senioris mei Regis Roberti nouum coniugium, vt mihi à Remenſibus per litteras ſignificatum eſt. Accedit ad hoc diſcrimen fides à præſentibus Corte Calmiciaca à Gibuino Gibuini nepote peruaſa. Infinitus, credo erat villarum numerus, nec ad poſſidendum ſufficere poterant Remenſes, niſi ad colonias obtinendas inuitarentur Catalaunenſes. Quid ergo, ſi Arnulfus abſoluendus eſt, vel ſi Gibuinus vel alius quilibet in ſede mea inthronizandus eſt, reditum meum ſine capitis mei periculo intelligere non eſt? Quod ita eſſe, ſed vos minus animaduertere, dubitare non debeo, noui enim ſtudia veſtra omnibus mortalibus prædicanda, noui animi veſtri dulciſſimos affectus circa me. Quibus ſi reſpondere nequeo meritis, reſpondebo votis. Quo circa vt mea vobis minime ingeram deque me omnino taceam, quem diuina gratia à periculorum immenſitate liberat, & in quantum ad me Solum attinet, in omni felicitate diſponit & conſeruat, per terribile nomen Omnipotentis Dei oro & deprecor, vt Remenſi Eccleſiæ deſolatæ & attritæ, ſi quolibet modo valetis, ſubueniatis.

» Quæ quoniam Regni Francorum caput eſt, ſi deperierit, vt membra ſequan-
» tur neceſſe eſt. At quomodo non deperit, quæ ſub nomine duorum quaſi inter
» malleum & incudem diſpoſita, dum eorum neutrum Rectorm approbat velut
» inter vndas maris ſine Remigo fluctuat? quid porro fieri putaris, ſi tertius ſine
» iudicio Eccleſiæ ad numerum acceſſerit? Neque vero hæc loquor tanquam Au-
» gur aut Diuinus. Memini & iam meos conſpiraſſe non ſolum Milites, ſed & cle-
» ricos, vt nemo mecum comederet, nemo ſacris intereſſet. Taceo de vilitate &
» contemptu, nihil dico de grauiſſimis iniuriis ſæpe mihi à pluribus illatis. Ad hæc
» vt tedeam prouocatis, & vt grauiora patiar, minas ſuperaddit Epiſtola. Quid eſt ô
» diuina Maieſtas? adeo-ne me infatuatum, vel à te abalienatum putant, vt vel gla-
» dios imminentes non videam & vel Eccleſiam tuam ſchiſmate confundam?
» Ego vero improborum verſurias acutè conſpicio, & contra omnia ſchiſmata vni-
» tatem Eccleſiæ, ſi ſic decretum eſt, morte mea defendo. Peto ergo ô Domina
» mea Auguſta, item à fratribus meis Coepiſcopis, qui pro cauſa Traditoris Ar-
» nulfi ſiue iuſtè ſiue iniuſtè ſub anathemate poſiti ſunt, vt me iudicium Ec-
» cleſiæ exſpectantem patienter ferant. Neque enim Eccleſiam quam Epiſcopo-
» rum iudicio regendam accepi, ſine Epiſcoporum iudicio relinquere volo. Nec
» rurſus contra Epiſcoporum iudicium, vbi maior authoritas adſit, eam quaſi per
» vim retinere diſpono. Quæ iudicia dum exſpecto, exilium quod à multis felix
» putatur, non ſine multo dolore tolero.

Tum ergo Gerbertus Epiſcoporum iudicium exſpectabat: duplex autem in eam rem habita eſt Synodus, Moſomenſis, & Remenſis, nam Ioannes Pontifex per Leonem Abbatem mandauerat Seguino Senonenſi, vt liti iſti finem imponeret. Prior itaque habita eſt Moſomi 4. Non. Iun. an. 995. altera paulo poſt Remis in qua tandem abſolutus eſt Arnulfus, reſtitutus in integrum & Gerbertus depoſitus, qui noctu fugiens ad Othonem iuit. Huius Synodi acta leguntur in 3. Tom. Concil. & apud Baronium ad an. 990. 992. & 995. Non tamen Arnulfus tam citò e cuſtodia eductus eſt, nec niſi poſt mortem Hugonis Regis, vt dicetur ad an. 998.

Inter hæc eodem anno obiit Adelaïs Auia Imperatoris, *Mater Regnorum* vulgo appellata, propterea quod diſſidentes Regum animos mirâ ſuauitate & peritiâ conciliabat. Obiit quoque Ioannes huius nominis XVI. eique ſubſtituitur Gregorius II. Natione Saxo Imperatoris conſanguineus, ſtatimque Othonem Imperatoria corona inſignitum non modò vult ab omnibus vt Auguſtum coli, quinimo congregatâ frequente ſynodo, conſentientibus Romanis & omni Clero ad tollenda diſſidia quæ frequenter Italiam turbabant, propter ea quod alij Italùm Imperatorem, alij Germanum & extraneum optabant, ſtatuit vt Imperium Romanum perpetuis futuris temporibus à Principe Germano regeretur, vtque eius eligendi poteſtatem haberent Electores VI. quorum tres eſſent Laïci, tres verò Eccleſiaſtici: qui ſi concordes forſan eſſe non poſſent, ſeptimum aduocarent Regem Bohemorum. Tres quidem Eccleſiaſtici Cancellariorum nominibus inſigniti, Moguntinenſis, Cancellarius Germaniæ; Treuirenſis, Galliæ; Colonienſis, Italiæ. Tres Laïci ſic diſtincti. Marchio Brandeburgenſis, qui Camerarius eſt. Marchio Palatinus, Dapifer: Dux Saxoniæ, Enſifer. Rex Bohemiæ, Pincerna, quam in rem confecti ſunt hi verſus.

Moguntinenſis, Treuerenſis, Colonienſis:
Quilibet Imperij ſit Cancellarius horum.
Vt Palatinus Dapifer, Dux Portitor enſis.
Marchio Præpoſitus Cameræ, Pincerna Bohemus,
Hi ſtatuunt Dominum cunctis per ſecula ſummum.

Vt obiter tamen moneam, non omnes de huiuſmodi Electorum inſtitutore conueniunt. Apud authores enim huius & conſequentis temporis ea de re altum ſilentium eſt. Malè verò Onuphrius in lib. de Comitiis Imperatoriis inſtitutionem hanc refert ad Gregorium X. vt legitur apud Genebrardũ: nam in Concilio Lugdunenſi habito contra Imperatorem Fridericũ ſub Innocentio IV. an. 1245. hæc habentur verba, *Illi autem ad quos in eodem Imperio Imperatoris ſpectat Electio, eligant liberè ſucceſſorem* & apud Mathæum Pariſienſem ad an. 1257. *Hi ſunt maximi in*

Alemania ad quorum nutum pendet Electio ipſius Regni quod eſt quaſi ara Imperij Romanorum], Archiepiſcopus Coloniæ cuius titulus eſt, Sacri Imperij Proto Cancellarius poſt honorem Archipræſulatus, qui coronare tenetur Regem Alemaniæ apud Aquiſgranum ab antiqua & approbata conſuetudine. Si tum erat antiqua conſuetudo, non poteſt ea inſtitutio tribui Gregorio X. qui an. 1271. ſedere cœpit: neque Gregorio IX. qui obiit an. 1241.

Aliqui vetuſtiorem longè faciunt & ad ipſum Carolum M. referunt idque ſcribebat circa an. 1275. Iordanus in ſuo de tranſlatione Imperij Libello. Sic enim ille. *Sciendum eſt igitur quod S. Carolus M. Imperator de conſenſu & mandato Rom. Pontificis ordinatione ſibi diuinitus inſpirata inſtituit & præcepit ut Imperium Romanorum apud electionem Principum Germanorum in perpetuum permaneret.* Verum communis ſententia & meo iudicio verior hanc inſtitutionem ad Gregorium hunc Saxonem refert, qui ante promotionem Bruno vocabatur, eratque filius Othonis Ducis filij Landulfi Othonis Imperatoris Patrui, ſuæque promotionis beneficium Othoni debebat.

Certè cum Principes Germanici apud Innocentium III. conquererentur, quod Legatus Pontificis Othonem approbaſſet in auguſtum reiecto Philippo, quem ipſi elegerant, Electorisque ſumpſiſſet perſonam, & ſic falce iniecta in meſſem alienam Principum Electorum dignitati derogaſſet, Pontifex Ep. ad Bertholdum Zaringiæ Ducem reſpondit, *ſe ius Principum ſibi vindicare nolle, ſed illis Principibus poteſtatem eligendi Regem Romanum ſaluam relinquere, ad quos ea iure & antiqua conſuetudine pertineat.* Negauitque Legatum ſuum vel *Electoris ſuſcepiſſe partes, vel Electioni ſe ing. ſſiſſe.* Faciunt in hanc rem Ligurini verſus qui quidem ſub Henrico IV. ſcripſit, ſed Radewicum expreſſit Federici I. Hiſtoriographum. Sic autem habet l. 3. c. 16.

——Ad Proceres electio pertinet, in qua
Præcipuam vocem præſul de iure vetuſto
Moguntinus habet. Paſtori prima recentis
Agrippina suo conceditur unctio Regis.

Hoc exemplum videntur habuiſſe præ oculis Hugo Capetus & Robertus Reges Francorum, cum Parium Curiam inſtituerunt ex Proceribus partim Eccleſiaſticis, partim Laicis: de quibus dicemus ad an. 1030. Neſcio verò quo fato contigit vt ex eadem Saxonum gente, imo ex vno genere Witikindi Saxonum olim Ducis vno eodemque tempore Otho Imperium, Hugo Capetus Regnum Francicum gubernarent. Sic enim factum, vt ſicut ex eadem Caroli M. Gente qui Witikindum debellarat, prodierunt Imperatores Romanorum Regeſque Francorum, ita viciſſim Witikindi gens vtrique Regno Rectores dede- Hæc per tranſ nnam dicta ſint.

Ipſo autem die Pentecoſtes quæ erat 5. id. Maias an. 996. Otho Imperatoriam coronam cum Maria coniuge à Gregorio accipit: & dum rebus ordinatis in Lombardiam redit Ioanni Rauennati Archiepiſcopo mortuo Gerbertum, quem exulem ſuſceperat, ſubſtituit. Extat ipſius Gerberti ad Robertum Regem Epiſtola, quâ ipſum de ſuo ſtatu certiorem facit in Aula Imperatoris, mandatque quanto ſtudio & deſiderio cuperet Otho dulcibus eius frui alloquiis, coæui ſcilicet ſui & condiſcipuli. Sic ergo Gerbertus ad Robertum.

Occurrit mihi ſenioris mei Regis Roberti clara facies, lætus aſpectus, vſitata colloquia ſermoneſque veſtri ſapientia & grauitate pleniſſimum Principum & Epiſcoporum grata affabilitas: quæ mihi dum eripitur, ipſa quodammodo vita onerosa eſt: ſola mihi ſolatio eſt Clari Cæſaris Othonis pietas, beniuolentia, liberalitas, qui tanto amore vos veſtraque diligit, vt dies nocteſque mecum ſermonem conferat, vbi & quando vos familiariter videre poſſit. Coæuum ſibi & ſtudiis conſimilem Seniorem meum Regem Robertum alloqui & complexari. Si ergo Romanum iter, quod cauſa Synodi plurimum me detinet hoc tempore dilatum fuerit, circa Nouembris Kalendas me expectabitis, & harum rerum internuntium fidiſſimum & per omnia vobis obedientem.

Dum autem ibi & in agro Mutinenſi moratur Imperator, res accidit digna memoria: quam, licet ab hiſtoria noſtra abludat, præterire non poſſum. Maria Imperatrix Arragonum Regis filia corruptam ſe ſenſit inſuperabili amore Comitis Mutinenſis, ſed eum libidini ſuæ reluctantem experta, perdere deſtinauit

ab illo ſe de ſtupro tentatam apud Imperatorem mentitur. Agnouit Comes ſibi crimen imponi, mauult tamen ſupplicium ſubire, quàm dedecus Imperatoris palam facere. Rem vero Coniugi ſuæ mulieri prudentiſſimæ patefacit rogatque, vt pari conſtantia & mortem ſuam ferat & mortui innocentiam apud Auguſtum purget. Nec multo poſt Comes creduli Imperatoris iudicio capite truncatur. Paucis poſt diebus apud Roncalias conuentu habito, vbi ius viduis dicebatur, mulier procedit & ex lege Imperatorem ipſum, quod maritum ſuum iniuſtè necaſſet, ad ſupplicium poſtulat. Hac voce ſtupefactus Otho, quo, inquit, argumento viri tui probabis innocentiam? At illa, Candenti laminâ: moxque ferrum ignitum iuſſu Imperatoris allatum manibus illæſa prehendit & tractat. Tum Otho, pœna dignus equidem ſum, ſed ad eam ſubeundam tempus poſtulo. Et poſt trina vadimonia, quam à me tandem, inquit, pœnam exigis? ſupplicio Reginæ, inquit illa, contenta ſum, falſum crimen commentitæ. Otho muliere collaudata Reginam prehenſam & fatentem igne cremat, Viduamque 4. in Hetruria caſtris ob dilata ſibi vadimonia donat. Id à Gothefrido refertur, & à Krantzio l. 4. c. 26. faſtor. Saxon.

Eodem anno habetur apud San-Dionyſium Synodus Epiſcoporum, cui Abbo Floriacenſis interfuit. In ea autem cum de morum reformatione & integritate fidei agere debuiſſent, præcipuum momentum in Decimis & iure Decimarum poſuerunt, vt eas Laicis & Monachis auferrent, ſi fides eſt Aimoino Monacho Floriacenſi in vita Abbonis, quem ait fortiter aduerſatum fuiſſe Epiſcopis, eoque rem deduxiſſe vt populus vulgò Decimarum inimicus in eos irruerit & fugere compulerit. *Orta ſeditione*, inquit, *tantus in Epiſcopos timor irruit, vt publica ſtatione relicta paſſim quiſque diffugeret. Inter quos Seguinus Senonum Archiepiſcopus Primatum Galliæ in Synodo ſibi vſurpans, Primatum quoque fuga arripuit & inter fugiendum ſecuri inter ſcapulas ictus lutoque à popularibus oblitus ægrè euaſit. Vni quoque Epiſcoporum timor fugienti tam veloces addidit alas, vt affluentiſſimo prandij apparatu quem ſibi extruxerat, relicto, vicina vrbis Pariſiorum mœnia fugitabundus expeteret.*

Huius autem ſeditionis author creditus eſt Abbo, eoque nomine apud Reges Hugonem & Robertum inſimulatus & accuſatus à Seguino Senonenſi, Arnulfo Aurelianenſi & aliis Principibus, quia Monachorum iura nimis amplificare, Epiſcopalia nimis deprimere atque imminuere conabatur. Itaque in hanc rem Apologiam pro ſe ſcripſit quam Regibus dedicauit. Præcipuè vero Robertum qui viros doctos impenſè amabat, & Monachis impenſius addictus erat, vnde & Pater Monachorum dicebatur, ſibi demereri eniſus eſt: qua de re ſic habet Aimoinus. *Ad vltimum ſua non ignorans multis diſplicere ſcripta, Regibus ſe ſe commendat, præcipuè Domno Roberto, quem ſcientem litterarum, ac idcirco diligentem fore nouerat ſtudioſorum ſcribens in hæc verba. Præterea Dominos meos cum familiariter alloquens bona ſuadeo, multorum animos ſcio, contra me concito iuxta illud Comici.* Obſequium amicos, veritas odium parit. *De quorum animoſitate non multum moueor, Dulce Decus meum Roberte, quem atauis Regibus editum diuina pietas produxit ad Regni faſtigium, ſi poſt Dominum & ſanctos eius veſtro ſpecialiter ſuſtentor auxilio, cuius mentionem in quotidianis rationibus meis nunquam prætereo.*

Hæc autem de Decimis Quæſtio in Synodo agitata anſam dedit cuidam Leutardo homini plebeio Pagi Catalaunici ſpargendæ fatuæ cuiuſdam hæreſeos, aiendo ſuperfluum eſſe dare decimas Sacerdotibus, idque ſibi ſupernè reuelatũ: quo pacto plurimos è plebe dementatos ſibi adiunxit: latiuſque & longius proceſſiſſet virus; niſi Gebuinus Epiſcopus Catalaunenſis deceptum populum melius informaſſet, atque ab inſano homine tanquam ab Hæretico ſecedere compuliſſet. Quamobrem ille ſe vulgi ambitione deſtitutum videns, puteo ſe moriturus immerſit, vt narrat Glaber Rodulphus l. 2. c. 11.

997. Anno 997. Hugo Capetus Rex moritur ſepeliturque in Baſilica San-Dionyſiana cum aliis Regibus primæ & ſecundæ ſtirpis, quanquam diadema Regium nunquam geſtaſſe dicitur. Hunc omnino à Carlouingiorum Gente alienum fuiſſe nonnulli ſcribunt: Alij contra, vt Nangius ab ipſa ſtirpe Caroli M. deducunt. Filius erat Hugonis Magni Præfecti Palatio. Hugo filius Roberti Regis qui in prælio Sueſſionenſi fortiter dimicans occubuit. Iſte Robertus à Fratre Odone quondam etiam Rege fuerat factus Præfectus Palatio. Odo verò filius

erat Roberti Fortis Ducis Saxonum, qui cum Raimundo Aquitaniæ Duce in prælio Normanico occiſus fuerat. Quatuor antem iſti Odo, Robertus, Hugo Magnus, vulgo Abba-Comes dictus & Hugo Capetus per centum circiter annos Vrbe & Comitatu Pariſienſi potiti ſunt; & quia aut bella, aut perpetuas ſimultates cum Regibus legitimis exercebant, eos Pariſiis habitare toto iſto fere tempore non tulerunt. Itaque Vrbs Regia eſſe deſierat, donec tandem illi & Regem & ſedem reſtituit Capetus.

Tum ergo defuncto patre Robertus cœpit habenas Regni tractare ſolus, Princeps omnibus ſuis ſubditis dilectiſſimus, iuuentutis flore conſpicuus, annos ſcilicet natus 28. ore pulcher, forma ſpecioſus; eloquentiâ & dicendi vbertate copioſus: quem mater Adhelaïs proprio lacte nutriſſe dicitur: nec omiſit commemorare Adalbero Laudunenſis Antiſtes in Carmine Heroïco, ſic eum compellans.

Lac tibi ſugenti dat nutrix INDVPERATRIX.
Mundus adhuc puero Dominum metatur, & omnis
Congaudet, plaudit manibus, lætatur & optat
In Regem ſibi, mox concordi voce coronat.
Præſtolatur in hoc veniant vt tempora pacis.
Lubrica tunc Adoleſcentis tranſiuit & ætas;
Flore iuuentutis tua iam reſplendet imago.
Forma ſuper cunctos nobis ſpecioſa videtur,
Debilis in nulla membrorum parte videris.
Quamuis mole grauis, tamen es eum robore leuis.
Lætatur vulgus, gaudent etiam Sapientes.
Plurima ſub pedibus tibi fortia Regna ingauit.

Initio ſui regiminis Arnulphum e carcere educit & in integrum reſtituit: quippe cum Gregorius Pontifex interminatus fuiſſet ſe Regnum Franciæ interdicto ſuppoſiturum, niſi illi reſtitueretur, Robertus Abbonem Floriacenſem Abbatem ad eum in Italiam proficiſci iubet, intellectaque voluntate Papæ protinus Arnulpho libertatem & dignitatem priſtinam reddit, vt narrat Aimoïnus in vita Abbonis his verbis. *Regreſſus itaque honorabilis Abbo ad Regem Robertum, à quo miſſus fuerat, cuncta pro quibus ierat, perfecta nunciat. Arnulphum Remenſem cuſtodia exemptum Pontificatui reſtituit: Pallium illi à D. Papa directum reddit. Poſthac per Internuncios ipſi venerabili Apoſtolico Domno Gregorio amicabiles plenaſque reuerentia dirigit litteras. In quibus innoteſcit ſe cuncta vti iuſſerat, perfeciſſe. quarum iſtud eſt exordium.*

DOMINO ſemper in Chriſto Venerabili S. Romanæ & Apoſtolicæ ſedis Præſuli ac idea Vniuerſalis Eccleſiæ Doctori ſuus illius Abbo Floriacenſium Rector in Chriſto Salutem. Sæpius contingit vt puritas integræ veritatis vacillet ſententiâ maleſidi Interpretis. Quod Ego Venerabilis Pater, cauens veſtri animi ſenſa fideliter ſimpliciterque vt præcepiſtis deprompſi; nec animoſitatem Regis perhorrui, dum fidem quam vobis promiſeram, ex aſſe ſeruaui. Quandoquidem nihil addidi, nihil minui, nihil reliqui. Horum omnium ipſe Arnulfus e cuſtodia liberatus & abſolutus teſtis eſt: cui veſtrum pallium coopertum obtuli, quomodo illud acceperam ex ſanctis manibus veſtris.

Anno 998. Kalendis Nouembribus Gerbertus Gregorio ſubſtituitur, & in Pontificia ſede ab Othone Imperatore Diſcipulo quondam ſuo collocatur. Hinc de eo editus iſte verſus, qui legitur apud Helgaldum. SCANDIT AB R. GERBERTVS AD R. POST PAPA FIT IN R. 998.

Hoc eſt Gerbertus à Remenſi Cathedra ad Rauennatem, à Rauennate ad Romanam ſublimatur. Quæ Beneficia à ſuis Diſcipulis Othone & Roberto habuit. Malmeſburienſis ad an. 997. *Robertus*, inquit, *poſtea Rex Franciæ Magiſtro vitam reddidit & Archiepiſcopum Remenſem fecit.... Otho poſt patrem Imperator Italiæ Gerbertum Archiepiſcopum Rauennatem & mox Papam Romanum fecit.*

Carolus Sigonius l. 7. Hiſtoriæ de Regno Italiæ ait Gregorium 12. Kal. Martias an. 998. e vita migraſſe, & Gerbertum, quem malè vocat Floriacenſem Monachum, Kalendis Nouembribus Romanis ipſis approbantibus Pontificem datum, Leonemque, Abbatem certè illum Romanum de quo ante diximus,

Rauennati Eccleſiæ præfeciſſe. Rem ſic narrat. Prioribus annis gerentem Remis Archiepiſcopatum Arnulfum Hugo Rex Franciæ Concilio Epiſcoporum Remis aduocato exauctorauerat, atque in eius locum Gerbertum Monachum Floriacenſem Roberti filij præceptorem ſubſtituerat. Qua re comperta Benedictus VII. qui tum Pontificatum gerebat, omnes Epiſcopos qui Arnulfum damnauerant, à ſacris amouerat, & nouo Concilio habito Gerbertum Arnulfo reſtituto depulerat. Hac de cauſa Gerbertus ad Othonem profectus Eccleſiæ fuerat Rauennati præpoſitus. Erat enim vir Philoſophiæ, Aſtronomiæ, ac reliquarum Liberalium Artium ſtudiis inſigniter eruditus ea præſertim ætate, qua nullæ aut raræ admodum eiuſmodi fuere litteræ. In hunc igitur poſt Gregorij propinqui ſui mortem oculos Otho conuertit cum Doctrinæ laude præſtantem, tum de ſe optimè meritum, quippe ſuum in his ipſis quibus ipſe excelluit, diſciplinis Magiſtrum. Itaque Comitiis habitis cum Kalendis Nouembris Pontificem Romanis ipſis approbantibus dedit, & Silueſtrum ſecundum vocauit. hæc Sigonius.

Statim verò poſt promotionem Pontificia authoritate, & ſolenni decreto Arnulfum à Gregorio reſtitutum pallio, baculo & anulo Archiepiſcopali redonauit: vt ex hac habemus ad ipſum Epiſtola quæ ex Codice M. S. Remigij Remenſis in lucem edita eſt.

„ Silueſter Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Dilecto in Chriſto filio Arnulfo S. „ Remenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo. Apoſtolici culminis eſt non ſolum peccan„ tibus cōſulere, verum etiam lapſos erigere, & proprijs priuatos gradibus reparatæ „ dignitatis inſignibus informare: vt & Petro ſoluēdi libera ſit poteſtas, & Romanæ „ gloriæ vbique fulgeat dignitas. Quapropter tibi Arnulfo Remenſi Archiepiſco„ po quibuſdam exceſſibus Pontificali honore priuato ſubuenire dignum duxi„ mus, vt quia tua abdicatio Romano aſſenſu caruit, Romanæ pietatis munere „ credaris poſſe reparari. Eſt enim Petro ea ſumma facultas, ad quam nulla morta„ lium æquari valeat felicitas. Concedimus ergo per huius priuilegii noſtri ſta„ tuta tibi baculo & anulo redditis Archiepiſcopali officio fungi, & omnibus in„ ſignibus quæcumque ad ſanctæ Metropolim Remenſis Eccleſiæ pertinent, ſolito „ more perfrui. Pallio ſolemnitatibus ſtatutis vtaris, benedictionem Regum Fran„ corum & ſibi ſubiectorum Epiſcoporum obtineas, & omne Magiſterium, quod „ tui Anteceſſores habuiſſe viſi ſunt, noſtra authoritate Apoſtolica geras. Præci„ pimus etiam, vt nullus mortalium in ſynodo, aut in quacumque parte in abdi„ cationis tuæ crimen tibi quoquomodo opponere præſumat; vel hac occaſione „ in improperij contra te verba exardeſcat, ſed noſtra te vbique authoritas „ muniat, etiam ſi conſcientiæ reatus occurrat. Confirmamus inſuper tibi & „ concedimus Archiepiſcopatum Remenſem in integrum cum omnibus Epiſ„ copatibus ſibi ſubiectis, ſeu cum omnibus Monaſteriis, plebibus, titulis, & „ capellis atque cortibus, Caſtellis, villis, Caſalibus & cum omnibus rebus ad „ Eccleſiam Remenſem pertinentibus ſaluo & inuiolabili teſtamento B. Re„ migii Francorum Apoſtoli. Statuentes Apoſtolica cenſura ſub diuini iudicij „ atteſtatione & anathematis interdictione, vt nulli vnquam noſtrorum ſucceſſo„ rum Pontificum, vel aliæ quælibet magnæ paruæue perſonæ hoc noſtrum pri„ uilegium infringere liceat. Si quis vero quod abſit, hoc Romanum decretum „ violare tentauerit, anathema ſit.

Sic ergo Gerbertus, qui tam ægrè Remenſem Archiepiſcopatum dimiſerat, ignarus futuræ ſortis, ad ſublimem ſedem promotus Competitori ſuo ſuaque cauſâ depulſo dignitatem cum honore conſtituit. Idem vero Pontifex Aſcelinum ſeu Adalberonem Laudunenſem Epiſcopum Caroli Lotharingi proditorem, Arnulfi quoque inſidiatorem ſeueriſſimè redarguit & tantum non à ſacris arcuit acceptis à Roberto Rege litteris & conqueſtione, quod ille nouam molitus fuiſſet aduerſum ſe proditionem. At quæ illa fuerit non memini me legere, Talis autem eſt Bulla.

„ Silueſter Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Aſcelino Epiſcopo Laudunenſi. Su„ per ſalute & Apoſtolica benedictione nihil eſt quod admirari poſſis, quoniam „ ſub Pontificali nomine homo etiam moribus eſſe deſiiſti. Si fides mortalem Deo „ ſociat, perfidia nihilominus rationabilem brutis animantibus æquat. Cum hoc

totum te ſapere conſtet, vehementer admirabamur natiuam te conditionem " reliquiſſe, & noua & inaudita ſcelera inhumaniùs perpetraſſe. Epiſtola Regis Roberti & ſuorum Pontificum Apoſtolicis & Imperialibus oblata eſt manibus, " quæ te coram Vniuerſo clero ac populo his publicis accuſat criminibus. Ad ſynodum habitam Compendio cum à Remenſi & Turonenſi Archiepiſcopis cæteriſque confratribus inuitatus fueris, acceptis à quibuſdam eorum & aliorum ſacramentis, pro vitæ & membrorum atque captionis ſecuritate tandem veniſſe " diceris. "

Synodalem ſeueritatem cum tibimet ipſi conſcius meritò perhorreſceres, ad " miſericordiæ preces eadem Epiſtola teſte veniſti. Legibus te non poſſe obiectis " reſpondere manifeſtaſti. Dominum tuum Regem offendiſſe te non negaſti. Indulgentiam tantummodo poſtulans per vniuerſam ſynodum Regis gratiam innouatis periuriis obtinuiſti. Datis obſidibus Archidiacono ſcilicet tuo & altero " milite turres Lauduni te redditurum promiſiſti. Magiſtrum tuum Remenſem " Archiepiſcopum pro accipiendis turribus ſub Iudæ ſpecie tecum ducens capere " voluiſti. Carcer quippe cæterorum fraudis in eum conceptæ detegit dolum. " O Iuda Magiſtri proditionem innouans & Pontificalem gloriam noſtris temporibus deturpans! Cum Magiſtrum Archiepiſcopum tradere velis, Domino " Regi non parceres ſi poſſes. In carcere tenes traditos milites & fefelliſſe non vereris Regem. Ex orationum Epiſtolis quoties te monuimus & ab his periculis eruere deſudauimus. Sed quoniam irruentibus peccatorũ cumulis te coërcere nequiuimus in hac proxima Paſchali hebdomada Romæ te adeſſe præcipimus, & generaliter ibi habendæ ſynodo repræſentare te monemus. Huius ergo inuitationis noſtræ nulla occaſione ſis tranſgreſſor vel ſuſpenſor, quoniam niſi adfueris, ſynodicæ authoritati in eodem Concilio ſubiacebis & de abſentia nihil lucraberis. Viarum excuſatio nulla te premat, quoniam in Lotharienſi Regno nullæ " te manent inſidiæ, Italia vero nullam prætendit formidinem. Niſi corporis moleſtia occupatus fueris, aliter excuſatio nulla eſſe poterit. Sed teſtes mittendi ſunt " qui & tuum languorem confirment & accuſatoribus tuis reſpondeant & legibus " te expurgent. "

Anno 999. obiit inſignis ille Archiepiſcopus Senonenſis Seguinus, magnumque ſui deſiderium omnibus bonis reliquit, cuius viri elogium ſic contexit Odorannus. *Anno 999. obiit Seuinus Archiepiſcopus, qui iacturam Monaſterij S. Petri quam Anaſtaſius anteceſſor eius releuare cæperat, in priſtinum reſtituit ſtatum, ibique ſub diſtrictione regulari ordinauit Abbatem Rainardum cuius etiam Corpus in eodem Monaſterio eſt ſepultum. Hic ab vrbe Roma per manum Ioannis Papæ Archiepiſcopale Pallium quo anteceſſores eius infulati ſunt & Primatum Galliæ ſuſcepit. Hic etiam Monaſterium S. Petri Mildunenſis ab imo releuauit, & Monachos in illo mittens Abbatem Walterium eis præfecit. Hic Matrem Eccleſiam S. Stephani quæ igne cremata fuerat, ab epiſtyliis erigens, & ex integro perficiens, ſignis & ornamentis Eccleſiaſticis decorauit, & adiunctis ſibi Milone Epiſcopo Tricaſſenſium, Rocleno quoque Niuernenſium cum maximo honore dedicauit: tabulam quoque ex auro & argento ante altare S. Stephani conſtruxit de qua poſtmodum ante Monaſterium facta eſt turris.* Ei ſucceſſit Leothericus Gerberti Diſcipulus, de quo dicemus ad 3. ſeculum. 999.

Hoc quoque anno ſigna quædam quæ in cœlo & terris viſa ſunt, famam extremæ cladis mundique ruinæ iam pridem ſparſam confirmarunt: quæ Sigebertus ſic commemorat. *Multa prodigia viſa ſunt. Terræ motus factus eſt permaximus. Cometes apparuit Calendis Ianuarij circa horam 9. Aperto Cælo, quaſi facula ardens cum longo tractu fulguris inſtar illabitur terris tanto ſplendore, vt non modo qui in agris erant ſed etiam in tectis irrupto lumine ferirentur. Qua cœli ſciſſura ſtatim euaneſcente interim viſa eſt figura quaſi ſerpentis capite quidem creſcere cum cæruleis oculis.*

Ad finem huiuſce ſeculi Chronologiſtes Antiſſiodorenſis quoſdam viros pietate & litterarum peritia illuſtres commemorat. Giſlebertum Meldenſem Epiſcopum virum eximiæ virtutis & gloria miraculorum inſignem, cuius vita ſtylo clariſſimo edita multarum exempla virtutum viuentibus & victuris per ſecula adminiſtrat. Hunc malè aiunt Sammarthani conſecratum fuiſſe à Leotherico Senonenſi Archiepiſcopo: nam cum anno 1009. obierit & viginti annis ſedem Epiſcopalem tenuerit, non potuit à Leotherico conſecrari, qui anno tantum 1000.

Digitized by Google

electus aut certè confirmatus fuit Archiepiſcopus Senonenſis. Adraldum Tricaſſinæ vrbis Archidiaconum pia memoria dignum & digno honore memorandum, cuius *vita lux, ſeculi gloria, honor Eccleſiæ & veriſſimum documentum Christianorum fuit.* Is ſcholam Trecenſem regebat, eumque Olbertus Gemmeticenſis audiuit, vt infra dicetur. Abbonem Floriacenſem ſcientia litterarum florentem, qui ſuper calculum Victorij commentatus eſt: & Fulbertum Gerberti quoque Diſcipulum ex Magiſtro ſcholarum factum Epiſcopum Carnotenſem: de quo alibi plura.

SYNOPSIS 2. SECVLI DE FORTVNA ET STATV Vniuerſitatis Pariſienſis.

HOcce infelici ſeculo quis fuerit Eccleſiæ ſtatus, vix intelligitur. Nulla Concilia commemorantur alicuius celebritatis, nulli fere viri ſupra cæteros præcellentes, rarus honor litteris & litteratis habitus: ſed hoc ſaltem commodum fuit Eccleſiæ, quod nullæ hæreſes illam turbarint. Tam miſeris ergo temporibus Academiam Pariſienſem ſplendorem & famam, quam ſuperiore ſeculo comparauerat, amplificaſſe nemo expectet. Imprimis enim ipſa Ciuitas Pariſienſis Regia ſedes eſſe deſtitit: & licet ab eximiis & ſpectatiſſimis Comitibus gubernaretur, neque vt ante vlla obſidione aut bellorum tumultibus conquaſſata & contrita fuerit; quia tamen cum legitimis Regibus aut bella, aut perpetuas ſimultates per annos centum exercuerunt, rari fuerunt qui ad Scholas Pariſ. accedere vellent, ne Reges offenderent, neve a Comitibus obſides haberentur.

Hinc ergo quoque neceſſe eſt friguiſſe Muſas, cum non eſſet qui inter eas æmulationem aleret, nullus earum profeſſores ad dignitates aut Eccleſiaſticas aut Publicas, ſeu vt vocant ſeculares promoueret. Quos ſcilicet Reges, vt inimicos habebant, quippe in Ciuitate ſibi inimica commorantes, atque idcirco promouere negligebant; Comites verò non poterant, etſi eos diligerent: Aut ſi poterant, non audebant ne ab iis reprehenderentur, quod legitimos Reges continuis bellis laceſſerent. Ignari plerumque præſules promouebantur: & ſic crimina vigebant, Eccleſiæ Diſciplina languebat, peccandique libertas erat maxima. Qua de re Adalbero Laudunenſis Robertum Regem ſub initia Regni increpat: quaſi ipſe non ſatis incumberet in promotionem virorum Doctorum.

Præſulis & ſi forte vacet locus, intronizentur
Paſtores ouium Nautæ quicunque ſit ille.
Sit tamen hoc præſubtili ratione cauendum, vt
Nullus Epiſcopium Diuinâ lege peritus
Tentet, ſed ſacris ſcripturis euacuatus
Et ſtudiis, quem non conſtrinxerit vna dierum:
Alphabetum ſapiat digito tantum numerare.
Hi proceres. Præceptores hos mundus adoret:
Et iuuet, & celebres nec Reges excipiantur,
Præcipiant coram, ſed clam cum fraude ſuſurrent.

Admonet deinde Robertum fore, vt ſi malo iſti non occurrat, totius Eccleſiæ ſtatus ſubitò contabeſcat, futurumque Regnum omnis generis vitiorum.

Regula ſi ſtabilis diuum permanſerit iſta,
Diſciplina, vigor, virtus mox & decor, omnis
Eccleſia fulgor pauco ſub tempore, verget.
Publica res, quæ ſi planè ſic ducitur, æquè
Legibus extinctis in pace ſepulta quieſcet.
Luxus & inceſtus, furtum tunc, cætera ſurgent.
Libertas delinquendi, tunc crimina ſtabunt.
Excludantur & hi quos ſola ſcientia comit,
Chriſti Conſeruos & quos ſapientia nutrit,

Et

Et quibus apparent introductoria ſanæ
Doctrinæ, quæ depromit poſt terga cicatrix:
Sacræ ſi magnus fidei ſurrexerit error,
Omnis Cenſurâ conuentus ſint alieni.
Conſult e Regis hi præcidantur ab omni.

Quibus verſibus, vt optimè notat Hadrianus Valeſius, Adalbero indicat viros litteratos, bonos & ſapientes, Catholicæque & ſanæ Doctrinæ ab Epiſcopatibus, à conuentibus vel ſynodis, ſi forte ad hæreſes impugnandas cogantur, atque à Conſilio Regis procul amoueri ſolitos.

Hæc inquam ſcribebat Adalbero ſub initia Regni Roberti, vt eum admoneret, qua in re peccatum eſſet ante, neue ita deinceps exemplo malo peccaret. Non eſt tamen exiſtimandum adeo torpuiſſe Muſas, vt nihil ſplendoris retinuerint. Siquidem vt ad an. 950. retulimus ad eas etiam extranei conuolabant, tanquam ad maiorem litteratum officinam, & ad Emporium plurimarum Artium: ob idque Huboldus relictis ſcholis Leodienſibus, Abbo Floriacenſis dimiſſis quoque Floriacenſibus, Gerbertus & alij ad eas ſe contulerunt, plures ſcilicet Profeſſores, pluriumque Artium profeſſionem Pariſiis quàm apud ſe haberent, reperturi: etſi tunc non ignobiles eſſent ſcholæ Floriacenſes, Lobienſes, Leodienſes & Aureliacenſes.

Neque putandum eſt ob aliam cauſam Olbertum, qui poſtea fuit Lobienſis Abbas, relictis ſcholis Cœnobialibus ſub finem huius ſeculi Pariſios ſe contuliſſe; & multos alios quorum nomina dolendum eſt nobis inuidiſſe hiſtoriam illorum temporum. Porro Olbertus ille obtentâ ab Herigero Abbate ſuo licentiâ plures luſtrauit ſcholas, ſed tres præſertim Trecenſem, Pariſienſem & Carnotenſem. In Trecenſi magna fama tum docebat Aldradus Archidiaconus, cuius ſupra meminimus. In Carnotenſi Fulbertus. Pariſiis multò plures, quanquam in libello de Geſtis Abbatum Gemblacenſium dicatur apud S. Germanum ſtudio operam dediſſe: ſic enim de eo legitur.

In Cœnobio Lobienſi à puero in diſciplina Monaſtica regulariter nutritus, & „
in ſtudiis ſcripturarum apprimè eruditus ex prouectu ſuæ indolis monſtrabat „
qualis eſſet futurus. Hic vbi ex ore Herigeri Lobienſis Abbatis viri ſuo tempo- „
re diſertiſſimi aliquid de ſeptem ſapore artium bibit, ſitim ſtudij ſui extinguere „
non potuit: ideo vbi aliquem in ſcientia Artium egregiè præ cæteris valere au- „
diebat, ſtatim illuc volabat; & quantò amplius ſitiebat, tantò auidius de ſingu- „
lorum pectore aliquid delectabile hauriebat. Nam & Pariſius aliquandiu apud „
S. Germani operam dedit & ſtudio & ſanctæ quæ ibi feruebat Religioni. Apud „
vrbem Tricaſſinam triennio ſtuduit, vbi grata vitæ & multa ab aliis didicit & „
prudenter alios docuit. Sed nec Fulberti Carnotenſis Epiſcopi eum ſubterfugit „
audientia, quem peritiâ Liberalium Artium tota Francia prædicabat. At poſt- „
quam vt apis prudentiſſima per florea rura exercitus liquido doctrinæ nectare „
eſt diſtentus, ad aluearium Cœnobij ſui eſt regreſſus, ibique viuebat religioſè. „

Nec video quò pertineant verſus Dudonis Decani San Quintiniani in adlocutione ad librum, quem de Geſtis Normanorum dedicauit Ada'beroni Laudunenſi, niſi ad Academiam Pariſienſem & ad ſcholas Nationis Normanicæ quæ Pariſis erant. Sic enim habet.

Themate pertenuis quoniam digeſtus haberis
Rhetorici ratione carens dulcaminis omni
Liber, interno cum te perſcrutor ocello,
Ægrè fert animus, quo à vulgo dicere geſtis
Quæ digeſta ſtylo nec quicquam ſchemate noſtro
Et ſubſannêris tumido vafroque tumultu.
Si te conſeruent ſtudiiſque ſigilla pudicis
Peſtiferum intentant ſecreti radia nobis
Aut pergas NORTMANICA nunc GYMNASIA præceps,
Aut SCHOLIS clauſus FRANCISCIS nunc moruleris,
Ridiculam vereor nobis ſat ſurgere ſannam,
Si impatiens refutes clauem nunc obice rupto.

At vbi illa Gymnaſia Nortmanica, vbi latinitas doceretur & intelligeretur, niſi

Tt

Digitized by Google

Pariſienſis ? vbi quoque ſcholæ Franciçæ ? nam in ipſa Normania ne vllum quidem fuiſſe Magiſtrum Publicum anre annum circirer 1040. quo ſe illuc Lanfrancus docendi gratia contulir, reſtis Ordericus Vitalis ad an. 1069. *Hoc Magiſtro*, inquir, *primitus Normani litteratoriam artem perſcrutati ſunt*, *& de ſchola Beccenſi eloquentes in diuinis & ſecularibus Sophiſtæ proceſſerunt. Nam antea ſub tempore ſex Ducum Neuſtriæ vix vllus Normanorum liberalibus ſtudiis adhæſit* (nempe in Neuſtria) *nec Doctor inueniebatur, donec prouiſor omnium Deus Normanicis oris Lanfrancum appellit.*

Quid quod idem Dudo in Elegia quam præmiſit deſcriptioni obſidionis Pariſienſis an. 866. compatat Normanos cum Dædalo & Cumas cum Pariſiis : nimirum quemadmodum Dædalus inſulà Cretenſi relictâ aptatis ſibi pennis Cumas attigit, vbi nobile delubrum Phœbo dedicauit ibique conſtirit, ita & Normanos ait è finibus Danicis duce Rollone Lutetiam aduolaſſe, vbi pariter nobile delubrum Phœbi repererunt terramque cerealem inhabitandam obtinuerunt : hoc ergo ſolum ſuper eſſe vt artes liberales combibant & Rhetorico nectare pectus fœcundent. Poſtquam igirut Normanicæ petegtinationi Dædali fabulam aptaquiuit Cumis,

Nobile delubrum Phœbo ſtatuitque, dicauit,
Exuit hic pennas moxque ſalutiferas,

Rollonem alloquitur his verſibus.

Propoſitum Cordis Domino committe Tonanti,
Ludicra diſperdat, Fulgura diſcutiat,
Munitum ſenſim pontum te prouehit vltra
Fluminis Almifluo alite ſeptiflui.
Atque ſolo temet ſiſtat pingui & Cereali
Euulſo nemore fruticis & ſilicis,
Rhetoricoque tuum fæcundet nectare ſenſum
Armorico pariter debries & modulo,
Acquiſita aliis plectro cum fidibus ita
Hymniſante Melos pſallere voce queas.

Quod ad ſtarum verò Vniuerſitatis artinet & quoad locum & regimen, nihil fere videtut in ea re mutationis accepiſſe. Nam 1. certum eſt roto hoc ſeculo partim in monte San-Genoueſiano, partim in Atrio Baſilicæ locíſque vicinis conſediſſe. 2. Non eſt quoque dubium, quin à Rectote & à 4. Procuratoribus Nationum gubernata ſit. dico 4. Procuratotibus. Nam vr dictum eſt ad an. 913. toto primo ſæculo videtur Vniuetſitas ex duabus tantummodo Nationibus conſtitiſſe, Gallicana & Anglicana. At poſtquam Normanis certa ſtabiliſque ſedes aſſignara eſt, vt facilius ad fidem conuerterētur, ferinoſque mores ſuauiori diſciplinarum cultu edomarent, operæ pretium fuit eorum pueros ad ſcholas Pariſienſes Publicas admittere, quibus ne damno eſſer & iniuriæ, quod rot mala Regno & præſertim Ciuitari Pariſienſi importaſſent, viſum eſt percommodum & vtile propriam Tribum Nationemque illis concedere, ac proinde Procurarorem Patronumque præficere, qui ab iis iniurias moleſtiaſque propulſaret, ſi quæ forſan infetrenrur. Tum quoque Picardica Nario videtur inſtituta, vt in Quadratura iſta Nationum totum litteratorum corpus ſubſiſteret & contineretur. Hincque Gallicana Natio quæ ante additionem illam omnes iſtas regiones latè complectebatur, duabus iſtis pattibus mutilata eſt.

De Generibus verò Diſciplinarum propter quas frequentata fuerit hæc Academia, ſic videtut ſentiendum, raram fuiſſe hoc ſeculo Theologiæ profeſſionem paucoſque Theologos, vt exiis quæ ſupra ex Adalberone retulimus, ſatis intelligitur. Philoſophiæ verò & aliarum Artium liberalium exercitationem fuiſſe non incelebtem, quando quidem ad eas omni parte addiſcendas Abbo Floriacenſis, Huboldus, Olbertus, Gerbertus quoque Aquiranus Pariſios conueniſſe videntur. Abbo quidem, vt legitut in eius vira pet Aimoïnum Diſcipulum conſcripta, maiora deſiderans ſcientiæ ſcrutari arcana, quàm quæ reperiebantur in ſcholis Floriacenſibus, inter cæteras ſapientiæ officinas Pariſios adiit *ad eos qui Philoſophiam profitebantur*, indeque & ex Remenſi quoque ſchola tam plenè artibus imbutus rediit, vt ſapientiæ magnitudine omnes anteiret Coætaneos.

Digitized by Google

TERTIVM SECVLVM VNIVERSITATIS PARISIENSIS.

Ab anno 1000. ad annum 1100.

LONGO veluti ſopore ſoluti nunc expergiſcimur, & e tenebris ignorantiæ ſua caligine omnes fere mundi partes occupantibus in apertam litterarum lucem prodire incipimus. Superiore enim ſeculo torpuerunt quodammodo delirueruntque Muſæ, & ſi paucas excipias, vſum vocis amiſiſſe videntur. Hoc vero vbique terrarum exurgunt, caputque attollentes canora voce modulantur. Ingenia igitur excitantur, ſocordia damnatur, viri docti audiuntur, ſedulitas ſtrenuitaſque debito præmio compenſantur. In Gallia, Anglia, Italia, Hiſpania, Græcia, Phrygia, Babylonia complures egregij viri ſtudent, docent & ſcribunt.

Apud Arabes in Hiſpania & præſertim Hiſpali ſeu Seuillæ litteræ Hebraicæ florere incipiunt. R. Ioſeph Ben-Iſaac R. Moſis primi Scholæ Cordubenſis Rector Vniuerſum Talmud in linguam Arabicam vertit ad Alhachin Sarracenorum Regem. Ibi Magia publicè docetur & ſummo in honore habetur.

Apud Babylonios R. Haïgaon Talmudicorum Iureconſultorum excellentiſſimus, poſtremus, vt aiunt, de domo Dauid & e Regio Ieconiæ ſanguine 40. annis Scholam Iudaïcam adminiſtrat. Ibi floret Academia Sarracenorum in hiſce Diſciplinis, Medicinâ & Aſtrologiâ Chaldaïcâ, Arabumque, Perſarum, Ægyptiorum & Iudæorum Magiâ, vt habetur in Chronico Caſſinenſi l. 3. c. 34.

Similiter apud Anglos, Italos, Græcos refloreſcere incipiunt Artes & diſciplinæ omnis generis exerceri. Apud Nos in multis Galliarum Vrbibus Scholæ paſſim inſtituuntur, aut iam inſtitutæ ſplendorem reſumunt, Remis, Aureliæ, Carnuti, Andegaui, Lauduni. Ad Pariſienſes verò ex omni mundi parte concurritur, & e minoribus locis ac veluti mercatibus infrequentibus ad celebres Nundinas frequentiſſimumque & locupletiſſimum omnium bonarum Artium Emporium diſcendi gratia conuolatur: adeout Vrbs Regni primaria tot aduenas capere non poſſit, nimiſque ſit anguſta, quàm vt multis ſuas merces explicare volentibus loca commoda aſſignare queat. Itaque alij aliò ſe conferre coguntur. Et vt ad Oceanum omnes aquæ confluunt, ex eoque omnes refluunt: ſic ad Academiam Pariſienſem ex omnibus locis conueniunt Diſcipuli, qui deinde ſcientias conſecuti in aliis vrbibus & oppidis litterarum profeſſionem aggrediuntur. Hinc docet Fulbertus Carnuti, Anſelmus Lauduni, Marbodus Andegaui, Berengarius Turonis, Lanfrancus & Anſelmus ex Italia profecti ad Beccenſe Cœnobium ſe conferunt; Manigaudus de Lutenbach Teutonicus Pari-

ſuis omnibus diſciplinis imbutus in patriam regredirur, & quod didicit, popularibus exponit.

Antequam verò ad Ordinem Chronologicum aggrediamur, tria ſunt præſertim quæ in hoc ſeculo nata Vniuerſitatis Pariſienſis famam propagarunt, Theologia ſcholaſtica circa initiũ; Nominaliũ ſecta circa medium, & Cartuſiani ordinis inſtitutio ſub finem. Ex Theologia Scholaſtica nati ſunt deinde Gradus Academici Baccalaureorũ, Licentiatorum & Doctorũ, de quibus dicetur ad 4. ſeculũ. Eius vero initia altius repetenda videntur, cuius originem aliqui repetunt à Græcis, alij à D. Auguſtino, Baronius & alij ab Agapito Pontifice Romano ſub an. Chriſti 535. Nonnulli à Ioanne Damaſceno circa an. 740. Certè Gregorius Nazianzenus argutias quibus Theologia Scholaſtica plena eſt, Philoſopho Chriſtiano indignas eſſe ſcribit. Baronius ideo huicce nouo generi tradendæ Diſciplinæ Scholam ab Agapito erectam cenſet, ne Apoſtolica ſedes Apoſtolicis tantum innixa traditionibus repuliſſe ſcientiã & examina diſcuſſioneſque refugiſſe videretur, itaque quaſi veritatne non ſatis conſtarent quæ ſimpliciter ſeruanda proponerer, eadem ipſa poſtea quæ docuiſſet, in ſcholis differenda & quæſtionibus ventilanda propoſuit, vti de auro obrizo fieri ſolet, quod lydio probandum lapide vnicuique, vbique & ſemper libenter offertur, occaſione præſertim hæreticorum clamantium quæ pura ſunt ac ſincera, eſſe adulterina.

Caſſiodorus de origine Theologiæ in vrbe Roma diſſerit in Præfat. de inſtitutione Diuinæ lectionis, ait quidem ſe cum Agapito talis ſcholæ inſtituendæ conſilium concepiſſe, at non perfeciſſe propter bellorum terrores & calamitates. *Cum ſtudia ſecularium litterarum*, inquit, *magno deſiderio feruere cognoſcerem, ita vt magna pars hominum ipſa per ſe mundi prudentiam crederet adipiſci, grauiſſimo ſum fateor dolore permotus, quod ſcripturis Diuinis Magiſtri publici deeſſent. Cum mundani authores celeberrima proculdubio traditione pollerent. Niſus ſum cum Beatiſſimo Agapito vrbis Romæ, vt ſicut apud Alexandriam multo tempore fuiſſe traditur conſtitutum, nunc etiam in Niſibili ciuitate Syrorum Hebræis ſedulo fertur exponi, collocatis expenſis in vrbe Roma Profeſſos Doctores ſchola potius acciperent Chriſtiana, vnde anima ſuſciperet æternam ſalutem, & caſto atque puriſſimo eloquio fidelium lingua comeretur. Sed cum propter bella feruentia & turbulenta nimis in Italico Regno certamina deſiderium meum nullatenus valuiſſet impleri, quoniam non habet locum res pacis temporibus inquietis, ad hoc diuina claritate probor eſſe compulſus, vt ad vicem magiſtri introductorios vobis libros iſtos Domino præſtante confecerim.*

Poſt Agapitum Damaſcenus ſcripſit præcepta Grammatices an. Chriſti 700. vnde ortam aiunt Diſciplinam illam quæ Scholaſtica nuncupatur, quamque comparant cum famoſa illa Scylla veterum ad ſpeciem quidem pulchra, ſed latrantibus monſtris ſuccincta, vt pote refertam mille quæſtionibus & diſtinctionibus inutilibus. In quo genere cum Ioannes Erigena ſub Carolo Caluo famam comparaſſet apud Curioſos & vanarum ſubtilitatem ſtudioſos, ab aliis Theologis deſpectus fuit & contemptus veluti Theologiæ Chriſtianæ ignatus.

At in hoc ſeculo adoleuit vireſque acquiſiuit eundo. Eius autem tres quodammodo ætates aſſignant, Primam, mediam & vltimam. Primæ initia ducit Danæus in ſuis ad lib. 1. Sententiarum Prolegomenis à Lanfranco, eamque temporibus Alberti magni terminat, nimitũ ab an. circiter 1020. vt putat, ad an. 1220. aut circiter. Cui inſtituendæ occaſionẽ ait dediſſe diſputationes de myſterio Euchariſtiæ & transſubſtantiatione, Berengarii ſuperbiam & Lanfranci acrimoniam. Quæ ætas habuit Lanfrancum, Berengarium, Guirmundum, Anſelmum, Abaelardum, Hugonem de S. Victore, Gratianum, Petrum Lombardum, Comeſtorem, Petrum Clericum, Rupertum Tuitienſem, Leonem Tuſcum, Wilielmum Antiſſiodorenſem, Alanum de Inſulis, Alanum de Ripatorio & alios innumerabiles.

Media ætas ab Alberto Magno ad Durandum de S. Portiano centum circiter annos complectitur, eaque Ariſtotelis ſcripta ſic vſurpauit, vt in probandis diuinis myſteriis Philoſophi illius authoritate niterentur, criminique verterent ab illius dogmatis recedere. Tum ridiculas quæſtiones inualuiſſe ait Danæus, melius ſilentio premendas, quã calamo exarandas. Tum Quodlibetarias Quæſtiones introductas; quibus quia in vtramque partem probabiliter diſputabatur, ita dubius & anceps vacillabat animus, vt quid tenendum, quid reprobandum eſſet, non facile agnoſceret.

Digitized by Google

Vltima denique ætas à Durando de S. Porciano qui florebat circa an. 1280. ad noſtra vſque tempora producitur, eamque omnium peſſimam eſſe putat Danæus: & cum eo omnes fere Hæretici ſcriptores. Neque illi tantùm, ſed plurimi quoque Catholici hocce genus Theologiæ omnino improbant. Trithemius ait ab. an. circiter 1000. Philoſophiam ſecularem ſuâ curioſitate inutili ſacram Theologiam fœdare cœpiſſe. In libro quoque de Huſſij Doctrina & rebus geſtis c. 4. ſic legitur.

Ab anno Chriſti 1400. Sana Apoſtolica Euangelij doctrina traditionibus humanis, quibus Deus fruſtra colitur, deprauari cœpit vſque ad an. 1554. qua Petrus Lombardus cognomento Magiſter ſententiarum: id quod anteceſſores ſui Lanfrancus an. 1071. Anſelmus 1094. Hugo 1127. & Gratianus ex humanis Pontificum traditionibus corraſerunt, in vnam ſarcinam conſtrinxit, & pro ſana Chriſtiana Biblicaque Doctrina venditauit: idque poſtmodum tantæ authoritatis fuit, vt in omnibus diſputationibus ipſius ſaltem ſcriptorum ratio habenda, ipſiq; vſitata loquendi forma vſurpanda omnino fuerit, donec res eo deuenit vt ſacroſancta Diuina ſcriptura neglecta in id ſaltem reſpiceretur, quod Sedi Romanæ vel Magiſtra ſententiarum probaretur. Huius veſtigiis inſtiterunt Albertus Sueuus ordinis Prædicatorum & Epiſcopus Ratiſponenſis, Thomas Aquinas Italus an. 1223. Pariſiis eruditus & an. Chriſti 1274. vita functus, Ioannes Duns Scotus & alij plures qui in dies veritatem immiſſo falſo cultu obſcurarunt.

Georgius Hornius lib. 6. de Hiſtoria Philoſophica c. 2. & ſeq. tres eaſdem Theologiæ ſcholaſticæ ætates ponit, ſed primam arceſſit à Ioanne Damaſceno, qui in oriente viuebat circa an. 740. at in occidentali plaga primum gradum ad eam vult ſtruxiſſe Lanfrancum Papienſem omnium ſui temporis in Dialectica doctiſſimum habitum teſte Trithemio: in cæteris conſentit cum Danæo. Huiuſce autem Theologiæ generis fatentur omnes cauſam fuiſſe nimis curioſam Ariſtotelicæ doctrinæ lectionem, quæ olim e ſcholis præſertim Theologicis omnino exulabat, teſte Beda in Cap. 7. Leuitici. *Humana*, inquit, *doctrina, Grammatica, aut Rhetorica aut Dialectica, ex quibus in his quæ de fide ſentienda ſunt, nihil accipiendum.* Imò nec in ſcholis Liberalium Artium admittebatur; cuius loco Lutetiæ olim S. Auguſtini Dialecticã prælectam videmus, vt Odonis Cluniacenſis exemplo clarum fit, qui circa an. 900. apud Remigium Antiſſiodorenſem, qui tunc e Remenſi Schola Pariſios reuerſus docebat, *Dialecticam S. Auguſtini Deodato filio ſuo miſſam perlegit*, vt legitur in eius vita. At hoc ſeculo occaſione præſertim Berengarianarum diſputationum cœperunt curioſi, & maximè illi qui ei fauebant aut fauere videbantur, Ariſtotelis Dialecticam in ſcholas inducere. Vnde etiam factum, vt qui primi nouitate vocum & ſcholaſticis argutiis inter exercitationes Scholaſticas vſi ſunt, pro hæreticis habiti ſint, Roſcelinus, Abaelardus, Lombardus, Gilbertus Porretanus, Petrus Pictauinus & alij: vt legitur in prologo librorum 4. quos Gualterus Prior San-Victorinus contra 4. illos poſtremos compoſuit. *Quiſquis hoc legerit*, inquit, *non dubitabit 4. labyrinthos Franciæ*, (id eſt Abaelardum, Lombardum, Petrum Pictauinum & Gilbertum Porretanum) *vno ſpiritu Ariſtotelico afflatos dum ineffabilia Trinitatis & Incarnationis Scholaſticâ leuitate tractarent, multas hæreſes olim vomuiſſe & adhuc errores pullulare.* Hæc generatim de doctrina huius ſæculi.

Mores quoque initio fuiſſe corruptiſſimos teſtis eſt Glaber Rodulphus in fine lib. 3. cuius corruptionis cauſam ait fuiſſe fœcem Aquitanicam cum Conſtantia Regina Roberti vxore in Franciam & Burgundiæ partes profectam, homines nempe, vt ait, omni leuitate vaniſſimos, moribus & veſte diſtortos, armis & equorum phaleris incompoſitos, à medio capitis nudatos, hiſtrionum more barbis raſos, caligis & ocreis turpiſſimos: fidei & pacis fœdere omnino vacuos huc migraſſe, Galliamque infeciſſe. Quam morum corruptionem quiſquis ex Francis carpere & reprehendere audebat, ſibilo ſtatim excipiebatur, tanta erat eorum impunitas. Vnus tanti mali radices amputare aggreſſus eſt Willielmus Abbas S. Benigni Diuionenſis, qui quod gratiâ & authoritate valeret plurimum, apud Regem & Reginam effecit, vt in tota Gallia reformatio fieret omnis ſtatus hominum, vtque à Monachis & Eccleſiaſticis ſecularibus initium ſumeretur. Inuehitur in eiuſmodi corruptionem Rodulfus verſibus, quos in eam rem compoſuit, omniumque malorum iſtorum cauſam coniicere videtur in Reginam

Conſtantiam, quæ ex vitio Patriæ hoc habebat, vt vaniſſima eſſet, quæque Regnum ſub marito nimis vxorio ad libitum gubernabat. Sic ergo ille.

Anno poſt Dominum terris de virgine natum
Milleno, grauibus homines erroribus acti,
Dum cupimus rerum ſpecies intendere plures
Præteritiſque placet ſtudiis componere mores,
Obiectat ſe ſe nouitas incauta periclis.
Ecce priora ſibi rident & tempora noſtri
Ludicra quæque probris ſociant tamque vſibus aptant,
Turpia nec horrent, animis & ſeria calcant.
Quæ iuſtos rexere viros, honeſta refutant.
Corpore peruerſo creat hac nunc vita tyrannos,
Truncâ veſte viros, ſine fœdere pacis ineptos.
Conſilio muliebre gemit Reſpublica laxa
Fraus, raptus, quodcumque nefas dominantur in Orbe.
Nullus honor ſanctis, nulla eſt reuerentia ſacris.
Hinc gladius, peſtiſque fames, populantur vbique
Nec tamen impietas, hominum correcta pepercit.
Ac niſi magna Dei pietas protenderet iram,
Infernus hos terricrepo conſumeret ore,
HOC HABET INFELIX PECCANDI CONSVETVDO,
QVOD PLVS QVIS PECCAT, MINVS HIC PECCARE PAVESCAT.
QVIQVE MINVS PECCAT, MAGIS HIC PECCARE TIMESCAT.

Nec probiorem fere vitam agebant Monachi, vt legitur in vita Burchardi Comitis ab Odone Foſſatenſi conſcripta. Illi enim magis erant dediti venationi, quàm officio Diuino; pluſque illecebris mundi, quàm precibus, plus ſtudiis ſeculi, quàm Liberalium artium & Theologiæ diſciplinis. Vt probat idem author exemplo Magenardi Abbatis Monachorum Foſſatenſium. Similiter Adalbero Epiſcopus Laudunenſis in carmine ad Robertum ridiculum exponit Oidilonis Abbatis Cluniacenſis comitatum Monachalem, & profectionem ad ſummum Pontificem; comitatum, inquam, Monachorum ingenti numero galeis, loricis, gladiis cinctorum: itaut videretur acies armatorum potius, quàm Monachorum comitatus. Fingit autem Oidilonem virum reuera bonum, ſed nimis facilem petentibus Monachis, quo apparatu placeret Romam proficiſci, ita mandare & imperare.

Lunaris pendere priùs debet tua pelta:
Inſuper apponat tibi loricamque trilicem.
Lubrica ſuſtineant galeam cinctoria lumbi:
Corrigiis caput adſtrictum mucrone corones.
Spicula poſt tergum teneas, tum dentibus enſem.
Et cogit iuuenes lentos adſcendere currus,
Atque ſenum præcepit equos conſcendere turbam.
Aſcendunt aſinum bini, deníque camelum:
Si non ſufficiunt, bubalum conſcendite terni.
Millia mille viri procedunt ante Quirites.

Huiuſce autem corruptionis tolerantiam Regi exprobrat, nec ſatis eſſe innuit vacare ipſum litteris & pietati, at inſuper debere ſubditos coercere, cum laxiori vitæ ſe permittunt. Paulo poſt verò virorum illuſtrium tàm Laïcorum, quàm nonnullorum Religioſorum operâ factum eſt, vt Monachi vitam moreſque reformarent, turpe reputantes à Roberto Rege aliiſque laïcis Principibus vinci pietate & amore litterarum. Non parum quoque contulit ad reformationem Burchardus Comes Melidunenſis Reginaldi Epiſcopi Pariſienſis pater, qui Foſſatenſe Monaſterium ad regulam reduxit. Et inter Monaſticæ vitæ profeſſores Maiolus Abbas Cluniacenſis, cuius opera idem Burchardus vſus eſt. Verum in eã rem nemo ſtudioſius feliciuſque incubuit, quam Willielmus S. Benigni Diuionenſis Abbas e Monaſterio Luceio Cluniacum à Maiolo adductus & poſtea ab Epiſcopo Lingonenſi Brunone an. 990. factus Abbas: ille enim, vt habetur in Chronico Benigniano, *regularis vitæ Diſciplina, quæ iam pœne deciderat per vete-*

Digitized by Google

rum negligentiam pro vt B. Benedictus eam compoſuit, in priſtinum ſtatum corrigendo reſtaurauit, ac per diuerſas mundi partes per plura Monaſteria à regulari tramite deuia tam per ſe, quàm per ſuos quos Abbates ordinauerat, Monaſtico ordini ſubdidit.

Sub huiuſce viri diſciplinam plurimi præſtantes ingenio & doctrina iuuenes concurrerunt, & inter alios Hunaldus, Rodulphus cognomento Albus, Theodericus ciuis Diuiooenſis filius poſtea Fiſcanenſis Abbas, Lidbaldus, Benedictus Metenſis Clericus, Arnulfus Tullenſis *litteris apprimè eruditus omniq; mundana ſapientia doctus*, vt legirur in eodem Chtonico. Imo & Epiſcopi nonuulli & Abbares illius ſe regimini ſubmiſerunt relictis Epiſcopiis: Albingarenſis, quæ ciuiras eſt ſupra Gennuam, Barnabas natione Græcus, Beoignus quoque Epiſcopus, Ioannes Capuanus Abbas, Ioannes Rauennas Abbas S. Apollinaris, Benedictus Abbas S. Seueri, Anaſtaſius, Marcus & alij plures. Inrer cæteros verò duos habuit inſigoes Magiſtros ſibi quoque ſubditos, Ioannem & Paulum littetis eruditos, quorum ſapientia ad ſalutem multarum profecir animarum.

Huius quoque eximij viri opera vſus eſt Richardus Normanorum Dux ad reformationem Cœnobij Fiſcanenſis, ad quem multi ſtatim coouenerunt nobiles viri tam Clerici, quam laïci, eius doctrina cupienres inſtitui: inter quos commemorantur Oſmundus Epiſcopus, Locelinus & Beringarius Clerici liberalibus artibus apprime eruditi, Roberti Regis aulam deſerentes: & ex Anglia Clemens vir nobilis & tegali proſapia clarus. Tandem relicto Fiſcanenſi Cœnobio quod per 30. annos rexit, præfecit eidem Ioannem eiuſdem loci Priorem patria Rauennatem, reformatiſque aliis Cænobiis Gemmeticenſi, Sancti Michaëlis de Monte, S. Germano-Pratenſis, ad quod à Roberto Rege euocatus fuerat, S. Faronis Meldenſis, Ftuctuarienſem locum ſibi in teliquum vitæ tempus delegit ad habirandum, deſiderans in Patrio ſolo quieſcere. Hæc ex Chronico S. Benigni, cuius Author ſub Roberto & Henrico eius filio floruit. Vnum addit quod non videtur ſilentio prætereundum, cum commemorat beneficia à Willielmo Diuionenſi Cœnobio collata, ſcilicet vſum fuiſſe Girberto quodam Monacho ſuo in ſcribendis libris ad augendam Bibliothecam. *ſuper cætera*, inquit, *quæ geſſit, hanc Eccleſiam S. Benigni, librorum ornamento decorauit ipſe impenſas tribuendo: & Domnus Girbertus ſcribendo: fuit autem Girbertus exprimis quos nutriuit Domnus Abbas Willielmus & ab officio ſcriptor eſt appellatus.* Caue autem hunc confundas cum Gerberto Auteliacenſi Monacho, de quo ad ſuperius ſeculum multa diximus.

Hinc ergo excitata eſt inter viros doctos honeſta quædam æmulatio, creuitque laudabilis ſtudiorum ardor exemplo Regis, qui & eos amicè cõplectebatur, & litteris ipſe vacabat. Itaque multi ad profeſſionem litterarum tam intta, quàm extra cœnobia ſe contulerunt: intra quidem willielmi prædicti ioſtiruto & operâ: extra vero Roberti exemplo excirati, qui quod nimis addictus eſſet litteris à nonnullis *Muſarum ſacerdos* ſeu *Muſardus* dicebarur: vox enim iſta noſtra Gallo-Romana *Muſer* qua orium ſignificamus, proculdubio à Muſis deducta eſt, qui enim ſe Muſis applicant, otium & ſeceſſum quæruot, neque negotiis ſe implicant: itaque ille innuens difficile eſſe omnibus placere, reſponder Adalberoni in carmine, quod ſiquis Muſas amplectatur, ſtatim ab inepcis & indoctis *Muſardus* vocetur.

Si Muſas celebres, clament Muſarde ſacerdos.

Sed Chronologiam noſtram aggrediamur.

Anno ergo 1000. poſt mortem Seguini ſeu Seuini Archiepiſcopi Senonenſis 1000.
magna contentione de ſucceſſore deligendo orta, tandem Leothericus Gerberti quondam apud Remos diſcipulus maioris partis conſenſu electus, ab eodem Gerberto tum Papa confirmatut: qua de re ſic legitur io Chronico S. Petti Viui Senonenſis. *Anno milleſimo acclamante Clero & populo electus eſt in Epiſcopatu Domnus Leothericus ipſius Eccleſia Archidiaconus, cui reſiſtebant plurimi Clericorum cupientes Epiſcopium: quâ de re Romam adiit Gerbertum Papam qui & Silueſter dictus eſt, cuiuſque Diſcipulus in Remenſium vrbe fuerat Iuuenis. Quem ille gratanter recepit, cum benedictione Apoſtolica remittit & totius Gallia primatum dedit. Vnde rediens Senones cũ pace ſuſceptus eſt à Clero & populo honorificè. Volentibus autem eum inthronizare, prohibuit Frotmundus Comes natus ex mala progenie: habebat enim filium Clericum no-*

Digitized by Google

mine Brunonem quem volebat Epiſcopum facere. Quare Domnus Leothericus iterum Papam adiit, qui mittens litteras ſuas ad ſuffraganeos Eccleſiæ Senonenſis iuſſit, vt congregati in vnum Apoſtolica authoritate cum ordinarent; qui iuſſa complentes ordinauerunt eum apud S. Faræ Monaſterium.

Sub finem huius anni homo quidam plebeius Leuthardus nomine apud Vicum Virtutis in Pago Catalaunico nimio ex labore agriculturæ correptus ſomno ſibi videre viſus eſt examen apum per ſecreta naturæ ingredi in corpus & per os erumpere admonereque crebrò pungendo, vt quæ hominibus erant impoſſibilia, tentaret. Ille itaque fanatico quodam ſpiritu agitatus dimiſſâ vxore veluti ex præcepto Euangelico Eccleſiam ingreſſus Crucem accipit & Saluatoris imaginem conterit. Mirantibus autem Ruſticis & inſanum reputantibus, id ſe dixit facere certo Dei ductu & monitu; & protinus Doctor apparuit, contrariaque ſanæ Doctrinæ, ſed Ruſticorum mentibus commoda, grata & conuenientia effutire cœpit. Nam vt ait Rodulphus l. 2. c. 11. *decimas dare dicebat eſſe omnimodis ſuperfluum & inane. Et ſicut hæreſes cæteræ, vt cautius decipiant, ſcripturis ſe Diuinis quibus etiam contrariæ ſunt, palliant; ita & ipſe dicebat Prophetas ex parte narraſſe vtilia, ex parte non credenda. Cuius etiam fama quaſi alicuius mente ſani ac religioſi in breui ad ſe traxit partem non modicam vulgi. Quod comperiens vir eruditiſſimus Gebuinus Senex Epiſcopus, in cuius ſcilicet erat Diœceſi, accerſiri illum ad ſe iuſſit. Quem cum interrogaſſet de vniuerſis, quæ dixiſſe vel feciſſe compererat, cœpit venenum ſuæ nequitiæ occultare, cupienſque quod non didicerat de Scripturis ſacris teſtimonia ſibi aſſumere. Audiens verò ſagaciſſimus Epiſcopus non eſſe conuenientia, imò non magis turpia quàm damnabilia oſtendenſque hominem inſanientem hæreticum factum, reuocauit ab inſania populum ex parte deceptum, Catholicæque plenius reſtituit fidei. At ille cernens ſe deuictum atque ambitione vulgi deſtitutum ſemet puteo periturus immerſit.*

Eodem tempore in Italia apud Rauennam Quidam Magiſter Scholarum nomine Wilgardus Grammaticæ profeſſor ita ſuis Authoribus profanis addictus erat, vt pro Sacris Scripturis eos haberet, pluſque illis deferendum eſſe diceret, quàm vlli Eccleſiæ Doctori: ſed accerſitus, interrogatus, correctus & damnatus à Petro vrbis Pontifice blaſphemiam abiurauit: qua de re ſic habet
» idem author. l. 2. c. 12. Ipſo quoque tempore non impar apud Rauennam exor-
» tum eſt malum. Quidam igitur Vuilgardus dictus ſtudio Artis Grammaticæ
» magis aſſiduus quàm frequens, ſicut Italis mos ſemper fuit, artes negligere cæ-
» teras, illam ſectari. Is enim cum ex ſcientia ſuæ artis cœpiſſet inflatus ſuperbia
» ſtultior apparere, quadam nocte aſſumpſêre dæmones Poëtarum ſpecies; Vir-
» gilii & Horatij atque Iuuenalis, apparenteſque illi fallaces retulerunt grates,
» quoniam ſuorum dicta voluminum charius amplectens exerceret, ſeque illorum
» poſteritatis felicem eſſe præconem. Promiſerunt ei inſuper ſuæ gloriæ poſtmo-
» dum fore participem. Hiſque dæmonum fallaciis deprauatus cœpit multa
» turgidè docere fidei ſacræ contraria dictaque Poëtarum per omnia credenda
» eſſe aſſerebat, ad vltimum verò hæreticus eſt repertus atque à Pontifice ipſius
» vrbis Petro eſt damnatus.

Idem author commemorat eodem loco nonnullos alios hæreticos ſurrexiſſe in Italia & Sardinia, partemque Hiſpaniæ corrupiſſe, at à Catholicis tandem fuiſſe expulſos. Quod præſagium ait congruere prophetiæ Ioannis aientis Sathanam expletis mille annis ſoluendum. Et reuera frequentiores eſſe cæperunt deinceps hæreſes, pluſque fere ingenij viribus & argutiis homines tribuerunt, quam fidei documentis.

De Carolo M.

Eodem anno Otho Imperator teſte Sigonio 5. id. Maias apud Aquiſgranum Caroli M. Oſſa, quæ tum populo erant incognita è tenebris eruit, eaque honorificentiore tumulo collocauit. Qua de re ſic ſcribit Ademarus Engoliſmenſis. Qui-
» bus diebus Otho Imperator per ſomnium monitus eſt vt leuaret Corpus Caroli
» M. Imperatoris, qui Aquis humatus erat, ſed vetuſtate obliterante ignorabatur lo-
» cus certus vbi quieſcebat, & peracto triduano ieiunio inuentus eſt eo loco, quem
» per viſum cognouerat Imperator, ſedens in aurea Cathedra intra arcuatam ſpe-
» luncam infra Baſilicam B. Mariæ coronatus ex auro & gemmis tenens ſceptrum
» & enſem ex auro puriſſimo, & ipſius corpus incorruptum inuentum eſt, quod
» leuatum populis demonſtratum eſt.

Quidam

Digitized by Google

Quidam verò Canonicorum eiuſdem loci Adalbertus cum enormi & procero corpore eſſet, coronam Caroli, quaſi pro menſura capiti ſuo circumponens inuentus eſt ſtrictiori vertice, coronâ amplitudine ſuâ vincente circulum capitis: Crus proprium verò ad Crucis menſuram Regis dimetiens inuentus eſt breuior, & ipſum eius Crus protinus diuina virtute confractum eſt, qui ſuperuiuens annis 40. ſemper debilis permanſit. Corpus verò Caroli conditum in dextro membro Baſilicæ ipſius retro altare S. Ioannis Baptiſtæ & crypta aurea ſuper illud mirificè eſt fabricata, multiſque ſignis & miraculis clareſcere cœpit. Non tamen ſolemnitas de ipſo agitur, niſi communi more Anniuerſarium defunctorum. Solium eius aureum Imperator Otho direxit Regi Boriſclauo pro reliquiis Adalberti Martyris.

Obiter hîc notandum aut eſſe mendum in numero annorum, quibus Adalbertus poſt tactum Caroli M. corpus ſuperuixiſſe dicitur; aut ante hunc annum fuiſſe Corpus eius e tumulo vetuſto eductum: aut denique Ademarum non an. 1028. obiſſe, vt vulgo fertur: niſi dicamus, hæc quæ de Othone refert, fuiſſe ab aliquo interpolatore inſerta.

Anno 1001. obiit Henricus Burgundiæ Dux Roberti Regis Patruus ſine prole 1001.
maſcula, atque ita Burgundia ſub iugum Francicum rediit: non tamen ſine bello. Eodem anno more Gallicano nempe 12. Cal. Feb. vel an. 1002. more Ro- 1002.
mano moritur Otho III. Imperator Gerberti quondam Diſcipulus, qui cum profectus fuiſſet Romam, vt iura Regni & Eccleſiæ ad ſtatum antiquum reduceret, obſeſſus fuit à Romanis coactuſque cum Silueſtro certis conditionibus ex vrbe diſcedere, & paulo poſt accepto chirothecarum venenato munere à Creſcentij vxore, cuius amoribus correptus fuerat, interiit apud Paternum in Lombardia. Hac morte intellecta duo ſtatim Regnum occupare contendunt, Harduinus Italiam, Hermanus Germaniam: ſed tandem poſt annum Henricus Bauariæ Dux vir ſtrenuus, cuius auus frater fuerat Othonis, Electorum ſuffragiis Imperator proclamatus eſt, atque à Willigiſo Moguntio Archiepiſcopo inunctus. Et iſte vt aiunt, omnium primus à ſeptem Electoribus deſignatus & ad ſolium euectus eſt iuxta legem ab Othone latam, de qua ad ſuperius ſeculum diximus. Crediderim tamen Electorum numerum, ſi tunc fuerunt Electores, nondum fuiſſe ſeptenarium.

Anno 1003. 4. id. Maias obit Silueſter II. ante promotionem Gerbertus dictus: 1003.
de quo ſatis multa ſuperiore ſeculo. Hic eius Epitaphium tantummodo à Sergio qui, paulo poſt ad Pontificatum Maximum peruenit, conſcriptum apponemus, vt conſtet quàm falsò aliqui Itali ſcriptores ei magiæ crimen affingant. Fuit autem tumulatus in Eccleſia Lateranenſi.

Iſte locus mundi Silueſtri membra ſepulti
Venturo Domino conferet ad ſonitum.
Quem dederat mundo celebrem doctiſſima virgo,
Atque Caput mundi culmina Romulea.
Primum Gerbertus meruit Francigena ſede
Remenſis populi Metropolim Patriæ.
Inde Rauennatis meruit conſcendere ſummum
Eccleſiæ regimen nobile ſicque potens.
Poſt annum Romam mutato nomine ſumpſit,
Vt toto Paſtor fieret orbe nouus.
Cui nimium placuit ſociali mente fidelis
Obtulit hoc Cæſar tertius Otho ſibi,
Tempus vterque comit clara virtute ſophiæ,
Gaudet & omne ſeclum frangitur omne reum.
Clauigeri inſtar erat Cœlorum ſede potitus
Ternâ ſuffectus cui vice paſtor erat.
Iſte vicem Petri poſtquam ſuſcepit, abegit
Luſtralis ſpatio ſecula morte ſui.
Obriguit mundus diſcuſſa pace, triumphus
Eccleſiæ nutans dedidicit requiem.
Sergius hunc loculum miti pietate ſacerdos

Succeſſorque ſuus compſit amore ſui.
Quiſquis ad hunc tumulum deuexa lumina vertis
Omnipotens Domine, dic miſerere ſui.

Siluestro ſucceſſit Ioannes 18. ſeditque menſibus 5. diebus 25. & vacauit ſedes diebus 19. Huius tempore aiunt Regem Hungrorum ad fidem fuiſſe conuerſum, nomenque Stephani in Baptiſmo accepiſſe, & ei Henricũ Imperatorem dediſſe ſororem in coniugem. Tunc autem temporis peregrini Hieroſolymitani, Itali & Galli relicto maris itinere per Hungariam proficiſci cœperunt excipiente illos benigniſſimè Rege Stephano & muneribus proſequente, vt refert Rodulphus l. 3. c. 1. *Cuius gratia*, inquit, *prouocata innumerabilis multitudo tam nobilium quàm vulgi populi Hieroſolymam abierunt.* Cœperunt quoque iiſdem temporibus in toto Orbe Chriſtiano, præſertim verò in Italia & Gallia Baſilicæ Deo dicatæ inſtaurari & decentiore ornatu decorari: itaut mundus reiectâ vetuſtate renouari videretur.

Tunc quoque Heriuæus Turonenſis Archiclauus & Theſaurarius S. Martini Turon. Monaſterium reædificauit magnis ſumptibus. Cuius eximij & incomparabilis viri virtutes deſcribit Rodulphus eodem lib. c. 4. *Duxit*, inquit, *ex nobilibus Francorum, mente nobilior ipſe, proſapiam; & vt lilium vel roſa de ſpinis, de ferocioribus ſecundum ſanguinem patriæ fuit. Qui vt generoſioribus mos eſt nobiliter educatus, dehinc verò* SCHOLIS LIBERALIVM ARTIVM *applicatus. Sed intelligens ex his pleroſque plus fore contumaces, quàm Diuinæ obedientiæ ſubditos, ſufficere ſibi credidit, ſi exinde ſalutem animæ reportaret. Relictis autem Pompaticæ ſcientiæ ſtudiis ad quoddam Monaſterium clam ingrediens Monachum ſe fieri ſatis deuotè poſtulauit.*

Eodem anno Abbo Floriacenſis Abbas in Vaſconiam ad reformandum Regulæ Cœnobium profectus, orto inter Vaſconas & Francos Comites diſſidio ab impiis Monachis perimitur: cuius vitam moreſque Aimoïnus Monachus quoque Floriacenſis, teſtis eius mortis oculatus anno 1004. deſcripſit & Heriuæo prædicto dedicauit, ſic eum in fine alloquens. *Hæc de vita, moribus & actibus, nec non martyrio ſanctiſsimi Patris noſtri Abbonis partim à fidelibus viris audita, partim à nobis viſa, ad te Reuerendiſſime Clericorum Heriuæe, vt tua Sanctitas petiit, veraci pro poſſe relatu ſcripſimus. Nunc tuam expoſcimus benignitatem, quatenus pro nobis Domini implores clementiam, vt ſi quid forte eum in noſtra offendimus narratione, ipſe ſua piiſſima indulgere dignetur miſeratione.*

Eodem anno Ioannes XIX. patria Romanus Pontificatum aſſumit ſedetque annis 4. menſibus 4. quo tempore inquit Laziardus Cœleſtinus in Epitome ſuæ Hiſtoriæ Vniuerſalis *in diſputationibus Robertus Rex Franciæ nulli ſecundus habitus eſt Regulorum huius temporis, vehementer incuſans qui libidini tantum obnoxij piaculum exiſtimant litteras diſcere. Robertus verò aliter ſentiens, etiam horas Canonicas, vbi licebat, cum Clericis decantabat.*

1004. Ad an. 1004. refert Baronius Leuthericum Senonenſem Archiepiſcopum, olim Gerberti Diſcipulum & ab eo Papa facto contra multorum ſententiam benedictione pallióque Archiepiſcopali eum Primatia donatum, de veritate Corporis & Sanguinis Domini in Euchariſtia dubitantem à Roberto Rege Pio & Docto fuiſſe acriter increpitum: hincque increbreſcere cœpiſſe rumorem illius blaſphemiæ, quam poſtea Berengarius Turonenſis apertè profeſſus eſt. Hac de re ſic habet Helgaldus in vita Roberti. *Præſuli cuidam de Domino non bene ſentienti & quærenti pro quibuſdam cauſis probationem in corpore Domini noſtri I. C. indignè tulit Rex amator bonitatis & ſcripſit ei in his verbis. Cum ſit tibi nomen ſcientiæ & non luceat in te lumen ſapientiæ, miror quâ ratione quæſieris pro tuis iniquiſſimis imperiis & pro infeſtato odio quod erga Dei ſeruos habes, examinationem in Corpore & Sanguine Domini; & cum hoc ſit quod à dante ſacerdote dicitur*, Corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti ſit ſibi ſalus animæ & Corporis, *cur tu temerario ore & polluto dicas*, Si dignus es, accipe; *cum ſit nullus qui habeatur dignus? cur diuinitati attribuis ærumnas corporis & infirmum doloris humani Diuinæ connectis naturæ? irrans Domini fidem, Princeps Dei, priuaberis, inquit, honore Pontificis niſi ab his reſipueris, & damnaberis cum his qui dixerunt Domino Recede à Nobis, & non communicabis his quibus dicitur, appropinquate Deo & appropinquabit vobis. His verbis præſul bene*

Origo Hæreſeos de myſterio Euchariſtia.

correctus à Rege pio & bono ſapienter inſtructus : quieuit obmutuit , & ſiluit à dogmate peruerſo , quod erat contrarium omni bono & iam creſcebat in ſeculo. Item in vita Ioannis 19. leguntur hæc verba. *Huius tempore Leuthericus Senon. Archiep. hæreſis Berengarianæ primordia & ſemina ſparſit.* Verum licet ſuſpicio ſit dubitaſſe Leuthericum de veritate Corporis Chriſti, id tamen ex verbis Helgaldi euinci clarè non poteſt, ſed hoc tantum, quod dignos putaret accipere Corpus Chriſti, non indignos. Vt vt ſit.

Hinc Hæreſeos de Euchariſtiæ myſterio ſumi poteſt exordium. Nam poſtquam Leothericus, qui ab omnibus vir doctiſſimus habebatur, quæſtionem illam mouere cœpit, licet eo increpito & tacere iuſſo non deſtiterunt tamen curioſi nouitatis eandem in ſcholis agitare. Tumque Fulbertus qui Scholas Carnotenſes habebat, à diſcipulis rogatus, vt quid ſentiret, quidque ſentiendum foret, explanaret, eandem in ſcriptis tradidit & veram orthodoxamque ſententiam propugnauit. Admonuit autem Leothericum, vt cautè circumſpiceret quid rei moliretur. *Proreta nauis Regiæ*, inquit, *cautus & circumſpectus eſto. Terreni ſpiritus inſolenter aſſibilant. Fluctus huius ſeculi intumeſcunt : promontoria mundanæ poteſtatis pericula minantur & mortes more Pyratarum inſidiantur hypocritæ.*

Fulbertus autem iſte Gerberti quoque Diſcipulus ex Magiſtro ſcholarum factus Cancellarius Eccleſiæ Carnotenſis, omnium ſui temporis doctorum doctiſſimus habitus eſt, paulò poſt Carnotenſis Præſul factus ab omnibus pro ingentibus meritis ſuſpiciebatur & expetebatur. Rodulphus l. 4. c 4. eum vocat *Preſulem incomparabilem* & virum ſapientiſſimum. Willielmus Aquitaniæ Dux Theſaurariam S. Hilarij Pictauienſis ei obtulit, vt legitur in Hiſtoria Aquitanica his verbis, *Fulberto quoque ſapientia valde ornato Epiſcopo Carnotenſi pro reuerentia Philoſophiæ eius à Francia ad ſe euocato Theſaurariam S. Hilarij gratis tribuit & ſummo honore eum excoluit.* Abboni Floriacenſi Comphiloſopho familiatiſſimus & amiciſſimus fuit, vt vel ex hac ad ipſum Ep. 21 patet.

Pleno virtutis et gratiæ circumfuso charissimo Patri Abboni Fulbertus suus. Quanam te reſalutatione digner, ô ſacer Abba ! ô magne Philoſophe, quod rependam muneris ſanctæ amicitiæ quam promiſerunt ſigna gemmatæ facundiæ, vix æſtimare ſufficio. Nam cum illa quæ dicuntur eſſe, victor animo teneas, cum illa quæ non eſſe, forſitan vilipendas, quid Ego conferre poſſim, quod tu aut non habeas, aut non habere contemnas? Sed quoniam Philoſophicis eſſentiis magnum quiddam ſupereſt, atque ex his quæ non eſſe dicantur, quædam perpetua fiant, ideoque ſapientibus aliquando grata ſunt, recipe quæſo quod ab vtroque lectum tibi offero. Denique vt participando ſuper eſſentiam Deitatis Dominus fias, ſic te reſaluto ac perennem fidelitatis habitum amicitiæ tuæ rependo, hac ſcilicet differentia tuam beneuolentiam meamque diſtinguens, vt illa pro maieſtate perſonæ gratia vocetur, vt Domini, iſta fidelitas, vt alumni. Præceptis itaque tuis modeſtiſſimè deſeruire cupiens Mediolano Diſcipulo, quod precatus es facio, quæque ſibi ſcribenda petiſti, ea omnia fere iuxta fidem exarata tranſmitto.

Tunc Fulbertus nondum erat Epiſcopus, ſed priuatus Monachus S. Petri in valle Carnotenſi ſub Epiſcopo Rodulpho, vt indicat quæ habet in eadem Epiſtola de intruſione cuiuſdam Magenardi Monachi in Abbatem : qui nempe videns Abbatem ſuum periculosè decumbere, ad Theobaldum Comitem qui tunc Bleſis morabatur, Abbatiæ petendæ gratia properarat & obtinuerat eo etiam adhuc viuente, cumque mandato reuerſus fuerat ad Commonachos, vt ſe in Abbatem reciperent. *Reſpondimus*, inquit Fulburus, *longè nobis aliter videri, nec enim legitimè fieri Abbatem nec debere recipi, qui Abbatiam alterius ipſo viuente per ambitionem petit, qui à fratribus non eligitur & ſuper illos nititur dominari.* Redequitat Magenardus ad Comitem : interim Abbas moritur, & Monachi quoſdam e ſuis cum Rodulpho Epiſcopo mittunt ad eundem, petituros licentiam alterius ſubrogandi. At Viuianus & Durandus duo alij ex eodem Cœnobio Monachi, quorum, inquit, alter *illiteratus* erat, alter litterarum *male-ſanus interpres* clam egreſſi ad Comitem pergunt, referuntque contra rei veritatem Magenardum communi conſenſu fuiſſe petitum & electum. Quâ re audita fratres libellum reprobationis promulgant hoc modo. Sciat omnis Ecclesia qvia Ma-

GENARDVM MONACHVM NOSTRVM ABBATEM FIERI NON ELIGIMVS, NON LAVDAMVS, NON VOLVMVS, NON CONSENTIMVS, SED REPROBAMVS, REFVTAMVS ET OMNINO CONTRADICIMVS. Nihilominus tamen Magenardus Abbas remanſit, vt liquet ex Catalogo Abbatum S. Petri Carnotenſis.

1005. Ad annum 1005. notat Chronicum breue San-Dionyſianum obiiſſe Robertum Abbatem, quem in Catalogo per Sammarthanos confecto non reperio. Is tamen eſſe videtur de quo loquitur Gerbertus in Ep. ad Epiſcopum Pariſienſem, qui cum eo litem exercebat: & quo Abbate habita eſt Synodus Epiſcoporum cui interfuit Abbo Floriacenſis, & de cuius funeſta & indigna diſſolutione diximus ſupra ex Aimoïno. Roberto ſuffectus eſt Viuianus, ſed anno tantum 1008. ordinatus & inauguratus eſt.

1007. Anno 1007. Fulbertus fit Epiſcopus Carnotenſis, vt communiter ſcribunt Hiſtorici præter Annaliſtam Abbatiæ S. Petri Carnotenſis, qui eiuſdem Fulberti ordinationem reiicere videtur ad annum vſque 1017. ſic aiens. *Huius tempore an. 1020. in nocte Natiuitatis B. Mariæ Epiſcopatus ſui anno 4. fuit Ciuitas Carnotenſis & tota Eccleſiâ B. Mariæ ambuſta.* In Chronico Malleacenſi dicitur poſt Leobinum ad Epiſcopatum Carnotenſem promotus: nec tamen Leobinum illum inter Epiſcopos reperio. Forte defuncto Rodulfo Leobinus electus eſt, ſed eius electio irrita fuit. Ab Archiepiſcopo autem Senonenſi Leotherico conſecratus fuit vt ipſe indicat Ep. 23. his verbis. *Multum amoris atque fidelitatis tibi, Pater, me debere cenſeo, per cuius manum à Deo benedictionem & ſacram vnctionem accepi: vnde animus meus ita pendet ex tuo, vt quidquid te iuſtâ ratione aut contriſtat, aut hilarat, idem me ſi reſciſcam, ſimili modo afficiat.* In eadem Ep. mentionem facit cuiuſdam Simoniaci Preſbyteri, quem ſuadet e Diœceſi Senonenſi expelli, aut ab officio ſuſpendi, *ne Eccleſiæ Senonenſis candor immundæ hæreſis contagione ſordeſcat.*

De Schola Carnotenſi Porro neque factus Epiſcopus à docendo deſtitit, ſcholamque habuit Diſcipulorum vndequaque confluentium frequentia pernobilem: quamobrem Adelmannus eam vocat Epiſt. ad Berengarium *Academiam.* Huiuſce viri complures præclari inſigneſque tum Monachi tum Clerici Diſcipuli fuiſſe perhibentur: imprimis Olbertus in Lobienſi Cœnobio educatus, deinde Trecis, Pariſiis & poſtremo Carnuti litteris imbutus, quem Burchardi Epiſcopi Vormacienſis Magiſtrum legimus fuiſſe. Angelranus Picardus Centulenſis Monaſterii Monachus de quo ſic habetur in Chronico Centulenſi l. 4. c. 1. *quia in diſcendo multum gliſcebat receptâ à patre loci nomine Ingelardo non minima reuerentia digno licentiâ longè ſepoſita ſcrutatus eſt Scholarum Magiſteria, more ſcilicet prudentiſſimæ apis quæ circuit diuerſorum florum arbuſta, vt mellis dulcore ſua repleat receptacula, denique multorum experientia probatum & liberalibus ſtudiis ornatiſſimum Ciuitatis Carnotenæ venerabilem Epiſcopum ac multo honore vocitandum Fulbertum præceptorem adeptus eſt, atque didaſcalum: hic ei monitor, hic tam morum quàm litterarum fuit inſtitutor. Gaudebat Venerabilis præſul de tanti diſcipuli ſolatio, relenabatur tam idonei auditoris induſtria atque ingenio. Tandem igitur Grammatica, Muſica atque Dialectica optimè inſtructum Centulum remittit tyronem amiciſſimum iam tunc ſacerdotio ornatum, quem velut grandem theſaurum recipit pia congregatio Centulenſium.* Eundem Fulbertum ſub extrema Epiſcopatus ſui tempora audiuerunt Adelmannus Clericus Leodienſis & Berengarius Turonenſis, multique alii percelebres: adeo vt quandiu Fulbertus vixit, nulla in Francia ſchola celebrior fuiſſe videatur, quàm Carnotenſis.

Quia autem illis temporibus mota fuerat quæſtio de corpore Chriſti in Euchariſtia, ipſeque Leothericus Archiepiſcopus ob quaſdam cauſas, argumenta probationeſque eam in rem exegerat, qui tamen à Roberto Rege increpitus à prauo dogmate ſtatim deſtitit, eam ſibi Fulbertus in ſchola ſcriptiſque tractandam ſuſcepit eamque etiam tractatam & validis rationibus munitam publicauit, vt patet ex Ep. 1. ad Adeodatum, quâ tria docet eſſe neceſſaria ad ſalutem, nempe myſterium Trinitatis, Baptiſmi rationem & cauſam, veritatem denique Corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia. *In his tribus*, inquit, *multi nimis carnaliter intuentes, dum plus carnalem ſenſum, quàm fidei arcana myſteria contemplantur in abruptum pernicioſi erroris præcipitium deuoluti nec rerum veritatem nec ſacramentorum virtutem percipiunt, & ideo ab vnitate Eccleſiæ diuiſi dum fieri nolunt Diſcipuli veritatis, ma-*

giſtri ſiunt erroris. Prætermiſſa itaque luce veritatis, tenebroſas proponunt calumnias & ſacras ſcripturas verbis ſacrilegis nituntur adulterare aut furtiuis eraſionibus recidere. Ad quæſtionem verò de myſterio Euchariſtiæ propoſitam ſic deſcendit.

De myſterio Euchariſtiæ.

Iam nunc ad illud Dominici Corporis, & ſanguinis tranſeamus venerabile ſacramentum, quod quidem tantum formidabile eſt ad loquendum, quantum non terrenum ſed cæleſte eſt myſterium, non humanæ æſtimationi comparabile ſed admirabile, non diſputandum ſed metuendum, de quo ſilere potius æſtimaueram quàm temeraria diſputatione indignè aliquid definire: quia cœleſtis altitudo myſterij planè non valet officio linguæ corruptibilis exponi. Eſt enim myſteriũ fide non ſpecie æſtimandũ, non viſu corporeo ſed ſpiritu intuendum. Cui quidem ad vſum profuit non ſuperſticioſa mortalium cura ſed cœleſtis diſciplinæ Magiſtra authoritas, non doctrina humana ſed inſtitutio diuina. Cuius potentis Myſterij ſecretum, quando quidẽ ratio rerum mole victa comprehendere non valet, hoc tantum fides teneat, quia quidquid inter homines Deus egit aut pertulit, cauſa ſeruandi humani generis vel reparandi gratia fuit: in quo beneficia ſua quæ ab initio dederat, ſic ſemper dilexit, vt noſtris malis licet offenſus pronior ſemper ad indulgentiam foret, quàm ad vindictam. Inde eſt quod damnationis noſtræ proſcriptionem quam primi parentis tranſgreſſio miſerabiliter in poſteros tranſfuderat, euacuare diſponens, carnis noſtræ morticinium ſuſcepit, per quam immortalis moriendo captiuitatis noſtræ cauſam ſoluiſſet. Inde eſt quod reparatam humanæ originis dignitatem ſciens ſemper diabolũ inuidere & nequitiæ ſuæ arte quærere, qualiter hominem à ſui voluntate conditoris auerteret, & antiquæ perditioni ſi fas eſſet, obnoxium redderet, defectum noſtræ fragilitatis miſeratus aduerſus quotidianas noſtræ prolapſionis offenſas ſacrificii placabilis nobis prouidit expiamenta, vt quia corpus ſuum quod ſemel pro nobis offerebat in pretium, paulo poſt à noſtris viſibus ſublaturus fuerat in cœlum, ne ſublati corporis fraudaremur præſenti munimine, Corporis nihilominus & ſanguinis ſui pignus ſalutare nobis reliquit, non inanis myſterij ſymbolum ſed compaginante ſpiritu S. Corpus Chriſti verũ, quod quotidiana veneratione ſub viſibili creaturæ forma inuiſibiliter virtus ſecreta in ſacris ſolennibus operatur. De quo ſub hora paſſionis ſuæ ipſe familiaribus ſuis ait *Hoc eſt Corpus meum*, & paulo poſt *Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti qui pro vobis fundetur*. Et alibi *qui manducat meam Carnem & bibit meũ ſanguinem in me manet & ego in eo*. Quâ veri Magiſtri authoritate animati dum Corpori & ſanguini eius communicamus audenter fatemur nos in corpus illius transfundi & ipſum in nobis manere: in nobis ipſum manere dico, non ſolum per concordiam voluntatis: ſed etiam per naturæ vnitæ veritatem. Si enim *Verbum Caro factum eſt*, & nos verè verbum Carnem cibo Dominico ſumimus, quomodo non naturaliter Chriſtus in nobis manere exiſtimandus eſt, Qui naturam Carnis noſtræ iam inſeparabilem ſibi homo natus aſſumpſit & naturam Carnis ſuæ ad naturam æternitatis ſub ſacramento nobis communicandæ carnis admiſcuit? ita ergo in Deo ſumus, quia & in Chriſto pater eſt, & Chriſtus in nobis eſt.

Cum verò in re omni ſint erga nos inæſtimabiles Diuitiæ Dei adeo vt Maieſtate abſcondita corruptibile pro nobis Corpus induerit, contumeliis & paſſionibus ſubdiderit, quo opem ferret aſſumpto homini, quid indignum Deo iudicari poteſt, qui vterum Virginis ſubiit, ſi virginibus creaturis infunditur? quæ licet ſimplicis naturæ paulo ante proferant imaginem, poſtmodum cœleſtis verbi ſanctificatione inſpirata Maieſtas vera diffunditur & quæ ſubſtantia panis & vini apparebat exterius, iam Corpus Chriſti & ſanguis fit interius. Guſta igitur & vide quàm ſuauis cibus & perguſta quid ſapit. Sapit, ni fallor cibum illum Angelicum habentem intra ſe myſtici ſaporis delectamentum, non quod ore diſcernas, ſed quod affectu interiori deguſtes. Exere palatum fidei, dilata fauces ſpei, viſcera Charitatis extende, & ſume panem vitæ interioris hominis alimentum, non arte Piſtoria fermentatum, ſed incarnatæ deitatis vitale pulmentum. Sume nihilominus vinum non ſordido cultore calcatum, ſed de torculari crucis expreſſum. Guſta inquam cœleſtis ferculi ſuauitatem, ſed ne nauſees terreni germinis ſaporem: de fide etenim interioris hominis procedit diuini guſtus ſaporis, dum certè per ſalutaris Euchariſtiæ infuſionem influit Chriſtus in viſcera animæ ſumentis, quem Diua mens caſtis penetralibus in ea videlicet forma

Digitized by Google

„ ſuſcipit, quâ ſub ipſa recordatione myſterij reuelante ſibi præſentem intuetur,
„ infantem videlicet materno in gremio aut cunis puerilibus iacentem , aut ara
„ crucis immolatum , aut ſepulchro quieſcentem, aut certè calcata morte reſur-
„ gentem , ſiue ſupra cœlos euectum in gloria Patris ſublimem. Iuxta quas ſpe-
„ cies Chriſtus gratum communicantis intrans habitaculum,tot , vt ita dicam, ſua-
„ uitatis odoribus mentem reficit , quot formis intimæ reuelationis oculus medi-
„ tantis eum meruerit intueri.

„ Nec vanum tibi videatur,quod iuxta animæ deſiderantis intuitum dicimus
„ Chriſtum formari intra Præcordia communicantis , cum non neſcias Patres no-
„ ſtros veteris eremi ſolitudinem peragrantes Angelicis paſtibus refectos , quibus
„ imber fœcundus cibum vnicolorem ſed diuerſi ſaporis intulit, & iuxta ſingulo-
„ rum appetitum infundebat ſaporis varii oblectamenta,vt quidquid auiditas con-
„ cupiſceret , occulta Largitoris diſpenſatio ſubinferret. Quibus præbebat guſtus
„ quod ignorabat aſpectus,quia aliud erat quod videbatur , & aliud quod ſumeba-
„ tur. Deſiſte igitur mirari, quod legis Manna ſub vmbra ſignabat, hoc Dominici
„ Corporis pandit veritas patefacta , in quo deifica Maieſtas miſeranter noſtræ in-
„ firmitati condeſcendit, vt quo alimenti genere corpora aluntur humana,idem in
„ corpore ſenſualiter ſapiat,ſed Deus in pectore proficiat , ſicut ipſe ait. *Qui man-*
„ *ducat me , ipſe viuit propter me, Hic eſt Panis qui de Cœlo deſcendit. Non ſicut mandu-*
„ *cauerunt Patres veſtri Manna in deſerto & mortui ſunt , qui manducat hunc panem, vi-*
„ *uet in æternum. Et panis quem Ego dabo ,Caro mea eſt pro mundi vita.*

„ Iam iam procul remouendus eſt lubricæ ſcrupulus dubietatis,cum is qui eſt
„ author muneris , teſtis eſt veritatis. Dubitari etenim nefas eſt ad cuius nutum
„ cuncta ſubitò ex nihilo ſubſtiterunt, ſi pari potentia in ſpiritualibus ſacramentis
„ terrena materies & generis ſui meritum tranſcendens inChriſti ſubſtantiam com-
„ mutetur , cum ipſe dicat *Hoc eſt Corpus meum*, & paulo poſt. *Hic eſt ſanguis meus.*
„ Sed hanc Dei poſſibilitatem æſtimatio humana non capit niſi te ipſum quicumq;
„ es diſcutias qualiter de maſſa perditionis factus es in populum acquiſitionis, & de
„ vaſe iræ prodiſti vas miſericordiæ , vt qui paulo ante fueras alienus à vita, pere-
„ grinus à venia, ſubito initiatus Chriſti legibus ſecularibus myſteriis innouatus in
„ Corpus Eccleſiæ non naturæ priuilegio,ſed fidei pretio tranſiſti,nullo malis cor-
„ poreæ additamento , te ipſo maior factus es inuiſibilis quantitatis augmento.
„ In exterioribus idem , in interioribus longè aliter es, ſicque de ſerno filius effe-
„ ctus præterita vilitate depoſita nouam ſubitò induiſti dignitatem , vt non ſolum
„ hæres , ſed Corpus Chriſti factus Deum in corpore tuo portares. Quæ res tan-
„ tæ nouitatis,tantæ dignitatis tam ſubitæ mutationis pretium ? vide in omnibus
„ miſericordiæ cœleſtis artificium, vide regenerantis gratiæ mirabile ſacramen-
„ tum, & aduerte in iſtis imperioſum verbi operantis opificium, cuius nutu rerum
„ elementa de nihilo in hanc mundi formam mirabili ordine compaginata inex-
„ plicabilem eius potentiam ipſa ſuæ pulchritudinis ſpecie teſtantur. Si ergo
„ Deum omnia poſſe credis,ex hoc conſequitur , vt credas , nec humanis diſpu-
„ tationibus diſcernere curioſus inſiſtes. Si creaturas quas de nihilo potuit creare
„ has ipſas multo magis valeat in excellentioris naturæ dignitatē conuertere & in
„ ſui Corporis ſubſtantiam trans-fundere Multo magis dico non quod infirmioris
„ potentiæ in rebus creandis quam immutandis fuiſſet. Sed humanæ opinioni
„ vſuale , non diuinæ rationi comparabile. Ideo fides præ omnibus bonis ſum-
„ mum meritum eſt:hæc te inducat ad credendum,te conſecrantis potentia robo-
„ ret ad ſumendum: promittit dignè ſumentibus beatæ ſpem immortalitatis : Iu-
„ dicium minatur indignis , vt eſt iſtud Apoſtoli. QVI MANDVCAT ET BIBIT
„ INDIGNE, IVDICIVM SIBI MANDNCAT ET BIBIT. Quo multi ſcelerum ſuorum
„ conſcientiam perhorrentes attentius, ſe longè faciunt à ſacramento vitæ, non
„ attendentes quàm terribiliter Dominus comminatur dicens. NISI MANDVCA-
„ VERITIS CARNEM FILII HOMINIS ET BIBERITIS EIVS SANGVINEM , NON HA-
„ BEBITIS VITAM IN VOBIS. Quod alternantium cauſatum iudicium intuenti-
„ bus ſumma vigilantia eſt adhibenda , vt emendatis actibus nec indignè ſu-
„ mant , nec perniciosè refugiant.

Eodem anno 4. id. April. in cœna Dom. obit Notgerus Epiſcopus Leodenſis vir omnium ſcientiarum genere cumulatiſſimus & Doctorum virorum amantiſſi-

mus ſcholarum Leodienſium inſtaurator & Eccleſiaſticæ diſciplinæ reparator. Ei
ſucceſſit Baldricus de Los vir quoque de litteris meritiſſimus. Obiit quoque eo-
dem anno pridie Kal. Nou. Herigerus Abbas Lobienſis vitâ ſcientiâ & clarus,
Notgero cariſſimus & familiariſſimus, cuius nempe opera non ſolum in Dome-
ſticis vel Eccleſiaſticis rebus, ſed in Palatinis quoque negotiis, quorum tunc
temporis præcipuus erat executor, vt legitur in chronico Lobienſi, vſus ſem-
per fuerit. Scripſit ille Geſta Pontificum Leodienſium; item metrico ſtylo vi-
tam S. Vrſmari: ſcripſit & ad Hugonem Epiſtolam de quibuſdam quæſtionibus
& alia multa, quæ in vulgus non emiſit. Scripſit etiam ſub ſua & Adelboldi cleri-
ci Leodienſis, deinde Vltraiectenſis Epiſcopi perſona Dialogum de diſſo-
nantia Eccleſiæ, de Aduentu Domini: præterea in eodem Chronico Lobienſi
ita legitur. *Congeſſit etiam contra Ratbertum multa Catholicorum Patrum ſcripta de cor-
pore Domini.* Is eſt Ratbertus Paſchaſius Corbeienſis, de quo ad 1. ſeculum: con- 1008.
tra quem ſi Herigerus ſcripſit, alteruter in fide errarit neceſſe eſt.

Ad annum 1008. legitur in libello de geſtis Abbatum Gemblacenſium Bur-
chardum Wormatienſem Epiſcopum, virum cum Epiſcopali honore non in-
dignum, tum pro iuuenilis ætatis feruore litterarum ſtudiis opportunè inten-
tum, Baldrico iuniori Leodienſium Epiſcopo cuius contubernalis & amicus in
Palatio Othonis III. fuerat, mandaſſe, vt ſibi virum aliquem *litterali ſcientia*
prædictum dirigeret, cuius ope & doctrina ipſe in Scripturarum diuinarum eru-
ditione proficere valeret. Miſſum vero à Baldrico Olbertum Monachum Lo-
bienſem Pariſienſis olim Academiæ, poſtea Carnotenſis ſcholæ alumnum, quo
adiutore Burchardus veteres Eccleſiæ Canones in vnum volumen congeſſit
viginti libris diſtinctum. Qua de re ſic habetur in prædicto Chronico. *Quantum
autem vir tantæ authoritatis* (Burchardus) *ex Olberti doctrina profecerit, ex actibus eius
æſtimandum erit, de quo ſatis conſtabit, quod illa ætate in ſcripturarum eruditione vnicè
claruerit; quod vel in hoc ſatis probari poterit, quod opus S. Eccleſiæ nimis vtile elabora-
uit, dum Olberto dictante & Magiſtrante Magnum illud Canonum volumen centoniza-
uit, & quaſi collectis floribus omniformis generis de Prato ſcripturarum coronam pretio-
ſiorem auro & topaſio in edito Eccleſiæ collocauit.* Eiuſdem operis quod Burchardicum
appellatum, eſt meminit Sigebertus ad hunc annum. Hinc aliqui ducunt poſt Ca-
rolum M. Diſciplinæ iuris Canonici primordia quam deinde Gratianus circa an.
1150. in ſcholas inuexit, redactis in Epitomen canonibus, quos Burchardus & Iuo
Carnotenſis Magnis voluminibus collegerant: ſed eos non parum corrupiſſe à
Doctis arguitur.

Nec omittendum videtur hocce tempore, quo Sergius IV. Pontifex Ro. ſe-
dem Romanam tenebat, tenere autem cœpit an. 1007 & ſedit aunis 2. & men-
ſibus 6. Normanos duce Vuillielmo Siciliam occupaſſe, Sarracenos ex Italia ex-
puliſſe, Græcos ex Apulia & Hieroſolymam vſque penetraſſe. Cuius tamen ex-
peditionis initium ſumit Glaber Rodulphus à Rodulpho quodam Normanorum
Duce, qui eum Richardo Principi ſuo diſplicuiſſet, e patria diſcedere coactus
Romam ad Benedictum qui anno 1009 ſedere cœpit, profectus fuerat. 1009.

Anno igitur 1009. Benedictus VII. aliis VIII. fit Pontifex Maximus ſeditque
ann. vndecim. Et ad hunc annum notat Rodulphus rem memorabilem. Nimi-
rum cum Chriſtiani hiſce temporibus loca Sancta Hieroſolymitana magno con-
curſu frequentarent, Iudæos Aurelianenſes cæteris tumidiores & audaciores Ro-
bertum quendam Mellerenſis cœnobii Fugitiuum ad Principem Babyloniorum
miſiſſe cum litteris Hebraico charactere exaratis & *pittaciolis ferri baculo inſertis*,
monentes vt ſibi caueret a Chriſtianis illis peregrinis, quibus in animo eſſet il-
lum de ſtatu ſuo deiicere. Ergo ille protinus aditus omnes occupat, templumque
Hieroſolymitanum diruit, vt de cætero peregrinandi occaſionem deſideriumque
tolleretur. Tam ſubita perſecutio terruit animos: at vbi compertum eſt id fraude
Iudæorum factum, communi quaſi conſenſu à toto orbe Chriſtiano fugantur præ-
ter eos qui baptizati Chriſtianam Religionem ſi non ſincerè ſaltem publicè am-
plexi ſunt. Robertus vero ille paulo poſt Aureliæ captus reique veritatem con-
feſſus iuſſu Regis igni traditus eſt extra ciuitatem & combuſtus. Hanc hiſto-
riam fusè deſcribit Ademarus. 1010.

Ad an. 1010. notat idem Ademarus Alduinum Epiſcopum Lemouicenſem

Digitized by Google

Iudæos adbaptiſmum compuliſſe lege latâ, vt aut Chriſtianam fidem profiterentur, aut ab vrbe diſcederent, & per vnum menſem Doctores diuinos iuſſiſſe cum Iudæis diſputare, vt eos ex ſuis libris reuincerent : at tres tantùm aut 4. Chriſtianos factos : cæteros cum vxoribus & liberis diffugiſſe, quoſdam maluiſſe ſe ipſos ferro ingulare, quàm baptiſmum ſuſcipere.

Legitur quoque in Chronico S. Maxentij vulgo Malleacenſi, cænobium Malleacenſe conſtrui cœptum hoc anno impenſis Vvilielmi Aquitanorum Ducis, 1012. magniſque reditibus & poſſeſſionibus ditatum : & ei regendo præfectum Abbatem Theodelinum.

Schola Rhemenſis.

Circa annum 1012. Richardus natione Francus in ſchola Remenſi enutritus & imbutus in cœnobio Vintonienſi apud Virdunum, Gall. *de Saint Venne*, ſcholas celebres inſtituit. Quo tempore Haymo Notgeri Leodienſis Epiſcopi diſcipulus ſedem tenebat Epiſcopalem. In huius Richardi vita multa ſcribit Hugo Abbas Flauiniacenſis ad laudem ſcholæ Remenſis, quæ mihi non videntur prætereunda. Sic ergo habet.

Extitit Richardus nobiliſſima Francorum ſtirpe progenitus Patre... matre... & ab ipſis infantiæ rudimentis litteris liberalibus in Eccleſia S. Mariæ Remenſis inſtitutus. Quæ Eccleſia tanto tunc vernabat religionis decore, tot perſonarum nobiliorum & Religioſarum, quas ipſa in ſe educauerat, ſibi applaudebat honeſta numeroſitate & decenti honeſtate, vt religione ipſa præemineret omnibus Eccleſiis Belgicæ, formaque eſſet omnibus honeſtate viuendi recteque conuerſandi in caſtitate, in ſcientia, in diſciplina, in correptione morum, in exhibitione bonorum operũ. Probat hoc Domni & verè ſancti Conſtantij Canonici eiuſdem pia conſtans & fidelis conſtantia, itemque alterius Conſtantij imitanda & recolenda in pauperes laudabilis rerum ſuarum profuſio & totius patrimonij diſperſio. Quorum alterum ipſa ſua commendat religio & opera miſericordiæ: alterũ adeo pauperum prædicat miſeratio, vt ipſi ſoli inuenti ſint, qui tanti viri dũ deflent obitum, prædicant meritum, & dum funus illius grata ſedulitate officioſi procurant, dũ ad Miſſæ ſolemnia quæ poſſunt pro requie eius munuſcula offerũt, dum omnes inſimul circa corpus aggregati ſuam deflent deſolationem, & ſuam in tanti Eleemoſynarij ingeminantes conqueruntur deſtitutionem, eius nimirum vitam miris laudibus extollunt & ſi quid humanæ naturæ vitio in eo corruptum eſt, id ſuis lachrymis tegunt & operiunt. Ideo autem horum conſtantiam ad exemplum fidelium hic inſerimus, vt agnoſcat qui legerit tot & tales viros in Palæſtra S. Remenſis Eccleſiæ, nec ſine Magiſtris deſudaſſe, nec ſic ſolos euaſiſſe carneæ molis carcerem, vt non reliquerint aliquos ſui propoſiti teſtes & cooperatores, qui eorum & veſtigia imitati & fidei virtutem ſint amplexati.

In hac ergo Eccleſia Religioſæ indolis puer Richardus litteris traditur imbuendus, breui ſingula percurrit, quæ Magiſtrorum ſolertia percurrenda ſignauit. Cæpit iam altiora meditari, & quæ à Magiſtris non didicerat, viuacitate, & perſpicacia docilis ingenij attentè rimari, vt agnoſceretur ab omnibus magni eum futurum eſſe præconij, quem ſic comendabat acumen intellectus, ſecretorum & myſteriorũ capax cooperante & præcedente gratia Dei. Tranſiuit itaq; in eadem vrbe proficiens vſque ad perfectam incrementorum ætatem, & qui erat acer ingenio ſtatuit ſibimet ipſi normam viuendi, recidens in ſe noxia quæ in aliis ſoletti vigilantia reprehendebat. Probat hoc religioſa eius vitæ conuerſatio, & continuata malorum redargutio, qua tantum abundabat animi eius directa ſimplicitas, vt pro zelo Dei & æmulatione iuſtitiæ Præcentoris & Archidiaconi ei officium committeretur & Magiſterio eius diſpoſitio Remenſis Eccleſiæ traderetur: cui officio quam ſtrenuè quam prudenter quam ſolerter inuigilauerit, ne nimij fortaſſe laudando inueniamur, ſilere decreuimus. Maximè cum & ſilentium ipſum laus eius ſit.....hoc nos Rodomi poſiti à viris Religioſis audiuimus qui & ipſi ſe fatebantur audiſſe ab Hugone cognomento Grammatico viro ſtrenuo & Religioſo Rothomagenſis Eccleſiæ Archidiacono, qui Remis in Eccleſia S. Mariæ præſens ad fuit, quando hæc geſta ſunt.

Richardus iſte paulo poſt Monaſticum habitum ſumpſit apud S. Vitonum tum Abbate Fringenio, abſque licentia & permiſſu Archiepiſcopi Remenſis ſcilicet Arnulfi, Lotharij Regis, qui à Carolo Caluo quintus, fuit filij, de quo ad

ſuperius

ſuperius ſeculum ſatis multa retulimus. Poſt Fingenium autem anno 1004. ad Abbatiæ regimen aſſumptus eſt: paulo poſt verò tam longè lateque fama eius propagata eſt, vt ex omni Neuſtria, Auſtraſia, Francia & Burgundia ad eum concurſus fieret atque ad eius ſcholas omnis Doctrinæ & virtutis frugibus refertas. Qua de re ſic habet idem author.

" Fiebat ad eum grandis vndecunque concurſus, alij eius ſe ſubdebant Magiſterio, poſtpoſito mundi fallentis lenocinio. Alii filios ſuos ei offerebant erudiendos, vt videretur iam Monaſterium eius Monaſteriis Nitriæ vel Ægypti conferendum pro numeroſitate fidelium illò confluentium, qui velut apes ad alucaria vndique aduolabant, diuerſis virtutum ſpeciebus onuſti mentes, vt illæ mellis & ceræ indiſcretas cruribus & pedibus ſubuehunt qualitates. O quales & quanti viri eius claruerunt Magiſterio! quàm pretioſa & deuota Deo ei congregatio Doctrinis eius irradiata & exercitio arctioris propoſiti ad vnguem informata! Probant hoc Galliæ & Germaniæ Pontifices, Duces & Comites amore Chriſti feruentes, qui ex Monaſterio & diſcipulatu eius Monaſteriis quos habebant aut Patres præficiebant, ſub tuitione tamen eius & diſciplina, aut ſi patres inde habere nequirent, quos de ſuis patres facere deligebant, Virduni primo probandos, inſtituendos, & morigerandos dirigebant, Ex quibus nos licet iuniores & moderni, plures religioſos & in omni Theoria probatiſſimos vidimus viros Angelica facie & habitu reuerendos. Vt ex inſtitutione Diſcipulorum pateſceret, quantæ religionis, grauitatis & perfectionis eorum Magiſter fuiſſet, cuius eruditionis decus in Diſcipulorum clarebat moribus. "

Vno verbo huiuſce viri fama tantopere inclaruit, vt à multis Magnaribus & Proceribus Eccleſiaſticis aduocatus ſit ad regenda, & reformanda cœnobia, quæ à priſtina virtute & regula deflexerant. Baldricus Epiſcopus Leodienſis Cœnobium Lobienſe; Rogerius Catalaunenſis Monaſterium S. Petri; Robertus Rex Francorum Abbatiam Corbeienſem, Balduinus Comes Flandrenſis quàm plures Abbatias ei commiſit regendas & reformandas, S. Petri Gandenſis, S. Amandi, S. Bertini, S. Richarij, S. Iudoci; Gerardus denique Atrebatenſis Cœnobium S. Vedaſti.

Sed vt ad ſcholam Remenſem redeamus, in ea Geruinus Abbas deinde Centulenſis educatus fuit, in eaque ſtudiis vacabat an. 1030. & de eo ſic habet Chronicon Centulenſe l. 4. c. 13. *à primæuo æuo litterarum ſtudiis imbuendus in Eccleſia S. Mariæ noſtratis Galliæ Hierarcha, vbi eo tempore famulabatur Domino Clerus vere clarus, traditus eſt.* Et c. 14. dicitur fuiſſe Remenſis Eccleſiæ Canonicus, qui poſtea abiecto Canonicatu ſe conuertit ad B. Richarium, ibique Monachus, deinde Abbas factus eſt.

Anno 1013. Henricus iam antea à Germanis Imperator nominatus & creatus, à Benedicto conſecratur & confirmatur. Huiuſce viri laudes prædicat Hugo Abbas Flauiniacenſis. Eum enim ait verè fuiſſe Catholicum & religionis amorem præcipuum, eiuſque ſub Imperio ſalutem fuiſſe mundo & gloriam: inter cæteros eum habuiſſe præcipuos amicos Odilonem Cluniacenſem Abbatem, Wilielmum S. Benigni Diuionenſis, & Richardum Vinconienſem. 1013.

Anno 1014. obiit Morardus San-Germano-Pratenſis, qui vt habet Continuator Aimoini Eccleſiam B. Germani à Paganis ter incenſam euertens à fundamentis nouam reædificauit, turrim quoque cum ſigno aliaque multa conſtruxit. Illi ſucceſſit Ingo Regiæ vir proſapiæ, Roberti quondam in ſchola Gerberti condiſcipulus, vt notat Helgaldus, Abbas prius S. Martini Maſciacenſis & biennio poſt S. Petri Viui apud Senonas. Qua de re ſic legitur in Chronico S. Petri ad an. 1015. *In eodem anno mortuo Rainardo Abbate S. Petri Viui ſucceſſit ei Domnus Ingo Abbas S. Martini Maſciacenſis & S. Germani Pariſienſis conſanguineus Regis.* Obiit vero ille an. 1021. Vt habetur in eodem Chronico. Porro Rainardus ille Abbas multa quoque bona Cœnobio ſuo contulerat: nam vt ſcribit Monachus Antiſſiodorenſis in Chronico, illud ab imo renouauerat, & clauſtra Monaſterij cum domibus ad illud pertinentibus ex toto reædificarat, ſcholam in Cœnobio inſtruendis Monachis inſtituerat. *Monachos*, inquit, *regulari tramite inſtruens liberalibus Diſciplinis edocuit: ex quibus fuit quidam Odorannus Monachus ingenio ſubtilis cuius arte & induſtria eidem loco plurima bona prouenerunt.* Ille eſt Odoran- 1014.

Xx

nus, cuius extat breue Chronicum de rebus Francicis ſui temporis. In eadem ſchola ſub Rainardo Conſanguineo educatus fuit Theodericus, quem Rex Robertus inde in Aulam euocauit & poſt mortem Fulconis Epiſcopi Aurelianenſis, ſubſtitui curauit.

1015. Anno 1015. Leothericus Archiepiſcopus Senonenſis omnibus iniuriis à Rainaldo Comite Frotmundi filio affectus contumeliiſque vexatus ciuitatem Senonenſem occupit de conſilio præſertim Reginaldi Epiſcopi Pariſienſis & Roberto Regi tradit 10. Kal. Maias. Adeo autem res iſta latenter & prudenter perfecta, vt Rainaldus de nocte nudus euadere coactus ſit. Hanc hiſtoriam ſic legimus conſcriptã in Chronico S. Petri Viui. Mortuo Frotmundo Senonum Comite & ſepulto in capitulo S. Eraclij ſucceſſit ei Rainaldus filius eius nequiſſimus qui perſecutionem intulit Eccleſiis Chriſti & Leothrico Archiepiſcopo, in tantum vt etiam, quod dicere & audire horribile eſt, quando ille diuinum officium celebrans vultumque dans populo ſalutabat, ille vultum auertens in poſterioribus ſuis ei pacem offerebat. Nonnunquam in faciem eius ſpuebat, homines eius interficiebat, eumque modis omnibus iniuriabat. Ea propter conſilio Rom. Pontificis, Benedicti, & Abbatis Eccleſiæ Cluniacenſis Oidilonis, nec non ſuffraganeorum Epiſcoporum & optimorum Procerum præcipuéque Rainaldi Pariſienſis Epiſcopi anno ab incarnatione Chriſti 1015. 10. Kal. Maij ciuitatem Regi Roberto tradidit. Ipſe vero Comes fugiens nudus euaſit. Frater eius Frotmundus & quidam milites vrbis turrim defenderunt multis diebus. Quos tandem Rex cepit, & victus pietate viuos abire ſinit. Frotmundum autem Aurelianis in carcere tranſit, vbi obiit.

Res hæc plurimis flagitia Comitis ignorantibus viſa eſt admodum tyrannica & crudelis, multoſque Franciæ Proceres aduerſus Regem excitauit & commouit, & præſertim aduerſus Epiſcopos, qui conſilium eiuſmodi Regi & Leotherico ſuggeſſerant, in quibus etiam compertus eſt fuiſſe Fulbertus, nec ipſe diſſimulauit ſic ſcribens ad Gualerannum & Gualterium Comites. Sciatis Fratres, quia Rex Robertus bene facit, cum Chriſtianos adiuuat & Hæreticos damnat. Et ad hoc debent eum adiuuare & confortare mecum omnes ſui fideles: quia hoc miniſterium eius eſt, per quod ſaluus eſſe debet. Sciatis iterum quod Archiepiſcopus Senonenſis requiſiuit à me conſilium quid deberet facere de Reginaldo Hæretico qui perſequebatur Eccleſiam Dei. Et ego ei dedi tale conſilium, quale ad ſuum ordinem pertinebat. Et ecce ego mitto vobis vtrumque ſcriptum & complanctum ſuum & cõſilium meum, quod dedi ei ſecundum ordinem ſuum. Si quis autem falſarius dicat, quod ego alterum ei conſilium deinceps vel ſcripſerim vel dixerim, vel mandauerim, rogo vt me ſicut patrem veſtrum ſpiritualem defendatis, quia fiducialiter hoc facere poteſtis.

1016. Ad an. 1016. legitur in Chronico breui S. Dionyſij edito in lucem per Lucam Dacherium obiiſſe Reginaldum Pariſienſem Epiſcopum. At in tabulis antiquis Vindocinenſibus eius obitus notatur ad an. 1020. 8. Id. Ian. fuiſſeque Lutetiæ ſepultum. Is erat Burchardi Melidunenſis & Corbolienſis Comitis filius, qui Foſſatenſem Abbatiam inſtaurauit, dotauit & per Maiolum Cluniacenſem Abbatem reformauit, vt ante diximus. Antequam autem Reginaldus ad Epiſcopatum promoueretur, Franciæ Cancellariatum gerebat, eique in hoc munere ſucceſſit Frãco poſtmodum etiam futurus Pariſienſis Epiſcopus. Reginaldo ſucceſſit Albertus, qui & Aſcelinus dictus, Canonicus eiuſdem Eccleſiæ, ſed parum vt videtur, Epiſcopali munere dignus: vnde ægritudine ductus illud abdicauit ſibique ſucceſſorem à Rege ſubſtitui poſtulauit: poſtmodum abdicaſſe pœnitens, vt Franconem delectum vidit, repetere voluit, ſed incaſſum. Extat Fulberti ad ipſum Epiſtola qua ſe purgat infidelitatis crimine ſibi ab eo obiecto, quod nimirum abdicationis conſilium, cuius eum conſcium fecerat, detexiſſet & propalaſſet cum Leotherico Archipræſule Senonenſi: talis autem eſt ad eum Epiſtola.

Venerabili Fratri & Domino Conſacerdoti ſuo A. Fulbertus. Abſit Frater, vt credatur verum eſſe quod ſcripſiſti, meum Archipræſulem & me tuam confeſſionem publicaſſe: non eſt enim verum, tuque dum talia ſcribis, bene me-

ritis de te ingratus es & iniuſtè contumeliam facis. Si qua enim honeſta tua nouimus aut ſperauimus, fideliter ea publicauimus ad teſtimonium tuæ probitatis contra illos maximè qui diſceſſionem tuam ab Epiſcopatu auaritiæ vel ignauiæ vel turpitudini adſcribere nitebantur. Si quæ vero occulta, quæ pœnitēda forent, noſtræ fidei credidiſti, cautè celata ſunt. At ſi talia confeſſus es quæ & prius & poſtmodo ore vulgi ventilata ſunt, ea nos occultare nequiuimus. Comperi autem ex litteris tuis tibi moleſtum eſſe, quod te Monaſticæ vitæ diximus amatorem. Quod quia nocere non intelligo, moleſtum eſſe demiror. Amor namque religionis Epiſcopali gradu quem repetis, dignum te potius quam indignum efficeret, ſi nihil aliud impediret. Verum autem ſit, vel quidquid ſit quod impediat, ſagacitatem tuam non arbitror ignorare, ſi quædam grauis cauſa quam diſſimulas, non obſtaret. Ea eſt huiuſmodi. Si de repetendo Epiſcopio querimoniam incipere velis, non ſatis apparet cui eam iure intendere poſſis. Nullus enim te expulit. Nullus Cathedram tuam te renitente peruaſit. Sed tu temet vltro cauſa ægritudinis, vt aiebas curam Epiſcopalem ſimul & Cathedram reliquiſti, vt perhibent: & ſiue Franconem tunc Decanum Pariſienſis Eccleſiæ, ſiue quemlibet alium ſubrogari tibi verbis & ſcriptis à Rege petiſti. Quod ſi ita eſt, & ſic tibi conſequenter ſubſtitutus eſt Franco eligente clero, ſuffragante populo, dono Regis, approbatione Rom. Pontificis per manum Metropolitani Senonenſis, fulcitur vtique ſubſtitutio & conſecratio eius, fauore quoque & authoritate B. Gregorij Papæ, qui ſcriptis ſuis ſicut nulli Pontificum non petenti pro qualibet ægritudine ſuccedendum fore docuit, ita voluntariè renuncianti ſedi ſuæ ſucceſſorem nullo modo denegauit. Si quid aliud eſt, quare te Epiſcopatu carere oporteat, tute noueris. Sin autem, tanti nobis hoc eſſe videtur, vt te facere valeat recuperationis exortem. Quapropter deſine curioſos inſtigatores audire: deſine Reges & Principes inefficacis querimoniæ tædioſis ſcriptitationibus fatigare, & Eccleſiæ Pariſienſi te importunè obtrudere velle, quæ vt fatetur nec Patronum te habuiſſe gauiſa eſt, nec doluit amiſiſſe. Quippe cum neque ex præſentia tua Doctrinæ profectum, neque ex abſentia ſenſerit detrimentum. Viue memor noſtri.

Eodem anno obiit Bruno de Rociaco ex Clerico Remenſis Eccleſiæ factus Epiſcopus Lingonenſis, vir omnium Hiſtoricorum illius temporis ſcriptis celebratiſſimus, præſertim vero Chronico Benigniano, vbi dicitur in eleemoſynis largus, in vigiliis ſedulus, in oratione deuotus, in Charitate perfectus, in humanitate profuſus, in ſermone paratus, in conuerſatione ſanctiſſimus: irreuerentibus terribilis aſpectu, metuendus ſeueritate, reuerendus inceſſu, venerandus benignitate. Multa Monaſteria reparauit, diſciplinis & litterarum exercitio inſtaurauit, Guillelmo Abbati S. Benigni Diuionenſis in omnibus adiutor fuit. Illi in Epiſcopatu ſucceſſit Lambertus Patria Lingonicus & Lingonicæ vrbis Præpoſitus, vir nobiliſſimus & eloquentiſſimus, cæterarumque artium ornamentis conſpicuus, Gerberti in ciuitate Remenſi olim Diſcipulus.

Eodem anno Robertus Rex veritus ne forte morte præuentus non poſſet ſibi ſucceſſorem deſignare, atque ideo ne Regnum in diſſidia, aut in alienam manum relaberetur, cogitauit de aſſumendo Hugone maiore natu filio in conſortem Regni: quam mentem cum aperuiſſet Regni Proceribus, non habuit eum aſſenſum quem ſperabat, ob tenellam nimis Hugonis ætatem, quæ vix decennis erat. Verum Conſtantiæ Reginæ precibus inductus eum Compendij in Regem coronari fecit.

Hiſce temporibus non modo Academia Pariſienſis viris doctis abundabat, ſed & celebris quoque erat ſchola Aurelianenſis, & ſtudiorum tam diuinorum quàm humaniorum exercitiis florebat, quia Rex frequenter Aureliam inhabitabat, in qua natus & ſacro lauacro perfuſus fuerat, ibique Palatium magnificum extruxerat. Profeſſores tam in Theologia quam in Artibus tum ibi perecelebres erant quatuor inter cæteros: Theodatus, Stephanus, Liſoius & Heribertus: quorum iſte Præfectus erat ac Rector, ſeu vt tum vocabant, CAPITAL Scholæ S. Petri cognomento PVELLARIS. Contigit autem neſcio quo malo ſeculi Genio, vt illi in diuerſas hæreſes abierint, tam circa myſterium Euchariſtiæ, quæ quæſtio, vt ſupradictum eſt, iam in ſcholis agitari cœperat: quàm circa Baptiſmum,

Digitized by Google

remiſſionem Peccatorum, Iudicium extremum, & alia eiuſmodi. Originem mali re[illegible] Glaber Rodulphus l. 3. c. 8. ad mulierem quandam Italam, quæ cum per aliquod temporis ſpatium Aureliæ demorata fuiſſet, cœpit inſanias ſuas in vulgus ſpargere de mundi adminiſtratione & Prouidentia diuina, de Iudicio Generali, & aliis quæſtionibus Theologicis. Hinc eius fama volat: atque etiam inter viros Doctos de eius aſſertionibus oriuntur contentiones & concertationes: aliis quidem vera aut probabilia, aliis falsa & delira eam docere aſſerentibus. Ita dum ingenio ſe quiſque ſocium vincere putat, deliramentis mulierculæ turpiter infatuantur, primùm quidem occultè radices agente hæreſi, deinde in perditionis ſegetem malè pullulante.

Capita autem huiuſce hæreſeos hæc præcipua fuiſſe commemorantur. Deliramenta eſſe quidquid in veteri & nouo Teſtamento certis ſignis ac prodigiis veteribuſque teſtibus de Trina vnaque Deitate beata confirmat authoritas. Cœlum & terram extitiſſe ab æterno abſque authore originis. Peccatorum nullam eſſe vindictam nec pœnam. Opera pietatis & iuſtitiæ laborem eſſe ſuperfluum, præmioque caritura. Præterea Chriſtum non eſſe de Virgine natum. Non pro hominibus paſſum. Non in ſepulchro poſitum, nec ex mortuis reſurrexiſſe. In baptiſmo nullam eſſe ſcelerum ablutionem: neque Corpus & ſanguinem Chriſti ſumi in Euchariſtia.

Talis autem hæreſeos turpiſſimâ labe infecti ſunt decem Canonici S. Crucis Aurelianenſis: ſed eorum præſertim anteſignani duo Liſoïus & Heribertus: *quorum vnus*, inquit Rodulphus, *Liſoius in Monaſterio S. Crucis Clericorum clariſſimus habebatur: alter idem Heribertus S. Petri Eccleſiæ cognomento Puellaris* CAPITALE SCHOLÆ TENEBAT DOMINIVM Qui, quandiu res latuit, tam apud Regem quam apud Palatinos Proceres ſummam obtinuerant amicitiam, inquit idem Author. Non erat autem facile eorum errorem detegere, quia ipſi venenum ſuum cautè prudenterque propinabant, ſanæ doctrinæ immiſcendo. At poſtquam nonnullos e ſuis auditoribus, quos ſagaciores & ingenioſiores reputabant, eiuſmodi nouitatibus delectari agnouerunt, tum apertius mentem explicarunt multoſque ita infecerunt, donec tandem operâ Herberti cuiuſdam Normani Clerici, qui ad illorum ſcholas venerat, & Areſaſti Nobilis quoque Normani ſollicitudine detecta eſt eorum hæreſis, vt legitur in Geſtis Synodi Aurelianenſis à Roberto Rege in eam rem habitæ an. 1017. ext[illegible]que in 2. tomo Spicilegij D. Lucæ Dacherij Monachi & Bibliothecarii San-Germano-Pratenſis pag. 670. vnde hiſtoriam ſequentem depromimus.

„ Rurſum quoque duxi dignum memoriæ tradendum de præfato viro, ſcilicet „ Areſaſto, quomodo in Aureliana vrbe diuina ope ſuique ingenij ſalubri acumi- „ ne hæreticam prauitatem latenter pullulantem iam iamque per Galliarum Pro- „ uincias nefandi erroris venena exitialia propinantem non ſolum deprehenderit, „ ſed etiam omnino compreſſerit. Erat enim de genere Comitum Normanorum „ eloquio nitidus, conſilio prouidus, bonis moribus comptus ac idcirco legatio- „ nis officio tam apud Francorum Regem, quàm apud Proceres notiſſimus extitit. „ Hic in domo ſua quendam Clericum habuiſſe dicitur, nomine Herbertum qui „ lectionis gratia Aurelianam vrbem adire decreuerat. Verum dum veritatis Au- „ thores quærere ſatageret, cæco itinere in totius hæreſis barathro dilabitur. Nam „ ea tempeſtate in eadem ciuitate duo Clerici Stephanus & Liſoïus apud omnes „ ſapientia clari, ſanctitate ſeu religione magnifici, eleemoſynis largi, opinione „ habebantur vulgi. Eoſdem memoratus expetiit Clericus, & paruo temporis „ interſtitio docilis Diſcipulus cum Diuini verbi dulcedine ab eis debriatur mor- „ tifero nequitiæ hauſtu, qui dementia errore Diabolico irretitus totius diuini- „ tatis expers ſapientiæ arcem conſcendiſſe ſe credidit. Qui Patriam repedans Do- „ minum ſuum; quem ſingulari affectu diligebat, ſubtilitate verborum in erroris „ viam ſeorſim admonendo ſecum attrahere cupiebat; teſtificans Aurelianam vr- „ bem præ cæteris vrbibus coruſcare luce ſapientiæ atque ſanctitatis lampade. In „ cuius verbis Dominus eius intellectuali auditu ipſum animaduertit à via iuſtitiæ „ deuium, & citò Comiti Richardo cauſam innotuit atque rogauit, vt Roberto „ Regi litteris peſtem in Regno eius adhuc latitantem, antequam propagaretur, „ patefacere, & vt Rex eidem Areſaſto ad expellendum eum opportunum auxi-

lium non denegaret. Itaque Rex inſperata re attonitus mandauit vt idem vir cum clerico ſuo ad Aurelianam vrbem citò greſſum dirigeret, pollicens omnimodis in hac re ſuum auxilium.

Cumque iubente Rege iter ageret, Carnotis deuenit Fulbertum venerabilem antiſtitem ſuper hac re conſulturus qui forte tunc aberat: nam Rômam gratia orationis abierat. Tunc cauſa itineris cuidam ſapienti clerico Ebrardo nomine Carnotenſis Eccleſiæ Sacricinio innotuit flagitans ſui conſilij opem qualiter ſtare deberet in acie, & quibus armis ſe muniret contra multimodas artes diabolicæ fraudis. Qui ſapienti vſus conſilio, eum prædocuit, vt quotidie primo mane Omnipotentis opem quæſiturus Eccleſiam deuotus adiret, orationi incumberet, atque ſacroſancta communione corporis & ſanguinis Chriſti ſe muniret deinde fidenter ad audiendum hæreticam prauitatem ſignaculo S. Crucis protectus pergeret, nihil horum quæ ab eis audiret, contradiceret, ſed ſimulato Diſcipuli vultu omnia tacitus, in domicilio pectoris conferret.

Igitur Aurelianis deueniens vbi edoctus fuerat, quotidie ſacra communione ac ſupplici oratione munitus ad eorum doctrinam veniens adinſtar rudis Diſcipuli vltimus intra domum Erroneorum aſſidebat. Cumque primum diuinorum voluminum exemplis eum & quibuſdam rerum ſimilitudinibus informarent, atque more perfecti Diſcipuli ſubdita aure intentum viderent, inter alias ſimilitudines ſilueſtris arboris ſimilitudinem ei proferunt. Tractandus es à nobis, inquiũr, vt arbor ſilueſtris quæ tranſlata in viridario tandiu perfunditur, donec humo radicetur. Dehinc ſpinis & rebus ſuperfluis emundatur, vt poſtmodum terræ tenus truncata ſurculo meliori inſeratur ramuſculo, quæ poſtmodũ fertilis ſit melliſluo pomo. Itaque tu ſimili modo tranſlatus de iniquo ſeculo in noſtro ſancto Collegio aquis perfunderis ſapientiæ, donec informeris & gladio verbi Dei vitiorum ſpinis carere valeas ac inſulſa doctrina tui pectoris ab antro excluſa noſtram doctrinam à S. Spiritu traditam mentis puritate poſſis excipere. At ille de omni verbo quod proferebant, Deo ſemper gratias referebat. Vnde rati ſunt eum conuerſum eſſe in eum errorem, iam iamque ſuæ nequitiæ ſentinam verbis diuinorum librorum antea coopertam ſecuri aperiunt dicentes *Chriſtum de Virgine Maria non eſſe natum. Neque pro hominibus paſſum. Nec vero in ſepulchro poſitum, nec à mortuis reſurrexiſſe: addentes in Baptiſmo nullam eſſe ſcelerum ablutionem. Neque ſacramentum Corporis & Sanguinis Chriſti in conſecratione ſacerdotis. Sanctos Martyres atque Confeſſores implorare pro nihilo ducebant.*

Cumque hæc & alia execranda perditi & miſerrimi homines à fœtido pectore euomerent, Arefaſtus ſic ad eos dixiſſe fertur. Si in his quæ enumeraſtis, ſalus hominum quæ ſperatur, nulla vt dicitis, eſſe poteſt, à vobis obnixè rogo mihi aperire in quibus ſperari poterit, ne meus animus in dubio poſitus citò cadat in deſperationis ruinam. Procul dubio Frater, inquiunt, in Charybdi falſæ opinionis hactenus cum indoctis iacuiſti, nunc verò erectus in culmine totius veritatis integræ mentis oculos ad lumen veræ fidei aperire cœpiſti. Pandemus tibi ſalutis oſtium, quo ingreſſus es per impoſitionem videlicet manuum noſtrarum ab omni peccati labe mundaberis, atque S. Spiritus dono repleberis, qui videlicet ſcripturarum omnium profunditatem ac veram dignitatem abſque ſcrupulo te docebit. Deinde cœleſti cibo paſtus, internâ ſatietate recreatus videbis perſœpe nobiſcum viſiones Angelicas, quarum ſolatio fultus cum eis quo vis locorum ſine mora vel difficultate cum volueris ire, poteris, nihilque tibi deerit in quo ſapientiæ theſauri atque diuitiarum conſiſtunt.

Interea Rex & Conſtantia Regina ſicut vir memoratus mandauerat, ad vrbem Aurelianam cum Epiſcoporum Collegio venientes, die ſequenti illo ipſo ſuggerente omnis illa nequiſſima Congregatio ſimul per Officiales Regios de Domo vbi erant congregati, abſtracti & in Eccleſiam Sanctæ Crucis ante Regem atque Epiſcoporum ac Clericorum cœtum adducti. Sed antequam ad conflictum veniamus, de cibo illo qui cœleſtis ab illis dicebatur, quali arte conficiebatur, neſcientibus demonſtrare curabo. Congregabantur ſiquidem certis noctibus in Domo denominata ſinguli lucernas tenentes in manibus adinſtar Letaniæ Dæmonum nomina declamabant donec ſubitò Dæmonem in ſimilitudine cuiuſlibet beſtiolæ inter eos viderent deſcendere. Qui

Digitized by Google

ſtatim vt viſibilis illa videbatur viſio, omnibus extinctis luminaribus quam primam quiſque poterat mulietem quæ ad manum ſibi veniebat ad abutendum attipiebat ſine peccati reſpectu, & vtrum mater aut ſorot, aut Monacha haberetur, pro ſanctitate & religione illius concubitus ab illis æſtimabatur. Ex quo ſpurciſſimo concubitu infans generatus octaua die in medio eorum copioſo igne accenſo ptobabatur per ignem more antiquorum Paganorum, & ſic in igne cremabatur. Cuius cinis tãta veneratione colligebatur atque cuſtodiebatur, vt Chtiſtiana Religioſitas Corpus Chriſti cuſtodire ſolet ægris dandum de hoc ſeculo exituris ad Viaticum. Inerat enim tanta vis Diabolicæ fraudis in ipſo cinere, vt quicunque de præfatâ hæreſi imbutus fuiſſet & de eodem cinere quamuis ſumendo parum prælibauiſſet, vix vnquam poſtea de eadem hæreſi greſſum mentis ad viam veritatis dirigere valeret. De qua te parum dixiſſe ſufficiat, vt Chtiſticolæ caueant ſe ab hoc nefario opete, non vt ſtudeant ſectando imitari. Verum quia diſgreſſionem feciſſe videor, ad eadem modo quæ dimiſi vertatur otatio, ac ſuccincto curſu infidelium crudelitas tranſcurrendo peragatur, ne prolixior controuerſiæ ſermocinatio faſtidium generet delicato lectori.

Igitur vt dictum eſt, illis introductis ante Regem & Epiſcoporum conuentum prior Areſaſtus Regem allocutus eſt dicens: Domine mi Rex vinctus miles ſum Richardi tui fideliſſimi Comitis Normaniæ & immeritus teneor & catenatus ante te. Cui Rex ita reſpõdit. Cauſam tui aduentus citò nobis indicas, vt ea cognita aut reus in vinculis tenearis, aut innoxius à vinculis dimittaris. Ad hæc ille reſpõdit. Audita ſapientia & religione horũ qui vincti adſtant mecũ ante te ad hanc Vrbẽ venire volui, vt exemplo bonorum operum atque doctrina eorum melioratus redirem. Hæc quidem cauſa eſt pro qua de Patria mea exire volui, & hanc vrbem perij. Quod ſi reatu aliquo pro hoc opere teneor, Præſules tibi aſſiſtentes videant & iudicent. Tunc Præſules dixerunt. Si ſapientiæ ac Religionis modum quem ab his didiciſti, nobis proferas, noſtro iudicio facile dignoſcetur. At ille ait, Regia Maieſtas & veſtra authoritas eis iubeat, vt quæ me docuerunt ipſi, ea coram vobis dicant quatenus audita à vobis aut digna laude habeantur, aut obliuioni tradantur. Quibus Rex atque Antiſtites cum iuberent, vt ſuæ fidei normam referendo patefacerent, totius veritatis inimici alia pro aliis dicentes intra ſuæ hæreſis fœditatem nulla adyta introire volebant, ſed vt ſerpens quanto plus in manibus ſtringitur, tanto amplius elabitur, ita & iſti quo amplius concludebantur veritatis ſermone, tanto magis labiliores videbantur effugiſſe. Tunc Areſaſtus videns quod redimerent tempus & ſermonum clypeo feſtinarent obnubilare ſuæ fidei errorem, ad eos eſt conuerſus dicens.

Veritatis Magiſtros non erroris habere putaui, dum conſtanter illam mihi Doctrinam quam ſalutiferam Euangelizabaris viderem vos docere, atque pollicebamini pro pœnis inferendis & etiam pro morte toleranda numquam eam eſſe à vobis denegandam, nunc verò oblita fide quam promiſiſtis vt video, timore mortis ab illa doctrina longè vultis fieri meque adhuc rudem Diſcipulum in periculo mortis dimittere paruipendiritis. Vnde Regiæ iuſſioni parendum eſt & obedire tantorum Præſulum authoritati oportet, vt in his quæ à vobis didici, ſi quæ ſunt Religioni Chriſtianæ contraria, iſtorum iudicio cognita quæ ſequenda ſunt & quæ reſpuenda agnoſcant. Docuiſtis equidem me nullam in baptiſmo promereri veniam peccatorum, neque Chriſtum de virgine eſſe natum, neque pro hominibus paſſum, neque verè ſepultum, neque à mortuis reſurrexiſſe neque panem & vinum quod ſuper altare manibus ſacerdotum S. Spiritus operatione effici videtur, ſacramentum conuerti poſſe in corpore & ſanguine Chriſti.

Cumque Areſaſtus vna voce peroraſſet, Guarinus Beluacenſis Præſul interrogauit Stephanum & Liſoïum, qui huius erroris videbantur eſſe Magiſtri, ſi ita ſentirent & crederent quæ ab Areſaſto erant memorata. At illi cum Diabolo in inferno iam manſionem paratam habentes vera eſſe memorata & ità ſe ſentire ac credere conſtanter aſſerunt. Quibus cum Præſul diceret voluiſſe Chriſtum naſci de Virgine quia potuit, & pro noſtra ſalute pati in humanitate vt tertia die deuictâ morte reſurgeret in ſua deitate, noſque doceret eſſe reſur-

recturos in reformatione, viperino ore reſponderunt dicentes, Nos neque inter fuimus, neque hæc vera eſſe credere poſſumus. Adhæc Præſul eos inquit interrogans. Carnales parentes habuiſſe creditis, an non? cumque ſe credere aſſererent, Præſul reſpondit. Si ex parentibus vos eſſe procreatos creditis cum non eratis, ante ſecula Deum de Deo genitum ſine Matre in fine temporis S. Spiritus obumbratione de Virgine natum cur credere reſpuitis? At illi dixerunt, quod natura denegat, ſemper à creatione diſcrepat. Quibus præſul reſpondit dicens. Antequam quidquam fieret per naturam non creditis per filium Deum Patrem feciſſe omnia ex nihilo? cui alienati à fide dixerunt.

Iſta illis narrare potes qui terrena ſapiunt atque credunt figmenta Carnalium hominum ſcripta in membranis animalium. Nobis autem qui legem ſcriptam habemus in interiori homine à Spiritu S. & nihil aliud ſapimus, niſi quod à Deo omnium conditore didicimus, incaſſum ſuperflua & à diuinitate deuia profers. Idcirco verbis finem impone & de nobis quidquid velis facito: iam Regem noſtrum in cœlis regnantem videmus, qui ad immortales triumphos dextera ſua nos ſubleuat dans ſuperna gaudia.

Cumque ab hora diei prima vſque ad horam nonam multifariam elaborarent omnes, vt illos à ſuo errore reuocarent, & ipſi ferro duriores minimè reſipiſcerent, iuſſi ſunt ſinguli ſacris veſtibus indui in ſuo ordine, ſtatimque ab Antiſtitibus à proprio honore ſunt depoſiti, & Rege iubente, Conſtantia Regina ante valuas Baſilicæ ſtetit, ne populus eos intra Eccleſiam interficeret, & ſic de gremio S. Eccleſiæ eiecti ſunt: deinde extra ciuitatis educti muros in quodam tuguriolo copioſo igne accenſo præter vnum Clericum atque vnam Monacham cum nefario puluere de quo ſupra diximus, cremati ſunt. Clericus enim & Monacha diuino nutu reſipuerunt.

Talis fuit finis inſanorum illorum Doctorum, qui nec precibus amicorum, nec minis Regis, non exhibitione tormentorum terreri & commoueri atque ad ſaniorem mentem adduci potuerunt. Quippe Robertus cum eſſet omnium Principum clementiſſimus, ac Litteratorum virorum amantiſſimus, experiri primum voluit exhibita ſpecie tormenti, num eos poſſet à deteſtanda & nefaria hæreſi abducere, ob idque iuſſit accendi rogum extra vrbem in eorum conſpectu, at illi nihil inde territi cum ducerentur, hilari vultu & intrepide properarunt aientes ſe illæſos inde exituros, immanitatemque tormentorum ſanctitate vitæ ſuperaturos. Itaque veritus Princeps ne ficta eorum conſtantia multorum animos deluderet & moueret ad miſerationem, feriò ſententiam executioni demandari iuſſit, eoſque ad rogum rapi in quem coniecti ſunt eorum tredecim & flammis abſumpti. *Qui enim iam cœpiſſent acrius aduri*, inquit Glaber Rodulphus loco citato, *cœperunt voce qua poterant ex eodem igne clamare ſe peſſimè deceptos arte Diabolica nuper de Vniuerſorum Deo ac Domino male ſenſiſſe & ob hanc ab eiſdem illatam ei blaſphemiam illos temporali atque æterna vltione torqueri. His vero plures e circunſtantibus auditis humanitatis pietate permoti accedentes, vt vel ſemiuiuos ab igne eriperent minimè valuerunt, quoniam vindice flamma conſumente illos, continuo in puluerem ſunt redacti. Si qui verò poſtmodum huius peruerſitatis ſectatores fuerunt reperti, ſimili vltionis vindicta vbique fuerunt puniti.* Hæc Glaber Rodulphus.

De iiſdem quoque breuiter Helgaldus Author Synchronus. *Eodem tẽpore*, inquit, *decem ex Canonicis S. Crucis Aurelianenſis probati ſunt eſſe Manichai. Quos Rex Robertus cum nollent ad Catholicam conuerti fidem, igne cremari iuſſit. Simili modo apud Toloſam inuenti ſunt Manichæi, & ipſi igne cremati ſunt. Et per diuerſas Occidentis partes Manichæi exorti per latibula ſeſe occultare cœperunt, decipientes quoſcumque poterant.*

Huic autem Concilio Aurelianenſi præſedit Leothericus Senonenſis Archiepiſcopus, vt habetur in Chronico S. Petri Viui his verbis. *Sub ipſo tempore exorta eſt magna hareſis noua & enaudita in vrbe Aurelianenſi: Qua propter accerſiens Rex Archiepiſcopum iuſſit congregari in eadem vrbe Synodum. Erant autem ipſi Hæretici ex melioribus ipſius ciuitatis Clerici. Communi vero conſenſu & voluntate omnium conuicti omnes perpeſſi ſunt ignis incendium.*

Tunc erat Epiſcopus Aurelianenſis Theodoricus, qui huiuſce praui dogmatis in vrbe ſua ſparſi tædio affectus & tot Clericorum, qui ante probi habebantur,

morte infami motus Epiſcopatum teliquit & Romam ad Apoſtolorum limina contendit, ſed in itinete apud Caſtrum Tornodorenſe obiit, vt habetur in eodem Chtonico. Ei ſubſtituitut Odolricus deBrecis vit nobiliſſimus & Roberto Regi acceptiſſimus, quem Fulbertus Carnotenſis Preſbyterum conſecrauit vt ipſe ſcribit Ep. ad Leothericum Senonenſem Præſulem.

Sub hoc Epiſcopo Ademarus Engoliſmenſis ſcriptot eorumdem temporum videtur innuere fuiſſe prædictam ſynodum habitam contra hæreticos Aurelianenſes, de illa enim hæreſi verba faciens deque Odoltico ſic habet. *Eo tempore decem ex Canonicis S. Crucis Aurelianenſis qui videbantur aliis religioſiores, probati ſunt eſſe Manichæi, quos Rex Robertus, cum nollent aliquatenus ad fidem reuerti, primo à Gradu ſacerdotij, deinde ab Eccleſia eliminari & demum igne cremari iuſſit.* Et paulo poſt. *Quidam etiam S. Crucis Aurelianenſis Canonicus Cantor nomine Theodatus mortuus erat ante triennium in illa hæreſi, ut perhibebant viri Religioſi & Hæretici ipſi, cuius corpus poſtquam probatum eſt, de cœmeterio eſt eiectum iubente Epiſcopo Odolrico & proiectum in inuium. Qui autem flammis iudicati ſunt ſupradicti decem cum Liſoio, quem Rex valde dilexerat propter ſanctitatem quam eum habere credebat, quaſi ſecuri nihil ignem timebant & flammis ſe inlæſas exire promittebant etiam ridentes in medio ignis ligati ſunt & ſine mora penitus in cinerem redacti ſunt, vt nec de oſſibus reſiduum inueniretur eorum.*

Et ſi non irrepſit mendum in numetum annotum Catthæ cuiuſdã ſeu Priuilegij à Roberto Rege conceſſi Alberto Miciacenſi Abbati, ſententia in hæreticos illos prolata fuiſſe dicitur anno 1022. tunc præſule Odolrico. Sic enim in fine priuilegij legitut. *Aureliauis publicè an. 1022. Regni Roberti Regis 28. Indict. 5. Quando Stephanus Hæreſiarches & complices eius damnati & arſi ſunt Aurelianis.* Quare cum non conueniant authores eorumce tempotum, qui ſpectaculi teſtes eſſe potuerunt oculati, videntur ita conciliandi, vt anno quidem 1017. fuerit hæreſis illa detecta, quo tẽpote Theodoricus præſul erat Aurelianenſis, at non niſi an. 1022. hæretici puniti ſub Odolrico Theodorici ſucceſſore. Non eſt vero audiẽdus Chtonologiſtes Antiſiodotenſis eam aiens hæreſim ortam ſub Henrico I. Roberti ſucceſſore his verbis. *Poſt Rabertum regnauit in Francia filius eius Henricus annis 30. Sub ipſo tempore hæreſis inaudita apud vrbem Aureliauis exorta eſt. Erant autem ipſi hæretici ex melioribus ipſius Ciuitatis Clericis. Quamobrem Concilio ibidem collecto, communi omnium iudicio decernente præfati hæretici iuſſi ſunt incendio concremari.* Hactenus de hæteſi Aurelianenſi.

1018. Anno 1018. Robertus Rex Senonis confirmat inſtaurationem & refotmationem Cœnobij Latiniacenſis factam ab Heriberto II. Comite Campaniæ cognomento Vetulo, vbi ipſe ſepultus fuerat an. 989. vt ſcribit Albericus. In quo cœnobio M. Heribertus qui cum Fulberto Gerberti Diſcipulus fuerat & poſtea Carnuti docuerat, Monachum induit, & paulo poſt Gerardus eiuſdem in Schola Carnotenſi Diſcipulus, mox futurus Abbas Fortanellenſis. In Charta autem Roberti Balduinus ſub-Cancellarius ſubſcripſit vice Arnulſi Archiepiſcopi Remenſis *primi Cancellary*. Vnde errant qui ſcribunt Atnulfum obiiſſe an. 1009. ſiquidem & legitur ſubſcripſiſſe hoc anno fundationi Eccleſiæ Collegiatæ S. Lautentij de Rozeio ab Hilgaudo eiuſdem loci Dynaſta factæ.

1019. Anno 1019. Franco Decanus Eccleſiæ Pariſienſis & Franciæ olim Cancellatius ad Epiſcopatum Pariſienſem promouetur, vir litteratus, & litteratis viris charus, præſettim Roberto Regi & Fulberto Carnotenſi: cuius ad eum extant quædam Epiſtolæ. De electione ſic ſcribit ad Regem Ep. 88. *Ex parte Celſitudinis veſtræ dictum eſt nobis quod Domnum Franconem Pariſienſi Eccleſiæ dare vultis Epiſcopum, & ad hoc peragendum noſtræ humilitatis habere fauorem, nobis autem videtur quia ſi Epiſcopatui de quo agitur aptus eſt, Clericus eſt optimè litteratus & ad ſermonem faciendum agilis, in qua re omnes Epiſcopos decet eſſe non minus quàm in operatione potentes atque diſcretos: vnde ſi hoc fieri poſſe canonicè Domni Archiepiſcopi Senonenſis & Coëpiſcoporum noſtrorum probauit ſagacitas, noſtrum etiam qui de hac diſcuſſione appellati non fuimus, habeatis aſſenſum: in nullo enim quod bonum ſit, coram Deo veſtræ voluntati nitimur contraire.*

Difficultas, credo, iſtius Electionis in eo erat poſita, quod Azelinus, de quo ſupra locuti ſumus, parum ſe videns aptum & idoneum Epiſcopali muneri exercendo,

exercendo, libens quidem ceſſerat: at in ea tamen ceſſione nonnihil deſiderabatur ſecundum Canones; vnde non videbatur legitimè poſſe fieri alterius electio & ſubſtitutio: Acceſſit, quod ipſum Azelinum pœnituerit abdicaſſe Epiſcopatum: illumque repetere voluerit. Verum ſerius ſapuit quam oportuiſſet. Franco enim Roberti Regis ope & auxilio fretus, Fulberti quoque conſilio & authoritate qua apud omnes valebat, munitus ſedem retinuit. Retulimus ſupra prædicti Fulberti ad Franconem Epiſtolam, quæ eſt ordine 96. in qua hæc quoque continentur verba. *Superfluum duxi longam fabulam Noſtri Senis* (Azelini) *tranſcribere & mittere tibi: cum totam rationem eius, ſi qua eſt, ex mea breui reſponſione facile percipere poſſis: fuitque eiuſmodi. Fratri in Domino & conſacerdoti ſuo Fulbertus. Abſit frater, vt credatur verum eſſe quod ſcripſiſti, meum Archipræſulem & me tuam confeſſionem publicaſſe.* Obiit autem Azelinus ſeu Aſcelinus an. 1020. 3. Kal. Septemb.

Anno 1020 (alij dicunt 1023.) Ioannes 20. aliis 21. quibuſdam 19. Patria Tuſculanus, ſeu vt alij ſcribunt, Romanus ad Pontificatum Rom. promouetur poſt Benedictum VIII. fratrem, vir ſtrenuus & virtutum plurimarum inſignibus decoratus; atque idcirco tam bonis amabilis & gratioſus, quàm malis inuiſus. Primus poſt multos ignauos Pontifices ſpem dedit reſtituendæ in priſtinam libertatem Eccleſiæ, quæ tunc temporis à multis tyrannulis opprimebatur. In hanc rem ad eum ſcribit Fulbertus Epiſt. 22. *Gratias omnipotenti Deo, qui more benignitatis ſuæ tuam, Pater, humilitatem reſpexit, & ſummo vt decebat dignitatis apice ſublimauit. Proinde totus mundus ad te conuertit oculos, teque vnum omnes beatiſſimum prædicant, contemplantur altitudinem tuam ſancti viri, & gaudent, quod eis ſimilitudine omnium virtutum alludis. Reſpiciunt perſecutores Eccleſiæ diſtrictionis tuæ baculum formidantes. Suſpiciunt ij qui flagellantur ab impiis & reſpirant ſperantes adhuc reſtare ſibi conſolationis remedium. Ex quorum numero ſum Ego Magnæ & præclaræ Eccleſiæ puſillus Epiſcopus, qui tibi, Pater, de anguſtiis meis querimoniam ſcribens auxilium tuæ Pietatis imploro. Eſt enim quidam Comes malefactor nomine Rodulfus, nimium vicinus nobis, qui Res Eccleſiæ noſtræ per iniuſtam occaſionem inuaſit, vnum de Clericis noſtris ſuis manibus interfecit, duos alios captos ſacramentis illigauit. Et de his omnibus appellatus in Curia Regis, & coram plena Eccleſia ſæpe vocatus, non propter hominem nec propter Deum ad Iuſtitiam venire dignatus, à nobis tandem excommunicatus eſt. Nunc verò ad limina Petri contendit, tanquam ibi poſſit accipere de peccatis abſolutionem, vnde venire non vult ad emendationem. Vnde rogamus te, Dilectiſſime Pater, cui totius Eccleſiæ cura commiſſa eſt, vt eum de ſanguine atque iniuria filiorum tuorum ita arguere & caſtigare memineris, ſicut meritum eſſe tua prouidentia nouit. Nec tua ſanctitas iniuſtè in communionem recipiat, quem diuina authoritas ſicut Ethnicum alienat. Vale bone Paſtor & vigila ſuper nos, ne per incuriam tuam Grex Domini detrimentum ſuſtineat.* 1020.

Huiuſce Pontificis temporibus Guido Aretinus Monachus Benedictinus in Italia primus excogitauit nouam Cantandi methodum, quam ſolmificationem vocant, ſeu vt vulgò loquimur Gammam cum notis VT, RE, MI, FA, SOL, LA: cuius arte pueri & puellæ in manu ſua cantandi peritiam facilius diſcere cœperunt, quàm voce Magiſtri, aut vllius vſu inſtrumenti, inquit Trithemius: Qui Guidonem illum inter authores Eccleſiaſticos commemorans, ait fuiſſe virum in Diuinis Scripturis exercitatum atque in ſecularibus Diſciplinis eruditiſſimum, prętereaque Dialecticum & Muſicum inſignem.

Noſter quoque Rex Robertus Diuinis humaniſque litteris peræquè imbutus hiſce temporibus inter Regni curas multa componebat opuſcula, complures hymnos & proſas, quarum aliquas etiamnum decantat Eccleſia, vt ſunt iſtæ. SANCTI SPIRITVS ADSIT NOBIS GRATIA in honorem S. Spiritus. O IVDÆA ET HIERVSALEM in honorem Natiuitatis Domini. CORNELIVS CENTVRIO, quæ eſt S. Petri. O CONSTANTIA MARTYRVM LAVDABILIS. in honorem S. Dionyſij & ſociorum eius, vt referunt Robertus Antiſſiodorenſis, Nangius, Trithemius, Genebrardus & alij: quam quidem Proſam vltimam videri voluit compoſuiſſe in gratiam Conſtantiæ Reginæ: fœminâ ſic deluſâ, quæ inter ſacra mariti opera habere locum affectabat.

Memorabile eſt quoque, quod prædicti Ioannis Pontificis temporibus Euſtra-

ſius Antiſtes Conſtantinopolitanus conatus eſt obtinere, vt Eccleſia Conſtantinopolitana, ſicut & Romana, diceretur CATHOLICA ſeu VNIVERSALIS. Iamque Pontificem & Romanos qui Curiæ præerant, prope flexerat donis & permouerat, cum id intelligens Italia ob hoc vehementiſſimè commota eſt. *Sed & Galliarum Epiſcopi & Abbates*, inquit Hugo Abbas Flauiniacenſis, *his obuiare conati ſunt, Quidam in perſona ſua, Quidam verò litteris miſſis ſedem Apoſtolicam viſitantes, & tantum opprobrium & dedecus authoritatibus ad medium prolatis, quibus contradicere fas non eſſet, à Romana Eccleſia propulſantes.* Præcipuam verò in ea re laudat operam Richardi Abbatis Flauiniacenſis & Guillelmi Abbatis Diuionenſis, cuius hanc refert ad Ioannem Papam Epiſtolam.

Gratia Dei & Reuerentia Beati Petri ſedi in orbe terrarum excellentiſſima indepto Papa Ioanni Willielmus Crucis Chriſti ſeruus, ſedem Iudicij cum Apoſtolis & coronam Regni. Magiſtri Gentium dictis inſtruimur ſeniorem non increpandum. Idem tamen aliàs dicit: factus ſum inſipiens, vos me coëgiſtis. *Idcirco igitur filiationis diligentia hortamur communem veſtram paternitatem, vt in vno imitemini cogitationes hominum peruidentem Dominum ſaluatorem, vt dicatis ad aliquem vobis vnanimem, quemadmodum & ipſe Petro. Quid dicunt homines de me? ſi verò reſponſum eius ex fide fuerit, animaduertite qualiter ſonuerit. Si clarè, cuſtodite ne obfuſcetur. Si verò obſcurè, lux mundi oranda eſt, qualiter ita fulgeatis vt Vniuerſis in gremio Eccleſiæ conſtitutis ad viam mandatorum Dei gradiendam lumen præbeatis. Sed eſt fama rei, quæ nempe apud vos accidit, de qua quis audiens ſi non ſcandalizatur, nouerit ſe longè ab amore ſuperno diſparari. Quoniam licet poteſtas Rom. Imperij, quæ olim in Orbe terrarum penes Monarchas viguit, nunc per diuerſa terrarum loca innumeris regatur ſceptris, ligandi ſoluendique in cælo & in terra poteſtas incumbit Magiſterio Petri. Atque idcirco iſta diximus vt animaduertatis non aliter Græcos, quàm Cenodoxia hoc quod audiuimus apud vos requirere, impetrauiſſe. De cætero quoque optamus, vti Vniuerſalem decet Antiſtitem, vos acrius in conceptione & diſciplina ſancta & Apoſtolica Eccleſia vigere, æternéque & feliciter in Chriſto valere.*

Incendium Carnotenſe.

Eodem anno Baſilica Carnotenſis & tota pœne Ciuitas deplorando incendio conflagrauit: quam ruinam Fulbertus quâ potuit celeritate & diligentia reparare contendit, miſſis ad plurimos Principes & Magnates litteris & impetratâ ab iis pecuniâ, trabibus, cæmentis aliiſque rebus ad Baſilicæ inſtaurationem neceſſariis. Teſtis Will. Malmeſburienſis Cnutonem Anglorum Regem ad tanti operis perfectionem vltro contribuiſſe. Sic enim ille lib. 2. de Geſtis Anglorum. *Rex Cnuto*, inquit, *ad tranſmarinas Eccleſias pecunias mittens, maximè Carnotum dotauit. Vbi tunc florebat Fulbertus Epiſcopus in ſanctitate & Philoſophia nominatiſſimus. Qui inter cætera Induſtria ſua documenta Eccleſiæ Dominæ noſtræ S. Mariæ, cuius fundamenta iecerat, ſummam manum mirifico effectu impoſuit: quam etiam pro poſſe honorificare ſtudens, muſicis modulationibus crebrò extulit. Quanto enim amore in honorem Virginis anhelauerit, poterit conijcere qui audierit cantus cæleſtia vota ſonantes. Extat inter cætera opuſcula eius Epiſtolarum volumen, in quarum vna gratias agit Cnutoni Magnificentiſſimo Regi, quod largitatis ſuæ viſcera in expenſas Eccleſiæ Carnotenſis effuderit.*

Extat ad hunc Regem Fulberti Ep. 97. qua gratias ei agit ob munera quæ
„ tranſmiſerat. Quando munus tuum nobis oblatum vidimus, ſagacitatem tuam
„ pariter & Religionem admirati ſumus; ſagacitatem quidem: quod homo noſtræ
„ linguæ ignarus, longoque terræ mariſque interuallo à nobis diuiſus non ſolum
„ ea quæ circa te ſunt, ſtrenuè capeſſas, ſed etiam tu quæ circa nos diligenter in-
„ quiras, Religionem verò, cum te quem Paganorum Principem audieramus, non
„ modò Chriſtianum: verum etiam erga Eccleſias atque Dei ſeruos benigniſſi-
„ mum agnoſcimus. Vnde gratias agentes Regi Regum, ex cuius diſpoſitione
„ talia deſcendunt, rogamus, vt ipſe Regnum tuum in vobis proſperare faciat,
„ & animam tuam à peccatis abſoluat per æternum conſubſtantialem ſibi vni-
„ genitum Chriſtum Dominum noſtrum in vnitate Spiritus Sancti.

Ad eiuſdem Baſilicæ inſtaurationem de ſuis quoque bonis contribuerunt Richardus Normanorum Dux, Willelmus Aquitanorum: at iſte præſertim, qui Fulberti amiciſſimus erat, pietatis amantiſſimus, litteratorum Mæcenas liberaliſsimus. Patet ex Epiſtolis Fulberti quanta inter eos neceſsitudo, quantumque intercederet commercium litterarum.

Neque verò Guillelmus de opibus tantùm ſuis largitus eſt in reſtaurationem Templi Carnotenſis ; ſed & Fulberto Theſaurariam B. Hilarij Pictauienſis obtulit : quam videtur initio quidem accepiſſe Fulbertus , paulò verò poſt ei reddidiſſe. De ea re ſic legitur in fragmento Hiſtoriæ Aquitanicæ vbi de Guillelmo. *Fulberto quoque ſapientia valde ornato Epiſcopo Carnotenſi pro reuerentia Philoſophiæ eius à Francia ad ſe euocato Theſaurariam S. Hilarij gratis tribuit & ſummo honore eum excoluit.* Ipſe verò Fulbertus ſic ad eum reſcribit. Ep. 16.

Piiſsimo Duci Aquitanorum Guillelmo Fulbertus humilis Epiſcopus fidelitatem ex corde. Non eſt mirum , Sereniſſime Princeps, ſi quid moueris animo contra me de hoc quod ſapientiſsimo & ſanctiſsimo Patri noſtro Hilario tibique debita ſeruitia non rependo. Magnam enim honorificentiam exhibuiſti mihi, largoſque dediſti munificentiæ fructus, pro quibus nihil præſentis emolumenti recepiſſe videris. Sed eſt quod te reconfortare plurimum poteſt , hoc videlicet quod tuas gazas in Eccleſiæ B. Mariæ reſtaurationem expenſas non ſolum integras , verum etiam multiplicatas ab ea recipis. Ex parte verò mea quamuis petexilis portio mercedis æſtimari poſsit , tamen quidquid ſum & poſſum , tuum eſt. Si autem de malitia ſeculi ortæ difficultates iter meum impediunt, vt te frequentare non poſſim & dilationes meas exſpectare tædet, fac benigniſsime atque dilectiſsime Princeps de illa dignitate , quam mihi commiſeras , quidquid animæ tuæ beneplacitum fuerit : certò ſciens quod ex cauſa beneuolentiam meam erga te nunquam ſenties imminutam.

At Ep. 103. illi ſuum omnino munus remittit. Doleo vir optime, quod nuper in Conuentu Regio atque noſtro loquendi tecum opportunitatem non habui , non de ſeculari negotio , ſed de loco S. Patris Hilarij , cuius Rectores nos eſſe bonitas tua voluit , ſed huius temporis malitia non permittit. Mando itaque tibi & precor abſens id quod præſens tunc intimare volebam , videlicet vt ſecundum beneplacitum cordis tui conſtituas tibi alium Theſaurarium & Capicerium de bonis Clericis, qui ſunt in tua vicinia , quos via longa & periculoſa non diſturbet ab officio , ſicut me & meos hactenus diſturbauit.

Porro D. Virgini tam deuotus fuiſſe ſcribitur Fulbertus, tamque feruidus in eius cultu promouendo , tam ſedulus in eius templo reſtaurando, vt ea ægrotanti ſacra vbera ſugenda præbuiſſe dicatur, eique vires & ſanitatem reſtituiſſe : vt refert Albericus in Chronico ad an. 1022. *Fulbertus,* inquit , *Epiſcopus ſanctitate & Philoſophia nominatiſsimus , qui fundamenta ſanctæ Eccleſiæ Dei Genitricis iecit & eadem perfecit miro lapideo tabulatu : qui etiam ab eadem Dei Genitrice in infirmitate ſua viſitatus eſſe dicitur & de eius lacte ſanctiſsimo recreatus. Hic enim multo amore & feliciſsimo in honorem B. Mariæ Virginis Dei Genitricis exarſit. Quod oſtendunt cantus quos de ea ille edidit cœleſtia vota ſancientes.*

Anno 1021. Durandus Norgeri Leodienſis & Gerberti olim in Schola Remenſi Diſcipulus ex humili loco ad Cancellariatus dignitatem ab Henrico propter eminentem doctrinam promotus, ab eodem poſt mortem Woldonis ſeu Wolpodonis Leodienſis Epiſ…pi in eadem ſede ipſius ſucceſſor deſignatur. Accidit autem res digna memoria. Nam dum Imperator Durandum Epiſcopatu donat , Capitulum Leodienſe Gotheſcalcum eligit , fundatorem S. Bartholomæi , filium Caſtellani de Morlemeiz ipſiuſque Durandi Dominum : cum autem ipſi ſibi inuicem in via occurriſſent , Gotheſcalcus ad Imperatorem Leodio proficiſcens, Durandus ab Imperatore Leodium veniens : re communicata , vt acciderat, Gotheſcalcus vltro Durandum patitur eſſe Epiſcopum , iurique ſuo lubens cedit. Vt ſcribit Albericus in Chronico ad hunc annum his verbis. *Durandus Imperatoris Cancellarius fit Leodienſium Epiſcopus : quod quia fabula in Theatro mundi fuit, quia vir ex humillimo & pauperrimo ſeruilis conditionis genere Dominis ſuis dominatur, Carnalibus maximè , ſupradicto Godeſcalco fundatori S. Bartholomæi , qui fuit filius Caſtellani de Morlemiz, electus fuerat à Capitulo in Epiſcopum. Qui cum ad Imperatorem pro Regalibus ſuis feſtinaret , obuium habet dictum Durandum iam Epiſcopatu donatum. Cumque Durandus vidiſſet Dominum ſuum Godeſcalcum prædictum , voluit ei donum quod ab Imperatore receperat, reſignare , ſed per eundem Godeſcalcum firmius ad Epiſcopatum promotus eſt. Erat enim vterque Religioſus, ſed Durandus in vtraque litterarum ſcientia longè ſatis expeditus.* Sic nobilitas ſcientiæ ceſſit , & purpura eloquentiæ. 1021

Digitized by Google

Hic vero animaduettere opus eſt vehementer errare Sammatthanos in Gallia Chriſtiana aientes Durandum hunc aurhorem eſſe Epiſtolæ cuiuſdam contra Brunonem Epiſcopum Andegauenſem & Berengarium Turonenſem Archidiaconum : item & cuiuſdam Manuſcripri de Sacramento altaris. Nam ex fide Hiſtoricorum certum eſt Durandum hoc anno factum ex Cancellario Henrici Imperatoris Epiſcopum obiiſſe 10. Kal. Septemb. an. 1025. Tunc autem Berengarius vix exceſſerat e Schola Fulberti, nec dum Bruno Epiſcopatum Andegauenſem obrinuetat, qui vix tum adhuc in ſcholis erar. Rectius ergo Epiſtola prædicta rribuirur Durando Troarnenſi Abbari primo, viro in humanis & diuinis litteris verſariſſimo, vt alibi dicemus.

1023. Anno 1023. Teſte Alberico obit Arnulphus ille Remenſis, de quo tam multa ad ſuperius ſeculum diximus, iacerque in Choro S. Remigij ſub hoc Epiraphio.

Hic iacet Arnulphus Regali ſtemmate ſuſus,
Remorum Præſul nulli pietate ſecundus.
Spes inopum, ſpes debilium, Paſtor Monachorum,
Aſſertor veri, rigidi ſeruator honeſti,
Quem fera mors rapuit, quæ nulli parcere nouit.
Flete Patrem Monachi lachrymarum fonte perenni.

In vulgatis Catalogis Archipræſulum Remenſium legitur obiiſſe an. 1009. eique poſt annum ſucceſſiſſe Ebulonem. Verum Albericus & Chronicon Cameracenſe l. 3. c. 22. Arnulphum hoc anno obiſſe commemorant, eique Ebulonem virum nobilem, Roberti Regis ex Sorore neporem, hominemque Laicum ſucceſſiſſe.

De eo ſic legitur in Chronico. *Defuncto Arnulfo Remorum Archiepiſcopo Aſelinus Laudunenſis quendam Laicum Ebulonem nomine antea ſuum Secretarium & ſuæ calliditatis conſcium acclamauit, & vt Rex concederet, ſuis adulationibus impetrauit. Virum ſanè nullius diſciplinæ, nihil etiam præter pauca ſyllogiſmorum argumenta ſcientem, quibus idiotas ac ſimplices quoque ludificari ſolebat. Sub ſpecie verò litterarum ad tanti honoris faſtigium multo ante tenderat, ſpemque ſuam multa pecunia cumulabat, quam vſuris turpiter aceruabat. Hoc quoque Aſelinus multo ante quæſiuit & nunc maximè inſudabat quatenus per eum ſuas calliditates liberius exerceret.*

Nimis hæc forſan Satyricè : cerriorem enim habemus Ebulinæ probitatis & capacitatis reſtem Fulbertum Carnorenſem, qui Ep 38. ad Guidonem Siluanectinum Epiſcopum reſpondet non eſſe multum ipſi meruendum, quod Laicum hominē ordinaſſet: id enim factum ſœpe antiquitus, præſerrim cū tales ordinabantur viri, qui Religioni Chriſtianæ & Eccleſiæ profururi credetentur. Talem verò eſſe Ebulonē, hominem quippe Chriſtianum, probum, litteratum & in Scripturis ſacris verſatum. Sic ergo ille. *Ab ordinatione Ebuli Remenſis Archiepiſcopi non valde tibi metuendum puto eſſe, ſi eſt vt dicitur, ab infantia Chriſtianus, ſano ſenſu, ſacris litteris eruditus, ſobrius, caſtus, amator pacis & dilectionis, nullo crimine, nulla infamia nota turbatus, tandemque à Clero & populo ſuæ Ciuitatis electus. Magni etenim viri, vt optimè noſti, Ambroſius Mediolanenſis & Germanus Antiſſiodorenſis aliique nonnulli, qui a tales in Laico habitu extiterunt, ſubitò nobis ſancti præſules exierunt. Domnus vero Papa cuius animaduerſionem te reuereri ſignificaſti, non eſt quod tibi meritò debeat ſuccenſere, ſi te grauiter collapſæ S. Remenſis Eccleſiæ aliquam ſpem reſurrectionis audierit prouidiſſe.* Extant aliquor eiuſdem Fulberti Epiſtolæ ad Ebulum & de Ebulonimirum, 38. 53. & 54.

Quæſtio de S. Martiale Apoſtolatu.

Circa hæc tempora magna contentio inter Doctos orta eſt de re leui, an ſcilicet Martialis primus Lemouicenſium Epiſcopus deberet in Litaniis communibus inter Apoſtolos, an verò inter Confeſſores connumerari, ac proinde an Apoſtolus, an Confeſſor appellari. Hæc Quæſtio apud Lemouicas nara eſt inter ſeculares vt vocant, & Regulares. Iordanus de Loron Epiſcopus Lemouicenſis vetuit inter Apoſtolos recenſeri : Hugo Abbas S. Marrialis contendit debere Apoſtolum vocari, & Hebionitas appellabat quicunque Epiſcopo ſuffragabantur : qui nempe Hebionitæ non alios quam 12. vocandos eſſe Apoſtolos conteſtabantur.

Ad dirimendam hanc litem Willielmus Dux Aquitanorum vir litteratus & li-

teratorum ſtudioſus Synodum Pictaui congregauit : in qua quidem productus eſt liber à Rege Anglorum miſſus, continens Martialem in Anglia haberi Apoſtolum. Qua de re ſic Odolricus Abbas S. Martialis in Concilio Lemouicenſi *Illud quoque mihi commemorandum eſt, quod ante hos ſeptem annos Rex Anglorum Duci Aquitaniæ regalia munera miſit, ſimulque Codicem litteris aureis ſcriptum, in quo nomina Sanctorum diſtincta cum imaginibus continebantur: quod volumen iam in concilio Pictanienſi dum hac eadem de re Quæſtio eſſet, illud Dux Guillelmus litteris edoctus in teſtimonium antiquitatis Pontificibus oſtendit: erat enim ibi Martialis in aliorum Apoſtolorum Catalogo poſitus, qui peritiſſimus princeps dicebat Archiepiſcopo Burdegalenſi & aliis qui ibidem aderant Epiſcopis, conÿcere, inquiens, poſſumus quàm egregiæ authoritatis ſit S. Aquitanorum Patronus, de quo Gregorius in illa ſui Laboris gente hanc legem tradidit obſeruandam: nimirum imperitorum eſt dubitare de quo S. Papa Gregorius non dubitaui. Videtis ecce ô Epiſcopi in hoc Codice qui apud Anglos ſcriptus eſt, prætermiſſum eſſe Timotheum & Cleopham & Silam & alios, quorum nomina in Euangeliis & Actibus Apoſtolis ſiue in Epiſtolis Pauli leguntur, quos Apoſtolos dicitis præter duodecim eſſe: non tamen prætermiſſum eſſe illum noſtrum Patronum, qui primus Galliarum fuit Epiſcopus, cuius nomen in Euangeliis reticetur.*

. Verum in illa ſynodo nihil certi definiri potuit. Itaque an. 1024. alia habita eſt Pariſiis, vn frequentior erat Doctorum numerus tam in humanis quàm in ſacris litteris verſatiſſimorum. Cui ſynodo interfuerunt Robertus Rex, Gauzlenus Archepiſcopus Bituricenſis & multi Epiſcopi, Hugo S. Martialis, Odolricus eius ſucceſſor & alii multi cum Magiſtris Pariſienſibus. Ibique Lemouicenſes contenderunt Martialem vocandum eſſe Primum Confeſſorem non Apoſtolum, Pariſienſes vero etiam Apoſtoli nomine præter cæteros 12. poſſe appellari: & tandem pro Pariſienſibus à Roberto concluſum eſt, & ſententia ſynodi Roman ad Ioannem tranſmiſſa, vt eam ipſe ſua authoritate confirmaret. Huiuſce quoque ſynodi Pariſienſis meminit Odolricus in eodem Concilio Lemouicenſi. Audiant me Pontifices & ſeniores, inquit, qui coram adſtant, quod Martialis ſemper ab antiquitate in pluribus doctiſſimorum Patrum locis pronunciatus ſit Apoſtolus, mihi neceſſe non eſt teſtificari, ne forte adulatorius iudicer teſtis proeius Eccleſiæ regimine. Adſunt ab externis locis, qui ex hoc verum dent coram vobis teſtimonium: non tamen eſt mihi tacendum, quod quando iam longo tẽpore olim apud Monaſterium S. Benedicti per plures annos Artibus imbueret liberalibus, annoſam Monaſterij legem reperi Martialẽ in Litaniis cum aliis pronunciari Apoſtolis. Pater illius loci Abbo florentiſſimus, quem multi veſtrum nouerunt, & omni Diuina & ſeculari authoritate totius Franciæ Magiſter famoſſiſſimus, & poſtmodum gladio perſecutoris martyrio coronatus apud Vaſconian, quid de Martiale ſcripſerit, quod de eo teſtimonium perhibuerit, huius vrbis Clero notum eſt. Extitit poſt eum ipſius Monaſterij Pater tum grandæuitate, tum genere, cum eloquentia & diſciplinis liberalibus clarus ac demum leuatus Bituricæ ſedi Archiepiſcopus Gauzlenus. Quod teſtimonium ſancto Dei perhibuerit ille, multi ex noſtris nouerunt. *Adhuc enim viuente Rege Roberto cum Anteceſſor meus Hugo in Palatio ei apud Pariſios adſiſteret: tum multitudine Nobilium & Doctorum Altercatio inter Francos & Lemouicenſes de re huiuſmodi coram Rege fieri cœpit, & ego ibi tunc præſens interfui.* Dicebant iſti, *Lemouicenſes*, non rectè facitis, quod Martialem cum Apoſtolis pronunciatis. Nos rectè agimus, quia eum inter Confeſſores recitamus. Vos vltimum Apoſtolorum dicitis: Nos Primum Confeſſorum in Litaniis dicimus. Quorum litigium Archiepiſcopus ſupradictus Gauzlenus compeſcuit dicens. Ambæ huius rei partes niſi vniformes fuerint, altera pars altera parte iuſtior eſt, & neceſſe eſt vt ſemper iuſtior & rationabilior præualeat pars.

Nam omnes qui Martialem inter Confeſſores pronunciant, non bene iuſtè, non iuſtè perſpicaciter agere videntur: ille enim magis eſt ſortis Apoſtolicæ vnus quàm ſortis Confeſſorum. Idcirco non bene rectè agunt, qui nomen eius auferunt de eo in quo Deus eum poſuit gradu & ponunt vbi Deus non poſuit. Potius eſt de Agmine Apoſtolico quàm de Confeſſorum, qui poſt Martyres ſunt ſerie. Vtique ſi Regis qui adeſt nomen non inter Regum, ſed Comitum ſubiectorum vocabula diceret quis, aut ruſticus diceretur, aut maleuolus Regis contemptor:

& ſi ſimplicitate ruſticâ id fieret, nihil moueretur Rex animo, ſed ruſticitati facile ignoſceret. Si vero non ſimpliciter, ſed contemptiuè diceretur non dubium quin Regis animus ad iracundiam pro contemptu ſuo accenderetur. Quodſi in tali intentione contemptor perſiſteret, ſententiam contra ſe pro maleuolo contemptu ſentiret. Nec tantum Rex quantum ſubditi Comites eius & Principes & amici in contemptorem iratiſcerent. Reuera ſcit omnis hæc Regio, quod ille Prædicator Aquitaniæ de Gradu non Confeſſorum qui poſt Martyres ſunt, ſed Apoſtolorum qui ante Martyres ſunt, exiſtit. Ego autem ſi nomen eius de Apoſtolico ordine auferrem, timerem vt Apoſtoli Petri & aliorum indignationem hac in re incurrerem, qui olim in mundo & nunc in Cœlo Collegam & ſodalem ſuum Martialem præclarum conſocia per ſedilia Apoſtolica habent. Et ſi nomen eius permutarem in eum Catalogum, quo Sanctum Benedictum & Hilarium & Martinum pronuncio, metuerem, quid ni? iram S. Benedicti & Hilarij & Martini & aliorum incurrere, qui eum in cœlo gaudent ordine Apoſtolico radiare. Illic nulla inuidia, nullum litigium inter Sanctos eſſe poteſt: quia regnat in omnibus Charitas, & quod ſinguli per ſe non habent, per Charitatem in omnibus habent, vbi eſt Deus omnia in omnibus. Nimirum ſi alij Apoſtoli ſunt exceptis 12. ſicut & abſque dubio ſunt, ille vtique Apoſtolus eſt qui omne donum gratiarum à Domino cum aliis 12. accepit Apoſtolis. Certè Martialis non eſt nunc nec erit alius, quam olim quis fuit. Et qui fuit ipſe eſt nunc & ipſe ſemper erit. Amicus Dei fuit amicus Dei erat. Apoſtolatum habet: nam ſignaculum Apoſtolatus eius Gallia eſt. Apoſtoli honorem in cœlo in æternum habebit. Apoſtolus officio fuit, Apoſtolus eſt renumeratione, Apoſtolus erit in æternum gloria & honore. Eſt carnaliter de genere Abrahæ. Eſt à Petro baptizatus Chriſto iubente. Eſt eidem Petro Regni Clauiculario, & Protomartyri Stephano conſanguinitate carnis iunctus. Eſt à Domino miſſus. Et per inſufflationem Domini Spiritu Sancto conſecratus & poteſtate ligandi & ſoluendi ſublimatus eſt à Domino in die Aſcenſionis ſuæ, benedictione Epiſcopali ſanctificatus eſt in Sion: in die Pentecoſtes Spiritu S. repletus omnium Gentium loquelas nouit, Gentibus iſtis occiduis teſtimonium Dei viui attulit primus. Ideoque ipſum Crucifixum & reſurrectionem in reſuſcitandis extinctis ſemper teſtem barbaris proferebat dicens. In nomine Domini quem Iudæi crucifixerunt & tertia die reſurrexit à mortuis, reſurgite qui mortui iacetis. Ipſam teſtificationem Dei eius nomen reſonare videtur. Martialis quippe interpretatur Græco nomine *teſtimonium* ſiue *teſtis vitæ*, vel ſicut alij volunt *immortalis*: quia Diſcipulum virtute reſurrectione de morte poſt ſex dies Petri baculo tactum reſurgere fecit, ſiue *virtus immortalitatis*, hoc eſt prædicator vel teſtis illius, qui Rex ſeculorum immortalis ſolus habet immortalitatem. ideoque teſtificator reſurrectionis Chriſti extitit inuincibilis. Planè ſi Apoſtolus nullus eſt exceptis 12. ſicut Hebionitæ hæretici prædicant & nefas eſt cogitare, ipſi enim nullum Apoſtolum recipiunt præter duodecim & Paulum repudiant, quia non eſt de duodecim, ſicut Beda in Commento ſuper Marcum dicit; Ergo Paulus & Barnabas non ſunt Apoſtoli; quod putare dementia eſt. Nos Franci morem quem Patres noſtri, qui primi Monaſterium S. Benedicti ſuo Magiſterio informarunt, plena nobis ratione ſubnixum tradiderunt, de hac re ratum conſeruamus. Quiſquis nos in hac re imitari voluerit, tatam veritatis lineam tenebit. Quo Perorato Archiepiſcopus tacuit, & Rex cum omni dignitate Clericorum & Principum, qui ſibi adſiſtebant, dicta Archiepiſcopi collaudauit.

Eiuſdem ſynodi meminit Ademarus Chabanenſis Monachus in Catalogo ſeu Commemoratione Abbatum Lemouicenſium Baſilicæ S. Martialis Apoſtoli: ſubque Hugone Abbate decimo tertio habitam eſſe his verbis commemorat. 13. Abbas Hugo præfuit annis ſex. *Hic in Francia collationem fecit cum Rege Roberto & Archiepiſcopo Bituricenſi Gauzleno & cum multis Epiſcopis &* SAPIENTIBVS VIRIS FRANCIÆ *de Apoſtolatu S. Martialis; cur alij in Apoſtolorum, alij in Confeſſorum numero eum tenere videbantur. Qui in numero Confeſſorum eum tenebant, ideo hoc agebant, quia non putabant aliquos eſſe Apoſtolos præter duodecim. Alij verò hoc agebant, quia nomen eius in 4. Euangeliſtis non reperiebant. Qui verò ſaniori conſilio intellecta ſapiebant, affirmabant eum eſſe Apoſtolum vnum præcipuum poſt 12.*

quia cum 12. conuerſatus eſt, & eamdem gratiam Apoſtolatus, quam & ille à Domino accipere meruit. In quo Concilio ab omnibus definitum eſt non eum numerari niſi in catalogo Apoſtolorum, ſicut Ioannes Euangeliſta, qui in pace migrauit, debere. Nam plurima teſtimonia reperta ſunt antiquitus eum in Litaniis & in aliis ſcriptis Apoſtolum fateri per Galliam & Britanniam, Italiam & Hiſpaniam, & illos eſſe Hebionitas hæreticos qui non credunt præter 12. Apoſtolos. Nam geſta eius Canonica ſemper ab Eccleſia recepta ſatis declarant priuilegium Apoſtolatus eius; & quia ſine dubitatione vnus eſt de 72. Apoſtolis, quos Dominus miſit velut Agnos inter lupos: quos 72. non ſolum Græci, verum etiam Lucas Euangeliſta & Paulus Apoſtolus in Ep. ad Corinthios 1. vocat Apoſtolos. Nam & apud Græcos ſapientiores Martialis Apoſtolus notiſſimus eſt. Hic (Hugo Abbas) *à Francia rediens mox ſicut veritatem comperit in Concilio, Martialem ſcripſit in Litaniis inter Apoſtolos, non confidens diſputationi propriæ, ſed antiquis teſtimoniis; & exinde ex toto non ex parte Martialis acclamatus eſt Apoſtolus ab omnibus Catholicis & confuſi ſunt Hebionitæ. Huius ſexto anno obijt Rogerius frater Adalberti Decani, vir clariſſimus & meus Magiſter & Patruus 6. Kal. Maij. Poſt eum 32. die mortuus eſt idem Abbas Hugo 6. Kal. Iunij; quorum animas commendo tibi Domine Ieſu.*

Ex his intelligitut 1. quanti momenti eſſe putauerit Hugo habere ſuæ ſententiæ ſuffragantes Magiſtros Pariſienſes & Robertum Regem, ipſummet litteratum; vt ſtatim reuerſus in patriam abſque vlteriori deliberatione Martialem inter Apoſtolos conſeripſerit. 2. Errare eos qui putant hanc ſynodum Pariſienſem habitam fuiſſe an. 1028. Nam ex Hiſtoricorum fide certum eſt Hugonem huic ſynodo interfuiſſe, at ex iiſdem certum eſt ipſum obiiſſe an. 1025. 6. Kal. Iunij. 3. Errat quoque Ioannes Cordeſius ſcribens à Rege Roberto, Guillelmo Aquitano & Epiſcopis ſcriptam Epiſtolam Benedicto Papæ VII. qui anno 1024. obiit. Nam conſtat Ioannem XX. ſucceſſiſſe Benedicto an. 1020. aut 1023. & ſedem vſque ad an. 1031. tenuiſſe.

Reuerſus ergo Lemouicum Hugo in Litaniis primus omnium inter Apoſtolos Martialem ſcribit. Iordanus Lemouicenſis Epiſcopus eum increpat & nouitatis arguit. Vultque ſeruari morem antiquum, iuxta quem Confeſſoribus non Apoſtolis annumerabatur. Et ne ciuitas turbaretur, ſcribit ad Ioannem Pontificem in eam rem aiens contra id quod ſupra ab Odolrico & Ademaro relatum eſt, Robertum Regem & omnes Archiepiſcopos & Epiſcopos improbare, quod Martialis loco in Litaniis conſueto ſeruari, moueatur. Videturque illa Epiſtola nomine Regis, Guillelmi Ducis Aquitaniæ & Epiſcoporum ſcripta: de qua hæc Cordeſius ex ſcribit.

Sanctus Aurelianus ſucceſſor, Ebulus, Atticus, Ermogenianus, alijque eius ſucceſſores vſque ad 36. Ego vero ſeptimus, qui vocor Iordanus omnium infimus. Hi omnes pro ſanctiſſimo Confeſſore eum habuerunt: ſimiliter omnes Abbates in eius Monaſterio habitantes vſque in hodiernam diem. Iſte Abbas qui nunc eſt, nouitate deceptus, ſuperbia elatus, venit ad me qui ſum vilior meis Anteceſſoribus, deprecans vt in Concilio meo & in ſynodo ſanctiſſimum Confeſſorem in numero ponerem Apoſtolorum, quod facere nolui. Ille perſeuerans dictis fidem quam habuit, cum duodecim Monachis illius Monaſterij mihi promiſit, vt cum authoritate in omni Concilio me defenderet. Hoc facere non potuit in Concilio Guillelmi Ducis Aquitanorum audiente Archiepiſcopo Bituricenſi, Iſamberto Pictauienſi cæteriſque cum Suffraganeis. Omnes Epiſcopi Francorum, Aruernorum, Vaſconum, Aquitanorum cum quibus ego fui locutus comprobant & affirmant ſanctiſſimum Confeſſorem Martialem non debere tolli de illo loco, vbi SS. Patres noſtri anteceſſores eum poſuerunt, & non eſſe Apoſtolatum niſi authoritate comprobatum. Tibi verò Ego Iordanus has litteras mitto de parte iſtorum prædictorum, Regis ſcilicet Roberti, Guillelmi Ducis Aquitanorum, Archiepiſcoporum omnium, videlicet Catholicorum qui mihi contradicunt, ne ſanctum Martialem in numero ponam Apoſtolorum. Tu autem ſi auſus es hoc facere, quod non fecerunt ſancti tui Anteceſſores, Gregorius, Clemens, Bonifacius, multique alij vt ponerent Confeſſores inter Apoſtolos, ſi peccatum eſt, tuum ſit. Ego vero liber à culpa, neque iniquitas, neque peccatum meum. Voluntatem omnium

„ Aquiranorum tibi monſtrabo, quia ille Abbas Seductor nulla alia cauſa hoc fe-
„ cit, niſi quia vult deſtruere ſedem primi Martyris & Apoſtolarum S. Petri anni-
„ hilare.

Veri iam parti credendum eſt? Odolricus Monachus Synodos Pictauienſem & Pariſienſem Martialis Apoſtolatum comprobaſſe ſcribit. Iordanus Epiſcopus contrarium Ioanni Papæ ſignificat. Et poſtrema quidem verba eius Epiſtolæ indicant Ioannem Monachorum ſententiæ ſubſcripſiſſe: qua de re ad an. 1031. amplius dicetur.

Eodem anno Hugo Roberti filius, qui ad an. 1016. vt dictum eſt, in Regem fuerat conſecratus, acerbâ & nimis immaturâ morte præuenitur vix 18. annos natus, magnæ ſpei adoleſcens & quem propter eximias quæ in eo elucebant virtutes, Itali in Regem ſolemni Legatione depopoſcerant, quique vt Titus olim Amor Romanorum dictus eſt, ita iſte Francorum Amor appellabatur, iamque vt auus Hugonis Magni nomen obtinuerat. Muſæ illius temporis leſſum cecinerunt, eiuſque obitum latè deplorandum flebili carmine proſecutæ ſunt. Egregias eius dotes, comitatem, affabilitatem liberalitatem & cæteras quibus omnium in ſe amorem conuerterat, deſcribit Glaber Rodulphus l. 3. c. 9. *Quam humilis, quam dulcis eloquio! Patri ac matri ſeruis obedientior, Pauperum largus dator, Monachorum & Clericorum conſolator, nec non apud Patrem cunctorum rogantum fideliſſimus interuentor, quàm afluenter in cunctis optimis melior, quis valet exequi Relator! Huiuſmodi enim fama vbique Prouinciarum percitus peroptabatur à multis, præcipuè ab Italicis, vt ſibi imperaret, in Imperium ſublimari. Nam & ex cognomento Proaui Magnus Hugo dicebatur à cunctis. Dum igitur incomparabili mentis ſimul ac corporis decore floreret, exigentibus Maiorum flagitiis, repente illum mors inuida mundo ſubripuit. Sed quale iuſtitium contigit vniuerſis, nullo ſermone vales exprimi.* Idem de eiuſdem funere hos verſus edidit.

Plaſmator parce mæſtis Mundialibus:
Succurre fletus intimis doloribus
Paſcat mærentes ſingultuum gemitus,
Humanum decus dum rapit interitus.
Annis florebat mundo iuuenilibus
Bis denis minus excreuerat duobus
Regnorum lumen Hugo Regum Maximus,
Quem nox funeſta inuidis hominibus.
Non alter noſtro talis emicat æuo,
Regnis ſpectatus, adſcitus Imperiq.
Bellorum tanto decoretur triumpho,
Vigore pari valeat corporeo,
Quo gens Francorum vigebat lætabunda,
Fideique pace tota ſimul Gallia.
Omnis quem prona poſcebat Italia,
Cæſar vt iura promeret Regalia.
Sed te non noſtra Iuuenum pulcherrime,
Heu! proh dolor! tempora meruere;
Quibus inundant malorum miſeriæ,
Vires bonorum corruunt aſſiduè.
Tu dolor Matris, Calamitaſque Patris,
Crudele nimis monimentum Germanis
Mæror communis cunctis in Palatijs,
Iuſtitiumque populorum vltimis I
Leone preſſo virgo ſolem ceperat,
Tua cum dirus membra pallor occupat.
Denis diebus forte fit lux ſeptima.
Te Patri fama perdidiſſe nunciat.
Iam ſeculorum cerne Rector optime
Gentem Francorum, qui regat tutiſſimè
Hoſtemque ſæuum valeat repellere,
Pactum quietis illi da perpetuæ.

Sepultus

Sepultus eſt Compendij in æde S. Cornelij Martyris, in qua coronam Regiam ante ſumpſerat. Eius Epitaphium compoſuit M. Girardus Aurelianenſis inter Poëtas iſtius temporis inſignis habitus, Rhetor non contemnendus, Ioannis Sophiſtæ Magiſter ſuo tempore Nominalium Principis, iſque Aureliæ & Pariſiis excelluit.

Sublatum iuuenem viduæ tibi Francia luge
Quæ caput extuleras, damna tuî lugeas.
Exue quidquid habes, feſtina ſcindere veſtes,
Dilacerans crines da capiti cineres.
Indomitos dociles qui redderet arduus hoſtes,
Hugo decus Patrium, flos cecidit Iuuenum.
Indolis extremæ miro dilectus amore,
Nunc etiam luctus & dolor immodicus.
Celtiberi lachrymant. Te Regem Roma petebat,
O miſerande puer; ſed tumulatus hic es.
Aſpectu pulcher, victis pius, hoſtibus acer,
Si fore vir poſſes, te Babylon tremeret.
Parthus & in pharetra propter te conderet arma,
Apparenſque minor cederet orbis honor.
Pax igitur tibi ſit, quæ claudi limite neſcit.
Lector ad hoc pronus quod repetat, petimus.

Eodem anno Henricus Imperator fato fungitur, eique ſuccedit Cono ſeu Conradus.

Anno 1025. obit Ingo S. Germani-Pratenſis Abbas, Roberti Regis in ſcholis condiſcipulus: eoque mortuo Guillelmus S. Benigni Diuionenſis Abbas à Rege aduocatur ad regendam reformandamque S. Germani Abbatiam. Is erat patria Italus, origine Sueuus, in Monaſterio Luciaco educatus, Grandiuſculus vero factus ad Vercellenſes & Ticinenſes Scholas miſſus. Vnde litteris plenè inſtructus rediit. De eo ſupra pluribus egimus. Hic Roberti & Conſtantiæ inconſolabilem de morte filij Hugonis mœrorem & triſtitiam Chriſtianâ libertate loquendi mitigauit: cum enim illi ſe infeliciſſimos propter ea prædicarent, contra ille felices reputabat, quod talem genuiſſent, qui omnium oculos & amorem in ſe iam conuertiſſet. 1025.

Non audiſtis, inquit, Sacer Canon quomodo refert vix tres de triginta Regibus bonos extitiſſe? idcirco ceſſate quæſo hunc iuuenem flere mortuum: ſed potius congratulamini ei ſicuti requiei datum & à malis liberatum. His dictis ita conſolans illos placabiles fecit, vt viderentur habere quod plangerent & Deum dicerent viſitaſſe illos per ſanctum virum. Hæc ex vita Guillelmi per Rodulphum Cluniacenſem compoſita.

Amiſſo autem Hugone filio Parentum affectus de ſucceſſore deſignando varius fuit, variaque Regis & Reginæ ſtudia. Rex enim Henricum è ſuperſtitibus natu maiorem de conſilio Fulberti Carnotenſis, quem ſæpe in agendis rebus conſulebat, vt pote quem in omnibus ſibi Regnoque fidelem expertus fuerat, ſucceſſorem deſignabat: Regina Roberto minori nomen moreſque Patris referenti fauebat: & quia illa Aquitanici ſpiritus Imperioſa valde mulier erat, reſque plurimas Regni conniuente & ferente marito ad nutum adminiſtrabat, magnam Procerum partem, imo & Epiſcopos fere omnes ad ſua ſtudia adduxerat: quamobrem Fulberto qui Regis animum in contrariis affectibus retinebat, infenſiſſimam ſe præſtitit, ſæpiuſque minata eſt vlturam ſe iniuriam, quam ſibi putabat ab eo inferri. Qua de re eum admonuit H. ex amicis vnus, eique indicauit, quid à Berardo Sueſſionenſi Epiſcopo audiuiſſet. Cuius Epiſtola legitur inter Fulbertinas ordine 106.

Dilectiſſimo Domino ſuo Fulberto Epiſcopo H. eius fidelis iuxta Domini "
præceptum ſerpentinam prudentiam columbina ſimplicitate prædiram. Quod "
tuo, Beatiſſime Pater, aliorumque multorum relatu perceperam, idipſum nu- "
per domno Berardo Sueſſionenſi Epiſcopo referente cognoui: ſcilicet incurriſſe "
te grauiſſimum Reginæ odium, fauentem potius marito ſuo de conſtituendo "
Rege maiore filio, quem dicunt Simulatorem eſſe, ſegnem, mollem, in negli- "
gendo iure patriſſaturum, fratri ſuo iuniori attribuentis his contraria. Te quo- "

» que plurimi Cœpiſcoporum mordent clanculum , vel ab eis ac cæteris quaſi
» quintum malleum à 4. Pythagoricis hac pro cauſa diſſonantem. Vnde quantum
» ex verbis ſupradicti Præſulis aduerti ſententiam Coëpiſcoporum tuorum Franci-
» genarum ſuper hoc agendum negotium intimare tibi non me piguit, vt ſi forte
» ſanior eſt, ei ne refrageris & à periculo tibi caueas. Eſt autem hæc eorum ad com-
» ponendam vtrimque litem Sententia, Patre viuente nullum Regem ſibi creari.
» Quod ſi acrius inſtiterint in vita Patris hoc fieri , quem meliorem ſenſerit, ad
» Regem debere ſublimari. Videas Pater prudentiſſime ne ſis plus æquo iuſtus
» nec à ſanctis Conſacerdotibus tuis perperam diſſideas.

Inſani nomen ſanus feret , æquus iniqui,
Vltra quàm ſatis eſt virtutem ſi petat ipſam.
Inuidiam nimio cultu vitare memento.
Quæ ſi non lædit , tamen hanc ſufferre moleſtum eſt.

Verum vicit tandem affectus Patris & ratio Regni, quippe præterito aut expulſo Maiore Henrico periculum erat, ne graue ſequeretur diſſidium , ſceptrumque Francicum in alienam manum, aut in Caroli Lotharingi ſtirpem quæ illud amiſerat, relapſurum eſſet. Vnctus igitur eſt Remis Henricus in Regem ab Ebulo ſeu Ebulone Archiepiſcopo an. 1026. Cui inaugurationi cum non potuiſſet intereſſe Fulbertus ob infirmam valetudinem, ſe per litteras excuſauit, eaque de re ad G. Epiſcopum ſcripſit. His verbis. *Ad benedictionem Henrici Regiæ prolis voto quidem rapior, ſed aduerſa me corporis valitudo retardat. Tentarem tamen vtcumque moderatis equitationibus eo peruenire, ſi non abſterreret ſæuitia Matris eius , cui ſatis creditur, cum mala promittit, fidem facientibus multis & memorabilibus factis eius. Qua difficultate prohibitus rogo veſtram Charitatem dilectiſſime, vt vice mea ſuadeatis Domno Archiepiſcopo Remenſi cæteriſque Primoribus , ne qua occaſione differant benedictionem iuuenis ſupradicti , ſpero enim illum Deo & bonis omnibus placiturum.*

Hanc Regis Henrici inaugurationem Chronicon breue San-Dionyſianum refert ad an. 1028. factam à Guidone Archiepiſcopo Remenſi. Sed in hac re duplex error manifeſtus eſt; nam ex Epiſtola ſupra allata Fulberti conſtat diem fuiſſe dictum eiuſmodi inaugurationi ab Ebulone ſeu Ebalo celebrandæ : obiit autem Fulbertus an. 1027, vt infra dicemus. Deinde Guido Caſtilionæus ſucceſſit tantum an. 1034. in ſede Remenſi teſte Alberico : quo tempore Robertus Rex iamdiu obierat.

Eodem anno obit Richardus II. Dux Normanorum , ſuccedit Richardus III. quo intra annum mortuo , Robertus Frater ſubſtituitur qui ſtatim ſuſpectum habens Robertum Archipræſulem Rothomagenſem , eum intra Ebroicenſem vrbẽ obſedit : vnde ille pacta concordia egreſſus in Franciam ad Robertum Regem ſe contulit, Normaniamque anathemate percuſſit : at Robertus Dux agnoſcens ſe inconſulto egiſſe, quod egerat, eum reuocauit in ſedem, eiuſq; deinceps conſiliis ſummo ſuo bono vſus eſt. Extat Fulberti ad hunc Præſulem Ep. qua ei compatitur in aduerſis. *Compatior tibi ſancte Pater inquit , ſuper aduerſis quæ indignè paſſus es præſertim ab eo qui & ſe & ſua tuæ fidelitati debuerat : ſuper illo quoque debeo vehementer fratre & Coëpiſcopo noſtro dum ſtaret, in tanta nunc flagitiorum atque facinorum precipitia lapſo. Habes ex Dei gratia Charitatem , quâ ipſum errantem reuoces , frænum Canonicæ diſtrictionis quo detrectantem coërceas , virgam qua ferias , his vtere competenter.*

1027. Ad an 1027. Chronologiſtes S. Petri Viui Senonenſis ſcribit obiiſſe Fulbertum Carnotenſem Epiſcopum virum ſapientiſſimum & bonæ vitæ. Alij anno tantum 1028. 10. April. Imo nonnulli vitam eius extendunt ad annum vſque 1029. Chronicon Andegauenſe ſic habet. *Anno 1028. Domnus Fulbertus Epiſcopus Carnotenſis Eccleſiæ mirabilis modernorum temporum doctor abiit in Domino 4. id. April.* Poſt cuius mortem graue fuit ſchiſma in Eccleſia Carnotenſi. Nam Canonici vnum è ſuis nempe A. Decanum ſubſtituerunt. Rex vero Robertus Theodericum Capicerium Eccleſiæ inaugurari curauit per Leothericum Senonenſem Archiepiſcopum. Obiiciebant autem Canonici Theoderico inter cætera, quod illiteratus eſſet : & in eam rem ſcripſerunt ad Epiſcopos, quorum ſuffragiis eligendus & conſecrandus dicebatur, vt habetur inter litteras Fulbertinas.

Sanctis præſulibus G. Beluacenſi, O. Aurelianenſi, A. Turonenſi, Clerici S. Mariæ Carnotenſis famuli eorum & fratres in Domino ſalutem. Conquerimur apud vos, Patres, de Archiepiſcopo noſtro & Rege qui nobis inuitis Epiſcopum donare volunt quendam idiotam, vt ſcitis & eiuſmodi officio indignum. Precantes auxilium veſtrum, vt vigiletis ſicut boni Eccleſiæ paſtores ad portas eius, ne introeat in eam ille talis, qui non quæſiuerit intrare per oſtium, ſed aliunde aſcendere ſicut fur *& latro. Vobis tribus portas cuſtodientibus ſciatis pro certo quartum cuſtodem addi Odonem Carnotenſem & nunquam recepturum illum in ciuitatem ſuam, niſi prius veſtro iudicio examinatum vtrum recipi debeat an non. Vigilate ergo attentius & diligenter inquirite cauſam cum veſtris ſapientibus Clericis & nobis famulis veſtris ſi dignemini vel propter Regis reuerentiam hoc agere pigritemini, quaſi hoc pertineat ad fidelitatem eius. Vere etenim etſi fideliores eritis, ſi quæ ſunt corrigenda in Regno eius, correxeritis, & animum eius ad eandem correctionem compuleritis. Volumus autem ſcire vos A. Decanum quem* el egeramus, factum eſſe Monachum: nihilominus tamen nos eum optare nobis fieri Epiſcopum, cum reprobatus fuerit ille Lupus, quem probare poteſtis indignum. Quod vos inuicem cautè & diligenter & ſecretè deliberare petimus, vtrum fieri poſſit an non & nobis ſeruis veſtris & fratribus deliberationis veſtræ finem innoteſcere ſiue litteris, ſiue legato fideli. Hæc autem noſtra verba videte interim ne publicentur. Valete.

Similiter ad Odilonem Abbatem Cluniacenſem in eandem rem ſcribunt quem intellexerant rogatum à Rege, vt cum Odone Carnotenſium Comite ageret de recipiendo humaniſſimè Theodorico. *Obſecramus vos in nomine S. Trinitatis, ne faueatis contra ius & fas partibus Theodorici ſimulati Epiſcopi, neque ſuadeatis Odoni Comiti facere cum eo concordiam contra ſanctorum Canonum authoritatem. Clariſſimum ſpeculum poſuit vos Deus in mundo, videte ne qualibet nigredine obſcuremini, qua obfuſcentur alij; ſed ſemper vero lumine reſplendeatis, quo alij poſſint illuſtrari.*

Ad Leothericum vero Archipræſulem Senonenſem durioribus verbis vtuntur, quoniam contra ſacrorum Canonum authoritatem intruſioni eiuſmodi conniuere videbatur. *Multum miramur*, venerande Pater, *quod bonis initiis tam malos exitus habuiſti:* videlicet quod nobis paſtore carentibus in altero ſubſtituendo primum bene fauiſti & poſtremo ſententiam tuam deprauaſti, alium quàm nos elegeramus, ordinando.

Ne autem dicas ignoraſſe te electionem noſtram, mandauimus tibi per Diaconos noſtros Odelerium & Frotmundum elegiſſe nos A. Decanum cum litteris noſtris idipſum continentibus, qui talis nobis videbatur, qualem Epiſcopum ordinari debere dicit Concilium Carthaginenſe V. Quod ſi poſt hæc alium tibi obtulerunt vel Rex vel aliquis ex noſtris minus ſapientibus, oportuiſſet te cauſam diligenter attendere, & inter nos ipſos diiudicare quorum ſanior haberetur electio, ſicut in Decretis Leonis Papæ ſignificari optimè noſti his verbis. Ille omnibus præponetur, quem Cleri plebiſque conſenſus concorditer poſtularint: ita vt ſi in aliam forte perſonam partium ſe vota diuiſerint, Metropolitani iudicio is ſaltem alteri præponatur qui maioribus & ſtudiis iuuatur & meritis. Volumus autem ſcire te, quod electionem noſtram mandauimus Domno Regi per ſuos Monachos Hernaldum Priorem & Reſtaldum Præpoſitum S. Dionyſij. Quibus etiam obiicientibus nobis de Theodorico ordinando Regiam voluntatem, iniunximus vt dicerent Regi, ne id temere fieri iuberet. Vocaret autem nos antea ſi ſibi placeret ad curiam ſuam vel ſuæ voluntati conſenſuros, vel cur diſſentiremus, oſtenſuros. His vero dictis noſtris ipſe Domnus Rex contemptis qualem ſibi libuit perſonam abſque noſtra petitione ordinari violentus accelerauit, immemor fortaſſe illius dicti Conſtantini Chriſtianiſſimi Imperatoris de violentia Principum contra ſe & contra alios principes ita ſe habentis Quæcumque inquit contra leges fuerint à principibus obtenta, non valeant. Sed vt ad præſens de ipſo taceamus, quis ſanè viderit vtrum omnia rectè agat, nec poſt factum pœniteat. Ad te Pater querimoniæ noſtræ flectimus articulum, Eccleſiæ noſtræ curam neglexiſſe, imo authoritati ſuæ derogare vehementer dolemus poſthabito ſupradicto Leonis Papæ decreto. Quod ſi obſeruaſſes, rationabiliter vtique egiſſes, & bene nobis vt filiis Pater conſuluiſſes. At ipſo violato quam multa alia ſancto-

„ rum Patrum violaueris tute conſidera. Nos tamen pauca tibi de multis ſcribimus.
„ Legitur in Decretis Cœleſtini Papæ. *Nullus inuitis detur Epiſcopus, Cleri, plebis*
„ *& Ordinis conſenſus & deſiderium requiratur*, Et poſt pauca. *Sit facultas Clericis*
„ *reſiſtendi, ſi ſe viderint prægrauari, & quos ſibi ingeri ex tranſuerſo nouerint, non ti-*
„ *meant refutare: quod ſi non debitum primum eſt, vel liberum de eo, qui eos recturus*
„ *eſt, debent habere iudicium.* Item ex Concilio Carthag. 3. *Et illud eſt ſtatuendum,*
„ *vt quando ad eligendum Epiſcopum conuenerimus, ſi qua contradictio fuerit oborta,*
„ *quia talia facta ſunt apud Nos, non præſumant ad purgandum eum qui ordinandus eſt,*
„ *ſed poſtulentur ad numerum ſupradictorum duo vel tres, & in eadem plebe, qui ordi-*
„ *nandus eſt, diſcutiantur primò perſonæ contradicentium. Poſtremò illa etiam quæ obii-*
„ *ciuntur, pertractentur, & cum purgatus fuerit, ſub conſpectu publico ita demum ordinetur.*
„ Ecce quomodo Patrum ſententiæ violentur. Nobis enim inuitis obtrudere
„ vultis Epiſcopum, nec conceditur liberum de eo nobis, qui nos recturus ſit,
„ habere iudicium, & cum huic qui ordinandus erat, contradiceretur, minime
„ purgata ſunt quæ obiiciebantur, nec perſonæ vel rationes contradicentium
„ diſcuſſæ. Quæ cum ita ſint, cum legem Canonicam in hoc negotio multis mo-
„ dis ſolueris, monemus te non increpando, neque diiudicando, ſed affectu filiorum
„ obſecrando, ipſi legi quam offenderis reconciliatum iri pœnitendo aut culpam
„ confitendo. Nec pudeat te dicere neceſſariis ſuis ſecretò Dominum timentibus
„ & in lege ipſius bene eruditis iam tandem te animaduertiſſe quæ fiunt contra
„ ſtatuta Canonum, non debere ſtare, ſed & facientes pœnitere oportere. Quod
„ ſi forte Rex authoritate tua deinceps corroborari voluerit, quod ſine ſolutio-
„ ne Canonum ſtare non poſſit, videris Pater, nec adiicias peccatum ſuper pec-
„ catum, ſed aut quantum poteris, id corroborare diſsimula, aut manifeſtè ſal-
„ uâ legum authoritate id te exequi non valere proclama. Poſtremò ſuppliciter
„ oramus hæc ſcripta noſtra minimè publicari, quæ apud tui chari pectoris ſe-
„ cretum promere audemus. Reſcribe verò nobis ſi quid tibi videtur contra hæc
„ rationabiliter opponendum. Augeat tibi Deus ſpiritum conſilij & fortitudinis
„ ſapientiæ & intellectus.

Verum non obſtante Canonicorum intercesſione nihilominus iuſſu Regis conſecratur Theodoricus eiuſdem Eccleſiæ antea Capicerius, nominaturque in dedicatione S. Aniani Aurelianenſis an. 1029. & vltra an. 1041. ſedem tenuit laudabiliter, vt teſtatur eius Elogium in Aganonis libro. *Huius Ambroſiæ opes velut torrens affluentes præclarum opus almæ Matris Domini complentes ſacro dignum præconio efficiunt.*

Scribit autem Malmeſburienſis l. 3. de Geſtis Anglorum, Fulbertum morti proximum inter circumſtantes forte conſpicatum Berengarium, qua potuit voce iuſsiſſe expelli, ſibi enim videri immanem Draconem qui multos peſtifero anhelitu corrumperet. *Berengarius planè quamuis ipſe ſententiam correxerit, omnes quos ex totis terris deprauauerat, conuertere nequiuit: adeo peſſimum eſt exemplo vel verbo à bono infirmare, quia fortaſſis peccatum te grauabit alienum, cum deletum fuerit tuum. Quod Epiſcopum Carnotenſem Fulbertum (quem Domini Mater olim ægrotum lacte mamillarum ſuarum viſa fuit ſeruare) prædixiſſe aiunt. Nam cum in extremis poſitum multi viſitarent, & ædium capacitas vix confluentibus ſufficeret, ille inter oppoſitas cateruas oculo rimatus Berengarium, niſu quo valuit, expellendum cenſuit, proteſtatus immanem Draconem prope eum conſiſtere, multoſque ad eum ſequendum blandiente manu & illice anhelitu corrumpere.*

1028. Anno 1028. vel vt alij ſcribunt, 1029. obit Gauzlenus Archiepiſcopus Bituricenſis idemque Abbas Floriacenſis Abbonis quondam Diſcipulus & ſucceſſor, Hugonis Capeti Nothus, ſeu vt tum dicebant, Manzer, atque idcirco toto quinquennio reclamante Clero à ſede Bituricenſi repulſus eſt, vt teſtatur Ademarus in Chronico ſic ſcribens de eius promotione in Abbatem poſt mortem Abbonis. *Rex Robertus pro defuncto ordinauit Abbatem Gauzlinum, licet repugnarent Monachi nolentes ſibi præeſſe filium Scorti. Erat enim ipſe nobiliſſimi Francorum Principis filius Manſer, à puero in monaſterio S. Benedicti nutritus; quem etiam Rex ſupra ſcriptus Archiepiſcopum Bituricenſibus fecit poſtea defuncto Dacberto Archiepiſcopo ſed & ipſi quinquennio ſeditionem agentes noluerunt eum intra vrbem recipere, clamantes vna voce*, Non decet dominari Eccleſiæ filium Scorti. *Poſtmodum ſequeſtro*

Digitized by Google

Odilone Abbate Regis voluntas præualuit & Dei nutu in ſedem ſuſceptus eſt.

Memorabile verò eſt, quod cum eo forte ptopter eam rationem contempto, cui Lemouicenſis Eccleſia ſubiecta erar, Iordanus de Loron ab Archiepiſcopo Bituricenſi, Iſlone Xantonenſi & aliis Epiſcopis conſecratus fuiſſet Epiſcopus Lemouicenſis, cauſam contemptûs prætextens Simoniæ conſuetudinem (iuxta quam Gauzlenus ab eo proprer promorionem, pecuniam exigere dicebatur) poſtea ipſi & toti Eccleſiæ nudis pedibus & diſcalceatus ſatisfecerit: vt teferunt Sammatthani in Gallia Chriſt. ex Codice M. S. de Geſtis Pontificum, Authore Bernardo Guidonis Epiſcopo Lodeuenſi. *Poſtea vero ſatisfaciens nudis pedibus ſedem Bituricenſem adiit cum 100. Clericis, omnibus Monachis diſcalceatis: cui Archiepiſcopus cum Clero obuiam venit, & quos prius ligauerat, honorificè adducens abſoluit.*

Ad annum 1028. aut 29. Ademarus Chabanenſis S. Eparchij Engoliſmenſis Monachus Chronicon ſuum perduxit: & ad an. 829. primarios enumerat Profeſſores Academiæ Pariſienſis qui ab anno circitet 800. vſque ad an. 900. floruerunt: ſic enim habet. *Imperatori ipſi*, Ludouico Pio, *porrexit librum valde mirabilem de Theologia S. Crucis Rabanus Magnentius Monachus doctiſſimus, Magiſter Alcuini, Beda enim docuit Simplicium & Simplicius Rabanum, qui à tranſmarinis oris à Domino Imperatore Carolo ſuſceptus eſt & Pontifex in Francia factus Alcuinum docuit, & Alcuinus Smaragdum imbuit: Smaragdus autem docuit Theodulphum Aurelianenſem: Theodulphus verò Eliam Scotigenam, Engoliſmenſem Epiſcopum. Elias autem Herricum. Herricus Remigium & Vcbaldum Caluum Monachos hæredes Philoſophiæ reliquit.*

Errat Ademarus in ordine & ſerie Profeſſorum; vt dictum eſt pag. 109. ſed ex eius teſtimonio hoc ſaltem elicimus, conſtantem fuiſſe ipſius temporibus de Vniuerſitatis Pariſienſis inſtitutione ſententiam, eandemque quæ poſterioribus ſeculis fuit, quæque ad noſtra vſque tempora inualuit. Vnde porro Ademarus id didicit, niſi ab iis qui Remigium & Vcbaldum in ſcholis docentes audire potuerant, & forſan audiuerant?

Eodem anno 1029. obit Burchardus de Burgundia Archiepiſcopus Lugdunenſis: poſt cuius obitum acriter certatum eſt de ſucceſſore inter multos, donec à Clero omnibus votis expetitus Odilo Cluniacenſis *vir dicendi reuerentiâ venerabilis*, vt legitur in M.S. Tranſlationis Reliquiarum S. Euſpicij primi Abba- 1029

tis Micianenſis Monaſterij, & à Ioanne Papa poſtulatus: ſed ille Archiepiſcopatum tenuit: qua de re ſic ſcribit Glaber Rodulfus lib. 5. c. 4. *Fuit diſſenſio maximè poſt mortem Burchardi Archipræſulis Lugdunenſis de Præſulatu ipſius ſedis, quem plures non iniuſtis appetebant meritis ſed inſtinctu ſuperba elationis...... Quæ omnia dum perlata fuiſſent Romano Pontifici, ſuggeſtum eſt ei à viris fidelibus, vt ſuâ authoritate Patrem Odilonem Cluniacenſis Monaſterij Abbatem ibidem eligeret conſecrari Pontificem. Sic enim totius Cleri ac plebis optans acclamabat deuotio. Qui protinus mittens eidem Patri pallium ſimul & annulum, imperauit eundem prædictæ Ciuitati fore Archiepiſcopum. Sed vir religioſus ſuæ humilitatis attendens propoſitum omnimodis renuit fieri, pallium & annulum ſuſcipiens, illi qui Deo dignus exiſteret, reſeruauit futuro Pontifici eiuſdem ſedis.* Moleſtè tulit hanc repulſam Pontifex, hancque ad eum Bullam edidit, quam D. Lucas Dachetius 2. tomo ſui ſpicilegij inſeruit.

Ioannes Ep. ſeruus ſeruorum Dei Odiloni Abbati ſalutem charitatiſſimam cum benedictione Apoſtolica. Docente Beatiſſimo Gregorio multa videntur bona & non ſunt, Verumtamen cum dicatur, ſi rogas, audies quia omnia tua quæ videbantur bona, bona non eſſe ſentimus. Quid enim in Monacho obedientia ſanctius? quid in Chriſtiano acceptabilius? nonne melior eſt obedientia ſacrificio ſecundum Propheticum Iudicium? & voce Dominica dicitur, OBEDIENTIAM VOLO ET NON SACRIFICIVM. Quantum verò B. Benedictus eam ſuis præconiis extollat, non eſt dignum hîc inſerere, cum te non lateat. Percepimus igitur iniuriam S. Lugdunenſis Eccleſiæ petentis te in coniugium, quia competebat; cui etiam ſaliuam in facie ieciſti. Obmittimus iniuriam ſanctæ plebis, cui regimen parcendo ſoli vitæ tuæ refugiſti & refugis. Tacemus quod authoritatem tantorum Præſulum monentium & rogantium ad Epiſcopalem di-

» gnitatem accedere poſthabuiſti: quod S. Romanæ Eccleſiæ & nobis inobedien-
» tem te reddidiſti, & inultum relinquere nec debemus nec poſſumus. Niſi forte
» obedientia diluat, quod inobedientia maculauit, ſatisfactione purgetur quod
» tranſgreſſione inquinatum eſt. Idem niſi expetitur regimen iam dictæ Eccleſiæ,
» quod inobediendo hactenus vſque ſpreuiſti, obedienter ſuſceperis, quid ama-
» ritudinis vel ſeueritatis erga meritos ſciat Rom. Eccleſia iniicere, ſenties. Nam
» hoc ſacrum regimen ſicut à nullo eſt temere vſurpandum, ita petente Eccle-
» ſia à nullo tuo ſimili eſt vitandum. Quoniam tantorum perditionis reus eris,
» quantorum ſaluti exemplo & doctrina prodeſſe potuiſſes. Nota loquimur &
» quæ te ſcire pleniter confidimus. Ideoque taceat iam Cartha & lingua loqua-
» tur verum Epiſcopi Gaudfridi, cui luce clarius voluntatem meam reſerandam
» tam tibi quàm confratribus tuis & omni Eccleſiæ commiſimus. Vale.

Verum intermotas obit Ioannes Papa, eique ſuccedit Benedictus VIII.
1030. ſeu IX. an. 1030. quo ſedente, cum Odilo nullatenus adduci potuiſſet ad honorem illum aſſumendum, Odolricus Archidiaconus Lingonenſis, ætate prouectus, litteris apprime eruditus, quem & ſapientiæ vbertas & ſenectutis commendabat dignitas, vt habetur in Chronico Benigniano, tunc in Palatio regali degens ſuadente Halinardo Abbate S. Benigni Diuionenſis, ſubſtituitur poſt quinque circiter annorum vacationem. Eodem Pontifice ſedente cœpit initium Ordo Monachorum Vallis-vmbroſæ per Ioannem Gualbertum. Cauſa fuit ſoluta nimis Monachorum Diſciplina, cum quibus Gualberto viuendum erat, teſte Sigonio.

Eodem anno 8. Kal. Aug. communi fato functus eſt Franco Epiſcopus Pariſienſis: Eique ſucceſſit Humbertus vel Imbertus de Vergiaco alias Enzclinus dictus, Valonis Domini de Vergeio & Iudithæ de Fonuens filius. Primùm Canonicus, deinde Archidiaconus Eccleſiæ Lingonenſis, à Roberto Rege ob eximias animi dotes Epiſcopatu Pariſienſi donatus.

Mors Roberti Regis Eodem anno die Martis 13. Kal. Aug. obiit Meliduni optimus Princeps Robertus Francorum Rex: eiuſque corpus Pariſios delatum, & inde ad ædem SanDionyſianam, vbi iuxta patrem ad altare S. Trinitatis tumulatum eſt, deducente inter alios innumerabili Scholarium multitudine, vt infra dicemus. Scribunt quidem aliqui obiiſſe tantum an. 1032. ſed malè: nam an. 1031. cum habitum eſt Concilium Lemouicenſe, iam obierat. Et Humbertus vel Imbertus de Vergiaco Epiſcopus Pariſienſis in Inſtrumento publico confecto Auguſtoduni an. 1032. ait *Regnante Henrico Francorum Rege anno 2.* actum id eſſe. Dici non poteſt, quanto cum ſplendore ſub hoc Principe litteræ paſſim in Gallia floruerint, quarum amatores & profeſſores ſuo ipſe inuitabat exemplo: qui ſi quid à Reip. regimine ſupererat temporis, id ſtudiis impendebat; & plus etiam quàm Aulici & Politici voluiſſent. Et quemadmodum ipſe in iis ſingulari cura patris Hugonis inſtitutus fuerat, ita & ipſe filios Hugonem, Henricum, Robertum & Odonem inſtitui voluit Pariſiis in Scholis Clauſtralibus, vt infra de Henrico confirmabimus. Denique, vt ait Ademarus in Chronico, vir fuit claræ honeſtatis, magnæ pietatis, *Ornamentum Clericorum, Nutritor Monachorum, Pater pauperum, aſſiduus verbi Dei cultor, in humilitate ſimilis Dauid Regi, Rex non tantùm populorum, ſed etiam morum ſuorum.* Eo regnante reſurrexit Vniuerſitas Pariſienſis, adeout nonnulli Hiſtorici eum vocent alterum Carolum Magnum, alterumque ipſius parentem. Cuius nobile ſtudium æmulatus eſt eodem fere tẽpore Willielmus Aquitanorum Dux, omnium quoque litteratorum Mœcenas: de quo hæc habet idem Ademarus. *Fuit Dux iſte à pueritia doctus litteris & ſatis notitiam ſcripturarum habuit. Librorum copiam in Palatio ſuo ſeruauit: & ſi forte à frequentia cauſarum & tumultu vacaret, lectioni per ſeipſum operam dabat, longioribus noctibus elucubrans in libris donec ſomno vinceretur.*

Digitized by Google

DE ACADEMIA PARISIENSI.

AB hoc anno Claudius Hemeræus in ſuo de Academia Patiſienſi libello nomenclatutam contexit & ducit Cancellatiorum Eccleſiæ Pariſienſis, primumque nominat Durandum ſub præſule Imberto, quanquam Cancellarij nomen ante ea tempora in Eccleſia Pariſienſi fuiſſe notum non dubitet. Qualis autem eſſet Scholarum Pariſienſium ſtatus ſimul indicat & pollicetut ſe ſpeciali commentario amplius declaraturum, quod morte præuentus non edidit. Sic ergo ait. *Durandus, nondum enim reperimus alium eo vetuſtiorem, quanquam appellatio Cancellarij in Eccleſia Pariſienſi diu ante hunc audiretur, vixit ſub Imberto Epiſcopo, & ſub ea tempora, quibus (quæ perterrita furore Septentrionalium hirſutorum aliquandiu conticuerant) litteras Capeningij Francorum Dynaſtiam aſſecuti in publica theatra reuocabant. Quibus etiam annis Schola S. Genoueſæ in monte Scholæ Epiſcopalis æmula ſub Decanis adhuc ſuis florebat litterarum ſtudiis, & ingenti eruditionis laude refulgebat. De qua nos commentario particulari. Subſcripſit autem Durandus Chartæ Donationis, qua idem Præſul largitur Eccleſiæ Pariſienſi altare S. Germani Antiſſiodorenſis in villa Petroſa Liſierno Decano.*

Fatetur ergo Hemetæus Scholam San-Genoueſianam ante Cancellarij Pariſienſis inſtitutionem ſub Decanis ſuis floruiſſe, hoc eſt ſub Procuratotibus Nationum: qui nempe eorum præfecti ſunt & Duces, vt Decani ſuarum quique Facultatum. Quod ſi ita eſt, fateatur neceſſe eſt contra quam aſſerit, Cancellarium Pariſienſem non fuiſſe primum Academiæ præfectum, ſed prius, quam aut vllus talis Cancellarius crearetur, aut ſaltem quam eius curam ſuſciperet, in monte San-Genoueſiano à Procuratoribus ſuis & proinde à Rectore fuiſſe gubernatam. Qua de re nos fusè egimus in ſynopſi primi ſeculi.

Non poſſumus tamen hoc loco præterire ea quæ de tota hac Vniuerſitate ſcribit fuſiſſimè Belforeſtius in Coſmographiam Munſteri. Refert enim ille ad Hugonem Capetum aut ad Robertum Rectoris Procuratorumque inſtitutiones Vniuerſitatiſque in Nationes, & Nationum in varias tribus & Prouincias diuiſionem. Et quanquam multa miſcet, quæ aut antiquiora aut recentiora ſunt, non videntur tamen prætereunda: quia nemo è Noſtratibus totam iſtam hiſtoriam accuratius deſcripſit. Sic ergo ille.

Reſte à venir au point & à l'origine de l'Vniuerſité de Paris. Charles le Grand
donc aſſeuré en ſon Regne & agrandy par l'Empire adiouſté à ſa couronne, de- «
ſireux d'oſter aux Grecs auſſi bien la gloire des bonnes lettres, que la Monarchie, «
qu'il leur auoit échantillonée, fut le premier qui donna ſource à la magnificence «
de cette Vniuerſité & qui monſtra le chemin à ſes ſucceſſeurs de faire le ſembla- «
ble, ou de les ſurpaſſer en vne intention ſi ſaincte & plus que neceſſaire: & en ce- «
cy, comme le recitent les Annales Françoiſes, induit par vn excellent perſonna- «
ge nommé Alcuin, lequel fut le premier, qui ouurit à Paris l'eſcole; par ſon ex- «
hortation le Roy fit ce bien aux Gaules & à l'Italie, d'où les Goths & les Lom- «
bards auoient banni tout ſçauoir & exercice des bonnes lettres. Bien vous di- «
ray que cette fondation ne fut celle qui auança cette Vniuerſité a telle gloi- «
re que nous la voyons maintenant, d'autant qu'il ne fit que ſimplement la «
mettre en beſogne, laiſſant à ſes Succeſſeurs l'honneur de parfaire, ce à «
quoy il auoit donné ſi beau commencement. Luy mort, Louys le Debo- «
naire n'eut guere grand moyen d'augmenter cecy, y obſtant les troubles ſuſci- «
tez par les ſeditieux, qui feirent reuolter les enfans contre le pere: & de là en «
auant tout alla en empirant, tant pour les guerres ciuiles ſuſcitées apres la mort «
du Debonaire, que pour la venuë des Normans en Gaule, leſquels donnerent «
vn grand eſchec aux bonnes lettres, de ſorte qu'il faillut que la race Gauloiſe «
des Capets fuſt celle qui remiſt ſus en Gaule auſſi bien les lettres que la gloire des «
armes & la magnificence de l'Empire des fleurs de lys. Non qu'il faille penſer «
que la Gaule fuſt ſans exercice des lettres, veu ce que nous auons deſia allegué «

des Bardes, Saronides, & Druides, auant que le Chriſtianiſme fuſt receu és Gaules auſſi bien que les lettres, & ce qu'auons dit de tant de bons peres & excellents Eueſques inſtruits és Gaules & par les Monaſteres, & Egliſes de cette Monarchie. Ioint que nous auons dit que Marſeille eſtoit l'Vniuerſité la plus fameuſe, qui fuſt deça la mer apres Athenes, & où les Romains enuoyoient leurs enfans y apprendre les lettres. Or les Lettres de la fondation de l'Vniuerſité n'eſtant tombées entre mes mains, ſi ſçay-ie que la premiere inſtitution vient de Charles le Grand, mais non pas auec cet ordre de Magiſtrats d'Eſcole qu'on y voit à preſent. Car ie penſe que cecy ait eſté inſtitué du temps, ou de Capet ou de ſes ſucceſſeurs: qu'il ſoit vray Philippe Auguſte ſurnommé Dieu-donné fait aſſez euidente preuue de cecy, & que long-temps auant luy cette Vniuerſité auec ſes ordres, eſtats & offices auoit eſté miſe en honneur lors qu'il conferme les priuileges que ſon Pere Louys auoit donné en faueur des Eſcoliers: lequel Louys eſtabliſſant cette Loy fauorable aux Eſcholiers monſtre auſſi que la France ayant recouuert repos des guerres auec les Allemands & des troubles auenues par les Courſes Normandes, ce fuſt lors qu'elle recouura ſa gloire. Qui me fait croire que celuy qui le premier mit les dignitez du Recteur & Procureur en auant fut Robert fils de Capet, qui eſtoit homme debonnaire, de grandes lettres & ſinguliere erudition: & ne pourrois me perſuader, qu'il n'y ait eu des lettres, priuileges, & ordonnances pour le fait de l'eſcole, de ce Roy icy auſſi bien que des autres, leſquelles ne ſont venues à noſtre connoiſſance & que l'iniure du temps a fait perdre & le peu de ſoing des hommes en a égaré les originaires. Mais ne nous arreſtans point tant à vne ſi longue antiquité, comme qui voudroit eſplucher les matieres iuſques au fond & tout ainſi comme ſi on reuoquoit en doute, que l'Vniuerſité de Paris ne ſoit la plus ancienne & comme la mere nourice de toute la Chreſtienté, paſſerons oultre à la recherche de ce qui eſt le plus prochain de noſtre memoire, ayant toutesfois dict ce petit mot en paſſant: que tout ainſi comme iadis les Empereurs de la maiſon de Sueue, à ſçauoir les Federics, Henris, & Conrads ayant diſcord auec les Papes & le ſainct Siege de Rome ſe ſont ſoubmis au iugement du Parlement de France, ſi bonne opinion ils auoient de ce conſeil Gaulois, les Egliſes Chreſtiennes auſſi durant les ſchiſmes & y ayant quelque controuerſe en ce qui eſt de la foy, s'en ſont touſiours rapportées à la ſainte eſcole & tres-Chreſtienne Vniuerſité de Paris & en ont receu pour Iuge la non deuoyante Faculté de Theologie Pariſienne. Laiſſant donc, comme dit eſt, les fondations anciennes, donnations, licences, libertez, priuileges, & immunitez donnécs tant par les Papes, que les Rois à l'excellente Vniuerſité de Paris, comme Generale Mere & guide de toutes les autres nous nous contenterons de toucher la creation du Recteur ſelon qu'elle eſt portée, limitée & ordonnée par le Cardinal du titre de Saincte Cecile Legat en France ſoubs le Pape Nicolas troiſieſme du nom l'an de noſtre ſalut 1275. & regnant en France Philippe Fils du Roy Sainct Louys: car ce fut lors que fut faite la premiere reformation de cette Vniuerſité du ſaint Siege, ce qui monſtre qu'icelle eſtant de longue main inſtituee, il y auoit eu de l'alteration en la vie & mœurs des eſcholiers, laquelle il falloit corriger. Ce Cardinal donc fit les ordonnances qui s'enſuiuent & que nous auons recueillies du liure de l'Vniuerſité & en premier lieu ſur la creation du Chef de tous les eſcholiers. Le Recteur (dit-il) ſera par cy apres éleu en cette maniere. *Les quatre Procureurs des Nations à ſçauoir, France, Picardie, Normandie, & Allemagne, iureront ſolemnellement deuant les Nations d'eſlire vn autre Recteur qu'iceluy qui ſera pour lors de leur aſſemblée, & tel qu'en ſaine conſcience ils eſtimeront en eſtre digne, ſuffiſant & profitable tant à la charge, que pour le Corps de l'Vniuerſité, & proteſteront que ny faueur, amitié, haine, ou autre paſſion les tranſportera à choiſir & nommer pluſtoſt vn qu'autre, ains le prendront tel que dict eſt, pour l'égard du public & non ſelon le iugement de leur affection particuliere. Or celuy qui par l'accord de ces quatre ſera éleu, ou les trois y conſentants d'vne voix, ſera Recteur ſans aucune controuerſe & ſans qu'il ſoit loiſible d'y reſiſter ou contredire. Mais ces quatre ou trois ne s'accordans à l'election, le Recteur ancien ſera appellé pour recueillir les voix* Creatio. Rectoris.

leſquelles

leſquelles ne pouuans s'accorder, on nommera quatre Electeurs de chacune Nation ſelon l'election deſquels & la plus grande voix l'emportant, le Recteur ſeul nommé, ſera iouiſſant de ſa dignité durant le trimeſtre, qui eſt le temps prefix à ce Magiſtrat, d'autant que l'election d'iceluy ſe fait tous les trois mois & à iours limités aux feſtes, c'eſt à ſçauoir de Noſtre-Dame de Mars, de la ſaint Iean Baptiſte, de Saint Denys, & de la Natiuité de noſtre Seigneur Ieſus-Chriſt. Voicy l'ordre gardé en l'election de ce Chef de l'Eſchole Pariſienne. On enferme les electeurs dans vn certain lieu, d'où ne leur eſt loiſible de ſortir ſans nommer celuy qui doit auoir ſurintendence ſur tout le Corps de l'Vniuerſité : & faut que cette election ſe parface, & ſe vuide durant le temps que demeure vne chandelle de poids certain, & qu'on a de couſtume de porter pour cette affaire, n'eſtant permis a Bedeaux ny autres, ſoit Officier de l'Vniuerſité, ou ſimple Eſcholier, d'aller vers les Electeurs, pour leur recommander homme que ce ſoit qui aſpire à l'office: voire y eſt par cette ordonnance eſtroitement defendu, que les Electeurs ne mangent, ny boiuent aucunement au lieu où ſe fait l'election. Sur laquelle ne pouuant iceux s'accorder, c'eſt aux Maiſtres és Arts d'en y enuoyer d'autres & de faire ſortir ces premiers, auſquels ne ſoit plus loiſible d'entrer en l'election. Mais on à veu de noſtre temps de grandes folies auenir pour cecy & le Recteur eſtre eſleu a coups d'eſpées, & tout ainſi par force comme iadis l'Empire eſtoit emporté par ceux qui eſtoient les plus forts.

Electio Rectoris.

I'ay dit icy que c'eſt aux Maiſtres és Arts d'y enuoyer d'autres Electeurs, ou les premiers ne pourront s'accorder : ſurquoy il faut noter qu'encores qu à Paris il y ait quatre Facultez parfaiſant le Corps de l'Vniuerſité, à ſçauoir de Theologie, Decrets, Medecine & des Arts, ſi eſt-ce que la premiere inſtitution de l'eſchole ayant eſté dreſſée pour les Arts. *Il n'eſt auſſi loiſible d'elire le Recteur que du corps de la Faculté des Arts, & lequel neantmoins a puiſſance en ce qui eſt de la Police de l'Eſchole, & ſur les Theologiens, & ſur les Decretiſtes & ſur les Medecins.* Ainſi que nous en auons veu faire l'experience durant les troubles & lors que le Recteur fiſt faire ioug aux Medecins, & autres qui faiſans banqueroute à l'Egliſe, vouloient auſſi s'emanciper de l'obeiſſance de l'Vniuerſité, & n'eſtre point ſuiets aux loix, & ordonnances d'icelle. Ayant en ce corps d'eſcholiers ſi grande puiſſance d'autrefois, que d'auoir fait teſte au Papes & Princes du ſang, qui abuſoient des benefices de France.

Affin donc qu'on voye auec qu'elle Maieſté cette Republique eſt maniée, faut entendre que de tout temps il y a deux Chanceliers pour les Bachcliers & Maiſtres és Arts, l'vn eſtant appellé Chancelier de Noſtre-Dame & l'autre de ſainte Geneuiefue: le premier ayant droit ſur les Theologiens, Decretiſtes & Medecins, en ce qui eſt des lieux de leurs licences & pour les benir à la façon ancienne; le ſecond ayant la preeminence de l'examen des Maiſtres és Arts à cauſe de l'antiquité de la maiſon Royale de Sainre Geneuiefue de laquelle nous parlerons cy apres : & toutes fois celuy de Noſtre-Dame a auſſi empieté ſur les Maiſtriſes és Arts & examen de ceux qui y pretendent, & faut que *ce Chancelier ſoit creé deuant l'Eueſque* au Chapitre Epiſcopal, où il doit iurer de ne point licentier aucun Theologien, Decretiſte, Medecin ou Artien, s'il n'eſt digne de tel honneur & capable pour ſa doctrine ayant fait le deuoir en l'eſtude & ſuiuy l'Eſchole le temps limité, par les ordonnances de l'Vniuerſité. Surquoy ils doiuent s'enquerir des Maiſtres & Docteurs des Facultez, leſquels leur doiuent reſpondre la verité, & en ſaine conſcience. I'ay pris cecy d'vne Bulle conferée par le Pape Gregoire XI. en laquelle il ſouſcrit & approuue tout ce qu'auoient fait ſes predeceſſeurs Papes, Vrbain cinquieſme, & Innocent VI. touchant les priuileges donnez à l'Eſchole generale de Paris : & entre autres choſes que i'ay recueillies de cette Bulle, i'en ay tiré les parolles qui s'enſuiuent, où il fait mention du tort & iniure qu'on pourroit faire aux Eſcholiers.

Cancellarij.

S'il aduient qu'on iniurie, ou empriſone à tort quelques vns des voſtres, ſi on ne deſiſte de telle iniure, apres que vous les aurez admoneſtez ; Il vous ſera loiſible, ſi ainſi le trouuez bon, de ceſſer vos leçons. Mais s'il eſcheoit que l'Eſcholier face choſe ou crime digne punition, voulons que la connoiſſance en ſoit reſeruée ſeulement à l'Eueſque de-

„ *fendants que deſormais on n'emprisonne aucun eſcholier pour debte quelconque, veu que* „ *cela eſt deffendu par les conſtitutions des ſaints Canons & droits legitimes de nos pre-* „ *deceſſeurs.* En cette bulle eſt encor defendu aux Eſcoliers d'aller auec armes „ par la ville & defendu à l'Vniuerſité & chefs d'icelle de prendre en ſorte que „ ce ſoit la cauſe ou defenſe en main de ceux qui troublent le repos public auec „ leurs ports d'armes & Ribleries.

„ Voyons ſi l'authorité de la viſitation des liures, eſt d'hier ou aujourd'huy octro- „ yée aux Docteurs de la Faculté de Theologie: & ſçaurons que le meſme Pape „ confirmant la volonté de ſes Predeceſſeurs en cette bulle que deſſus, ordon- „ ne que nul liure ne ſera leu en l'Eſchole ny College de Paris, lequel n'ayt eſté „ viſité premierement par les Docteurs, & approuué par les Conciles, d'autant „ que nous ſçauons que les mauuais propos alterent les bonnes mœurs des hom- „ mes, & que les liures peſtilents & ſuſpects ſont ceux qui gaſtent autant ou „ plus que pourroit faire la parole d'vn Preſcheur ſemant fauſſe & peruerſe do- „ ctrine. Auſſi cette ſainte Eſchole & Vniuerſité de Paris a eſté de tout temps tant „ amoureuſe de ſimplicité, qu'elle ne s'eſt point ſouciée des diſputes curieuſes, ſi „ ce n'eſt de celles, qui ſeruent à l'eclairciſſement des Eſcritures diuines. C'eſt „ pourquoy de toute ancienneté, il y a eu ordonãce de l'Vniuerſité de Paris, laquel- „ le veut que les Maiſtres & eſcholiers eſtudians en la ſainte Theologie, ne s'affe- „ ctionnent pas trop à paroiſtre grands Philoſophes, pour l'impieté liée à celle „ Philoſophie, qui a plus la raiſon humaine & naturelle pour guide que la puiſ- „ ſance diuine. Par celle ordonnance eſt defendu à iceux Maiſtres d'vſer en diſ- „ putant ou liſant, de la langue vulgaire du peuple, ny de profaner les choſes ſain- „ tes deuant le peuple auec leurs queſtiõs, ains diſputer ſimplemẽt en l'Eſchole des „ matieres propres à la vacation de laquelle il ſe meſlent. Ie laiſſe au bon iugement „ des Chefs de cette Faculté, ce qui ſe peut ou doit recueillir de l'ordonnance, me „ tenant pour aſſeuré que tant de bonnes teſtes ne ſouffrent choſe, laquelle ne „ puiſſe eſtre defenduë raiſonablement. Ie ſouhaite de voir à Paris le renouuelle- „ ment de la conſtitution ancienne obſeruée en cette Vniuerſité, qui eſt, qu'il n'e- „ ſtoit loiſible à aucun de lire, s'il n'auoit atteint l'an 21. de ſon aage & n'auoit „ ouy à Paris par l'eſpace de 6. ans & liſoit 2. ans entiers apres ſon audition, ioint „ que celuy qui voudroit lire ne fuſt autre que fort bien renommé & ſans aucune „ note d'infamie: ce qui fut ordonné par le Legat du Pape l'an de grace 1214. Re- „ gnant en France Philippe Auguſte, & ſeant à Rome Innocent III. Car ſi cet- „ te ordõnance auoit eu lieu, on ne verroit tant d'eſtrangers ſans aueu & peut-eſtre „ ſans doctrine ny vertu s'auancer de lire & cauſer la corruption de la ieuneſſe, „ que nous y voyons à preſent, n'y ayant ſi petit Magiſter ou eſuanté Charlatan, „ qui ne s'enhardiſſe ſans l'authorité de ceux à qui l'honneur appartient de preſter „ la chaire, de monter ſur le pulpitre & d'y enſeigner à tort & à trauers la ieuneſſe. „ En ce temps que ie dis, eſtoit deffendu de lire en l'Vniuerſité de Paris les liures „ de Phyſique d'Ariſtote; & cecy pour bonnes raiſons lors neceſſaires, & leſ- „ quelles à preſent ne ſeroient que ſuperfluës: ainſi que le contient le commande- „ ment fait à lors par le Legat Eſtienne Cardinal au mont Celie. Et pour refor- „ mer toute eſpece d'abus introduit ſous couleur de la grandeur de cette Vniuer- „ ſité, eſtoit defendu de banqueter aux aſſemblées ny reſponſes ou actes des Mai- „ ſtres, ſi ce n'eſt en particulier que l'vn amy pouuoit appeller l'autre: ainſi vous „ voyez de quel temps la couſtume de paſſer Maiſtres és Arts, eſt receuë & ſi „ la ſolemnité des actes eſt de memoire trop freſche.

„ Que ſçauriez vous demander de plus ſolemnel que ce qui ſe fait en la Fa- „ culté des Arts aux ſophiſmes, determinances, examens, figures & actes, où les „ Maiſtres prennent les bonnets de leur licence; ou que celles magnificences des „ Cardinales, & Quodlibetaires diſputations des Medecins auec la gloire de leurs „ licences & le triomphe qu'il ont en prenant leurs bonnets? Mais quoy de plus ex- „ cellent que cette bataille diuine de la Theologie és Tentatiues, petits ou grands „ ordinaires & en ce conflit effroyable que le pauure reſpondant ſouffre és grandes „ Sorbonnes ou dés 5. heures du matin iuſques au ſoir il faut tenir teſte à tous ſes „ compagnons luy arguans à l'encontre? quel plus grand contentement auſſi peu-

uent auoir ces luicteurs hardis ſoit de la Medecine, ſoit de la Theologie, que de ſe voir deuant tout vn Senat & à la face bien ſouuent des plus grands Princes & Prelats de tout le Royaume, louër par vn docte & bien diſant Orateur, & toutesfois vous ſçauez que cõme iadis on loüoit les luicteurs aux chãps Elides, on a ordonné & inſtitué à Paris les Paranymphes auant que les lieux de licence ſoient diſtribuez tant aux Medecins qu'aux Bacheliers de Theologie: ce qui me fait croire, que tout ainſi que le droit d'herauldie fut inuenté pour encourager la nobleſſe à bien faire la guerre pour le ſeruice de la patrie; qu'auſſi ces paranymphes ont eſté inuentez pour le prix des eſtudians aux bonnes lettres. Rien ne ſeruiroit icy de vous amener les donations faites par les Roys à leur fille l'Vniuerſité de Paris tant du pré aux Clers que d'autres places octroyées pour le paſſetemps des Eſcholiers apres les heures de leurs eſtudes. Ie n'iray deduire les Cures & Paroiſſes qui ſont de la collation des Facultez, chacune en ſon rang, ny ne m'arreſteray ſur les Egliſes ſuiettes à l'Vniuerſité, & qui ſont de la fondation d'icelle, car bien que les Iacobins ayent eſté bâtis de la liberalité de Saint Louis; ſi eſt-ce que la place de leur Egliſe appartenoit à l'Vniuerſité, & d'icelle ils l'ont euë. Les Mathurins auſſi ſont des Tenanciers de ce Corps; d'où eſt aduenu que les Congregations du Recteur, Procureurs & Doyens ſe font audit lieu & Monaſtere des Mathurins, comme auſſi les proceſſions du Recteur tant ordinaires qu'extraordinaires, faut que ſortent de l'Egliſe des ſuſdits freres de la Trinité, que vulgairement on appelle Mathurins: & ne veux deduire les confirmations des Priuileges faits par les Papes & Roys durant qu'on l'empeſchoit en la iouiſſance d'iceux: comme auſſi ne pretends m'arreſter ſur vne infinité de ſtatuts, tant pour les Facultez, que pour l'égard des ſimples eſcholiers & leſquels ſont grandement profitables à toute l'Vniuerſité & non de peu de conſequence pour le repos de la ville, car ce ſeroit par trop amuſer le lecteur ſur choſes qui ſeruans aux vns, ne ſont de guere grand effet aux autres.

A cette cauſe ie propoſeray ſeulement & ſimplement le ſerment & forme de iurer qu'obſeruent & gardent ceux qui veulent auoir entrée en la Congregation generale. Ils iurent donc & proteſtent de garder les priuileges, ſtatuts, immunitez, libertez & droits de l'Vniuerſité leur mere: ce qu'on fait à cauſe de ceux qui en ſortent & leſquels ont eu des premieres dignitez. De ce corps de Repub. pluſieurs montent aux degrez plus excellents d'honneur & ſont faits ou Conſeillers ou Preſidents, & bien ſouuent ſont appellez à l'adminiſtration des affaires plus importantes de la Couronne. Faut auſſi que iurent d'vſer de bonne & loyale foy en l'election du Recteur à cauſe que comme auons dit c'eſt aux ſeuls Maiſtres és arts que l'election du Recteur eſt loiſible & deſquels on choiſit les Doyens & les Procureurs des Nations. Quant à ceux qui veulent venir aux cours & entrer en l'examen, on leur fait faire ſerment, qu'ils n'ont rien donné, promis ny fait donner ou promettre au Chancelier ny à ſon Commis pour l'audiance, examen ou autre deuoir quel que ce ſoit appartenant à cette pourſuitte: iurent auſſi & proteſtent que iaçoit qu'ils ſoient appellez à quelque grande dignité, ainſi que les bonnes lettres conduiſent les vertueux aux grands honneurs, ſi ne ſera-il iamais qu'ils ne reſpectent, honorent & reuerent le Recteur & tout le corps de l'Vniuerſité. Ie laiſſe à penſer ſi celuy qui eſt Recteur, oublie d'obliger ſa foy & parole pour la conſeruation d'icelle, de laquelle il s'eſt veu le Chef & Defenſeur, & pour la deffenſe de laquelle eſtant en office ſon deuoir luy commandoit de hazarder ſa propre vie.

Quant aux Procureurs de Nation, c'eſt choſe aſſurée qu'ils s'obligent de deuëment exercer l'office à eux donné pour la Nation de laquelle ils ſont pourſuiuans, contre ceux qui porteront nuiſance à ceux de leurs corps ſans y oublier choſe poſſible ſeruant à leur charge: & puis que nous ſommes ſur les Procureurs de Nation, il y en a quatre ayans voix en l'Election des eſtats de cette Republique, à ſçauoir les Picards, pour la ſeule Picardie; comme auſſi les Normans pour la ſeule Normandie; car les deux autres Nations ſont de fort grande eſtenduë, comme celle d'Alemagne, qui comprend toute la Germanie au lez & au long, la Polongne, Hongrie, Sarmates, Danois, Sueues, Noruegiens & Moſcouites, s'il en venoit à Paris pour eſtudier, &

Digitized by Google

» en ſomme toutes les Iſles Septentrionales telles que ſont l'Angleterre, Eſcoſſe, » Hirlande, les Orcades, les Hebrides & autres voiſines ſont de cette contribution. » Mais la Natiõ de Fräce partie en 3. belles Prouinces telles que ſont Paris, Rheims » & Bourge embraſſe auſſi tout ce qui reſte des Gaules, outre la Normandie & Picardie, ſi bien que tous les Celtes, & Aquitaniques ſont de ce Corps François: les » Gaules Narbonnoiſe, Allobrogique, Prouençale, & Lyonnoiſe en dependent. » Ce n'eſt rien ſi encor les Eſpagnes & Portugal, ſi les Iſles de la Mer Mediteranée » & toute l'Italie, Grece, & païs Leuantin n'eſtoit de cette Prouince & procuration Françoiſe, tellement que les noms des Meſſagers de Hieruſalem, Betleem » & autres lieux du pays Idumeen ſont demeurez en eſtre iuſqu'à noſtre temps, » afin qu'on voye encor la figure & idée de cette Republique de l'Vniuerſité, laquelle faiſoit reluire l'Empire François comme le chef de toute la Monarchie » du monde.

» Ie me ſuis arreſté en cecy tout pour bon reſpect, ſçachants que les gens de bien » auront pour agreable la memoire de choſe qu'ils voudroient qui fuſt en nature, » & laquelle ſemble promettre ie ne ſçay quelle grandeur à ce Sang de France, » qui a ſceu entretenir en ſon pays par tant de ſiecles, ce qu'Athenes n'a ſceu retenir que peu de temps pour ſa gloire. Mais paſſons outre : chacune Nation a des » Receueurs des deniers qui ſe perçoiuent des emolumens & biens du corps de la » Nation, leſquels ſont tenus de faire ſermẽt de ſe monſtrer loyaux en leur Charge.

» Mais ne veux m'areſter trop long-temps ſur le Conſeruateur des Priuileges de » l'Vniuerſité lequel tient ſa Iuſtice aux Mathurins, comme auſſi ne pretends m'arreſter ſur l'inſtitution des Scribes & Bedeaux de l'Vniuerſité, les vns ayant le » droit de Greffiers en vn Palais, ou vn Chaſtelier, & les autres ſeruant d'Archers ou d'Huiſſiers, tant au Recteur marchant par la ville, qu'aux Bacheliers de quelque faculté que ce ſoit faiſans & paſſans leurs actes: chacune » des Facultez ayant des Bedeaux, qui luy ſont affectez, comme auſſi en ce qui eſt » des Arts, vne chacune des Nations en a vn pour ſon ſeruice.

» Regardons encor le bon menagement de cette Rep. où vous voyez les 4. grans » Libraires Iurez & 20. autres iouïſſans de fort beaux priuileges pour cet égard & » n'eſtans ſuiets qu'au Recteur, duquel ils tiennent leurs offices. La charge de ceux-cy fut de iadis tranſcrire les liures pour l'eſcole & d'en faire diuerſes copies afin » que les Eſcoliers n'en euſſent pas faute: neantmoins ne leur eſtoit loiſible de les » mettre en lumiere, que la Faculté de Theologie n'y euſt paſſé pour voir, s'il » y auroit quelque choſe à reprendre. Outre ces Suppoſts tant neceſſaires, ſont » encor les Relieurs iurez, les Parcheminiers & Enlumineurs. Car d'Imprimeurs » Iurez il n'y en a point à cauſe que du tẽps que fut faite l'inſtitution de ces offices » pour le ſeruice de l'Vniuerſité, l'Art d'Imprimerie n'eſtoit point encor en vſage: à » ceux-cy ſont adiouſtés les Meſſagers qui ſont obligez de moyenner que les Eſcoliers des pays deſquels ils ont les Meſſageries ne ſouffrẽt diſette par faute de ſolliciter leurs parents, qu'ils ayent à leur fournir les choſes qui ſont neceſſaires pour » leur vie & entretenement. Ie ne veux vous deduire quelle forme de ſerment ſuiuent ou ceux qu'on employe à examiner és determinances, ou reciproquement » ceux qui ſont examinez, dependant cela d'vn meſme iurement fait par le Chancelier & les Maiſtres par les Bacheliers des Facultez de Theologie & Medecine: » ne diſcouray auſſi ce que les Maiſtres és Arts iurent deuant le Recteur, auant que » d'auoir les lettres de leurs Maiſtriſes, ny auſſi à quoy s'obligent par promeſſe les » Meſſagers voulants faire quelque depeſche en Cour de Rome.

Supplicatio Rectoria. » Quelle Maieſté eſt celle d'vne proceſſion de Recteur, où faut qu'aſſiſtent » tous les ſuppoſts de l'Vniuerſité, chacun en leur rang & auec l'ordre tel qu'il ſemble que ce ſoit vn Senat Venitien, accompagnant ſon Duc à la ceremonie des » eſpouſailles de Mer: car vous voyez le Recteur ſuiuy des Docteurs & Bacheliers » de Theologie & Medecine tous en chappe, les vns de Rouge & les autres de » Noir: on y contemple les Maiſtres és Arts & des Religieux de preſque tous les » ordres qui ſont à Paris, au moins de ceux auſquels eſt permis de prendre vn degré » dans l'Vniuerſité, comme auſſi on y voit tous les Officiers d'icelle, leſquels honorent le Chef en ces ſaintes Aſſemblées, eſquelles vn Doyen de la Faculté Theologienne celebre la ſainte Meſſe. N'eſt ce rien que lors que les Rois ſont leurs

entrées, c'eſt le Recteur qui des premiers luy va audeuant, luy iure obeiſſance au nom de l'Vniuerſité, & tire de ſa Maieſté le ſerment pour la confirmarion des priuileges?

Quand auſſi le Legat du Pape Apoſtolique vient à Paris, le Recteur auſſi (non pas qu'il ſorte de la ville pour le bié viegner, car il ne doit cét hõneur qu'à ſõ Roy & aux Papes en perſonnes) ſe preſente à luy & le fait iurer qu'il n'alterera en ſorte que ce ſoit les Priuileges donnez par les Papes à l'Vniuerſité. Mais qu'eſt-ce à dire que la maieſté du Recteur ſoit ſi grande en l'eſcole qu'és actes publics de quelque Faculté que ce ſoit, il précede Eueſques & Cardinaux, & fuſſent ils Pairs de France; & ne ſouffriroit-on que le Nonce du Pape, ne Ambaſſadeur de Prince du mondo euſt cét aduantage de le preceder? Es Matiages des Roys le Recteur auec ſes ſuppoſts eſt introduit auec égal honneur que la Cour du Parlement, & à ſon Siege & rang comme celuy qui repreſente la fille bien aymée des Roys de France. Au Sacre des Rois à cauſe qu'il ſe fait hors de Paris, le Recteur n'aſſiſte point, entant que hors cette ville ſes droits ſont ſans force quelconque, puis que ſon authorité s'eſtend ſimplement ſur le lieu où eſt l'Eſcole. Ors les Rois eſtant decedez & durant que pour la ceremonie & appareil des funerailles & enterrement du corps du deffunt on s'achemine de l'Egliſe noſtre Dame de Paris pour porter le corps à ſaint Denys, on voit l'Eueſque de Paris d'vn coſté de la ruë & le Recteur de l'autre adextrant le corps, lequel eſt entre ces deux Magiſtrats Spirituels, ayant voulu les Rois anciens de rant auancer le Chef de leur Eſchole que de l'égaler aux plus grans de leur Royaume: mais pourquoy ne ſeront les Rois ſoigneux de ce Corps public de l'Vniuerſité, puis que c'eſt de luy que ſe prennent ceux qui ont Charge en la Republique de France, & qui manient les affaires de plus grande conſequence?

C'eſt pourquoy les Roys de toute ancienneté preuoyant qu'il pourroit auenir que les lettres fuſſent en peu de prix parmy les François, ont voulu que l'Vniuerſité euſt pour Conſeruateur, Patron & Defenſeur, vn des Pairs Eccleſiaſtiques de ce Royaume, à ſçauoir l'Eueſque de Beauuais par precipu; quoy que cét honneur ſe ſoit communiqué à d'autres Prelats par les anciens priuileges donnez à leurs Sieges.

De Cancellariis Vniuerſitatis.

Au reſte pour recompenſer ceux qui ont bien fait leur deuoir en l'eſtude, ont eſté choiſis deux Apoſtoliques, c'eſt à dire hommes Eccleſiaſtiques de l'authorité du Saint Siege vniuerſel de Rome, leſquels ſous le nom & tiltre de Chanceliers ont la charge d'examiner les Eſtudians, qui veulent eſtre promeus à la licence des Arts. Le premier eſt celuy de l'Egliſe Cathedrale de Noſtre-Dame de Paris, lequel eſt comme le general ſur toutes les Facultez, & lequel tous les ans le lendemain de la Chandeleur ou Purification Noſtre-Dame, choiſit quatre Maiſtres és Arts pour l'examen auec ſon Sous-Chancelier, afin d'éprouuer ceux qui veulent paſſer, & le Regiſtre deſquels il preſente au ſuſdit Chancelier; & en ſomme tant les Canoniſtes & Theologiens, que les Medecins faut qu'ils ſoient par leurs Docteurs & Regens preſentez à ce Chancelier, afin qu'il les reçoiue & beniſſe auant que le Docteur leur poſe le bonnet Doctoral ſur la teſte, dautant que l'inſtitution du Doctorat ayant la ſource du Saint Siege, faut auſſi qu'elle ſoit conſeruée & ratifiée par ceux qui y ſont commis par le Pape. C'eſt auſſi à ce Cancelier à chaſſer & retrancher du Corps de l'Vniuerſité ces Eſcholiers qui ſont malviuans & incorrigibles; & de rechef les y receuoir, ſe chaſtians & faiſans penitence, comme auſsi il les abſout, ſi par cas ils ont commis quelque irregularité, mettans furieuſement les mains les vns ſur les autres. Et de la eſt venuë la contention ſouuent aduenuë entre les Iuges & les Eccleſiaſtiques, les vns prennans connoiſſance ſur les crimes des Eſcholiers Matriculez dans cette Vniuerſité, & les autres deffendans la cauſe du Saint Siege & priuileges du Chancelier, receus & confirmez par les Roys, & depuis par Arreſt de la Cout Souueraine du Parlement. Or celuy de Noſtre-Dame eſtant, comme dit eſt, General ſur toutes les Facultez; Le ſecond eſt eſtably à Sainte Geneuiefue, & faut que ce ſoit vn des Chanoines Clauſtrals de l'Abbaye dediée à la ſuſdire Vierge Patrone des Pariſiens, pour l'amour de laquelle les Papes, & les Roys (Comme nous dirons cy-apres) ont tant donné de

„ Priuilege au Monaſtere, Egliſe & Religieux ſeruans dans icelle. La puiſſance donc du Chancelier Clauſtral eſt par aucuns limitée: mais nous monſtrerons „ combien elle s'eſtend, quoy qu'on die qu'elle ne s'eſtend que ſimplement „ ſur la Faculté des Arts, & pour ce il eſt nommé Chancelier des Arts. Lequel fut „ que venant à ſa dignité, iure deuant la Faculté qu'il obſeruera les Statuts d'icelle, & donnera les Licences ſans nulle faueur, ſelon le merite des perſonnes „ & ſuiuant la depoſition des Maiſtres qui auront eſté commis pour examiner „ les Maiſtres futurs.

Benedict XI. „ On ſçait qu'enuiron l'an 1304. ſeant à Rome Benedict XI. du nom, ce Pape „ donna Faculté au Chancelier de Noſtre Dame de Paris, de licentier & faire „ Docteurs en Theologie & en Decret. Or eſt-il qu'auant ce temps il y auoit Docteurs Theologiens à Paris, & qu'il falloit qu'ils receuſſent les Licences de la „ main de quelque Eccleſiaſtique. Il ne pouuoit eſtre autre que celuy de Sainte Geneuiefue veu ſon ancien eſtabliſſement, ſi le Pape n'y auoit homme exprés, *Greg. IX. 1227.* „ pour le fait de ces Licences: & de cecy fait foy vne Bulle du Pape Gregoire IX. „ en date de 1227. laquelle monſtre apertement que le ſuſdit Chancelier de ſainte Geneuiefue, vſoit & ioüiſſoit du priuilege de Licentier les Docteurs en Theologie & en Decret. Et ſi on met en auant qu'il eſt non ſans grande occaſion appellé Chancelier des Arts, & que pour cette Faculté il a eſté inſtitué & eſtably, il eſt aiſé d'y répondre, & la reſponſe ſera l'eſtabliſſement plus grand de „ l'authorité de ce Chancelier: veu que chacun ſçait que l'Vniuerſité de Paris au „ commencement n'eſtoit que pour les Arts, & que les autres ſciences y ſont ſuruenuës comme acceſſoires: d'où eſt aduenu que du ſeul Corps des Arts on choiſit le Recteur & Procureurs des Nations, ainſi que nous auons dit cy-deſſus; par ainſi le Chancelier de Sainte Geneuiefue eſtant celuy des Arts, s'enſuiuroit que ſeul il eſtoit iadis en cette Charge: & celuy de Noſtre-Dame ayant receu le priuilege de Licencier les Eſtudians en Theologie & Decret, long temps apres que celuy de Sainte Geneuiefue en auoit pleine ioüiſſance, il me ſemble auſſi que mal à propos luy donne-on le ſimple titre des Arts, puis que la Generalité luy eſt deuë & octroyée; ſi ce n'eſt que pour l'incapacité d'aucuns Chanceliers on y a pourueu, les Eſcholiers & les Nations preſentans au Pape requeſte pour ſe pouruoir ailleurs, qui a eſté cauſe que les Religieux perdans ce droit, ſe ſont contentez de la ſeule puiſſance de Licentier les Arts, ainſi qu'on peut tirer d'vne Patente de Charles VI. datée du 12. Iuillet 1381. donnée à Paris ſur le different meu entre le Conuent Sainte Geneuiefue & les Eſcholiers de la Nation de France. Quoy qu'il en ſoit, l'Abbé & Religieux de cette maiſon eurent iadis le pouuoir de Licentier Theologiens & Decretiſtes ſuiuant les Bulles de Greg. IX & Alex. IV. *Bullas illas ſupra retulimus p. 274. & alibi adhuc referemus.*

Comme le temps preſcrit tout, il eſt auenu, ne ſçay comment, ſoit que les Religieux ayent égaré leurs vieux papiers, ou qu'il y ait eu quelque nouuelle Ordonnance en faueur du Chancelier de Noſtre-Dame, ou que les Facultez ayent refuſé de paſſer ſous cetuy cy, voyans de iour à autre les diuiſions & querelles d'entre les deux Chanceliers; ſi eſt ce que maintenant les Facultez de Theologie, Decrets & Medecine, vont ſeulement à Noſtre-Dame & en la ſale de l'Eueſque pour les Licences de la Theologie & pour le Bonnet: là où les Arts ſont départis à tous les deux Chanceliers, ſans qu'iceux puiſſent rendre raiſon de telle occurence, laquelle ie penſe eſtre fondée ſur bonne cauſe tant d'vne part que d'autre; mais les plus habiles l'emportent. Au reſte cecy monſtre bien que cette Abbaye a touſiours eſté grandement reſpectée, puis qu'entre toutes les Communautez de Paris, elle a eſté choiſie pour iuger du merite des Eſcholiers voulans eſtre promeus aux Licences.

Hæc Belforeſtius fuſiſſimè, cuius ſententiam multis placere video, quoad Inſtitutionem Magiſtrorum ſeu Præfectorum Vniuerſitatis: quorum aliqui addunt Hugonis Capeti temporibus tãtam confluxiſſe ad Scholas Pariſienſes adoleſcentum multitudinem, vt propter rixas quæ frequenter inter eos accidebant, neceſſe fuerit eos in 4. Nationes diuidere, ſingulíſque Præfectos ſuos, quos vulgo Procuratores appellamus, præficere qui ſingularum Patroni eſſent, & Rectori in regenda Academia conſilium auxiliumque præſtarent. Quod enimin-

numerabilis fuerit Scholarium numerus illis temporibus, Helgaldus teſtis eſt locupletiſſimus, aiens Roberti Regis funeribus adfuiſſe innumerabilem Clericorum, hoc eſt Scholarium multitudinem. Facit & coniectura ex Orderico Vitali & ex hiſtoria petita; certum enim eſt tum Normanis etiam fere omnibus & vbique inſediſſe animo mirabile ſcientiarum conſequendarum deſiderium, Cœnobiorumque pariter extruendorum: adeo vt pauci Diuites & Nobiles eſſent, qui Sophiſtas, hoc eſt viros doctos ſecum non haberent, aut in ſuo fundo Cœnobia non inſtituerent. Vnde coniicitur eos longè feruentius ſtudioſiúſque quàm antea, coluiſſe Scholas Pariſienſes & frequentaſſe.

Verum quamquam hæc opinio probabilitate non careat, vix tamen eſt vt fieri potuerit Hugonis Capeti aut Roberti temporibus eiuſmodi Nationum diuiſio: qua de re fusè egimus in ſynopſi primi ſeculi pag. 297. credibile verò eſt regnante Roberto, qui litterarum amantiſſimus erat, nouam aliquam dignitatem, honoris gradum & ornamentum Vniuerſitati acceſſiſſe. Exiſtimant enim aliqui tum primum Rectorem cœpiſſe ad conſilia ſecretiora admitti & vocari, aut ſaltem ad publica, iuſque habuiſſe cuiuſlibet rei referendæ, quæ ad rectam Regni adminiſtrationem pertineret. Quod quidem exemplis Abbonis Floriacenſis & Fulberti Carnotenſis aliorumque virorum Litteratorum confirmari poſſet, qui huic Principi chariſſimi fuerunt, quique ab eo in conſilium rerum gerendarum ſæpe adſciri ſunt. Denique huiuſce Regis beneficio, fauore, ac patrocinio Vniuerſitatis authoritatem adeo inualuiſſe commemorant, vt ei iniuratæ crederetur, licet à cæteris Regni ordinibus iuriſiurandi religio exigeretur.

De ornamento Pellium.

Ad Pompam Vniuerſitatis facit etiam habitus ille Academicus, quem geſtant Rector & Procuratores in Conuentibus ſolemnibus, quem licet non exiſtimem inſtitutum fuiſſe ab hoc Rege, neque ab Eccleſia Rom. exemplo purpuræ Cardinalium, vt aliqui putant, ſed vel ab ipſo Carolo M. vel à Caluo, vt in ſynopſi primi ſeculi dictum eſt; non ſine fundamento tamen ſuſpicari poſſumus ſub hoc Principe eiuſque exemplo cœpiſſe Magiſtratus Academicos vti pellibus ſeu pelliris textis (veteres Foderaturas & Furraturas dicebant, vtiturque hoc vocabulo Cæſarius Heiſterbachenſis l. 8. Miraculorum c. 59. Gallicè *fourures.*) Nã Robertus, eo operimẽto vti conſueuerat. Teſtis Helgaldus in eius vita. *Aliquando* inquit, *proficiſcente eo ad Eccleſiam & proſtratoria oratione coram Deo, quiddam verecundiæ in* ORNAMENTIS PELLIVM *à ſancto collo dependentium, ſuſtinuit Rex mitis & corde humilis.* Et alio loco. *Horum fragilitati condolens,* ORNAMENTVM PELLIVM, *quod erat pretioſiſſimum, tulit à collo & ſuper peccatores proiecit corde benigno.*

Non tamen ex hoc credendum eſt Robertum omnium Regum primum eiuſmodi pellibus vſum fuiſſe. Vetus is fuit habitus Regum Francorum è Germania ſeu Franconia profectorum: vetus quoque Gothorum & Scytharum, vnde & *Principes pelliti* dicebantur. Hieronymus in Epitaphio Nepotiani, *Pellitorum turba populorum,* id. Gothorum. Sidonius Appollinaris l. 1. Ep. 2. deſcribens Theodorici formam, *circumſiſtit ſellam comes armiger, pellitorum turba ſatellitum ne abſit, admittitur.* Veſtes eiuſmodi vocabant *Maſtrucas* ſiue *Maſtrigas* id. *veſtes pelliceas,* Romani *Penulas gauſapinas* ſeu *Gauſapa.* Martialis.

Is mihi candor ineſt, villorum gratia tanta eſt,
Vt me vel media ſumere meſſe velis.

Gauſapinæ autem veſtes villoſæ erant. Græci Καύνακας vocabant. Heſychius. Καύνακας στρώματα ἢ ἐπιβόλαια ἑτερόμαλλα id. Gaunaca, *Stragula ſunt ſiue operimenta altera parte villoſa.* Eiuſmodi Gaunaca hodie geſtant Poloni, vocantque vernaculè Koc & Kotz. Hinc vox Gallica *Cotte,* vt putat Cluuerius, & Anglica Coate, quæ veſtem longam ſonat. Galli quoque veteres Sagis & Rhenonibus villoſis vtebantur. Teſtis Varro l. 4. de Ling. Lat. *Quidquid inſternebant, à ſternendo ſtragulum appellabant. Quibus operiebantur, operimenta, opercula & pallia dixerunt. In his multa peregrina: vt Sagum & Rheno, Gallica. Gaunacum, maius ſagum & amphimallon, Græca.* Rhenones vero ſic deſcribit Iſidorus l. 19. c. 23. *Rhenones ſunt velamina humerorum & pectoris vſque ad vmbilicum, atque intortis villis adeo hiſpida, vt imbres reſpuant.*

Ex his igitur conſtat vnde Reges noſtri Cappam pellitam in ſolemnibus pompis geſtare ſoleant. Claudius Falcetus de veſtibus Regiis verba faciens, ait Pallia Regum fuiſſe ſemper oblonga eaque pretioſo texto pellito munita in argumentum Patriæ originis & frigoris Germanici. Vnde ait veteres Reges ex Germania aut Scythia profectos vulgo Pellitos fuiſſe dictos. Crediderim quidem initio ſimplicibus animalium pellibus abſque arte vſos fuiſſe, deinde purpuræ ſuæ pretioſas pelles ad ornamentum adſuiſſe.

Quandonam verò muris Pontici pelle vſi ſint, non eſt facile dictu. Certè veſtimentum eiuſmodi Scythis etiam familiare fuit teſte Seneca l. 4. Ep. *Num hodieque magna Scytharum pars tergis vulpium induitur, ac murium quæ tactu mollia & impenetrabilia ventis ſunt.* Sunt qui putent tum vti cœpiſſe pellibus iſtis, cum Britanniam Armoricam ſibi ſubiecerunt circa an. 1500. verum quàm iſti hallucinentur, patet ex iis quæ narrat Monſtreletius accidiſſe. an. 1422 poſt mortem Caroli VI. nempe Carolum VII. eius filium audito nuncio prima die violaceam induiſſe purpuram, poſtridie vero interfuiſſe ſacro veſte indutum talari cum Palliolo rubri coloris Pontici muris pelle munito. *Il fuſt reueſtu d'vne longue robe & Mantel d'eſcarlatte rouge fourré d'Ermines ainſi que les Conſeillers de la Cour.* Similiter Alanus Quadrigarius in Chronico de Caroli VII. in vrbem Rothomagenſem ingreſſu ſic ait. *Deuant le Roy eſtoit Meſſire Guillaume Iuuenel des Vrſins Seigneur de Treignel & Chancelier de France veſtu en* HABIT ROYAL DE ROBBE ET CHAPERON FOVRREZ ET VN MANTEL D'ESCARLATTE. De eodem ingreſſu Mathæus de Coucy ſic habet. *Puis entra M. Guill. Iouuenel des Vrſins Chancelier de France lequel eſtoit monté ſur vne haquenée blanche & eſtoit veſtu de robbe, manteau & chaperon d'eſcarlatte fourré ſelon l'eſtat Royal deuant lequel vn homme de pied menoit vn hauby d'Irlande ſellé d'vne ſelle à Dame, qui auoit vne couuerte de fleurs de Lys d'or, & ſur icelle il y auoit vn coffret bandé d'or d'vn pied de long ou enuiron, dedans lequel eſtoient les Seeaux du Roy: à cette entrée fut fait Cheualier vn ieune enfant fils du Seigneur de Preſſigny âgé de 12. à 13. ans par la main dudit Seneſchal de Poitou. Apres le Chancelier entra Iean de Fontenil Eſcuyer d'Eſcuyerie & Capitaine de Laon qui portoit en eſcharpe* VN MANTEAV D'ESCARLATE POVRPRE' FOVRRE' D'ERMINES, QVI ESTOIT LE MANTEAV DV ROY.

Porro Pàllium iſtud Regium villoſa muris Pontici pelle ornatum, quemadmodum & veterum Regum Perſarum veſtimentum μεσόλευκον rectè dici poteſt, cum hoc tamen diſcrimine, quod Perſicum erat Album maculis rubeis diſtinctũ: Francicum vero Album quoque, ſed notis nigris variegatum. Mus enim Ponticus toto corpore pellem geſtat albiſſimam, & caudam in extremitate nigram, vt admoneantur Reges, inquit Ludouicus Aurelius, nihil eſſe tam proſperum, vt non habeat aliquid aduerſi.

Iam vero quemadmodum Cancellario, Paribus Franciæ laicis & Præſidibus infulatis illa veſtimenta & ornamenta geſtare ab Inſtitutoribus Regibus conceſſum eſt; ita Rectori & Procuratoribus purpureas veſtes & Rhenones pellitos atque Collaria ſimili modo pellibus ornata geſtare proculdubio à Regibus conceſſum eſſe nemo negauerit. Nam eiuſmodi ornamenta, quæ prorſus Regia ſunt, abſque licentia Regis aſſumere extremæ fuiſſet audaciæ & temeritatis. Adde quod Inſtitutoris eſt non modo ſtatum dare, ſeu in ſtatu collocare, ſed ea quoque quæ ad ſtatus dignitatem pertinent, concedere & Inſignia quædam honorifica ad diſcrimen cæterorum aſſignare, vt in omni paſſim Regno & Republica obſeruare facile eſt. Sed ad Robertum redeamus.

Burſariorũ Inſtitutio.

Certè ſi non inſtituit Collegia puerorum alimentariorum quos, vulgo *Burſarios* appellamus, eorum ſaltem inſtituendorum poſteris exemplum & occaſionem præbuiſſe videtur: nam quandiu vixit, certum eorum numerum ſumptibus ſuis ſuſtentauit: imo & cauit ne poſt mortem iis alimenta deeſſent. Audiamus Helgaldum Floriacenſem Monachum, ipſi notum & chariſſimum. Sic in Epitome vitæ ipſius habet. *Item centum* CLERICIS PAVPERIBVS *Præbendam panis piſcis & vini concedebat, duodecim vnumquemque eorum honorans denariis, corde & ore Dauidicos ſemper decantans Pſalmos. Poſt menſam vero præparans ſe ad Dei ſeruitium Rex humilis ponebat veſtimenta ſua indutus ad carnem cilicio, adiunctoque* CLERICORVM COLLEGIO *centum ſexaginta & eo amplius numero ad exemplum Domini eorum pedes*

lauans

lauans Capillis capitis ſui tergebat, & ad mandatum Domini ſingulos eorum duobus ſolidis remunerans Clero præſente & Diacono adſtante qui lectionem legeret ſecundum Ioannem in cœna Domini dictam & factam.

Collegium vocat *Clericorum Pauperum*, vt intelligamus fuiſſe eos ab hoc Principe certo loco certoque numero Regiis ſumptibus alitos & ſuſtentatos, quorum tamen ipſe numerum augebat aut minuebat prout expedire videbat. Cui quidem Collegio legimus apud eundem authorem à Principe fuiſſe adſcriptum Oggerium quendam Clericum Lotharingium. *Eum*, inquit, *nimia bonitate ſuſcipiens ſuo Sanctorum Collegio ſociauit Clericorum.*

Ac ne minueretur numerus quem inſtituerat, cauit vt vno moriente alius in locum defuncti ſubſtitueretur, & ex ærario annonam acciperet. Quo pertinent hæc eiuſdẽ authoris verba. *Morituris his fortis erat prouiſa, ne quis minueretur de numero, eratque eis viuorum ſucceſſio & apud Deum tanti Regis oblatio.* Quod ipſius inſtitutũ in gratiã pauperũ Scholarium tam gratum fuit, vt cum eius corpus Meliduno in Baſilicam B. Mariæ & inde ad D. Dionyſij tumulum elatum eſt, innumerabilis eorum confluxerit numerus ad funus eius proſequendum teſte eodem authore. *Pariſius deportatus apud S. Dionyſium iuxta Patrem ſuum ſepelitur ante altare ſanctæ Trinitatis. Fuerat ibi ingens luctus, intolerabilis dolor dum, Monachorum ingemiſcens turba pro abſentia tanti patris*, CLERICORVM INNVMERABILIS MVLTITVDO *ærumnas ſuas ab ipſo ſancto Patre piè releuatas dolens: viduarum & orphanorum infinitus numerus beneficia ab ea percepta deplorans dabat voces ad cœlum immenſas.*

Et hinc fortè ſumenda eſt origo conſuetudinis quæ adhæc noſtra tempora ſeruatur in Vniuerſitate, funus ſcilicet Regum cum cæteris vrbis ordinibus proſequendi. Non crediderim quidem initio ſcholares certo ordine proceſſiſſe, poſtea verò, ne confuſio in deductione accideret, inſtitutum fuiſſe vt Vniuerſitas certam ſtationem, certumque in procedendo ordinem teneret. Qua de re diximus in ſynopſi primi ſeculi. Addamus hîc quæ ſcribit Tillius lib. 2. de reb. Gall. vbi de obitu, exequiis, ſepulturaque Regum & Reginarum Galliæ fusè agit. *In decreto Parlamenti*, inquit, *relato in acta die 20. Nouemb. an. 1380. narratur in funere Caroli V. Regis tumultum fuiſſe à ſtudioſis excitatum, eo quod Rector Academiæ eodem ordine cum Epiſcopo Capitulum ſuum deducente voluerit procedere: ſed hæc rixa compoſita eſt; nam Rector ad dextram è regione illius incedit, & Decanus Eccleſiæ Pariſienſis ad ſiniſtram. Summus Eleemoſynarius & Magiſter Oratorij, niſi ſint Antiſtites, in eleemoſynariis procedunt vltimi: quod ſi Epiſcopi ſunt, in Epiſcoporum ordine: ſi Abbates, inter Abbates debent procedere.*

Denique boni huiuſce Principis pia facta hoc epigrammate complectitur Verſificator illorum temporum non inelegans.

Maior cura boni eſt fratrum releuare labores,
Et fieri optatum triſtibus auxilium.
Paſcere ieiunos, nudos veſtire, ligatos
Soluere, diſcordes conciliare ſibi.
Et quæcunque homines miſeri ſolatia quærunt,
Hæc vt poſſibile eſt promere corde pio.
Vt recti verè cupidus veréque benignus
Quæ mala ſunt fugiat, quæ bona ſunt faciat.

Verum contra id quod de Alimentariorum Collegio diximus, exiſtimant aliqui Helgaldum non de Clericis *Scholaribus*, ſed dè Clericis Sacræ Capellæ loqui, quorum conſortio certum eſt Robertum fuiſſe maximè delectatum. Fatemur quidem nomen *Clerici* tam Regiæ Capellæ Miniſtris, quàm ſcholaribus & aliis Clericali militiæ adſcriptis tum conueniſſe. Fatemur quoque Robertum ſæpe cum Capellanis Clericis Capellæ ſuæ Horas diurnas nocturnaſque cantare ſolitum. At nihil vetat quominus ſelectos Scholares ad id quoque muneris adhiberet, & quin iſti ſimul Capellæ Miniſtri eſſent & ſcholas frequentarent: vt & hodie frequentare poſſunt, idque infra patebit exemplo Ludouici IX. qui Alimentarios eiuſmodi de Collegio Bonorum Puerorũ ad ſacrum officium peragendum aduocabat. At quæ ſequentur, euincunt Helgaldum loqui de Schularibus.

1. Enim nomen ipſum *Clerici* fauet, nam licet cõmune ſit & Capellanis & Eccleſiaſticis, tunc tamen Antonomaſticè tribuebatur Scholaribus, vt vel hoc

vnico exemplo patet Rodulphi, qui vt ait Ordericus Vitalis ad an. 1050. *Clericus cognominatus eſt, quia peritia litterarum aliarumque Artium apprimè imbutus fuerat.*

2. Clericos illos indicat magno fuiſſe numero: at nemo, in hiſtoria verſatus dixerit ſacræ Capellæ Clericos tam multos tum fuiſſe, cum vix in tota vrbe Pariſienſi tot eſſent Clerici Eccleſiaſtici, quot in eo Collegio contentos fuiſſe ſcribit. Itaque cum idem ait *innumerabilem Clericorum multitudinem* Roberti funus deduxiſſe, id certè neque de Clericis ſacræ Capellæ, neque de Clericis Eccleſiaſticis intelligi poteſt, ſed de Scholaribus.

3. Idem indicat Robertũ inſtituiſſe *Collegium Pauperum Clericorum.* At id Regiæ Cappellæ Miniſtris nullatenus cõuenit, qui vulgo nobiles erant: Alimẽtariis verò ſeu Burſariis rectè, qui vulgo Pauperes Clerici pauperesque ſcholares appellatur.

4. Innuit Robertum cauiſſe de reditibus pauperum illorum ſuſtentationi applicandis, prouidiſſeque vt certus eorum numerus retineretur. At ſub conſecutis Regibus nihil tale de Collegio Miniſtrorũ Cappellæ legimus: de Alimentariis verò nullatenus dubitari poteſt: ſiquidem Ludouicus IX. cognomine Sanctus teſte Gaufrido de Bello-loco eius Confeſſario, *Conuocabat pluries in anno Clericos electos & gratioſè cantantes, & maximè* DE BONIS PVERIS, QVI IN SANCTA CONGREGATIONE PARISIVS *morabantur: quibus in receſſu denarios erogabat, iiſque magna ex parte anni* IN STVDIO *ſuſtentabantur.* Quæ verba Gaufridi ita conſonant cum iis quæ ex Helgado de Clericis à Roberto ſuſtentatis retulimus, vt idem planè Collegium Pauperum ſcholarium, eademque Congregatio à Roberto ad Ludouicum vſque perſeueraſſe videatur, quæ liberalitate Boni Principis magna ex parte anni *in ſtudio* ſuſtentabatur: niſi quod forte non vno in loco, ſed in pluribus collocata eſt: vnde Ludouicus nonnullos electos, quos gratioſè cantare nouerat, euocabat.

At quo in loco, quæret aliquis, Collegium iſtud Robertus collocauit? difficile dictu eſt: ſi quid tamen in tam remota antiquitate augurari licet & ſuſpicari, illud in Luparæa regione ad D. Nicolai & D. Honorati ſacras ædes conſtituiſſe credibile eſt: forte etiam prope Atrium Baſilicæ Pariſienſis. Certè duo illa Collegia, *Bonorum* ſcilicet *puerorum* S. Honorati & S. Nicolai de Lupara omnium Pariſienſium antiquiſſima eſſe reputantur.

Bonorum quidem puerorum S. Honorati meminit Gaufridus loco ſupra citato. Et præterea in teſtamento Ludouici IX. ante an. 1270. condito. *Item pauperibus Scholaribus S. Honorati Pariſius 10. libras.* de quo Collegio Iacobus Maſerius Procurator nationis Gallicanæ ſcribens ad non. Iunias an. 1526. ait illud fuiſſe primitus fundatum Pariſiis. *Non minis territi aut allecti fauore, moti ve extremo odio Iacobum Maſerium Pariſienſem actu iuuenes in celebratiſſimo Bonorum puerorum Muſæo Pariſius primitus fundato à multis iam annis edocentem elegerunt Procuratorem.*

Similiter Collegium S. Nicolai de Lupara antiquiſſimum eſſe conſtat. In libro Rectoris legitur inter Acta an. 1345. hic titulus *de Lupara optimè reſtituta.* Et ex iiſdem Actis intelligimus Præpoſitum Pariſienſem cum 4. ſatellitibus ſatisfacere coactum fuiſſe Rectori ob malè tractatos ſcholares Luparenſes, Regemque ipſum mille libras emendis prædiis tribuiſſe, centum præterea libellas ad reſarcienda damna Collegio illata. Natio Gallicana an. 1420. per ſuum Procuratorem M. Petrum de Credulio fortiter conteſtata eſt, *quod Collegium S. Nicolai de Lupara erat Collegium antiquius fundatum Pariſius,* & ad ſe pertinere ſuſtinuit ei Gymnaſiarcham præficere Burſarioſque ſubſtituere. Vnde Petrus de Villaribus Procurator eiuſdem Nationis in actis diei 5. Feb. an. 1421. ſic ſcribit. *Supplicaui quod Natio vellet me recommendare D. Epiſcopo Pariſienſi & quod in caſu quod in Collegio S. Nicolai de Lupara prouideretur de alio Adminiſtratore, quàm de illo qui pronunc eſt, quod natio vellet ſupplicare D. Epiſcopo Pariſienſi, quod de Magiſterio dictæ Domus D. Epiſcopus vellet mihi prouidere: qua ſupplicatio in forma fuit conceſſa.*

His adſtipulatur Brolius Monachus San-Germano-Pratenſis l. 3. Antiq. Pariſienſ. de antiquitate huiuſce Collegij ita ſcribens. En l'Egliſe & ceinture de
» S. Nicolas du Louureil y auoit anciennement exercice des Lettres, & des Eſ-
» choliers rentez, que nous appellons Bourſiers, leſquels Iean du Bellay 104. Eueſ-
» que de Paris erigea en Chanoines, & doiuent eſtre neuf auec vn Preuoſt pour
» Chef: nous n'auons pû ſçauoir la fondation de cette Egliſe, tant pour ſa gran-

Digitized by Google

de antiquité, qu'auſſi par la negligence de ceux qui en ont l'adminiſtration & gouuernement, bien que i'en aye fait par mes amys beaucoup de diligence.

An non ea eſt S. Nicolai quam conſtruxit Robertus in Palatio, de qua ſic habet Helgaldus in eius vita? *Inciuitate Pariſius Eccleſiam in honore S. Nicolai pontificis in Palatio* ædificauit & *Monaſterium S. Germani Antiſſiodorenſis*. At quo in Palatio? in eo certè quod ipſe conſtrui iuſſerat, ſeu potius reædificari, quodque hodie Luparam dicimus, & de quo loqui videtur Helgaldus alio loco. *Palatium inſigne, quod eſt Pariſius ſuo conſtruxerant iuſſu Officiales eius*. Neque enim loquitur de Palatio in Inſula ſito, quæ ſedes fuit Regum vetuſtiſſima, longè ante Robertum condito, cui contigui erant horti Palatini eo loco qui hodie Forum ſeu *Platea Delphinica* vocatur: ſed de alio quod die ſancto Paſchæ dedicauit, ſumpto primum in eo prandio Regio, vt docet Helgaldus. Neque vero Eccleſiam S. Nicolai in Palatio veteri à Roberto ædificatam fuiſſe veriſimile eſt, cum Ludouicus Craſſus, qui poſt centum ab eo circiter annos regnauit, vnam huius nominis in eo ædificarit: quod certè non feciſſet, ſi iam à Roberto conſtructa fuiſſet.

Nec refert quod ſcribit Helgaldus Eccleſiam illam S. Nicolai ædificatam fuiſſe in ciuitate Pariſienſi: nam ſæpe ſuburbana ædificia vrbis appellatione comprehenduntur, ſicut qui in ſuburbio habitat, Pariſiis habitare cenſetur & dicitur. Adde quod idem Author ſubiungit ſimiliter in eadem ciuitate conſtructum fuiſſe Monaſterium S. Germani Antiſſiodorenſis, quod tamen certum eſt tunc extra vrbem fuiſſe. Tota autem illa Regio Luparæa propter Regiam ſuburbanam vocabatur Palatium, & quæ ibi erant aliæ Domus, in Palatio ſitæ dicebantur, licet propriè in Palatio non continerentur: ita S. Nicolai Eccleſia in Palatio ædificata dicitur, quæ forte intra ambitus Domus Regiæ non continebatur; Imo neque forte Domus illa Regia Roberti temporibus cincta erat vllo murorum ambitu: ſiquidem legimus Ludouicum Craſſum poſt centum circiter ab eo annos, illam muro circumcluſiſſe ad excipienda Nobilium Clientum ſacramenta profeſſionemq; fundorum, quos Regiæ Domui iure clientelæ obſtrictos tenebãt.

INSTITVTIO PARIVM FRANCIÆ.

Admonet nos hîc de fundis Clientelaribus ſermo, vt de inſtitutione Parium Franciæ hoc loco agamus: quam non communior quidem, ſed ſanior authorũ ſententia Roberto attribuit. Non cõmunior inquam, tota enim fere Scriptorum cohors eam Carolo M. adſcribit, aiens Carolum M. & 12. Pares ab ipſo inſtitutos in Ronceuallenſi Campo à perfido Ganelone fuiſſe proditos. Vincentius Lupatus c. de Franciæ Paribus ſic habet. *Carolus ille qui ob rerum à ſe geſtarum gloriam Magni cognomen habuit, delectiſſimorum prudentiſſimorumque 12. Franciæ Procerum ſodalitium inſtituit, qui proximâ ſecundum Regem, ac velut pari, vnde nomen haberent, dignitate eſſent*. Aliqui Ludouico Iuniori tribuunt inſtitutionem eiuſmodi, quia de Paribus in eius inauguratione mentio fit. Alij eam à Longobardis repetunt, apud quos Pares Curtis ſeu Curiæ reperiuntur. Paſchaſius l. 3. Inquiſitionum c. 4. triplicem commemorat eodem fere tempore à diuerſis Principibus inſtitutum fuiſſe ordinem: nimirum Electorum Imperij, 12. Parium Franciæ, & Cardinalium Eccleſiæ Romanæ. De Electoribus ab Othone III. inſtitutis diximus ſupra: de Cardinalibus infra dicemus: nunc de Paribus quos ille l. 2. c. 10. à Hugone Capeto vult fuiſſe inſtitutos. De quibus quoque fusè agit Tillius l. 2. Comment. & Claudius Falcetus, Hotomanus & Andreas Fauinus, qui Robertum Capeti filium dignitatis eiuſmodi authorem faciunt. Quod vt pateat, res paulò altius repetenda.

Antiquitus Reges primæ & ſecundæ ſtirpis Ducibus & Comitibus ſuis Prouincias regendas dabãt ad certum tempus, aliis in quinquennium, aliis ad vitam. Primus hanc conſuetudinem magno Reipub. Gallicanæ damno infregit Ludouicus Pius Caroli M. Filius, qui perpetuas fecit & hæreditarias. Vnde eum malè geſtæ rei arguit Theganus. *Ludouicus*, inquit, *in tantum largus fuit, vt antea nec in antiquis libris nec in modernis temporibus auditum eſt, vt villas Regias quæ erant ſui, & Aui & Tritaui fidelibus ſuis tradidit eas in poſſeſſiones ſempiternas &*

præcepta conſtruxit & annuli ſui impreßione cum ſubſcriptione manu propria roborauit: Carolus Caluus paternum ſecutus exemplum, vt ſibi Nobilium opes & auxilia deuinciret aduerſus fratres, eaſdem prouincias, vrbes & oppida Clientelario hæreditatis titulo poſſidenda reliquit. Secuta deinde Normanorum irruptio, Regum crebra mutatio & ignauia ſecuros fecit poſſeſſores, & ita ſecuros, vt proceſſu temporis id beneficij à Regibus ſe olim accepiſſe obliti fuerint. Itaque cum Hugo & Robertus mandaſſent Adalberto Petracoricenſi Comiti Boſonis Vetuli filio, vt ab obſidione Turonenſis vrbis deſiſteret, interrogando per litteras vnde & per quem factus fuiſſet Comes, non eſt veritus inſolenter reſpondere, ſe ab eo factum à quo ipſi Reges facti fuiſſent, vt legitur in Chronico Ademari. *Cum eam vrbem obſideret, nequaquam Rex Francorum auſus eſt eum prouocare ad certamen, ſed hoc ei mandauit.* QVIS TE COMITEM CONSTITVIT? *& Adelbertus remandauit ei.* QVIS TE REGEM CONSTITVIT?

Ita Reges nomine potius quàm re Reges erant, videbanturque potius Regnum precario tenere quàm iure. Totam Aquitaniam hæreditario iure poſſidebant Duces ab an. 844. Burgundiam eodem Poſteri Roberti Fortis, quem à Normanis occiſum fuiſſe diximus. Neuſtriam ſeu Normaniam proprio quoque iure Duces Normanorum. Flandriæ Comitatum à temporibus Calui Balduinus cognomento Bracchio-Ferreus, eiuſque poſteri tenebant. Toloſanum ſimiliter & Campanum Comites hæreditarij. Ad reducendas paulatim partes iſtas ad Regni Corpus, vnde diuulſæ fuerant, Robertus amore potius quam vi vtendum ſibi eſſe exiſtimauit. Conſilium enim Sacratius & Secretius compoſuiſſe dicitur ex 12. viris quos in eo paris authoritatis eſſe voluit, indeque nomen Parium inualuit: quorum ſex fuerunt Laici, nempè 3. Duces, Burgundus, Aquitanus, Normanus. 3. Comites, Flander, Campanus & Toloſanus. Sex alij Eccleſiaſtici, quorum ſimiliter tres vocati ſunt Duces, Remenſis, Laudunenſis & Lingonenſis: tres alij Comites, Bellouacenſis, Catalaunenſis & Nouiomenſis. De quibus extant bi duo verſus.

No. Cata. Belua. Tolo. Campania, Flandria ſunt Co.
Lingo. Remi. Laudu. Nor. Aqui. Burgundia ſunt Du.

Id eſt *Nouiomagum, Catalaunum, Beluacum. Toloſa, Campania & Flandria ſunt Comitatus. Lingonum verò, Remi, Laudunum, Normania, Aquitania & Burgundia ſunt Ducatus.*

Huiuſce inſtitutionis duæ præcipuæ cauſæ referuntur. Vna iudiciorum publicorum exercitatio, altera Regum inaugurario. Antiquitus teſte Tillio ſub Regibus primæ & ſecundæ ſtirpis Parlamenta Regia ex Clericis & Laicis officiis conſtabant, ſequebanturque veſtigia principum, vnde & Ambulatoria dicta. Nec erat certus eorum numerus, omnes enim Galliæ Antiſtites aut comitantes Regem aut accerſiti, ad Parlamentum pertinebant, inquit Tillius, & cum primùm illi confirmabantur, à Rege diploma accipiebant, vt ipſi eſſent à Conſiliis: hinc hodie etiamnum Conſiliarij Regis appellantur. Quotannis vero mittebantur bini in prouincias; vnus Antiſtes, alter Dux aut Comes: vt minores cauſas illic iudicarent: quibus adiungebatur Vicarius Comitis Palatij. Parlamenti vero Regij Rex ipſe Caput erat, & ſecundum Regem Comes Palatij.

Comitem iſtum Palatij Hugo Capetus ſuſtuliſſe dicitur, Parlamentumque Regium ex Antiſtibus, Baronibus, Libellorumque Supplicum Magiſtris compoſuiſſe, quod in Comitatum Regis ſummam iuriſdictionem habuit vſque ad Philippum Valeſium, qui Parlamentum voluit in Regio oppido Lutetiæ conſiſtere comprehenſis 12. Paribus Franciæ & octo Libellorum ſupplicum Magiſtris. Hæc Tillius.

Andreas vero Fauinus diſtinctè primos Pares à Roberto creatos & inſtitutos enumerat: ait enim primum omnium hoc nomine donatum fuiſſe Henricum filium Maiorem Burgundiæ Ducem. Hincque accidiſſe, vt Burgundiæ Duces ſe Parium Decanos iactitarent. 2. Richardum II. Normaniæ. 3. Guillelmum III. cognomento *Teſte d'eſtouppe* Aquitaniæ Duces. 4. Guillelmum III. Toloſæ. 5. Balduinum IV. Flandriæ. 6. Hebertum Campaniæ Comites: qui omnes è præcipua & primaria Nobilitate orti Robertum conſanguinitate attingebant.

Idē ſcribit Richardi II. Normanorū Ducis Cauſam de Caſtello Druidenſi contra Odonem Campaniæ Comitem primam fuiſſe ab iſtiuſmodi Parium conſeſſu iudicatam. Extat apud Fulbertum Epiſtola Odonis ad Robertum Regem, qua indicat ſibi fuiſſe diem dictam à Richardo apud Conuentum Parium, & multa continet notatu digna. Sic ergo ſcribit. *Comes Richardus tuus Fidelis monuit* me venire ad iuſtitiam, aut ad concordiam de querelis quas habebat contra me. Ego vero miſi cauſam hanc totam in manu ipſius. Tum ille ex conſenſu tuo conſtituit mihi placitum quando & vbi hoc perfici poſſet. Sed inſtante termino, cum ad hoc peragendum paratus eſſem, mandauit mihi ne me fatigarem ad condictum Placitum veniendo: quia non erat tibi cordi aliam iuſtificationem ſiue concordiam recipere, niſi hoc tantum vt faceres mihi defendere, quod non eſſem dignus vllum beneficium tenere de te. Nec ſibi competere dicebat vt me ad tale iudicium exhiberet, Sine Conventv Parivm svorvm. Hæc cauſa eſt, cur tibi ad Placitum non occurri. Sed de te Domine mi, valde miror, qui me tam præproperè cauſâ indiſcuſſâ tuo beneficio iudicabas indignum. Nam ſi reſpiciatur ad conditionem generis, claret Dei gratia quod hæreditabilis ſim. Si ad qualitatem beneficij quod mihi dediſti, conſtat quia non eſt de tuo Fiſco, ſed de his quæ mihi per tuam gratiam habui, quomodo tibi ſeruierim domi & militiæ & peregrè. At poſtquam tuam gratiam auertiſti à me, & honorem quem dederas, mihi tollere niſus es, ſi me & honorem meum defendendo aliqua tibi ingrata commiſi, feci hoc laceſſitus iniuriis & neceſſitate coactus. Vnde ſuppliciter exoro Clementiam illam quæ tibi naturaliter adeſt, ſi maligno conſilio non tollatur, vt iam tandem à perſecutione mea deſiſtas, meque tibi ſiue per Domeſticos tuos, ſeu per manus Principum reconciliari permittas.

Regum exemplum ſecuti Comites quoque & Duces in ſuis Ditionibus eiuſmodi Pares inſtituerunt, alij plures, alij pauciores ad diiudicandas Clientum ſuorum ſeu vaſſallorum lites. Et illi dicebantur Pares Curiæ V. G. Flandricæ, Burgundicæ, &c. Similiter Otho Friſinghenſis l. 1. de Geſtis Friderici, c. 31. ait Principem iuxta conſuetudinem Gentis conſuluiſſe plures è ſuis Paribus, qui Germanicè teſte Falceto vocantur *Heulent*, & Latine Pares Curiæ.

Altera cauſa inſtituendorum Parium fuit, vt Regum ſolemni ſacro & inaugurationi adeſſent, officiumque ibi ſinguli, quod ſibi præſcriptum erat, obirent: & ea in re omnibus aliis Antiſtitibus Baronibuſque anteponerentur; quemadmodum in Curia Parium, puta in Parlamento cum agitur de iudicio exercendo aut de conſilio publico Regi dando, aut in ſupplicationibus à Parlamento factis præeunt omnibus aliis cuiuſcumque dignitatis ſint: vt decreto an. 1516. 16. April. latum eſt, quo iudicatum eſt Lingonenſem Epiſcopum Franciæ Parem Archiepiſcopo Lugdunenſi aliiſque Antiſtibus qui Pares non erant, prælatum, vt refert Tillius libro citato.

Quandonam verò primum Pares illi Sacris Regum inaugurationibus intereſſe cœperint, non conſtat. Fulbertus Carnotenſis Ep. 59. ad G. Coëpiſcopum videtur innuere vocatos fuiſſe ad conſecrationem Henrici filij Roberti, de quo ſupra. Sic enim ſcribit. *Rogo veſtram Charitatem dilectiſſime, vt vice mea ſuadeatis domno Archiepiſcopo Remenſi cæteriſque Primoribus, ne qua occaſione differant benedictionem iuuenis ſupradicti.* At Tillius euincit Conſecrationi Philippi 1. an. 1058. non interfuiſſe Epiſcopum Bellouacenſem, nec Ducem Normaniæ, nec Campaniæ Toloſæque Comites: cæteros vero *Paris* nomine inſignitos, non vt Pares habitos, ſed vt Antiſtites & Barones.

Itaque ſic ſentit, Philippi Auguſti conſecrationi an. 1179. tum primum interfuiſſe, cum Ludouicus Pater attribuit Eccleſiæ Remenſi prærogatiuam ſacrandi & coronandi Reges antea controuerſam, inſtituitque Pares 12. tum ad ea ſacra & coronationes, tum ad iudicandum cum Rege in Parlamento de cauſis maximis: quod Parlamentum, inquit, quia Pares ex priuilegio alibi non poſſunt iudicare, honoris ergo dicitur Cvria Parivm, et ipsi pares Cvriæ Gallicæ. Qui plura volet de Paribus, adeat Paſchaſium & Tillium locis citatis. Non poſſum tamen hoc loco præterire ea, quæ habet in hanc rem Hotmannus in ſua Franco-Gallia c. 14.

Supereſt, inquit, vt de iis Magiſtratibus diſſeramus, qui vulgo Pares Franciæ nominantur, quanquam Nobis quidem non ſtudium, ſed monimentorum Facultas deeſt. Nam ex tanto librorum numero qui Franco-Galliæ Annales & Chronica dicuntur, ne vnus quidem extat, in quo probabilis aliqua illius inſtituti ratio proferatur. Quod enim Gaguinus & Paulus Æmilius non tam Regum Gallorum quam Paparum Hiſtoricus & alij peruulgati ſcribunt, Magiſtratus illos vel à Pipino vel à Carolo M. inſtitutos fuiſſe, id planè abſurdum eſſe vel hinc licet intelligatur, quod ex tam multis Germanis Hiſtoricis, qui Regum illorum ætate, aut paulo infra eorum ætatem Hiſtorias ſcripſerunt, nullus plane Magiſtratuum illorum mentionem vel tenuiſsimam interponit. Quin etiam Aimoini de Francorum inſtitutis & rebus geſtis Hiſtoria vſque ad Ludouici Iunioris Regis 37. ætatem perducta nuſquam horũ Parium mentionẽ facit. Quare tantiſper dum certius aliquid afferatur, inſtitutum ad Hugonis Capeti Regnum referẽdũ arbitrabor: qui cũ remoto hærede legitimo Regnũ occupaſſet, Proceres aliquot nouo aliquo honore ac beneficio ſibi deuinciendos putauit, nam eiuſmodi aliquid ab illo factum omnes conſentiunt. Ejus autem inſtituti exemplum facile intelligitur ex Feudali iure ſumptum fuiſſe, quo iure Vaſſalli, qui ab eodem Seniore ac Patrono feuda receperunt, Pares inter ſe, hoc eſt quaſi ὁμότιμοι appellantur: quorum triplex hæc poteſtas eſt. 1. vt qui in Vaſſallorum ordinem cooptantur, pro eorum Collegio cooptentur. lib. Feud. 2. tit. 2. tum vt rogati teſtimonium de Inueſtitura dicant l. 2 tit. 19. poſtremò vt ſi qua vel inter ipſos vel inter Seniorem & ipſos controuerſia exoriatur, ipſi iudicium & Ciuile & Criminale exerceant. l. 2. & tit 52. & tit. 55. Et profecto ita eſt. Vt Parès Franciæ hoc iure ſint: primum vt neque inaugurari niſi pro Collegio, neque abdicari niſi cauſa in Conſilio cognita, neque ad aliud vllum niſi ad Collegarum iudicium vocari poſſint: quanquam Pariſienſis Senatus hanc ſibi authoritatẽ aſciuit, vt Pares cauſam apud ſe dicere iubeat. Ac Budæus quidem vir longè doctiſſimus Pares illos Patritiorum nomine appellat: ſcribitque videri ſibi ab vno aliquo Rege inſtitutos ex eorum numero, qui Germanicum Imperium obtinuerunt: propterea quod Iuſtinianus Patres eos ab Imperatore delectos eſſe ait; quaſi Reip. Patronos Tutoreſque. Ego vero doctiſſimi viri ſententiam non aſpernor, præſertim à Parium dignitate non alienam. Fuit enim Rom. Imperatorum poſteriorum ætate Patriciatus dignitas ab illa Parium non admodum diſſimilis: partim quod Reipub. quodammodo Patres erant, vt Suidas teſtatur, & de ſummis quibuſque rebus ab Imperatore conſulebantur; inſignibuſque iiſdem quibus Conſules, vtebantur: ac maiorem quidem Præfecto Prætorio, minorem autem Conſule honorem atque authoritatem habebant. Quod ex Iuſtiniani Nouellis & Sidonio Apollinari & Claudiano & Caſſiodoro præſertim cognoſci poteſt. Sed translato in Germanos Imperij nomine vſurpatum hunc honorem non arbitror: neque veriſimile eſt vllos eiuſmodi Patricios ab aliquo Germanico Imperatore, qui idem Franco-Galliæ Rex eſſet, inſtitutos fuiſſe, vt non aliquis ex Germanicis Hiſtoricis eius mentionem feciſſet. Denique idem Budæus eodem loco hæſitans commemorat eiuſmodi Parium dignitatem apud cæteras quoque vicinas Gentes fuiſſe: atque in Regiis Commentariis ſcriptum eſſe an. 1224. Ioannem quendam Nigellanum Flandrum, cui controuerſia in Flandria illata eſſet, à Comitiſſa Flandriæ Pares Franciæ appellaſſe: quod ſe æquo iudicio apud Pares Flandriæ certare non poſſe iuraſſet. Cumque à Comitiſſa ad Parium Flandriæ iudicium reuocaretur, tandem certis de cauſis decretum, vt ea controuerſia ad Pares Franciæ introduceretur. Cauſa autem tranſlatii iudicij cuiuſmodi fuerit, neque Budæus exponit, & qui in iure feudali verſatus eſſet, nunquam prætermiſiſſet.

Verum vt iam huius Magiſtratus inſtitutum paulò planius ac certius exponamus, primum omnium vt iam ante dixi, conſtare inter omnes arbitror nullam Pariũ nominis neque apud Germanos, neque apud Gallos Hiſtoricos ante Capeuingiorum Regum mentionẽ inueniri. Sed quoniam eruta quædam nuper vetuſtatis monimenta video, atque in lucem edita, in quibus illorum Parium iura non minima ex parte deſignantur, operæ pretium eſſe arbitror, quæ ex illis Commentariis obſeruauimus, breuiter exponere: idque eo lubentius quod ab eo ipſo à

quo illi Commentarij nuper euulgati ſunt, in aliam partem ac veritas & ratio poſtulat,cõtorquentur. Ergo eorum quidem inſtituendorum cauſam duplicem video fuiſſe. 1. vt Regis inaugurationi, atque vt tũ loquebantur inueſtituræ præeſſent, hoc eſt vt Regem Imperij ſui Inſignibus atque Infulis ſolemniter in Principum atque Optimatum Conuentu exornarent. Deinde vt ſi quis è Potentium & Principum Franciæ numero fraudis Capitalis reus fieret,iudicium illud exercerent. Nam eum antiquitus ea iudicia in publico Gentis Concilio exercerentur,atque is mos Maiorũ paulatim Capeuingiorum inſtituto ad Iuridiciale Parlamentum de quo poſterius dicemus, traduci cœpiſſet; neque Principes Regni facilè illi Parlamento ſuas fortunas cõmittendas putarent, Regibus illis ad ſuas rationes commodiſſimum fore viſum eſt præter illius Parlamenti Curiam, ſuum hunc Parium Conſeſſum inſtituere, quæ Patrum Curia vocitata eſt: quorum tamen Ordo ac numerus aliquandiu varius fuit. Neque enim 12. viri ſemper fuerunt, vt eos ipſos à quibus hæc monumenta prolata ſunt, ariolari video: ſed interdum & pauciores erant, prout Regi à quo in ſummi honoris ac beneficij loco Magiſtratus ille deferebatur,commodum videbatur.

His inſignibus vetuſtatis teſtimoniis accedat etiam illud quod ex Commentariis an. 1360. prolatum eſt: vnde intelligi poteſt primum quod iam aliquoties diximus, certum quidem ac definitum Parium numerum non fuiſſe, ſed eius arbitrium ſummum penes Regiam poteſtatem fuiſſe: deinde honorem illum non Patriciatus, vt Budæus & Budæum ſecuti crediderunt, ſed Pariatus nomine appellatum fuiſſe. Quanquam poſterioribus ſeculis Paritatis quoque & ex Gallicæ linguæ conſuetudine Pariæ nomen illi tributum eſt. Verba autem illius Commentarij hæc ſunt. *Etenim huiuſmodi Ducatus* dignitatis nomine honorem ſuperaddentes honori,Parem Franciæ ipſum fecimus: ſtatuentes authoritate prædicta, vt ipſe quandiu vixerit in humanis & dicti eius hæredes maſculi de matrimonio legitimo procreati poſt eius obitum Duces Bituricenſes & Atuerniæ ac Pares Franciæ nominentur,omnique Ducatus & Pariatus honore eum nomine, iure, & quacunque aliâ prærogatiuâ lætentur.

Eiuſmodi ferè illud diploma eſt Ioannis ſub an. 1363. vbi honos ille non Patriciatus ſed Pariatus appellatur. *Ducatum Burgundiæ in Pariatu & quicquid iuris & proprietatis habemus in eodem nec non Comitatu Burgund.* ex ſucceſſione Philippi vltimi Ducis conſanguinei noſtri Chariſſimo Philippo filio noſtro conceſſimus tenenda & poſſidenda per eum & hæredes ſuos in legitimo matrimonio ex proprio corpore procreandos, perpetuò, hæreditariè, pacificè & quietè. Sed poſterioribus temporibus Paritatis & Pariæ verbum,vt ſuperius diximus, ex popularis linguæ conſuetudine vſurpari cœpit,vt ex Commentariis an. 1414. cognoſci poteſt, in quibus ita ſcriptum eſt. *Eundem Ioannem conſanguineum noſtrum* ampliori volentes fulgere dignitate & Comitis titulum ſupradictum in maiorem excelſioremque mutantes, dictum Ioannem conſanguineum noſtrum in Ducem tenore præſentium ſublimamus: dictumque Comitatum Alenconij erigimus in Ducatum, volentes vt prædictus Ducatus *in Perria ſeu Paritate* à nobis teneatur, ſub forma tamen & modis quibus antea idem Ioannes ſæpe dictum tenebat Comitatum.

Atque hæc quidem ex Commentariis Gallicis, vt dixi prolata ſunt: in quibus illud quoque notatione dignum eſt, quod dici & commemorari, video ſed tamen ſine teſte. Cum Dux Aremoricus læſæ Maieſtatis reus factus eſſet, magnopere quæſitum à quibus iudicium illud exerceretur. Ac tandem eum Philippus Audax Burgundus idem ex Rege quæſiſſet, Regem de Conſilij ſententia pronunciaſſe. *Parem non niſi in iudicium Parium adduci poſſe 6.* non. Mart. an. 1336. Ac ruſus Regi Carolo VII. quærenti à Senatu Pariſienſi apud quos Pares rei Capitalis Rei fieri poſſent, idem reſponſum 12. Kal. Maij an. 1458. quod, vt ſuperius dictum eſt, iuri Feudali conſentaneum eſt. Hæc Hotomanus.

Reſtat vt de ornamentis ipſorum & Inſignibus à Regibus conceſſis agamus. Primum quidem eſt veſtis purpurea, eaque duplex, rubri coloris & cærulei ſeu violacei: & vtraque Regum eſt, ſub duplici nomine & titulo; quatenus enim Reges ſunt & exercitibus præſunt, rubri coloris purpura eos magis decet; quæ

fuit etiam Imperatorum Romanorum; nec vlli eam geſtare licebat, niſi cui ipſius geſtandæ ius conceſſiſſent: eamque vocabant Purpuram Tyriam, coccineam & conchyliatã veſtem. Commodus ad Albinum his verbis vtitur apud Capitolinum. *Vt tibi inſigne aliquod Imperialis Maieſtatis accedat, habebis vtendi coccinei Pallij facultatem.* Monſtreletius ad an. 1422. vbi de funere Caroli VI. ait filium eius Carolum VII. induiſſe veſtem Talarem & pallium Coccineum pellibus murium Ponticorum munitum, quemadmodum Curiæ Senatores induere ſolent, *Il fut reueſtu d'vne longue robbe & Mantel d'Eſcarlatte rouge fourrée d'Ermines, ainſi que les Conſeillers de la Cour.* Et Alanus Quadrigarius in Chronico eiuſdem Caroli VII. deſcribens eiuſdem ingreſſum in vrbem Rothomagenſem & Guillelmi Iuuenalis de Vrſinis Cancellarij Franciæ habitum, ait eum fuiſſe veſtitum veſte Regia, nempe veſte longa, Capucio Pellito & Pallio Coccineo. Talem quoque veſtem geſtant Pares Laici ſeu Militares, Præſides infulati, ipſique etiam antiquitus Senatores Curiæ Pariſienſis: vt ex tabellis veteribus euincit Andreas Fauinus in lib. de Officiarijs Coronæ Franciæ.

Alterum Purpuræ genus, quod eſt cærulei ſeu violacei coloris, Regum quoque proprium eſt, quatenus ſunt ſacerdotes. Talis enim color proprius fuit olim Epiſcoporum & Sacerdotum Secularium, vt niger Monachorum teſte S. Hieronymo in Epitaphio S. Marcellæ, & in Ep. 22. ad eandem, & contra Iouinianum: nec alius adhuc videtur fuiſſe temporibus Orderici Vitalis qui ſequente ſeculo floruit: ſic enim ſcribit l. 8. hiſtor. Eccl. *Nigredo in pleriſque locis ſancta Scripturæ humilitatem deſignat; quem idcirco colorem Religioſorum feruor hactenus gratanter geſtat.* De Sacerdotali vero colore cæruleo ſeu violaceo atque etiam caſtaneo fusè agunt Baronius tom. 4 Annal. Eccleſ. ad an. 393. & Ioan. Fileſacus in Commentar. ad Vincentij Lirinenſis Commonitorium.

Cum ergo Reges nonnunquam Sacerdotes vocentur (Dauid enim Rex erat & ſacerdos, & Alcuinus Carolum M. vocat Dauidem; Fortunatus Childebertum, Melchiſedech, Regem atque ſacerdotem, & Gloriam Pontificum) & more Pontificum vngantur chriſmate in capite; ſint & dicantur primogeniti Eccleſiæ geſtentque ſub Pallio Regio Dalmaticam in ſua inauguratione, quæ propria Diaconorum eſt, ſintque quoque in plurimis Eccleſiis Canonici, vt Pictaui apud S. Hilarium, Turonis apud S. Martinum, Andegaui & Cenomani, primique Comites Eccleſiæ Lugdunenſis, non eſt dubium quin violacea veſtis hoc nomine propria illorum ſit. Vnde & illam in ſolemni ſua inauguratione aſſumunt, quia ibi præſertim Deo & Eccleſiæ fidem obligant.

Hinc ergo Pares Eccleſiaſtici geſtarunt Pallium eiuſmodi, Capucium ſeu Epomidem honorariam violacei coloris, pellibus quoque murinis munitam: quod ornamentum Rectori Vniuerſitatis conceſſum fuerat à Regibus: vt ſcribit Andreas Fauinus. *Quant aux Pairs d'Egliſe, ſe trouuans au Parlement, ils auoient par bienſeance & modeſtie leurs Manteaux & Chapperons d'Eſcarlatte Violette fourrez auſſi d'Ermines, habillement donné par nos Roys, aux Recteurs de l'Vniuerſité de Paris.*

Reſtat vt de Cardinalibus Eccleſiæ Rom. pauca dicamus, quorum inſtitutionem adhæc quoque tempora referunt Volaterranus & alij. Verum Volfangus Lazius l. 2. Commentar. Repub. Ro. c. 2. longè antiquiorem facit. Vult enim Cardinales presbyteros dictos Parochos Eccleſiarum vrbis Romæ in 14. Regionibus ſitarum, exiſtimatque id ita accidiſſe. Olim nempe regimen vrbis pertinuiſſe ad Præfectum, eũque in 14. eiuſdem Regionibus conſtituiſſe ſubiectos ſibi minores 14. Præfectos, qui Curatores Regionum dicebantur. Poſtquam vero Roma iuriſdictioni Eccleſiaſticæ ſubiacuit, tum à ſummis Pontificibus collocatos in ſingulis regionibus Parochos, qui ſacra facerent plebemque ſibi ſubiectam regerent, & illos nomen aſſumpſiſſe Præſidum Aſiæ qui *Cardinarij*, ſiue *Cardinales* vocabantur. Nec alios fuiſſe illos quàm Parochos Eccleſiarum; quarum titulos & nomina aſſumebãt, cùm Synodis ad quas à ſummis Pontificibus vocabantur, ſubſcribebant: illoſque etiam habuiſſe ſibi ſubiectos Diaconos in talibus Eccleſiis; & illos ſimiliter antiquitus ad Synodos & Concilia vocari ſolitos: vt multis exemplis confirmat iam inde ab. an. 390. quam in rem videndus quoque Paſchaſius l. 3. Inquiſition. c. 5.

Verum

Verum Cardinales eiuſmodi Preſbyteri & Diaconi non eam dignitatem & honoris Gradum tunc habebant, quem nunc habent. Cœperunt autem his maximè temporibus foris innoteſcere, cuius rei extat exemplum apud Glabrum Rodulphum: ait enim Legatum Cardinalem miſſum à Pontifice ad dedicandum Eccleſiam quam Fulco Comes Andegauenſis conſtruxerat. *Miſit cum eodem Fulcone ad prædictam Baſilicam ſacrandam vnum ex illis, quos in B. Petri Apoſtolorum Principis Eccleſia Cardinales vocant.* Deinceps ergo Cardinales eiuſmodi Sacratius Pontificis Conſilium compoſuerunt: & de his in poſterum fiet ſermo; quorum nulla hactenus mentio facta eſt. Sed ad hiſtoriam noſtram redeamus.

Succeſſit igitur Patri, prædicto anno 1030. Henricus 1. iam ante Rex creatus contra Matris voluntatem, quæ Roberto Iuniori magis fauebat. Vnde illa plurimum valens apud Maritum ita Henricum filium etiam Regem inauguratum depreſſit, vt à priuato nihil fere diſtaret. Cuius ſtatum breuiter deſcribit Fulbertus Ep. 4. & queritur apud Robertum, quod eum tam indignè tractari pateretur. *Cæterum ſereniſſimam pietatem veſtram appellamus pro eodem Rege filio veſtro, qui ſatis ſuperque deſolatus incedit. Neque enim in domo veſtra cum ſecuritate vel charitate licet ei manere, neque foris eſt ei vnde viuat cum honore Regi competente: vnde vos oportet aliquid boni conſilij reperire & illi impendere, ne deum ille quaſi peregrinus & profugus agit, paterni animi fama vobis depereat.* Ergo ſtatim poſt obitum Patris habuit cum Imperioſa Matre dimicandum: ſed cum eſſet in re militari exercitatiſſimus, manu promptus, conſilio prouidus, inconſtantem Conſtantiam ſua conſtantia ſuperauit, inquit author hiſtoriæ à Roberto ad mortem Philippi.

Eodem regnante an. 1031. 14. Kal. Dec. habitum eſt Concilium Lemouicenſe de Apoſtolatu S. Martialis, cui præſedit Aymo Bituricenſis Archiepiſcopus Gauzleni ſucceſſor, qui Kalendis Nouembribus eiuſdem anni Bituricenſem quoque in eandem rem habuerat ſynodum, & in ea decreuerat parendum eſſe litteris & mandato Ioannis Papæ quod ibi lectum eſt, Martialem Apoſtoli nomine donantis. Quam in rem extat hoc publicum ab eo editum inſtrumentum.

1031. *De Apoſtolatu S. Martialis.*

In Nomine Domini. Ego Aymo Archiepiſcopus anno incarnationis Dominicæ 1031. indictione 14. in Concilio Bituricenſi quod actum eſt Kalendis Nouembris cum conſenſu Coëpiſcoporum ſeu Abbatum & reliquorum fidelium qui præſentes affuerunt, decreui & authoritate propria firmaui, vt Priuilegium Domni Ioannis Romanæ ſedis Papæ, quod iſdem Domnus inſtituit & Epiſcopis, Abbatibus & reliquis fidelibus totius Galliæ miſit, inconuulſum & inlibatum permaneat, ſcilicet vt Beatiſſimus Martialis in numero Apoſtolorum tam in Litaniis quam in omnibus Diuinis officiis computaretur & eſſet nec immerito. Eſt quippe dignum, ſicut in geſtis eius reperimus inſertum, illum videlicet tam in cœna Domini, quam in paſſione nec non in reſurrectione, aſcenſione quoque præſentem adfuiſſe, & cum cæteris Apoſtolis Spiritum S. accepiſſe. Quia etſi reliquarum Gentium Apoſtolus non eſt, totius tamen Galliæ ad Chriſtum conuertendi princeps & Apoſtolus eſt. Hoc autem noſtrum edictum Epiſcopis, Abbatibus & reliquis fidelibus totius Aquitaniæ direximus, obſecrantes vt ſicut Priuilegium à ſede Apoſtolica delatum inuiolabiliter cuſtodiatur, & qui huic priuilegio Apoſtolico & noſtro edicto contrarius extiterit, contraire ſe nouerit præceptis Apoſtolicis & iram ipſius incurrere noſtri Redemptoris, cuius ipſe de quo loquimur, Apoſtolus Martialis inuincibilis extitit teſtis. Hæc ſunt nomina Epiſcoporum qui interfuerunt. Aymo Archiepiſcopus Bituricenſis, Iordanus Lemouicenſis, Stephanus Vallacenſis, Renco Aruernenſis, Amelius Albigenſis, Deus dedit Cadurcenſis, Regnamundus Mimatenſis.

Poſt 15. dies habitus eſt frequens Epiſcoporum conuentus apud Lemouices, dedicataq; eſt Baſilica Lemouicenſis: & ibi Aymo expoſuit, quid actum fuiſſet in Concilio Bituricenſi, vbi cum pluribus Epiſcopis *multa doctorum turba* interfuerat, qui hanc de Apoſtolatu Martialis *diſceptationem ſub magna diſcretione* examinantes inuenerant ſanum eſſe, quod Ioannes Papa inſtituerat, neminem enim denegate quin fuiſſet vnus de 72. quibus Dominus dixit, *Ecce ego mitto vos, ſicut agnos inter lupos.* Hunc autem Protoducem Galliæ ſemper plures antiquorum non cum Confeſſoribus, ſed cum Apoſtolis pronunciare viſos fuiſſe. Itaque inquit, *Plurima Doctorum Choro perſuadente coram omni populo in maiori Eccleſia Bituricenſi teſtimoniis*

perhibemus B. Martiali quia Apoſtolus veritatis eſt, curauimus enim ne Rom. Apoſtolicæ ſedis decreto & imperio repugnaremus.

Talis ergo fuit etiam ſententia Concilij: & quia nonnulli de Clero deque Canonicorum ordine parere recuſarunt, in eos, niſi Iordanus Epiſcopus obſtitiſſet, Aymo Archiepiſcopus Bituricenſis fulmina Eccleſiaſtica vibrare paratus fuit. Porro tota hæc Quæſtio pro fundamento factum ſupponebat, fuiſſe ſcilicet Martialem vnum e 72. Diſcipulis: atque eo ſuppoſito concludebant verè, non minus dicendum Apoſtolum quàm Paulum & Lucam qui de 12. Apoſtolis non fuerunt. At alij emunctæ naris aiebant ſententiam iſtam eſſe nouam & ab Hugone Abbate, Odolrico aliiſque Monachis inuentam. Noſtris quoque temporibus Ioannis Launoius inſignis Doctor Theologus, Antiquitatis ſcrutator diligentiſſimus non ante annum à Chriſto 900. prodiiſſe ſcribit: & ad ea vſque tempora veterem inualuiſſe, qua Martialis imperante Decio in Gallias veniſſe aſſerebatur ex Gregorio Turonenſi pluribus in locis, & veteribus Martyrologiis, atque idcirco nullatenus e 72. diſcipulis fuiſſe.

1032. Anno 1032. obiit Leothericus Senonenſis Archiepiſcopus Gerberti Aquitani in Remenſi ſchola olim Diſcipulus; cuius morte turbata eſt vehementer Eccleſia Senonenſis. Nam Henricus Rex Gelduinum ſucceſſorem deſignauit & Pariſiis 15. Kal. Nouemb. conſecrari curauit: populus verò cleruſque Senonenſis Mainardum clericum eiuſdem Eccleſiæ Theſaurarium elegit. Talis ſæpe illis temporibus inter Reges & Capitula Eccleſiarum Cathedralium contentio erat. Et hinc etiam ſæpe bella oriebantur, vt accidit huius electionis occaſione inter Henricum Regem & Odonem Campaniæ Comitem Mainardo conſanguineo ſuo fauentem. Sed anno tandem 1034 Gelduinus ope Regis in ſede ſua conſtituitur Eccleſiamque ſibi commiſſam regit 18. annos, & donec in Concilio Senonenſi an. 1051. Simoniacæ labis inſimulatus & conuictus de Pontificatu deiicitur à Leone Papa, conſentiente etiam Rege, gaudentibus clericis & plaudente populo. vt legitur in Chronico S. Petri Viui: eique Mainardus Trecenſis Epiſcopus ſubſtituitur.

Eodem anno Henricus Rex indulſit & conceſſit ſacro Canonicorum Baſilicæ Pariſienſis ſodalitio Eccleſias S. Stephani, S. Iuliani Martyris, vulgò *pauperis* dicti, & SS. Seuerini & Bachij tunc adhuc ſuburbanas, quarum aliquæ fuerant antiquitus Abbatiolæ, ſeu vt habetur in Charta Henrici, *Quarum quædam olim Abbatiarum dignitate ſublimatæ, & ideo receptaculum & ſtationem Congregationi Canonicorum præbentes S. Mariæ, ſed propter Regni perturbationem rebus conceſſis ſpoliatæ ſolitudini vacantes paruum aut nullum antiquæ poſſeſſionis retinebant ſtatum.* Eaſque ait ſe conceſſiſſe ad inſtantiſſimam Imberti Epiſcopi ſupplicationem, quem virum quanti faceret, ibidem innuit. *Sed quia apud nos pro ſuis meritis prædictus Epiſcopus erat magnus, eius voluntati nolentes aliquid derogare, conceſſimus eius petitioni prædicta loca regali præcepto & liberalitate, eo pacto & conditione, vt quandiu Giraldus Clericus earum poſſeſſor vixerit, ſine inquietudine per aſſenſum Canonicorum totius Congregationis teneat: & ibi pro remedio animæ meæ vel parentum meorum Canonici aggregentur, qui pro ſtatu & incolumitate Regni noſtri exorantes ad vtrumq; ſufficiant, ſcilicet & adſtationem more ſolito reddendam Eccleſiæ, & ad ſeruiendũ Cananicè valeant communiter agere.*

Hinc forte Eccleſia S. Iuliani Pauperis dicta eſt *filia Baſilica Pariſienſis*, vetuſtiſſima proculdubio Abbatiola: de qua Gregorius Turonenſis l. 9. c. 7. hæc habet. *His diebus Pariſius adueneram & ad Baſilicam B. Iuliani Martyris metatum habebam.* Eadem Comitiis Vniuerſitatis ab omni æuo deſtinata fuit, quippe commodiſſima conuentui Magiſtrorum tam in monte San-Genoueſiano, quam in atrio Baſilicæ locisque circumuicinis habitantium.

Idem Princeps eidem Eccleſiæ Pariſienſi conceſſit Abbatiolam S. Germani in Laya, eodem flagitante Epiſcopo. Videtur in Charta conceſſionis mentionem facere ſuæ in ſcholis clauſtralibus primæuæ educationis & inſtitutionis: ſic enim ille de Eccleſia Pariſienſi loquitur. *Sanctæ Matris ſupradictæ feliciter à cunabulis educatus vberibus innoteſcere decreui, vt Abbatiolam quandam in ſilua quæ Lea dicitur Patris mei Roberti clementia in honore S. Germani fabricatam S. Pariſiacenſi Eccleſiæ concederem.*

1033. Ad annum 1033. notant Hiſtorici tantam famem vbique fuiſſe, vt nulla vnquam vllibi terrarum maior extiterit: cuius mali cauſam naturalem Rodulphus

hanc affert, *aſſiduis enim imbribus ita compluta erat vniuerſa tellus, vt in ſpatio 3. annorum nulli reperirentur ſulci vtiles ſeminibus* Hugo Flauiniacenſis in Chronico Virdunenſi initium huiuſce cladis ſumit ab an. 1028. poſt deſtructionem templi Hieroſolymitani & ad an. 1033. ait cœpiſſe cœlum benigniori & ſereniori aſpectu terras fœcundare. Tunc autem, inquit, in pleriſque locis fuit modii pretium 60. ſolidorum. Tunc humanæ carnes ab hominibus deuoratæ & publicè venundatæ: aliæ humo traditæ & effoſſæ comeſtæ ſunt. In partibus vero Matiſconenſis Diœceſeos tantam ait fuiſſe famem, vt quidam albam terram argillæ ſimilem effoſſam permixtâ farinâ vel cantabro, pane inde facto comederent. Hoc Dei flagello ita territi ſunt omnes Chriſtiani, vt depoſitis armorum & odiorum affectibus omnes ad pacem conſpirarint, ſeque totos ad Dei cultum conuerterint, leges Eccleſiaſticas condiderint aut inſtaurarint, omneſque vnanimi conſenſu ſextâ quaque feriâ, vino; ſeptimâ, carnibus abſtinendum eſſe duxerint teſte eodem Rodulpho l. 4. c. 5. Quam morum reformationem ait ſecutum eſſe pium peregrinandi deſiderium, & loca ſacra Hieroſolymitana inuiſendi. Hocque votum primò concepiſſe infimæ ſortis homines; deinde medioccris poſtremò ipſos quoque Præſules, Comites, Duces & Reges. Odolricus Epiſcopus Aurelianenſis Hieroſolymam proficiſcens in ipſo itinere obiit: vt & Robertus Normanorum Dux, qui antequam proficiſceretur, deſignarat Hæredem Willielmum puerum ſibi ex concubina natum: vnde vulgò Nothus Gall. *Manzer* dictus eſt & corruptâ latinitate Baſtardus.

Fames inaudita.

Ille eſt Robertus Richardi III. filius qui Iuuenum conſilio nimis credulus immania ſcelera perpetrauit, at poſt pœnitudine ductus Hieroſolymam adiit, & in reditu apud Nicæam vrbem interiit verè pœnitens & animo contritus: de quo hæc habet Author Chronici Fontanellenſis, qui tunc temporis viuebat. *Hic Robertus acer animo & prudens*, inquit, *priores ſuos virtute quidem & potentia exæquauit, ſed prauorum conſultui, vt pote in primæuo Iuuentutis flore conſtitutus, æquo amplius attendens, Regnum quod florens ſuſceperat, in multis debilitauit. Verum non multò poſt cœleſti reſpectus gratiâ, & bonâ quæ inerat illi naturâ & conſilio intus reſipuit: & eos quorum prauitate à recto deuiauerat, à ſuo conſilio atque familiaritate ſequeſtrauit, ſuæque iugo potentiæ verſâ vice fortiter oppreſſit, ac ſic in libertatem, quæ ſe decebat, vindicauit: atque ita propter præteritorum ignorantiam profectus Hieroſolymam profundè pœnituit: ſed in redeundo malignorum, perpeſſus inſidias, qui eius æquum quod iam experti erant, verebantur imperium, veneficio, vt didicimus, apud Vrbem Nicæam occubuit: ibique intra ſanctam Ciuitatis illius Baſilicam, quod nulli alii mortalium conceſſum eſt, honorificâ donari ſepulturâ promeruit. Verum vir tantus non prauorum tantum malignitate quam Diuino, vt credi fas eſt, Iudicio deceſſit, qui iam vnus eorum effectus erat, quibus vt Apoſtolus conqueritur, dignus non erat Mundus.* Obiit Robertus an. 1035. vt legitur in Chronico Rothomagenſi.

Mala autem omnia quæ Normaniæ Robertus intulit, Ermenoldi cuiuſdam Britonis ſuaſu & impulſu intuliſſe dicitur: de quo multa habet Hugo Flauiniacenſis in Chronico Virdunenſi, hominemque ait fuiſſe mentis peruerſæ, deteſtandæ famæ, totamque vitam ſuam diabolo dicaſſe, omnibuſque horis & momentis cum eo loqui ſolitum. Illum verò ſuaſore diabolo apud Robertum omnes Optimates accuſaſſe, excitaſſe diſſidia, iurgia, inteſtinum bellum, omnia ſus deque vertiſſe; donec tandem ipſe miſerrimè periit. 1034.

Anno 1034. Ebalo ſeu Eubulone Archiepiſcopo Remenſi fatis functo ſucceſſit Guido de Caſtellione vir nobilis proſapiæ, vt pote Geruaſij Vice-Domini Remenſis & Milonis de Caſtellione frater, eximiæ quoque litteraturæ. Eodem anno Mathildis Conradi Imperatoris & Giſelæ filia Henrico Regi deſponſata obiit apud Vangionum Vrbem, ibique ſepulta eſt. Huius ergo affinitatis ſpe fruſtratus Henricus Annam Ruſſorum Regis filiam vxorem duxit: quæ tres ei peperit filios, Philippum, Robertum & Hugonem, quorum Robertus adhuc puerulus deceſſit, Hugo Comitatum Veromanduenſem adeptus eſt, Philippus Patri ſucceſſit. 1035.

Ad annum 1035. Baronius, Valerius Andræas in Bibliotheca Belgica, & Quidam alij referunt hæreſim de Corpore & Sanguine Domini in Euchariſtiæ ſa-

cramento, quæ à Rege Roberto compreſſa fuerat, cum primum eam ſub initia huius ſeculi Leothericus Archiepiſcopus Senonenſis ſpargere voluit, audacius cœpiſſe diſſeminari à Berengario Turonenſi, annitente Brunone Andegauenſi Epiſcopo, cuius Eccleſiæ erat Archidiaconus: ad quam profligandam Henricus paternæ pietatis & religionis hæres Concilium Epiſcoporum, Abbatum & Doctorum virorum indixerit, vt Quæſtio illa Pariſiis à viris in Theologia peritis agitaretur, & naſcenti malo occurreretur. Verum illi plus decennio hallucinantur. Neque enim tum, hoc eſt an. prædicto 1035. Berengarius errorem ſparſit, nec tum Bruno Epiſcopus erat Andegauenſis; nec tum ab Henrico Concilium Pariſienſe indictum eſt, ſed anno tantum 1051. vt ſuo loco dicetur.

Erat quoque Robertus de Monte, ſi verum eſt quod de eo D. Lucas Dacherius refert è Chronico nondum edito, aiens ad annum 1032. quod *Lanfrancus Papienſis Garnerius ſocius eius repertis apud Bononiam Legibus Romanis, quas Iuſtinianus Imperator Romanorum ab Incarnatione Domini 530. abbreuiatas emendauerat, his inquam repertis operam dederunt legere & aliis exponere: ſed Garnerius in hoc perſeuerauit, Lanfrancus vero Diſciplinas liberales & Litteras Diuinas in Galliis multos edocens tandem Beccum venit, & ibi Monachus effectus eſt.* Hæc refert Dacherius in vita Lanfranci. Verum cum Lanfrancus in Galliam venit, nondum natus erat Warnerus ſeu Garnerius, imo nec cum obiit Lanfrancus: & opus illud Legum Romanarum non fere ante an. 1150. edidit: vt docebimus, cum ad illa tempora peruenerimus.

Hiſce quidem temporibus, vt veriſimile eſt, Berengarius Turonenſis relictis ſcholis Carnotenſibus poſt obitum Magiſtri Fulberti Lutetiæ Dialecticam profitebatur, vbi cum eo Lanfrancus paulo poſt in ſchola præſentibus Diſcipulis militauit. In eadem profeſſione florebat Albertus Pexiacenſis ſeu Piſciacenſis, & in Grammatica Bernardus Cenomanenſis, Willielmus, Bregaudus Teutonicus ad paruum pontem, Arnaldus Abrincenſis, Giſlebertus Pariſienſis. Haymo quoque Anglus relictâ Angliâ bellis turbatâ, vt quietius litteris vacaret, Lutetiam ſe contulit totumque ſe ſacrarum Scripturarum lectioni tradens Theologiam ſummo cum applauſu docuit, vt refert Pitſæus, idemque apud S Dionyſium Monachum induit. Ioannes quoque de Garlandia ob eandem cauſam Lutetiam profectus ad dicendum & docendum, in artis Poëticæ profeſſione excelluit, ibique *Morale ſcholarium edidit.* Tum quoque Franco Leodienſium ſcholarum Magiſter ſub Richardo Epiſcopo florebat ſcientiâ & morum probitate clarus, qui author fuit libri de Quadratura Circuli.

1037. Anno 1037. obiit Robertus de Normania Eburonicum Comes, Richardi I. Ducis Normaniæ & Gunnoris filius fraterque Richardi II. Archipræſul Rothomagenſis vxoratus & publicè cum vxore cohabitans, ex qua tres filios ſuſcepit, & quibus 3. ſui Comitatus partes diſtribuit. De eo hæc habet Ordericus Vitalis. *Hic Richardi ſenioris Ducis ex Gunnoride filius 48. annis Archiepiſcopatum Rothomagenſem & Comitatum Ebroicenſem rexit, mundanis operam affatim abundauit, ſecularibus negotiis opido intentus extitit, & carnalibus illecebris non vt Pontificem decuiſſet, abſtinuit. Nam coniugem Herleuam vt Comes habuit, ex qua tres filios, Richardum, Radulphum & Guillelmum genuit. Quibus Ebroicenſem Comitatum & alios honores ampliſſimos ſecundum ius ſeculi diſtribuit. In ſenectute tandem errorum memor ſuorum pœnituit & pro reatibus multis magniſque multum fleuit. Magnas igitur & multas Eleemoſynas Pauperibus erogauit, Eccleſiam Metropolitanam in vrbe Rothomagenſi S. Dei Genitricis à fundamentis incohauit, quam magna ex parte conſummauit.* Extat Fulberti Carnotenſis ad hunc Pontificem Ep. 51. qua reſpondet ad quæſtionem de nouis nuptiis Galerani ab eo propoſitam, petentis nimirum ſibi licere alteram vxorem ducere, priori etiam viuente, quia neuter alterius conſortium ferre poſſet. Porro Roberto ſucceſſit Malgerius de Normania Richardi II. filius, & Roberti Ducis frater, texitque Rothomagenſem Eccleſiam 18. annos: ſeu potius malo ſuo exemplo & regimine deprauauit.

1038. Anno circiter 1038. Lanfrancus e Lombardia in Galliam profectus Lutetiam aduenisse creditur, ibique Berengarium, qui tum inter Magiſtros, Dialecticæ profeſſores excellebat, docentem inueniſſe, & cum eo eiuſque Diſcipulis mul-

Digitized by Google

tas habuiſſe diſputationes non infelici ſucceſſu, imo tam felici, vt ipſum ſcholas dimittere, adeo in contemptum venit, Turonaſque repetere coëgerit. Intelligimus vero ex Henrico de Knyghton Canonico Leiceſtrenſi lib. 2. de euentibus Angliæ c. 5. Berengarium iam tum vt Lanfranco nimis acriter vrgenti reſiſteret, famamque quam ipſe ſibi docendo comparauerat, tueretur, vſurpaſſe authoritates ſacræ Scripturæ contra fidem. Vnde Lanfrancus ad ipſum, *quando in ſcholis militauimus*, inquit, *ſemper contra fidem Catholicam authoritates collegiſti.*

Hinc ergo nata inter vtrumque contentio, quæ magno fidei periculo creuit ſequentibus annis, poſtquam Lanfrancus apud Beccenſe Monaſterium ſcholas publicas aperuit. Nam ille ſeu quia ex legibus Academicis homo extraneus non potuit ſtatim Lutetiæ docere, ſeu quia plurimos Profeſſores excellere videbat, & inter tot lumina maiora poſſe ſe ſplendeſcere deſperabat, ſeu forte quia cæteros diſputationibus exagitando ſibi offenſos fecerat, relicta Lutatia in Normaniam contendit circa an. 1040. ſcholiſq; apertis multos Diſcipulos allexit, *ex Schola Pariſienſi ad Beccenſe Monaſterium profectus eruditionis fama multos ad ſe allexit*: inquit Mathias Flaccus Illyricus l. 12. Catalogi teſtium veritatis. Non tamen ſtatim & recta Beccum ſe contulit, ſed primum Abrincas ad extrema Normaniæ partes, vbi nulli erant liberalium Artium Magiſtri, qui barbariem depellerent.

Idque legitur in Chronico Beccenſi. *Ille ſciens certo relatu illic* hoc eſt in agro Abrincenſi Normaniæ quo ſe primum poſt Lutetiam contulit *multum collapſum ſtudium litterarum Barbaricæ gentis & intelligens prouidentiſſima inſpiratione inde ſe poſſe adipiſci maiorem gloriam & plurimum quæſtum, venit illuc cum paucis.* Nempe credidit ſe plus gloriæ & lucri comparaturum in remotioribus iſtis locis, vbi ſolus eſſet, quam Pariſiis vbi magnus erat profeſſorum numerus & quæſtus minor. Verum poſt biennium, cum forte in itinere ſuo omni peculio quod docendo lucratus fuerat, à latronibus ſpoliatus fuiſſet, vitæ eiuſmodi pertæſus tam multis ſollicitudinibus & periculis obnoxiæ, digitoque Dei tactus ad Beccenſe Cænobium tum vix adhuc bene natum & conſtructum ſe contulit, ibique magno nominis ſplendore liberalium Artium profeſſionem aggreſſus, deinde Theologiam docens celeberrimum Litterarum Gymnaſium effecit. Berengarius ſimiliter ægrè ferens ſe in ea arte victum, in quâ præ cæteris excellere putabatur, relictis Pariſienſibus ſcholis, Turonis vbi Magiſtri ſcholæ fungebatur officio, docere non deſtitit, donec Andegauum profectus Theologicas Diſciplinas & ſublimia myſteria tractare cæpit, vt iſta poſeſſione ſe Lanfranco ſuperiorem efficeret, qui in Dialectica inferior viſus fuerat. Qua in profeſſione quid acciderit commemorat Nicolaus Harſpheldius Archidiaconus Cantuarienſis in 11. ſecul. c. 12. his verbis.

Profeſſus eſt Berengarius adhuc Adoleſcens Dialecticam & alias in Gallia Liberales Artes. In quibus tamen tradendis pro arroganti ingenij ſui leuitate, non Maiorum, ſed propria ſua interpretatione ſenſuque temere nitebatur. Sed hanc eius arrogantiam confregit Lanfrancus, & in quadam Dialectices velitaria pugna cum eo commiſſus adeo vanitatis inſcitiæque hominem arguit, & palam conuicit, vt Diſcipuli ipſius deinde eum deſtituerint. At ille nominis & vanæ gloriæ vehementi æſtu præceps abreptus non tam ad grauiora ſe ſtudia, quàm ad errores conuertit, Theologuſque factus Theologiam omnem infirmare & infringere pernicioſis contra nuptias & paruulorum baptiſmum dogmatibus conatus eſt. Sed cum eorum veritas, firmiora & ſolidiora firmamenta haberet, quàm vt quicquam ſacris ſcriptis vel in ſpeciem plauſibile in contrarium aſſerere potuiſſet, neque huic quiſquam doctrinæ aures daret, ſed ab ea omnium aures & animi abhorrerent, Magiſtro Diabolo ſuggerente nouam contra Euchariſtiæ veritatem & doctrinam, vbi & facile noua ſe poſſe diſſeminare errorum portenta, & facilem promptumque à populo impertiſque plauſum ſibi propter ſummam reconditi myſterij dignitatem & à ſenſu longè remoti pollicebatur, commentus eſt. Nec fefellit ſua hominem opinio. Circumuenit itaque ſcholaſticos quoſdam non tam ſenſu quàm cenſu, ingenio & fide exili, quibus ipſe ſumptus ad ſtudia ſubminiſtrare ſolitus erat, & per eos longè lateque errorem ad alios transfudit. Cuius rei fama cum ad Lanfrancum perueniſſet, inſidiabantur enim ſibi alter alteri, cœpit ipſe contraria dicere. Hinc inter eos animorum ſtudiorumque contentio recruduit.

Verum ſatius eſt audire à Magiſtris Coætaneis, quis fuerit Berengarius. Cuius quidem vitam & mores non alij melius quàm qui vel in iiſdem ſcholis fuerant,

Digitized by Google

aut eodem tempore vixerunt, noſſe poſſunt: quatuor, autem præcipui ſunt, iique omnes Galli, aut in Gallia enutriti, Hugo Gilduini Britolienſis Comitis in agro Beluacenſi filius, ex Clerico Carnotenſi Lingonenſis Epiſcopus factus: Adelmanus Clericus Leodienſis, Fulberti auditor & Berengarij condiſcipulus, factus deinde Epiſcopus Brixienſis: Durandus Normanus Abbas Troarnenſis; Et Guitmundus ex Monacho Cœnobii de Cruce S. Leufredi in Normania, factus Archiepiſcopus Auerſanus. Hugo aduerſus ſententiam Berengarij Tractatum edidit, eique inſcripſit. Durandus contra eundem ſcripſit. Cuius infra referemus Epiſtolam ad Henricum Regem. Adelmanus eum ab errore quem ſparſerat, præclarâ Epiſtolâ & ſuaui ſermone retrahere conatus eſt. Guitmundus denique incredibili eloquentiæ vi & rationum pondere eius errorem confutauit. Ille autem de Berengario ſic ſcribit.

Is cum iuueniles adhuc in ſcholis ageret annos, vt aiunt, qui eum tunc nouerant, elatus ingenij leuitate, ipſius Magiſtri ſenſum non adeo curabat, Libros inſuper Artium contemnebat, ſed cum per ſe attingere Philoſophiæ altioris ſecreta non poſſet: neque enim homo ita acutus erat, ſed vt tunc temporis LIBERALES ARTES *intra Gallias pænè obſoleuerant, nouis ſaltem verborum interpretationibus, quibus etiamnunc nimium gaudet, ſingularis ſcientiæ ſibi laudem arrogare & cuiuſdam excellentiæ gloriam venari qualitercumque poterat, affectabat. Factumque eſt, vt pompatico inceſſu, ſublimi præ cæteris ſuggeſtu Dignitatem Magiſtri potius ſimulans quàm rebus oſtendens, profunda quoque incluſione intra Cucullum ac ſimulatione longæ meditationis, & vix tandem ſatis deſiderata diu vocis lentiſſimo quodam quaſi plangore incautos decipiens* DOCTOREM SE ARTIVM *pæne inſcius profiteretur. Sed poſtquam à D. Lanfranco in Dialectica de re ſatis parua turpiter eſt confuſus, cumque per ipſum D. Lanfrancum virum æquè doctiſſimum* LIBERALES ARTES *Deus recaleſcere atque optimè reuiuiſcere feciſſet, deſertum ſe à Diſcipulis iſte dolens, ad eructanda impudenter Diuinarum Scripturarum Sacramenta, vbi ille adhuc adoleſcens & alijs eatenus detentus ſtudiis nondum adeo intenderat, ſe ſe conuertit. Sed & ibi inſipiens. Quippe in maleuolam animam non introibit ſapientia, vt ea quorum nouitate omnium corda permoueret atque ad ſe omnium oculos traheret, ſtudioſè perquirens maluit eſſe ſub aliqua admiratione hominum hæreticus, quàm ſub oculis Dei priuatè viuere Catholicus..... Aucupatis ergo nonnullis ratiunculis (neque enim vlla vnquam hæreſis ſine aliqua veriſimilitudine rationis inualeſcere potuit) adhibitis quoque paucis malè intellectis à ſe Capitulis Scripturæ Sacræ, quæ multis errantibus laqueus eſt mortis, per egenos Scholaſticos iam per alimoniam quâ ſuſtentabat eos & per ſuos dulces ſermones corruptos, quaqua verſum potuit, clanculo huius tanti mali nefandiſſimum virus effudit.*

Hæc Guitmundus de Berengario l. 1. de veritate Euchariſtiæ, paulò infra rei veritatem, contraque famam Berengarii, quem certum eſt ex aliorum minus inuidorum fide fuiſſe virum magni ingenii, facundum ac eloquentem multiugiſque Doctrinæ: vt vel ex his Baldrici Aurelianenſis ſcriptoris ſupparis verſibus apparet.

Tota Latinorum facundia marcida floret,
Dum Berengario Turoni viguêre Magiſtro.
Porro Latinorum Facundia florida marcet,
Inuida ſors Turonis vbi tantum lumen ademit.

Fatentur tamen omnes eum fuiſſe nouitatis amatorem, nouaſque ſubtilitates & voces in rebus Dialecticis & Theologicis excogitaſſe, quarum ope omnes eludebat difficultates: & hoc eſt quod ait Guitmundus eum *nouis verborum interpretationibus ſingularis ſcientiæ ſibi laudem arrogaſſe.* Hinc forſan ab Inuidis & maleuolis Necromantiæ & Magiæ inſimulatus eſt: in qua arte membranulæ Lauriacenſis Abbatiæ apud Andes, quæ referuntur in vetuſtiſſimo codice manuſcripto Eccleſiæ S. Martini Turonenſis, aiunt fuiſſe peritiſſimum: at fabulatur Nangius Monachus San-Dionyſianus cum ait eum quod Necromantius eſſet *ſub anguſta hora vnius noctis Romam iuiſſe, & Turonis lectionem vnam legiſſe.* Similiter Albericus Monachus apud Chronicum Belgicum ad an. 1047. qui de ea re ſic habet. *De iſto Berengario vulgò narratur eum fuiſſe in adoleſcentia Nicro-*

Digitized by Google

manticum. 1. Quia Turonis Romam vſque eum Diabolus vna nocte detuliſſet. 2. Quia puer Clericus nobilis genere ei commendatus Magiſtro abſenta dum libros Necromanticos legeret, à Diabolo occiſus eſt. 3. Quia idem Diabolus coactus à Berengario corpus pueri mortui intrans per aliquod tempus huc & illuc deambulare puerum, & cum cæteris cantare & in choro ſtare feciſſet, donec ab alio Nigromantico falſitate deprehenſa, puer vt erat, mortuus eſſe videretur. Vnde idem Betengarius morti adiudicatus fugiens ad Eccleſiam, hymnum IVSTE IVDEX, *ibi fecit, & cum lamentatione decantauit, & ita liberatus fuit.*

Quis ferat eiuſmodi calumnias inſanorum hominum? ſcilicet homo ob magiæ crimen accuſatus & damnatus obiiſſet Turonis munera Scholaſtici, Camerarij & Theſaurarij; & Andegaui Archidiaconatus officio functus fuiſſet! ſed id familiare eſt imperitis, magiæ inſimulare quos vident ingenio & Artium peritia excellere. Ita Gerbertus ille Aquitanus, quod Aſtrologiam & Mathematicas Diſciplinas optimè calleret, ſuaque virtute & ingenio ex infima ſorte ad Archiepiſcopatum Remenſem & Rauennatem, poſtremò ad Papatum perueniſſet, Magiæ accuſatus eſt.

At hîc obiter notandum ſcholas Turonenſes ab Alcuino celebres factas, nondum hiſce temporibus defloruiſſe, imò Betengarij famâ fuiſſe nobiliter ſuſtentatas, quamdiu in iis docuit: neque enim dum eas regebat, prolapſus fuerat in hæreſim, ſi credimus Franciſco de Roya; ſecus, non fuiſſet ad dignitates illas Eccleſiaſticas Camerarii & Theſaurarii admiſſus, quas adeptus eſt. Imo nec poſtquam Andegauum deinde profectus eſt, & Archidiaconatus Officium ſuſcepit Scholaſticamque dignitatem, ſtatim viſus eſt ab Eccleſia diſſentire: Nam teſte Vincentio Bellouaco tam fuit initio clarus doctrina quàm honeſtate morum. At poſtquam ingentem audiuit Lanfranci famam, à quo victum ſe meminerat, totum ſe Theologicis quæſtionibus & Ioannis Scoti lectioni tradidit; cuius peruerſis dogmatis excæcatus in errorem incidit, ſeque nefatiæ ſectæ Authorem præſtitit. Vt infra dicemus.

Ad annum 1039. notat Hugo Flauiacenſis obiſſe Conradum Impetatorem, 1039.
eique ſuccesiſſe Henricum II. cognomento Nigrum, virum Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſtudioſiſſimum, & Simoniacæ peſtis, quæ ipſam etiam ſedem pontificiam inuaſerat, hoſtem infenſiſſimum, vt in Synodo frequentiſſima omnium Epiſcoporum declarauit his ad eos verbis vſus, quæ leguntur etiam apud Glabrum Rodulphum l. 5. c. 5.

Lugens vobis incipio loqui, qui vice Chriſti in eius Eccleſia conſtituti eſtis, quam ſibi deſponſauit & ſanguine redemit. Sicut enim gratuita bonitate de ſinu Patris per Virginem ad nos redimendos venire dignatus eſt, ita ſuis præcepit & dixit mittens eos: *Gratis accepiſtis, gratis date.* Vos autem auaritia & cupiditate corrupti, qui benedictionem conferre debetis, hac in trangreſſione dando & accipiendo maledicti eſtis. Nam & Pater meus, de cuius animæ periculo valde pertimeſco, eandem damnabilem auaritiam in vita ſua nimis exercuit. Itaque quicunque veſtrum hac ſe macula pollutum agnouerit, oportet vt à ſacro miniſterio arceatur. Propter hanc enim offenſam venit ſuper filios hominum fames, mortalitas, & gladius. Omnes enim Gradus Eccleſiaſtici à maximo Pontifice ad Oſtiarium opprimuntur per veſtræ damnationis præmium & in cunctos ſpirituale graſſatur latrocinium.

Ad hanc vocem Imperatoris ſtupefacti Pontifices, inquit Hugo, miſericordiæ operam implorabant: at Princeps miſericordia motus & pro anima Patris ſui orate eos monens, propoſuit edictum, *Vt nullus gradus vel miniſterium Eccleſiaſticum pretio acquireretur, & ſi quis attentaret, omni honore multaretur, ſicut, inquiens, Deus coronam Imperij gratis mihi dedit: Ita ego quod ad Religionem pertinet, gratis impendo. Velo vt & vos ſimiliter faciatis.* Hoc exemplo incitatus Leo IX. an 1049. in concilio Remenſi contra eiuſmodi Simoniacos, quorum in Gallia præſertim & Germania ingens erat numerus, Edictum promulgauit, vt infra dicemus.

Circa an. 1040. Normani à Græcis contra Sarracenos qui Siciliam occupauerant, 1040.
aduocantur: Romamque deinde capiunt & cum Romanis in pratis S. Petri confligunt. Iſtis quoque temporibus inuentum fuiſſe dicunt Romæ Corpus Pallantis filii Euandri, à Turno olim bello Italico occiſi, omnino incorruptum, & Giganteæ magnitudinis, nam altitudinem muri vrbis æquabat, ſi hiſtoricis fides eſt, &

vulneris quod à Tutno aeeeperat, hiatus 4. pedum erat cum ſemiſſe. Tale quoque inuentum epitaphium.

Filius Euandri Pallas, quem lancea Turni
Militis occidit, more ſuo iacet hîc.

Inuenta quoque Lucetna ardens ad caput ipſius, quæ nec flatu extingui poterat, nec infuſo liquote. Tentatis veto fruſtra multis extinguendi modis facto tandem ſubtet flammam fotamine, & aëte admiſſo ſtatim extincta eſt. Ita narrat Mattinus Polonus.

1041. Ad an. 1041, notant Hiſtotici inducias quaſdam bellorum, *Treuam Dei* dictas vbique factas ineumbentibus in eam tem Henrico Imperatore, Odilone Cluniacenſi & Richardo S. Witoni Virdunenſis Abbatibus; quotum iſte cum in Neuſtriam ſe eontuliſſet, vt tam ſanctum opus quod à Deo oon ab homine ptoceſſerat, ptomoueret, nec voluiſſent Normani parete, plaga ignis intetni, quæ tum tempotis ftequens erat, correptos pluriosos inteтiſſe, multos vero qui Richatdi apud Deum auxilium implotaſſent, fuiſſe ſanatos.

Notant quoque hoc anno totum fete orbem ob taritatem vini & ttitiei, penuriam maximam paſſum fuiſſe: indeque ſeeutas mortes an. 1042. tanto numeto vt vix ſupeteſſent, qui motientes ſepelire & tumulate poſſent.

1042. Hocce tempote Lanftancus qui relictis ſcholis Pariſienſibus Abtincas ſe contulerat ad docendum expellendamque barbariem, quæ in illis Neuſtriæ finibus adhuc regnabat, ineidit in Lattones & ab iis toto peculiolo quod docendo lueratus fuetat, ſpoliatus eſt. Itaque ignarus quid conſilij caperet, totum ſe Deo petmiſit & audita Herluini fama, qui relictis terreſtribus bonis vitam ſolitariam & monaſticam amplexus Beccenſe cœnobium fundauerat, ad eum ſe eontulit ſumptoque Monaehali habitu ibi paulo poſt littetatum Ludum apetite cœpit, quem bteui celebettimum teddidit. Qua de te ſie legitut in Chtonieo Beceenſi *Audiens Lanfrancus famam regionis Normaniæ quæ prius Neuſtria dicebatur, in qua Ducatum tenebat hæreditario iure Guillielmus ille qui poſtea ſubiugauit ſibi totam Angliam armis: ſciens certo relatu illic multum collapſum ſtudium litteraturæ Barbaricæ gentis, & intelligens prouidentiſſima inſpiratione inde ſe poſſe adipiſci maiorem gloriam & plurimum quæſtum, venit illuc cum paucis: ſed antequam perueniſſet ad notitiam multorum, attraxit illum ad ſe qui Paulum vocanit de cœlo, hoc modo. cum iter ageret ſolus cum vno ſcholari* incidit io Lattones qui & auferentes omnia quæ habebat, ſiount abite tantum telinquentes vetuſtam chlamydem, cætera omnia ſecum tetinentes. Et infra. *Anno Dom. 1042. Lanfrancus de Senatorum Papiæ nobili genere natus in 7. Artibus Liberalibus mirabiliter eruditus Deo omnium bonorum authore diſponente apud Beccenſe Cœnobium magnis tunc temporis facultatibus inornatum ſecundum S. Herluini ibidem Abbatis deſiderium Monachalem ſuſcepit habitum.*

1044. Anno 1044. Benedictus Papa ab Epiſcopo Sabinenſi de Papatu deiicitur, ſibiq; ille Silueſtri III. nomen aſſumit: at eo paucos poſt dies eiecto Benedictus teſtituitnr. Quo turſus eiecto per quendam Ioannẽ (qui eum eo tamen 20. citciter menſes ſedet & ſehiſma fouet) Gtegorius VI. Pattia Romanus Pontificalem Cathedram oeeupat: qui eum eſſet tudis & ignatus littetarum, alium adſciuit ob eundis munetibus Eccleſiaſtieis. Talis etat tum Eccleſiæ ſtatus, vt qui plus latgitione & ambitione quàm ſanctitate vitæ & doctina valeret, inquit Platina, is eum dignitatis gradum bonis oppreſſis & teiectis obtinetet. Quibus portentis motus Imperatot Henricus, quem Rodulphus ait vitum fuiſſe bonum, affabilitate gratiſſimum, libetalitate conſpicuum atque humilitatis gratia præditum, videnſque Romanos abuti licentia nominandi Pontificis, deponendi & teſtituendi, eam ſibi fututiſque Impetatotibus reſeruaſſe dicitur. Quod alij ſcribunt factum à Clemente II. quem Onuphrius ait iutare coegiſſe Romanos, nullum ſe deinceps Pootificem vel electuros vel eonſectatutos, niſi quem Impetatot dediſſet. Vt infra dicetut.

1045. Citca annum 1045. cœpit Lanftaneus in profeſſione littetarum eætetis profeſſoribus inuidiam excitate: ſiquidẽ tanta Diſcipulorum ad eum eonfluebat copia, vt eæterorum ſcoholæ pœne deſertæ temanetent. Id ſcilicet familiate eſt Gallis & inſitum à natura, vt nouitatem ament & curioſitate ducantut. Et eum iſtis tempotibus

poribus omnes fere ad Dialecticã aſpirarent in eaque vim ingenii exercerent, vbi cunque in illa profeſſione Magiſtri aliqui cæteris præcellere putabantur, ad eos ſtatim fiebat concurſus experiendarum viriũ cauſa. Id vnico exemplo Erſaſti probare ſufficiat. De quo ad Lanfrancum profecto hæc habet willielm. Malmeſburienſis. *Sedente* Lanfranco *apud Beccum Monacho cum* VBIQVE SCHOLARES INFLATI BVCCIS DIALECTICAM RVCTARENT, *Herfaſtus iam Willielmi Comitis, poſtea* De Schola Lanfranci. *Regis Cappellanus, ad famoſum Gymnaſium magna ſociorum equorumq; pompa peruenit. Tum Lanfrancus ex prima collocutione intelligens quàm prope nihil ſciret, Abecedarium ipſi expediendum appoſuit, ferociam hominis Italicâ facetiâ illudens. Quo is iratus Comitem pereffecit, vt Lanfrancus Becco Normaniáque omni ſummoueretur. Sed intercedente Dei gratia animus Willielmi pacatus eſt, alterque retentus ſatagente maximè Vvilielmo filio Osberni.* Et l. de Geſtis Anglorum Pontific. *Factus ibi Monachus homo qui neſciret agreſti opere victum quærere,* PVBLICAS SCHOLAS *de Dialectica profeſſus eſt, vt egeſtatem Monaſterij Scholarium liberalitate temperaret. Exiuit fama eius remotiſſimas Latinitatis plagas : eratque* Beccum magnum & famoſum litteraturæ Gymnaſium. *Gloria laudis comparauit apud improbos viros inuidiam, Capellanis, qui infra eius ſcientiam ſe viderent, animum Comitis Vvillelmi In ipſum turbantibus, quod vnum eorum palam de inſcitia litterarum irriſiſſet.* Hunc Herfaſtum ſeu Arfaſtum Godwinus lib. de Præſulibus Angliæ falsò aſſerit primum Becci litteras didiciſſe, primumque fuiſſe Monachum, vt patet ex iis quæ ſupra ex Malmeſburienſi retulimus : ex quo pariter accipimus fuiſſe illum modicæ ſcientiæ & mentis non valde ſublimis, qui cum ad Epiſcopatum Hermahenſem à Vvillelmo Conquæſtore promotus fuiſſet, ne nihil in Epiſcopatu feciſſe videretur, ſedem aliò tranſtulit. *Et ne nihil* inquit, *feciſſe videretur, vt ſunt Normani famæ in futurum ſtudioſiſſimi, Epiſcopatum de Hermahan tranſtulit ad Thetfordum, parcæ, vt aiunt, mentis homo, & nonnulla ex parte litteris eruditus.* Extant aliquot ad ipſum Lanfranci Epiſtolæ. an. 1075. Concilio Londinenſi interfuit, & in Anglia obiit. Extat quoque Guitmundi Monachi poſtea Epiſcopi Auerſani ad ipſum Epiſtola, qua reſpondet Quæſtionibus de ſubſtantia atque vnitate Trinitatis deque myſterio Euchariſtiæ ab eo propoſitis, quam Epiſtolam edidit D. Lucas Dacherius in 2. tomo Spicilegij ex MS. S. Ebrulfi.

Porro de fama Lanfranci & celebritate ſcholæ Beccenſis hæc habet inſuper præclarè Vvillelmus Gemmeticenſis l. 6. Hiſtor. Norman. *Per 3. annos vixit ſolitarius, infrequentiâ hominum gaudens, quò ibi neſciebatur, præter pauciſſimos quibus aliquando loquebatur, omnibus ignotus: Rumor, vt hoc factum prodiit, longè lateque protulit, & fama viri præclariſſima Beccum & Abbatem Herluinum breui per orbem terrarum extulit. Accurrunt Clerici, Ducum filij nominatiſſimi, Scholarum Latinitatis Magiſtri, Laïci potentes, alta nobilitate viri multi pro ipſius amore multas eidem Eccleſiæ terras contulere. Ditatur illico Beccenſis locus ornamentis, poſſeſſionibus, perſonis nobilibus & honeſtis.* Similiter Ordericus Vitalis, qui hoc & ſequente ſeculo floruit an. 1069. *Fama,* inquit, *peritiæ illius in tota vbertim innotuit Europa. Vnde ad Magiſterium eius multi conuenerunt de Francia, de Vaſconia, de Britannia, necnon de Flandria. Admirandum cognoſcerent ingenium ſibi ſtudiumque Lanfranci Herodianus in Grammatica, Ariſtoteles in Dialectica, Tullius in Rhetorica, Auguſtinus & Hieronymus aliique legis & gratiæ expoſitores in ſacra pagina. Athenæ quando incolumes florebant & excellentiſſimæ ad præcipiendum ſedebant, Lanfranco in omni genere Eloquentiæ ac diſciplinarum aſſurgerent & perceptis ab eo commodis allegationibus inſtrui cuperent.*

Anno 1046. die 14. Iunij obiit Richardus ille celeberrimus Abbas S. Vitoni 1046.
Virdunenſis anno regiminis 42. qui relicto Canonicatu Remenſi totum ſe Deo manciparat. Eodem anno Halinardus Lingonenſis Abbas S. Benigni Diuionenſis conſecratur ab Hugone Bizontino Archiepiſcopus Lugdunenſis, à quo cum Henricus Imperator exigeret fidelitatis ſacramentum, negauit ſe qui Monachus eſſet, iurare debere, & eius religione contentus fuit Henricus, vt docet Albericus in Chronico. *Abbas Halinardus S. Benigni Diuionenſis factus eſt Archiepiſcopus Lugdunenſis. Et quia Ciuitas tunc erat ſub Imperatore, D. Halinardus Curiam Imperatoris adiit pro Regalibus ſuis accipiendis. Imperator iam erat in procinctu Romani itineris, & voluit vt Archiepiſcopus ſecundum morem iuraret illi fidelitatem: il-*

le dixit ſe eſſe Monachum, nec debere facere iuramentum: dictum eſt, vt ad minus ſe offerret ad iuramentum; reſpondit non ſe debere ſimulationem facere; tandem mediantibus Epiſcopis Theodorico, antequam moreretur, Metenſi, Brunone Tullenſi, Richardo Virdunenſi Imperator pro ſua religione iuramentum ei quittauit: deinde Romam abiit. Quamobrem Romam? intelligimus ex Chronico Virdunenſi, ad ſedandum ſchiſma Pontificum. Eodem enim anno Concilio ibi habito peruaſores Romanæ Eccleſiæ Ioannem, Benedictum & Silueſtrum de Pontificatu deiecit, Clementemq; ſubſtituit, à quo & ipſe coronam Imperij accepit. Idem Chronicon refert Clementem eodem anno obiiſſe & ſucceſſiſſe Damaſum. At alij Hiſtorici volunt Clementem ſediſſe 9. menſes, ſedemque vacaſſe totidem & Damaſum non ante an. 1048. ſubſtitutum; eoque poſt 23. dies ſublato creatum Leonem IX.

1047. *De Berengario & Lanfranco.* Anno tandem 1047. Exorta eſt inter Lanfrancum & Berengarium de Quæſtionibus Theologicis, præſertim verò de auguſtiſſimo Euchariſtiæ ſacramento controuerſia, vt habetur in fragmento hiſtoriæ Francicæ à Roberto ad mortem Philippi I. tomo 4. hiſtor. Franc. vel ſaltem circa an. 1048. vt habet Chronicon Belgicum Magnum. Hactenus enim fere intra Philoſophicarum Quæſtionum Cancellos ſteterant diſputationes; & licet non ſit diſſitendum, quin Theologia tunc Pariſiis & alibi traderetur, quicumque tamen peregre veniebant, maxime ad Liberales Artes hauriendas conuolabant, vt patet exemplis Odonis Cluniacenſis, qui ad Remigium venit inſignem Dialecticum, Abbonis Floriacenſis, Huboldi Leodienſis & aliorum, qui ad Magiſtros in Artibus erudiendi venerunt. Hocce tempore & deinceps Theologicæ Scholæ amplius celebrari & frequentari cœperunt occaſione contentionis, quæ inter prædictos Athletas orta fuit hac de cauſa. Lanfrancus intelligens Berengarium in ſchola ſua opinionem Ioannis Scoti ſuſcepiſſe propugnandam, Paſchaſiumque Ratbertum inſcitiæ & erroris arguere, contra ipſe Paſchaſium defendere aggreſſus audacter euulgauit Ioannem Scotum fuiſſe hæreticum, eiuſque opinionem de Sacramento altaris ſanæ doctrinæ & veritati repugnare. Hinc, vt fit inter æmulos, ſtatim ſpargitur rumor & vtriuſque fautores ad apertum bellum excitant vtrumque. Initio tamen id fit ſatis ciuiliter per litteras: & prior Berengarius ſcripſit in hunc modum FRATRI LANFRANCO.

Peruenit ad me, Frater Lanfrance, quiddam auditum ab Ingelranno Carnotenſi: in quo diſſimulare non debui ammonere dilectionem tuam. Id autem eſt diſplicere tibi, imò hæreticas habuiſſe ſententias Ioannis Scoti de Sacramento Altaris, in quibus diſſentit à ſuſcepto tuo Paſchaſio. Hac ergo in re ſi ita eſt, Frater, indignum feciſti ingenio quod tibi Deus non aſpernabile contulit præproperam ſequendo ſententiam. Nondum enim ideo ſategiſti in diuina Scriptura cum tuis diligentioribus. Et nunc ergo Frater, quantumlibet rudis in illa ſcriptura, vellem tantum audire de eo ſi opportunum mihi fieret, adhibitis quibus velles vel Iudicibus congruis vel Auditoribus: quod quandiu non ſit, non aſpernanter aſpicias quod dico, ſi hæreticum habeas Ioannem, cuius ſententias de Euchariſtia probamus, habendus tibi eſt hæreticus Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, vt de cæteris taceam.

An tunc hanc acceperit Epiſtolam Lanfrancus, dubito, & ſi accepit, quid reſponderit: ſed certum habeo iam tum inealeſcere animos cœpiſſe: hincque & inde fautores plurimos ſurrexiſſe. Aiunt Nuncium harumce latorem litterarum in Normaniam miſſum non inueniſſe Lanfrancum; at eas quibuſdam Clericis tradidiſſe, qui curioſitate ducti illas legerint, & legendas aliis tradiderint: adeovt nonnulli ſuſpicati ſint Lanfrancum adhærere Berengario, licet litteræ contradicere viderentur: Alij verò Berengarium vt hæreticum & hæreticorum fautorem eſſe non dubitarint. Hinc ad aures omnium fama volat: & primus contra Berengarium ſcribere aggreditur Hugo Lingonenſis Epiſcopus, aut hoc aut ſequente anno. Ille Gilduini Comitis Britolij in agro Beluacenſi filius Fulberto traditus fuerat in diſciplinam & ſub eo cum Berengario & Adelmanno Leodienſi Theologicis rebus vacauerat: deinde in Eccleſia Carnotenſi Clericus, poſtea Cluniacum ſe contulerat; indeque à Roberto Rege ad Lingonenſem ſedem promotus fuerat circa an. 1030. vnde poſt 18. annos ſui regiminis ſcilicet an. 1048. à Lingonenſibus eiectus eſt propter ſimoniam; & an. ſe-

quenti nempe 1049. in Concilio Remenſi conuictus & depoſitus eſt, demumque anno 1051. obiiſſe dicitur: ſunt tamen qui Romam eum contendiſſe ſcribunt & abſolutum rediſſe ad Monaſterium S. Vitoni Virdunenſis atque ſub Valerano fratre Abbate, qui Richardo ſucceſſerat, Monachum factum obiiſſe. Ille igitur Tractatum edidit de Corpore & Sanguine Chriſti contra Berengarium de quo hæc pauca deſumpſimus.

Hugo Lingonenſis contra Berengarium.

Dicis in huiumodi ſacramento Cotpus Chriſti ſic eſſe, vt panis & vini natura & eſſentia non mutetur, corpuſque quod dixeras Crucifixum, intellectuale conſtituis. Qua in te Vniuerſalem Eccleſiam ſcandalizas. Nam ſi panis & vini natura & eſſentia reali principalitate poſt conſecrationem perſiſtunt, tranſlatum nihil poteſt intelligi, & ſi quod adiunctum eſt, ſola fit intellectus potentia reuera non capitur, quomodo vel vnde vel idem ſit, quod adhuc non ſubſiſtit. Eſt enim intellectus eſſentiarum diſcuſſor non opifex, iudex non inſtitutor: & quamuis rerum vel monſtret vel figuret imagines, nullum Corpus materiali producit exordio. Qua propter neceſſe eſt, vt aut Panẽ omnino à ſua natura deiicias, aut ipſum Chriſti Corpus dicere non præſumas. Sicut non capis, quomodo Verbum caro factum ſit, ſic non potes capere quomodo panis iſte mutetur in carnem & vinum in ſanguinem transformetur, niſi te docuerit omnipotentiæ fides. Alioquin luctatis eum Deo, ſed non in brachiis Patriarchæ, ſed neque cum aurora. Immo etiam tota tua hæc luctatio nocturna eſt, magiſque videtur eſſe inſidioſè luctantis, quàm amabiliter amplexantis. Quæ nimirum luctatio non ſolum non meretur, ſed perdit. Propter quod Philoſophiæ tuæ ſuadeo tenere quod ſcriptum eſt. Deſine impugnare cœleſte myſterium. Perpende quod Dei voluntas & verbũ omni naturæ ſupereminet. Dei enim velle pro facto eſt. Ad hoc ſalutare conuiuium cum deſiderio currendũ eſt, quia Chriſtus hoc ipſum cum deſiderio celebrauit, ſicut ipſe in Euangelio ad diſcipulos ſuos dixit. Ad hanc menſã Iudæos Auguſtinus inuitans ſic dicit, *Sæuiſtis ô Iudei, occidiſtis, ſanguinẽ Chriſti fudiſtis, quid facere nunc habetis, niſi vt credentes baptizemini & bibatis ſanguinem quem effudiſtis? non eſt quod horreatis, fuſus eſt ſanguis Medici & factum eſt medicamentum Phrenetici. Sicut autem verbum Dei in carne inuiſibile fuit, quod tamen factum erat, ſic iſta ipſa caro, quia iam in verbo conſiſtit, quodammodo inuiſibilis facta quodam interim neceſſario pioque conſilio ad guſtus ſuffragium panis & vini quibuſdam qualitatibus occultatur, ſed ſpiritualibus oculis ipſa Carnis veritas non negatur.*

Sub eadem initia ſchiſmatis Adelmanus Leodienſis ſub Vazone & ſub Theoduino Epiſcopis Scholarum Magiſter, deinde Brixienſis Epiſcopus an. 1048. factus, in ſchola Fulberti olim Berengarij condiſcipulus, & conuiua, eum amicâ & omni comitate plenâ Epiſtolâ rogauit vt ad ſe rediret, erroreſque ſuoſque reuocaret, imprimis vero reducit in memoriam quàm ſæpe bonus ille Epiſcopus Fulbertus eum admonuerit, ne ingenio ſuo nimis fideret.

Dilecto in Chriſto Fratri *Conſcholaſtico* Berengario Adelmanus ſalutem in Domino. *Collectaneum* te meum vocaui, propter dulciſſimum illud contubernium, quod cum te adoleſcentulo ipſe ego maiuſculus in *Academia Carnotenſi* ſub noſtro illo venerabili Socrate iucundiſſimè duxi: cuius de conuictu gloriari nobis dignius licet, quàm gloriabatur Plato gratias agens naturæ, eo quod in diebus Socratis ſui hominem ſe & non pecudem peperiſſet: nos enim ſanctiorem vitã ſalubrioremque Doctrinam Catholici & Chriſtianiſſimi hominis experti ſumus, & nunc eius apud Deum precibus adiiuuari ſperare debemus. Neque enim putandus eſt memoriam in qua nos tanquam in ſinu materno ſemper ferebat, amiſiſſe. Haud verò Charitas Chriſti qua ſicut filios amplectebatur, in eo extincta eſt: ſed abſque dubio memor noſtri diligens plenius, quam cum in corpore mortis huius peregrinaretur, inuitat ad ſe votis & tacitis precibus obteſtans per ſecreta illa & veſpertina colloquia, quæ nobiſcum in hortulo iuxta Capellam de ciuitate illa, quam Deo volente Senator nunc poſſidet, ſæpius habebat, & obſecrans per lachrymas quas interdum in medio ſermone prorumpens exundante S. ardoris impetu emanabat, vt illuc omni ſtudio properemus viam Regiam directum gradientes SS. Patrum veſtigiis obſeruantiſſimè inhærentes, vt nullum prorſus in diuerticulum, nullam in nouam & fallacem ſemitam deſiliamus, ne forte in laqueos & ſcandala incidamus. Quia ſicut ait Pſalmiſta, iuxta

» iter ſcandalum poſuerunt mihi. Auertat Dominus à te, ſancte Frater, ſemitas tales & conuertat pedes tuos in teſtimonia ſua, & mendaces oſtendat qui famam tuam tam fœda labe maculare nituntur, ſpargentes vſquequaque, vt non ſolum Latinas verum etiam Teutonicas aures inter quas diu peregrinor, pepulerint, quaſi te ab vnitate S. Matris Eccleſiæ diuulſeris, & de corpore & ſanguine Domini quod quotidie in vniuerſa terra ſuper ſanctum altare immolatur, aliter quam fides Catholica teneat, ſentire videatis. Hoc eſt, vt illorum de te dictis vtar, non eſſe verum Corpus Chriſti, neque verum ſanguinem, ſed figuram quandam & ſimilitudinem. Hæc ante hoc biennium cum audiſſem, fraternitatem tuam per Epiſtolam conuenire idque ex te ipſo certius ſciſcitandum eſſe decreui. Sciens porro familiarem tuum D. Paulinum Metenſem Primicerium tibi propiorem tibique aliquanto viciniorem eſſe, & mea petitione & ſua ſolicitatione delegaui ſibi huius negotij executionem. At ille, non enim in hac re laudare eum poſſum, negligens ſiue alterutrum, ſiue vtrumque noſtrum vſque adhuc reliquit me ſuſpenſum. Sed Diuina gratia nos nunquam negligens inopinato mihi melius obtulit quam optabam. Optabam autem inuenire hominem peregrinandi vſu exercitatum, regionis & linguæ Francorum non ignarum: & ecce ſtetit mihi è latere G. ex tuo nomine me ſalutans..... Obſecrans per miſericordiam Dei per ſuauiſſimam memoriam Fulberti, vt pacem Catholicam diligas, neque conturbes Rempub. Chriſtianæ Ciuitatis bene compoſitam à maioribus noſtris, per quam tot millia Martyrum contra Idololatriam & Regnum Diaboli fortiter certantes triumpharunt, ſubindeque SS. Doctores bella Ciuilia ab hæreticis commota ſalutaris eloquentiæ fluminibus reſtinxerunt, atque eam circumquaque munierunt, vt iam nouus hoſtis nullus oboriri queat, qui aduerſus eam aliquid nitens non continuò mille iaculis deſuper ruentibus obruatur: Ideo confuſi ſunt omnes & defecerunt. Vbi enim ſunt Manichæi? vbi Ariani? quonam tota illa factio perditiſſimorum Ciuium euaſit? computruit etiam memoria eorum. At vero Ambroſius, Auguſtinus, Hieronymus & alij plures beſtiarum talium oppreſſores cum laudibus viuunt, quotidieque ſplendidius eflloreſcunt. Bonum eſt, frater, nobis paruulis ſub iſtorum ducum titulis deliteſcere, quorum tam valida tamque probabilis eſt apud Eccleſiaſticas aures authoritas, ſanctarum virtutum fulgore cœleſtis ſapientiæ luce præpollens, vt extremæ iam ſit dementiæ vel de ratione fidei, vel de ordine rectè viuendi eis in aliquo refragari...... *Ipſe igitur*, Chriſtus cum hominibus manens ſemper & homines baptizat per homines, & conſecrat quidquid per homines conſecratur, vtrumque enim in Euangelio habemus & quod Ieſus baptizaret, & quod ipſe non baptizaret ſed Diſcipuli eius. Baptizat nimirum, quia quando Corpus ſub quibuſdam verbis ſolemnibus in aqua merſatur, ipſe animam mortuam peccata remittendo viuificat, ſicut in Euangelio loquitur, *venit hora & nunc eſt quando mortui audient vocem filij Dei, & qui audierint, viuent*. Quod non niſi de reſurrectione animarum accipi poteſt. Baptizat & homo, per cuius manus & linguam opus illud adminiſtratur, ſed maximè & principaliter ille baptizat qui vim & efficientiam totam præſtat. Propter quod dictum eſt Ioanni Baptiſtæ, *ſuper quem videris ſpiritum deſcendentem & manentē ſuper eum, ille eſt qui baptizat*. Alioquin baptiſmus vnus non eſſet, ſed prout meritum ſe haberet baptizantis, alius dignior, alius indignior fieret, & quem homo ſanctior baptizaret, ille melius baptizatus eſſet. Sed abſit, quia quicunque baptizat in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti, baptizat dignus aut indignus, ſanctus aut peccator, Catholicus aut hæreticus: nihil intereſt; quoniam miniſterium illorum tantummodo eſt, nec ab eis, ſed per eos, ſi rectè loqui volumus, baptizatur. Chriſtus igitur per manum & os ſacerdotis baptizat; Chriſtus per manum & os ſacerdotis Corpus & ſanguinem ſuum creat. *An experimentum quæritis eius qui in me loquitur Chriſtus?* Dicebat quidem hoc Apoſtolus non arroganter ſe efferendo, ſed veraciter docendo Chriſtum in miniſtris ſuis & loqui, quod ipſi loqui audiuntur, & operari quod ipſi facere videntur; propter quod ſacerdos eſt in æternum, quia ipſe eſt qui baptizat & qui immolat. Nam quod ſemel fecit paſſibiliter per ſemetipſum, id quotidie agit impaſſibiliter per eos quibus dedit poteſtatem filios Dei fieri. Nec aliter melius poſſe intelligi puto quod Apoſtolus de illo ait, *Qui eſt ad dexteram Patris, qui etiam interpellat pro nobis*, quàm vt

interpellario iſta fiat, non verba proferendo, ſed obedientiam atque humanitatem ſuam per commemorationem paſſionis Dco Parti commendando. Hoc quoque in eiuſdem ſacramenti inſtitutione cum iam ſub articulo ipſius paſſionis agonizaret, & ad dolores carnis mox futuros præſcio ſpiritu pauitarer, hoc inquam certiſſimum pignus ſui dilectis Diſcipulis relinquens, *Hoc facito*, inquit, *in meam commemorationem*, commemorationem inquam charitatis erga vos, pro quibus animam meam pono, & obedientiæ apud Parrem, quia *ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio.* Quod ſi quos mouet cur hoc ſacramentum non viſibiliter transmuretur in ſpeciem carnis & ſanguinis, attendanr quod Apoſtolus air, *per fidem ambulamus & non per ſpeciem. Eſt autem fides* ſicut ipſe definiuit, *ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium.* Si enim id quod intus ſunr, foris ſacramenta oſtenderenr, *fides ex qua iuſtus viuit*, non ſolum otioſa, verum etiam nulla omnino eſſet. Quod enim videt quis, quî ſperat? vt ergo fides exerceatur credendo quod non apparet, vitale ſacramenrum ſub ſpecie corporea vtiliter latet, vt anima in corpore. Denique in bapriſmi aqua quilibet oculis intuenrium videtur, & homo baptizarus quid aliud quam quod erat antea apparet? non enim ex nigro albus, aur ex illirerato Grammaticus per lauacrum regenerationis efficitur. *O animalis homo* qui non percipis ea quæ Dei ſunt! O Cato carnalibus phantaſiis magis quam vino ebria! quouſque ab his tam infeliciter ludificaberis? non enim ſimilis eſt hic error denegationi ſaluris animarum aut illuſionibus ſomniorum, aur de aquis & ſpeculis reſultantium imaginarionum: quia ibi ſine periculo fallitur, hîc cum detrimento irrecuperabili, niſi reſipiſcatur, erratur. Expergiſcere ergo & clama. *Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius?* & reſpondebir tibi Apoſtolica conſolario, *Gratia Dei per I. C. Dominum noſtrum.* Quod & ſi credimus verum eſſe, non liberari hominem ſolum à moleſtia ſpiritualis pugnæ, quam hoc in loco mortem appellar, ſed nec à miſeria errorum, niſi Gratia Dei per I. C. D. N. melius tamen id intelligimus ſi humanæ naturæ concretionem & vim, quæ nimirum in ſenſu corporis & animi intellectu tota conſtar, diligenter inſpicimus: & quid per vtrumque quidue per alterutrum valeat, breuiter perſtringemus: ſunt namque multa quæ ſolo ſenſu corporis agimus, ſicut audite & videre, pleraque, ſicut legere & ſcribere, quæ communiter ſenſus cum intellectu adminiſtrat. Plurima vero ad quæ ſenſui nullus prorſus acceſſus eſt, ſicur ad rationem numerorum, ad proportiones ſonorum & omnino ad notiones rerum incorporearum, quæ omnia quilibet intellectus ſed purus atque etiam vſu limarus percipere meretur.

Anno 1048. Kalendis Ian. obiit Odilo Abbas Cluniacenſis, vir ſanctitate vitæ 1408. & meriro præcipuus, vr & primatiæ inter Atuernos nobilitatis. Erat enim Beraldi I. cognomento Magni, Domini de Mercorio filius, Fulberti Carnotenſis neſcio an Diſcipulus, certè amiciſſimus, vt teſtatur Ep. 68. qua ſe ad Epiſcopatum Carnotenſem prouectum ſcribir nullo ſuo merito, rogatq; vt pro ſe preces ad Deum fundat. *Decet Pater, vt tu quoque viciſſim me tuum ſeruulum, de te pendentem, teque non ſine magna fiducia reſpectantem ſacris interceſſionibus adiuues. Sum enim valde miſerabilis homo, qui cum ad propriam non ſufficerem, ad publicam curam neſcio qua ſeu ratione ſeu temeritate perductus ſum.* Scribit quoque Siluiniaci Monachus Fulbertum cenſuiſſe Odilonem vocandum eſſe Archangelum Monachorum. *Hoc nomine cenſebat eum appellandum in ſuis Sermonibus & Epiſtolis Fulbertus ille ſibi præcordialis amicus Carnotenſis Epiſcopus, in ſanctitate laudabilis, in ſapientia mirabilis, in cuius morte ſtudium Philoſophiæ in Francia periit & gloria ſacerdotum pæne cecidit.* Obiit autem anno ætatis 76. vt legirur in Chronico Malleacenſi: quorum quinquaginta & vnum in cœnobio conſumpſerat. At alij centenarium obiiſſe ſcribunt, & Virginem. Electus fuir Abbas volente Maiolo an. 988. quam in rem extat inſtrumentum à D. Luca Dacherio editum, ex quo ſexaginta totos annos Abbatiam rexiſſe comperietur. Et quemadmodum Maiolus ipſum, ſic ipſe ſibi ſucceſſorem deſignauit Hugonem de Semur vitæ meritis non diſſimilem, virum per nobilem ex genere Ædua, ſpectatæ ſanctitatis ac virtutum gloria celebrem: Et vt ait Platina, genre, pietare, religione, clementia & doctrina inſignem.

Eodem anno obiit Clemens II. ab Henrico Imperatore Papa conſtitutus, quem vt ei vices rependeret, Romanos iuramento obſtrinxiſſe cõmemorant

nullum ſe deinceps electuros vel conſecraturos Pontificem, niſi quem Imperator dediſſet aut probaſſet. Quæ cauſa deinde fuit plurimorum in Eccleſia Catholica ſchiſmatum & bellorum. Qua tamen conſtitutione non obſtante Damaſus II. Bauarus nullo Cleri populique conſenſu Pontificatum per vim occupat; ſed eo poſt 23. dies ſublato, ab Imperatore ſubſtituitur Bruno Alſatius Epiſcopus Tullenſis vir ex clariſſimis, nobiliſſimis & religioſiſſimis parentibus ortus, Hugonis Comitis de Daſporch filius. Legitur in Chronico S. Benigni Romanos Damaſo mortuo per legatos ab Imperatore poſtulaſſe Halinardum Lugdunenſem Archipræſulem in Pontificem, ſed eo moras trahente & dubitante, delectum fuiſſe ab Henrico Imper. Hugonem virum tam eximiâ virtute quàm Regij ſanguinis claritate conſpicuum, collecto in eam rem magno Epiſcoporum & Procerum Conuentu apud Moguntiam, vel vt alij ſcribunt apud Vvormaciam. Ille autem Leonis IX. nomen aſſumpſit: qui licet vir eſſet ex omnium Hiſtoricorum fide ſanctiſſimus, in hoc tamen peccaſſe creditur, quod nondum conſecratus, nondum aditâ ſucceſſione S. Petri, ſolâ fretus Imperatoris electione Bizuntij, cum Romam iret, altaria conſecrarit, Indulgentias conceſſerit, ſeptem Canonicos Cardinales 5. non. Octob. an. 1048. in Eccleſia Bizuntina inſtituerit, qui 12. tantum Feb. an. 1409. à Clero Romano conſecratus fuiſſe legitur. Refert verò Otho Friſinghenſis eum ab Hildebrando Cluniacenſi Priore ea de re grauiter increpitum, vt erat ab omni faſtu alieniſſimus, depoſitâ purpurâ Pontificiâ, ſumptoque peregrini habitu Romam contendiſſe, nec niſi à legitimis Electoribus in ſede Romanâ conſtitutum, Papam egiſſe.

Hinc, ne deinceps in ea re peccaretur, abrogato Clementis Decreto, quo eligendi Pontificis ius Imperatoribus attribuerat, Eccleſiæ Rom. reſtituit: & ne deinceps Pontificum Rom. electio in incerto foret, Cardinalium Collegium inſtituiſſe dicitur, veluti ſacrum Conſilium, atque eis eligendi munus attribuiſſe. Primuſque omnium ab eo creatus recenſetur Humbertus Candidæ ſiluæ, Gallus, Monachus Tullenſis & Mediani Cœnobij Abbas, vir doctiſſimus ac clari ingenij, qui cum eo Romam profectus fuerat: quique etiam ab eo Siciliæ Archipræſul ordinatus eſt. Cæterum Leo in Pontificatu tantâ fuit pietate, innocentiâ, benignitate, gratiâ & hoſpitalitate inſignis teſte Platina, vt eius domus peregrinis & pauperibus ſemper patuerit; ſed tantus vir breui terris ereptus eſt: ſedit enim annos tantùm quinque, menſes duos & dies ſex: & tamen tam breui ſpatio octo Concilia celebrauit, Romanum, Papienſe, Remenſe, Moguntinum, Romanum alterum, Vercellenſe contra Berengarium, Romanum tertium & Wormacienſe.

Eodem an. 16. Iulij obiit Olbertus Abbas Gemblacenſis, quem ante annum milleſimum ſcholas Trecenſes, Pariſienſes & Carnotenſes frequentaſſe commemorauimus. Ei ſucceſſit Miſac Maſcelinus dictus, amicus conſanguineus, Virduni primum ſub Richardo Abbate in Gymnaſio Monaſtico educatus. Fratrem habuit nomine Fulcuinum, qui vt legitur in libello de Geſtis Abbatum Gemblacenſium, exercitio litteralis ſcientiæ doratus Popponi Abbati Stabulenſi ad regendas Puerorum ſcholas directus eſt, & ab eo poſtea ad Abbatiam S. Vincentij Metenſis promotus. Quo Abbate floruit Sigebertus Scholaſticus, qui deinde in Gemblacenſi Cœnobio multos erudiuit, vt infra dicemus.

Anno 1049. venit in Franciam Leo rogatu Hermeri Abbatis S. Remigij, &
1049. apud Remos Monaſterium illud magnis ſumptibus ab eodem Abbate conſtructum conſecrauit, ibidemque Concilium habuit Epiſcoporum & Abbatum, in quo, inquit author Hiſtoriæ à Roberto ad mortem Philippi I. *Simoniacam hæreſim quæ fere totam reſperſerat Galliam, anathematis ſuggillauit gladio, multos humilians quos ea peſtis extulerat, & SS. Patrum ſtatuta quæ propemodum apud Gallos abolita fuerant, reformans.* Inter cæteros verò Hugonem Lingonenſem & Gilduinum Senonenſem alioſque paſſim in Francia Epiſcopali honore priuauit, qui ſacras illas dignitates conuicti fuerant pecuniâ comparaſſe. In eodem Concilio Preſbyteris vxores habere & arma ferre prohibuit. Tunc enim temporis, imò & iam antea cœperant ſacerdotes & Epiſcopi ducere vxores non ſecus ac laici, filiiſque ſuis ſacerdotia ac præbendas aſſignare: quæ praua conſuetudo

non ſtatim nec facilè abrogari potuit: cum enim ea de re agi cœpit, multæ in vtramque partem à Doctis rationes propoſitæ ſunt. Hinc orta hæreſis Neophytorum, à quâ non immunes fuerunt Quidam Canonici Baſilicæ Pariſienſis, qui ipſi vxores quas habebant, ægre dimiſerunt. Huiuſce autem Hæreſeos originem ſic deſcribit Ordericus Vitalis lib. 5. Hiſtor. Eccleſ. *Tunc quippe in Neuſtria,* inquit, *poſt aduentum Normanorum in tantum diſſoluta erat caſtitas Clericorum, vt non ſolum presbyteri, ſed etiam Præſules liberè vterentur toris concubinarum & palam ſuperbirent multiplici propagine filiorum ac filiarum. Huiuſmodi mos inoleuit tempore Neophytorum, qui cum Rollone baptizati ſunt, & deſolatam regionem non litteris, ſed armis inſtructi violenter inuaſerunt. Deinde Presbyteri de ſtirpe Dacorum litteris tenuiter edocti Parochias tenebant, & arma ferentes Laicalem feudum militari famulatu defendebant. Tandem Bruno Lotharingius Tullenſis Epiſcopus Romam adſcitus eſt, Deoque diſpenſante Leo Papa factus eſt....* In Gallias anno Dominicæ Incarnationis 1049. venit, Eccleſiam S. Remigij *Remorum Archiepiſcopi* Kalendis Octobris dedicauit.... *Tunc idem Generale Concilium tenuit & inter reliqua Eccleſiæ commoda quæ instituit, Presbyteris arma ferre & Coniuges habere prohibuit. Exinde conſuetudo lethalis paulatim exinaniri cœpit. Arma quidem ferre Presbyteri iam gratanter deſiere, ſed à pellicibus adhuc nolunt abſtinere.*

In eandem rem extant multæ Iuonis Carnotenſis Epiſtolæ, qui ſub finem huius ſeculi floruit. Ep. 149. congratulatur Willelmo Rhotomagenſi Archiepiſcopo quod matrimonia eiuſmodi, illicita & ſacrilegia prohiberet. *Quorum conſilio & auxilio,* inquit, *eliminata eſt de prædicta Eccleſia* (ſcilicet Lexouienſi) *ſpurcitia puerorum, noua & inaudita Neophytorum hæreſi Cathedram Epiſcopalem in eadem Eccleſia vſurpantium. Quod quamuis ad tempus aliquâ rationabili conſideratione vel aliquâ puſillanimitate ſit à vobis toleratum; nunc tamen eſt in quantum Nobis videtur, in melius commutatum. Cum & ipſos flammigeros pueros de prædicta Eccleſia eijci feceritis, & virum ſtrenuum & honeſtum D. videlicet Guillelmum Ebroicenſem Archidiaconum in Paſtorem prædictæ Eccleſiæ elegeritis.*

Idem author queritur apud Daimbertum Archiepiſcopum Senonenſem Ep. 200. quod Cantor illius Metropoleos ſedem ſibi indebitam temerariâ ambitione occupaſſet, maximè verò quod Quidam de Prælatis Eccleſiæ *publicè ſibi duo ſcorta copulaſſet, & tertiam pellicem, cui matrimoniales tabulas faciat, iam ſibi præparaſſet.* Et ad Gualonem Epiſcopum Pariſienſem ſic ſcribit de Canonico Eccleſiæ Pariſ. Ep. 218. *De Canonico Eccleſiæ veſtræ, qui contra prohibitionem veſtram matrimoniales tabulas ſibi compoſuit, nullam ſententiam ad manum habeo, quam Dilectio veſtra ignoret, ſi ſcripto apud ſe repoſita diligenter exploret. Verumtamen conſilium quod mihi ipſi darem, ſi aliquem de commiſſis mihi fratribus vxoriâ compede adſtrictum deprehenderem, tutum eſſe intelligo; videlicet vt ſacramentum Coniugij maneat, Clericus verò qui poſthabita Clericali continentia de ſuperiori Ordine ad inferiorem deſcendit, ſtipendia militiæ Clericalis amittat.*

Hinc intelligitur in Eccleſia Gallicana difficile fuiſſe continentiam Clericis perſuadere: & multos presbyteros diu manſiſſe vxoratos contra Sanctiones Eccleſiaſticas: adeo vt Epiſcopi, qui eiuſmodi Clericos excludere ab Eccleſia aut Eccleſiaſticis muneribus vellent, ſæpe in vitæ diſcrimine verſarentur: vt ait Nicolaus Monachus lib. 2. c. 8. de vita S. Godefridi Ep. Ambianenſis, ad quem extant Iuonis Carnotenſis Epiſtolæ, *Sanctitatis & pudicitiæ cuſtos adeo præclarus & ſtudioſus vbique extitit, vt infames Clericos vel impuro matrimonio copulatos non ſolum à ſuo conſortio, ſed etiam à Chori ingreſſu conſtanter arceret.* Eam ob rem *multis ab illis proſcindebatur, multis appetebatur inſidiis.*

In eodem Concilio inſtituta eſt à Leone Pontifice ſolemnitas Remigialiorum; quam in rem extat eius Bulla ad omnes Galliæ Prælatos his verbis.

Leo Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Dilectis fratribus & filiis Catholicis per Vniuerſum Regnum Francorum conſtitutis ſalutem & Apoſtol. Benedict. Compertum Charitati veſtræ credimus, quod poſt conſecrationem noſtram, illam videlicet qua benignitas Dei humilitatem noſtram S. Romanæ Eccleſiæ præeſſe voluit, Germaniam Galliamque viſitauimus ac Remorũ vrbem adeuntes maximo voto & ſumma deuotione Eccleſiam B. Remigij, vt longè ante deſiderauimus, Deo annuente & eiuſdem ſanctiſſimi viri patrocinantibus meritis cum ma-

Digitized by Google

» gna gloria dedicauimus: atque poſt conſecrationem Eccleſiæ in eadem ſynodum
» celebranres plurima ad vtilitatem Religionis neceſſaria conſilio Coëpiſcoporum
» noſtrotum, aſſenſu etiam & laude cleri & populi, quorum innumera multitudo ad
» tantæ deuotionis celebtitatem confluxerat, ſtaruendo confirmauimus. Quæ om-
» nia Capirulis digeſta inter Canones haberi præcepimus, & poſtea in omnibus ſy-
» nodis quæ habuimus, idipſum confirmare ourauimus. *Et quoniam Beatiſſimum Re-*
» *miginm Francorum Prædicatorem & Apoſtolum ſcimus, venerari & honorare illum*
» *quem Dominns in terris & in cælo mirificauit, prout poſſumus, debemus*, præſertim cum
» ſemper in noſtro pectore inde ipſius amor feruentius ardeſcit, quod prericſiſſi-
» mum Corpus ipſius ſanctiſſimi viri propriis manibus transferentes in locum ſibi
» præparatum miraque pulchritudine exquiſiti operis decoratum repoſuimus. Vn-
» de veſtram admonere volumus dilectionem, vt ſicut Nos in eius obſequiis per-
» penditis gratulari, ita & vos cauſa noſtri amoris maximéque ex debito paterni
» honoris *ſolemnitatem eius qua eſt Kalendis octobris, celebrem habeatis: quia & ſi aliis*
» *non eſt Apoſtolns, tamen vobis eſt. Nam primitia Apoſtolatns eius vos eſtis in Domino.*
» Hunc itaque honorem Patri & Apoſtolo veſtro exhibete, vt iuxta promiſſum
» Domini longæui ſuper terram viuere, & eiuſdem Patris precibus æternæ bea-
» titudinis felicitatem mereamini poſſidere.

In eodem Concilio, cui adfuiſſe dicitur Lanfrancus, exiſtimant nonnulli lectam fuiſſe Epiſtolam Berengarij ad ipſum, ibique primum eius reprobatam fuiſſe publicè Doctrinam, ac iuſſum ire Romam ad purgandam fidem: Romæ deinde cum comparuiſſet Lanfrancus, nec Berengarius adeſſet, indictâ quidem cauſâ damnatum; at plenius frequentiuſque Concilium indictum Vercellis ad annum 1051. ad quod ipſe citatus fuerit, vt doctrinæ ſuæ rationem redderet. Verumtamen cum in actis concilij Remenſis nulla videatut facta fuiſſe mentio Berengarij, credibile eſt tum nondum planè doctrinam illam extra ſcholas prodiſſe, aut ſi quid de ea telatum eſt, Leonem noluiſſe agitari, ne ſi corruptiſſimis Eccleſiaſticorum temporibus illa Quæſtio publicè moueretur, plurimos inuenitet fautores præſertim in Francia, vbi Diſciplina plurimum elanguerat.

1050. Anno 1050. aiunt Monachi San-Dionyſiani planè deciſam fuiſſe litē de corpore S. Dionyſij Areopagitæ, quod Monachi Ratis-Ponenſes ſibi vindicabant ob rationes, quas in fine primi ſeculi retulimus. Legitur autem in quodam Codice M. S. Bibliothecæ Thuanæ, fuiſſe hiſce temporibus inuentum Ratis-Ponæ Corpus cuiuſdam mortui, & ſtatim famam percrebuiſſe, Corpus eſſe S. Dionyſij Areopagitæ: itaque rogatum Imperarorem Henricum, rogatum & Leonem IX. Papam vt inquiſitioni intereſſe vellent, magnoque Eccleſiaſticorum & Laicorum cōuentu habito, multis rationibus & argumentis ad ſpeciē probabilibus fidē eius rei factam, quod cum viderent Nuncij Henrici Regis Francorum qui ab eo & ob has cauſas ad Imperatorem miſſi fuerant, rogauiſſe, ne communem iſtam Conuentus Ratiſbonenſis ſententiam pro vera euulgaret, donec in Francia certioribus indiciis eiuſdem Sancti Corpus in Cœnobio San-Dionyſiano Pariſ. reſidere comprobaretur: hæc autem verba ad eum habuiſſe. *Hunc Populum qui congregatnr hic ſub edicto per diuerſa loca inuitatus, huius rei gratia conneniſſe accepimus, vt pro B. Dionyſio Areopagita, neſcimns cuins defuncti hominis defoſſa elenentnr oſſa, cum aliorum pignoribus ſanctornm ſub veneratione amodo colenda. Quod quàm abſurdum ſit credere aut agere facile valet perpendi: cni probabilis ingenij perſpicaciſque ſenſns alto acnmine, ſi competenter rei ſeriem velit indagando conicctare. Nam ſicut didicimus plurimorum authenticâ ſententiâ quos in Litterarnm atqne Liberalium Diſciplinis ſtudiorum maioris vtilitatis ac pretij aiunt eſſe in noſtra Patria, in Regis Dagoberti euidentiſſimè reperitur geſtis deſcriptum, quemadmodum memoratum Sanctum cum duobus ſociis honorificè poſuerit in ſcriniis argenteis artificioſarum ſerarum atque obicnm mirificâ atque ſubtili diligentiâ, vt adhuc hodie videri poteſt, munitis.* Reuerſi in Franciam Nuncij, quæ viderant Regi Henrico renunciarunt: at ille ſolemniter conuocata multitudine Epiſcoporū & Ptimatum ſcrinia thecaſque iuſſit aperiri, vbi reperta aiunt fuiſſe oſſa B. Dionyſij & ſociotum. Huic inquiſitioni præſentes adfuerunr Wido Remenſium Archiepiſcopus, Robertus Cantuarienſis, Imbertus Pariſienſis.
» Rigordus rem ſic narrat. Henricus Rex auditis tumoribus, quod in Alemania,
» in ciuitate Ratiſbona, in Abbatia S. Hermerentiani Martyris inuentū fuit corpus

quod

Digitized by Google

quod dicebant eſſe Dionyſij Areopagitæ, miſit nuncios ſuos ad Henricum Imperatorem cum litteris ſuis vt diem eleuationis illius corporis protelaret, quo vſque per certos nuncios verum corpus Hiero-Martyris Dionyſij Athenarum Archiepiſcopi Diſcipuli Apoſtoli Pauli in Francia, in Eccleſia quam Dagobertus fundauerat, eſſet vel non, pleniſſimè certificarentur. Quo audito Imperator miſit magnos viros & ſapientes in Franciam, vt plenè rei veritatem agnoſceret. Viſis nunciis Imperatoris Henricus Rex conuocauit Archiepiſcopos, Epiſcopos & Barones totius Regni & cum Odone cariſſimo fratre ſuo ad Eccleſiam Beatiſſimi Martyris Dionyſij totum corpus ipſius cum capite inuentum eſt exceptis duobus Oſſibus de collo quæ ſunt in Eccleſia Vergiacenſi, & os quoddam de Brachio quod Stephanus Papa 3. ſecum ad Romanam portauit Eccleſiam & poſuit in Eccleſia quæ hodie Schola Græcorum vocatur. Hæc videntes vniuerſi populi lacrymis & ſuſpiriis puras mentes eleuantes ad Dominum Deo & B. Mariæ Virgini & SS. Martyribus ſe commendantes cum gaudio receſſerunt. Tunc Nuncij qui miſſi fuerant ad Imperatorem citiſſimè reuertentes ſuper his quæ viderant & audierant, Imperatorem pleniſſimè certificauerunt. Hoc fuit factum tempore Leonis Papæ IX. an. D. 1050.

Contra Monachi Ratiſbonenſes Leonis IX. pro ſe diploma publicarunt, qui Conuentui Ratiſbonenſi & inquiſitioni interfuerat. Eſt autem eiuſmodi ad Henricum noſtrum.

Leo Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Cariſſimo filio inclyto Regi Frãcorum ac venerabilibus fratribus Archiepiſcopis, Epiſcopis & Dilectis in Christo filiis Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis & Decanis, vniuerſiſque tam ſubditis, quam prælatis eiuſdem Regni Sal. & Apoſt. Bened. & paulo poſt initium cum per inſtantiã Sereniſſimi Imperatoris Henrici ad partes Germaniæ viſitãdas ac præcipuè ad vrbẽ quæ dicitur Ratiſbona vel Regenſpurg euocati eſſemus ad venerabile Corpus B. wolfangi eiuſdẽ vrbis Epiſc. transferendũ, Hoc ea qua decuit reuerentia & deuotione peracto, tui Francorũ Rex in Chriſto fili Cariſſime, Nos legati tuorumque omniũ vice ſolliciti rogarunt, quatenus litẽ quæ inter vos & vrbem prædictã ſuper ſacroſanctis oſſibus Beatiſsimi Dionyſij Areopagitæ diutiſſimè ventilata veritate diſcuſſa eſt, dirimere curaremus, vobis quidem eadem apud vos eſſe dicentibus, ciuibus autem atque incolis vrbis præfatæ aſtruentibus è conuerſo ea per inuictiſſimum Arnulphum quondam Imperatorem ad Eccleſiam B. Martyris Emmerani eſſe tranſlata, ibidemque deinceps contineri. Quæ quidem Eccleſia inibi ſita eſt, atque ab omni aliorum ſubiectione ac iuriſdictione libera & excepta ad ius & proprietatem B. Petri Apoſtolicæ ſedis immediate pertinere dignoſcitur, oblatione videlicet excellentiſſimi Romanorum Imperatoris Caroli M. ac poſterorum ipſius, qui eidem hactenus ſucceſſerunt ſeu in Imperio ſeu in Regno. Id ipſum nihilominus venerabilis Abbas Reginwardus ac fratres eiuſdem Eccleſiæ cum Vniuerſitate Ratiſpona inſtantiſſima inſtantia petiuerunt fieri. Nos ergo vtriuſque partis precibus inclinati, nec volentes vlterius corda fidelium huius dubij ambiguo caligare, in fratrum noſtrorum ac plurium Epiſcoporum ac Prælatorum præſentia & conſpectu ſcripta Arnulphi Auguſti ordinemque rei diligentiſſimè perlegentes, nec eo contenti, capſas, thecas, & ſcrinia, in quibus ſacræ reliquiæ condita dicebantur, ac titulos ac epigrammata eorundem oculotenus ſolerti examine diſcutiendo, nihilque omittendo quod ad indagationẽ certitudinis pertinet, tam Imperialibus quam Papalibus anteceſſorum noſtrorum litteris ſufficienter inſtructi, picturis quoque parietum multiplicibus & ſculpturis vetuſtiſsimis exprimentibus indicia veritatis & notas, indubitata fide comperimus dicti Doctoris & martyris oſſa venerabilia excepta particula vnica ſimul & minima manus dextræ apud memoratum B. Emmeramni cœnobium integraliter contineri. Etenim ne teſtimonia hominum quæ iam diximus, non ſufficerent, diuina quoque non defuere prodigia & portenta, quæ dubium omne penitus abegerunt, quæ nos quoque conſcribi iuſſimus diligenter vobiſque tranſmitti per veſtros Nuncios ac Legatos, nec non apud Eccleſiam prædictam perpetuè conſeruari, vt & ad poſteros geſtæ rei notitia deducatur & vlterius litigandi materia penitus conquieſcat. Inſuper & diſtrictè præcipimus ſtatuentes vt tranſlationis illius veneranda ſolemnitas tum à fratribus eiuſdem

„ Eccleſiæ, quam ab Vniuerſis vrbis iam dictæ annis ſingulis cum omni iu-
„ cunditate & gaudio celebretur, totaque tripudiet Regio Germanorum
„ tanti Patris atque Patroni aduentui non ingrata. Vos autem in Christo
„ dilectiſſimi fili Rex Francorum tuique fideles quamuis inuidendi Teuto-
„ nicæ Genti videamini iuſtam quidem habere' materiam, ita vt putatis, me-
„ rito de Alemannorum vocis lætitia ſit dolendum, conſiderantes tamen & Dei
„ omnipotentis & inuicti Martyris ſui voluntatem quem ablatum plâgitis, conſo-
„ lationis tandem admittite placamentum, penſantes attentius quod nec vobis ab-
„ latus eſt, quippe qui cariſſimos prædicationis ſuæ & paſſionis conſortes Ru-
„ ſticum & Eleutherium in dilectionis adhuc & tutelæ pignus & certitudinem de-
„ reliquit: nec dolete ſi Germanos iam viſitare dignatus eſt, vel defunctus adhuc
„ viuens prædicauit & apud vos bonum certamen certando, curſum conſumman-
„ do, fidem ſeruando triumphum peregit victorioſiſſimę Paſſionis Apoſtolatus ſui
„ ſuper vos ſigna tam in vita perficiens quam in morte. Quin igitur in Alemaniam
„ ipſius oſſa fouere non permittatis in ſolatium & tutelam, quem vobis Athenæ vt
„ Chriſtum lucrifaceret, vos viuum recipere, audire & cœlo tranſmittere per-
„ miſerunt? Accedit nihilominus conſolationis & alia ratio, auctoritas ſcilicet &
„ excellentia ſubſtructoris. Pretioſum quidem Theſaurum vos perdidiſſe fatemur,
„ ſed ablatoris attendite dignitatem, ſimulque Patris & Apoſtoli veſtri gloriæ
„ congaudete qui cum vos meritorum atque doctrinæ ſuæ gaza ditauerit, & re-
„ liquiarum ſaltem ſuarum....ac apothecas tam deuotum furem ſui corporis habet
„ quam inſignem auro vtique & topazio meliorem, qui ſui valore ad oſſa ſua ſan-
„ ctiſſima ſubtrahenda Cæſareum etia verticem inclinauit. Nec Maieſtas Impe-
„ rialis nec Regia Celtitudo Pij furis hic notam aut nomen erubuit in Arnulpho,
„ dummodo beati corporis opibus vel doli vel furti, vel ſacrilegij modo ſactari at-
„ que diteſcere mereretur, qui fures atque ſacrilegos erat ſolitus condemnare,
„ dummodo Macharij Dionyſij pretioſo corpore ſineretur, fur ipſe tunc fieri & ſa-
„ crilegus non contempſit *Et poſt pauca*. Præſentibus igitur dilectionem veſtram
„ monemus attentius & hortamur in Domino diſtictè præcipientes quatenus Ru-
„ ſtico & Eleutherio piè contenti non fallentes vos metipſos & alios beatiſſimi
„ Dionyſij oſſa in urbe Ratiſponenſium apud Eccleſiam Beati Emmeramni martyris
„ & noſcatis & fateámini coruſcare. Datum & actum Ratiſponæ per manum Fri-
„ derici Diaconi Bibliothecarij & Cancellarij S. Romanæ Eccleſiæ Catholicæ &
„ Apoſtolicæ an. D. 1052. anno pontificatus D. Leonis IX. Papæ 4. Indict 5. Non.
Octob. Launoyus diploma iſtud falſiſſimum eſſe & confictum multis argumen-
tis demonſtrat in ſuo de Areopag. iudicio, hoc præſertim Achillico argumen-
to, quod nullus ſcriptor Arnulpho Imperatori, Henrico Regi & Leoni æqualis
aut ſuppar illius rei meminerit.

Eodem anno regreſſus Romam Pontifex poſt Paſcha in Laterano conuentum habuit, ibique lectæ ſunt Berengarij ad Lanfrancum litteræ, quas Remenſis quidam Clericus attulerat. Aderat Lanfrancus, incertum quamobrem illuc profectus, nec caruit primò ſuſpicione prauæ Doctrinæ communicatæque cum Berengario rei. Verum poſtquam ſcrupulum omnem ex animis amouit, de Doctrina in litteris illis contenta, dictis ſententijs impoſitum eſt Berengario ſilentium, indictaque frequentior ſynodus ad proximum Septembrem Vercellis, ad quam vocatus eſt Berengarius. Hac de re ſic Lanfrancus in lib. de Euchar. Sacram. *Tempore S. Leonis Papa delata eſt hæreſis tua ad Apoſtolicam ſedem, qui cum Synodo præſideret ac reſideret ſecum non parua multitudo Epiſcoporum, Abbatum diuerſique ordinis à diuerſis regionibus religioſarum perſonarum, iuſſum eſt in omnium audientia recitari, quas mihi de Corpore & ſanguine Domini litteras tranſmiſiſti. Portitor quippe earum Legatus tuus me in Normania non reperto tradidit eas quibuſdam Clericis, quas cum legiſſent & contra vſitatiſſimam Eccleſiæ fidem ſcriptas animaduertiſſent, zelo Dei accenſi quibuſdam ad legendum eas porrexerunt, plurimis earum ſententias verbis expoſuerunt. Itaque factum eſt vt non deterior de te quam de me fuerit orta ſuſpicio, ad quem videlicet tales deſtinaſti, putantibus multis me fauere ac fouere quæ à te dicerentur, vel gratia qua te diligerem, vel fide qua reuera ita eſſe indubitanter tenerem. Igitur cum à quodam Remenſi Clerico Romam perlatas recitator legeret, intellecto quod Ioannem Scotum extolleres, Paſchaſium damnares, communi de Euchariſtia fidei aduerſa ſentires, promulgata eſt in*

Digitized by Google

te damnationis ſententia priuans te communione S. Eccleſia, quam tu priuate ſancta viui communione ſatagebas. Poſt hæc præcepit Papa vt ego ſurgerem, praui rumoris à me maculam abſtergerem, fidem meam exponerem, expoſitam plus ſacris authoritatibus quam argumentis probarem: itaque ſurrexi, quod ſenſi dixi, quod dixi probaui, omnibus placuit, nulli diſplicuit.

Vt vero reſciuit Berengarius damnatum ſe fuiſſe in Synodo Romana & ad Vercellenſem vocari, fugit in Normaniam ad Guillelmum Ducem, ac per amicos agit apud Henricum Francorum Regem, vt ſibi fauentem habeat, in eamque rem vtitur opera Frollanti Epiſcopi Siluanectenſis, cuius Reſponſales ad ipſum litteras infra referemus. Verum neutrum Principem in ſuas partes adducere poteſt. Guillelmus enim ſtatim conuentum habet Epiſcoporum & doctorum virorum ſuæ ditionis in Caſtello Brionenſi, in cuius valle ſitum eſt Beccenſe Cœnobium, Berengariumque cum quodam Clerico quem ſecum adduxerat, damnat tanquam malè de fide ſentientem.

Ita expulſus Carnorum petit, vbi iam pridem erroris iſtius noui fama ſparſa fuerat, & cum à quibuſdam interrogaretur, quid de ſacramento altaris ſentiret, diu quaſi elinguis manſit, ruptoq; tandē ſilentio dixit ſe tempore & loco reſponſurum. Extat tota huiuſce rei narratio in tractatu quem edidit contra Berengarium Durandus primus Abbas Troarnenſis de corpore & Sanguine Domini. Narrat enim parte 9. quomodo ipſe in Normania ſe pro hæretico agnoſcendum dederit, & in Conuentu Brionenſi damnatus ſit eodem anno more Gallicano menſe ſcilicet Martio die Annnnciationis: item in Pariſienſi Synodo habita idibus Octobris an. 1051. quæ omnia acta fuiſſe indicat ante Concilium Vercellenſe. Ipſum audiamus.

Verum, inquit, quia multa etſi imperito dicendi genere, ſaluâ tamen ſenſuum veritate & fidei integritate dicta ſunt de Dominici Sacramenti veritate, licet paucis conſcientiam noſtram excuſatum iri, neque ſimplicibus & quibus ſenſus profunditas vel librorum non ſuppetit copia, ſimpliciter dictaſſe, fideliter intimaſſe quod non ego ſolus videor præſumpſiſſe. Alij namque idem nacti, occaſionem venia dignam inueniuntur egiſſe, diuino vtique zelo impellente aduerſuſque hoſtes perfidos Eccleſiæ multa conſcripſiſſe, quorum maxima multitudo noſtra tempeſtate Francorum occupauerat Prouincias, & veneno ſuæ perfidiæ circumpoſitas inficere moliebatur regiones & loca. Porro erroris huius author videbatur & caput quidam Berengarius, cui plures Francorum, nonnulli quoque Normanorum, quos aut ipſe docuerat, aut in diſcendi ſtudio aliquantiſper iuuerat, plurimum fauoris dependebant.

Is autem Dominicæ incarnationis an. 1053. Normanorum finibus irrepſit, & ad Cœnobium quod Pratellis appellatur appulit, Catholicoque viro, qui idem ſtrenuè regebat Cœnobium, à quo & honeſtè ſatis exceptus fuerat, multa Blaſphemus impiè delatrauit. Quod ipſe quoque eodem Abbate Anſfredo (ſeu Anfrido) nomine referente cum apud me ſuper tanta impietate valde quereretur, non multo poſt agnoui. In multis itaque ſubtiliter ab eodem Abbate pertētatus, in multis perinde reprehēſibilis & perfidus eſt repertus. Qui inde digreſſus Normanorū Principem feſtinus adiit, quem ſua quoque irretire perfidia ſubtiliter attentauit. Verum ille licet ætate adoleſcentiæ nec dum excederet annos, tamen illum, quia Catholicæ fidei merito præditus erat & gratia, callidè ſuſpendit, ſecumque quoad Regni ſui ad Mediterraneā deueniret ſedē, Brionā vocabulo, detinuit. Vbi vndique coactis Catholicis ac ſapientibus viris ſuper eadem re diſponebat conflictum haberi. Eo ergo ventum eſt, & res ſequenti die ventilanda propoſita. Tumque multi ex tota Normania ſapientes, qui plurimi & clari habebantur, præfatum Hæreſiarcham Berengarium cum alio quodam, quem ſecum adduxerat, clerico, in cuius eloquentia victoriæ ſpem ſibi poſuerat, ita coram omnibus confutauerunt, atque euidenti ratione ſuperauerūt, quatenus ſilentium illis imponerent, verborumque quibus fidem Catholicam tuebātur, aſſenſum ab eis extorquerent. Berengarius autem tandem non ſine pudore euadens Carnotum petiit; vbi poſitus de eadem quęſtione ſe conſulentibus (audita quippe iam longè lateque res acta fuerat,) clericis eiuſdem vrbis nulla reſpondit. Cum verò ſibi opportunitas daretur, ſe reſponſurum promiſit; vnde non multo poſt litteras

Concilium Brionenſe in Normania contra Berengarium.

quas ipſe legi dictauit: in quibus multa abſurda fideiq; Catholicæ alienæ anhelus declamauit. Inter quæ Romanã Eccleſiã caput videlicet totius Chriſtianitatis multa temeritate hæretico vocabulo denotauit: cum qua Rectorem eius Dominum ſcilicet Papam Leonem, cuius fides Catholica, ſpectabilis ſapientiæ, laudabilis habebatur induſtria, quem non excepit, pariter infamauit, ſeque ad vtrumque conuincendum dum reſpondere differret, interrogantibus intendiſſe tetulit. Tunc quippe inſtabat conſtituta dies Concilij poſtmodum Vercellis habiti.

Has igitur puritatis, vt ſibi videbatur, plenas, ſed reuera multa vanitate refertas Carnotenſibus, qui ſibi quæſtionem intentauerant, deſtinauit. Cum autem tanti mali fama crebreſceret & omnium corda fidelium vehementius percelleret, perque multos huiuſmodi virus latenter & apertè iam ſerperet, contigit vt ad aurem etiam Regis Francorum Henrici perueniret, qui conſultu ſui Regni Pontificum Procerumque Concilium Pariſius cogi 17. Kal. Nouemb. præcepit, ac præfatum Berengarium, vt aut ſua dicta Patrum authoritate firmaret multis ſibi obnitentibus, aut ſi ea defendere nequiret, in Catholicam, cui obuiare non poſſet, fidem prudenter tranſiret, Intereſſe tantorum cœtui Patrum imperauit.

Concilium Pariſienſe contra Berengarium.

Interea condicta venerat dies, frequenſque conuentus Præſulum ac reliquorum ſancti ordinis Clericorum, nec non nobilium Laicorum Pariſius factus eſt. Sed iam dictus Berengarius malæ conſcientiæ perculſus terrore, vt iuſſus erat eo venire, diſtulit, ſeque cum Brunone ſuo videlicet Epiſcopo Andegauenſi, ſub quo Archidiaconi fungebatur honore, pro eo maximè continuit, quia eodem errore, vt pote tanti viri credulus & ipſe noſcebatur inuolui.

Interea Præſul Aurelianus (Iſambardus) quoſdam apices in ſcheda haud parua digeſtos in conſpectu omnium & Regis (intererat enim) protulit. Et præcipiat, inquit, veſtra Sanctitas has litteras à Berengario editas, ſi libet recitari, quas ego quidem ab ipſo nequaquam accepi, ſed cum eas cuidam ſuo familiari nomine Paulo per Veredarium dirigeret, violenter rapui. Quibus ſuſceptis & ad recitandum traditis omniũ aures eriguntur, ora in ſilentium componuntur, corda ad intelligendum quæ continebantur in eis, præparantur. Sed inter legendum multum repente fit murmur, & per ſingula abſurdi ſenſus verba grauis inſtrepit fremitus. Infremit itaque omnibus talis lectio, & quoniam nequiſſima ſordebat hæreſi, vehementer diſplicuit. Damnato proinde communi ſententia talium authore, damnatis eius complicibus cum Codice Ioannis Scoti, ex quo ea quæ dãnabantur, ſumpta videbantur, Concilio ſoluto diſceſſum eſt, ea conditione vt niſi reſipiſceret eiuſmodi peruerſitatis author cum ſequacibus ſuis, ab omni exercitu Francorum præeuntibus Clericis cum Eccleſiaſtico apparatu inſtanter quæſiti vbicunq; conueniſſent eo vſque obſiderentur, donec aut conſentirent Catholicæ fidei, aut mortis pœnas luituri caperentur. Quamobrem territi non multo poſt in Concilio ſuper fidei ſtatu Conuenti, ita ſe, ſicut Eccleſia tenet Catholica, credere fideliter & ſapere publicè profeſſi ſunt, delatis ſanctorum pignoribus vt omnibus ſatisfacerent, atque de veritate fidei quam profeſſi fuerant, eos qui aderant, certos facerent, ſacramentum dederunt. Sed omiſſa de talibus relatione, quos poſt hæc ad Apoſtaſiam & priorem vomitum audiuimus rediiſſe, libelli huius tenorem, in quo fidei noſtræ ſinceritatem iuxta Antiquorum Patrum authoritatem multis eorum exemplis adhibitis, vt potuimus, fideliter oſtendimus, claudamus. Dominum omnipotentem totis præcordiis glorificantes, cuius eſt donum & gratia, vt fideliter credamus & bene agamus, qui viuit & regnat in Trinitate vnica & vnitate perfecta per omnia ſecula ſeculorum Amen.

Hunc ergo ponit ordinem Durandus inter Concilia, quæ contra Berengarium habita ſunt, vt Brionenſe Normanorum Prælatorum præceſſerit. Pariſienſe totius Franciæ conſecutum ſit. Vltimum vero Eccleſiæ Romanæ & vniuerſale Vercellenſe à Pontifice habitum ſit. At irrepſiſſe videtur error in numerum annorum, cum ait celebrata fuiſſe duo illa priora Concilia an. 1053. deinde Vercellenſe: quippe ex omnium pœne Hiſtoricorum fide certum eſt Vercellenſe anno ſaltem 1052. fuiſſe celebratum.

Ergo Henricus Rex ne minus generoſus fidei defenſor videtetur, quam Willielmus, veritus ne malum ingtaueſceret, niſi naſcenti occurtetetur, cum iam Euſebius Bruno Andegauenſis Epiſcopus Berengario faueret, ſynodum Pariſiis habere decernit ad idus Octob. an. 1051. Ptius tamen quam eam habetet, à nonnullis cõuentus eſt, aut pet litteras monitus ne facerer, intet cœtetos à Theodwino Leodienſi & Frollanto Siluanectenſi Epiſcopis. Ille omnino diſſuaſit, quia cum Bruno Andegauenſis ſe Berengarij faurorem præſtaret, nec poſſet vt aiebat Epiſcopus abſque authoritate ſummi Pontificis damnati, inutile fore Concilium eiuſmodi conteſtabatur. Iſte verò Henricum Berengario conciliare conatus eſt. Extant vtriuſque in hanc rem litteræ. Priores quidem Theoduini ad Henricum ſunt eiuſmodi.

Gioriosiſſimo & inuictiſſimo Regi Francorum Henrico Theoduinus Leodienſis Antiſtes temporalis Regni gubernationem moderari, vt æternum cum Sanctis ab omnipotenti Deo meritò debeat coronari. Fama ſupremos Galliæ fines prætergreſſa totam Germaniam peruaſit, iamque omnium noſtrûm repleuit aures, qualitet Bruno Andegauenſis Epiſcopus, item Berengarius Turonenſis antiquas hæreſes modernis temporibus introducendo aſtruant Corpus Domini non tam Corpus eſſe, quam vmbram & figuram Corporis Domini, legitima coniugia deſtruant, & quantum in ipſis eſt, baptiſmum paruulorum euertant. Quos ad reuinciendum & publicè confutandum eo zelo eoque feruore, quo erga ſanctam Eccleſiam diuina inſpiratione plurimum ſemper ardetis, aiunt vos Concilium aduocaſſe, vbi tandem illud totius nobiliſſimi Regni veſtri heu nimis turpe opprobrium de medio auferatis, & in æternum ſi fieti poteſt, ab ipſa omnium memoria deleatis. O pia voluntas & verè Rege digniſſima, quæ vtinam effectum habere poſſit, vt in tanto ſacrilegio conuictos, quod certè facillimum eſt, abſque vlla dilatione debita vltio conſequeretur. Sed deſperamus id fieri poſſe, cum Bruno exiſtat Epiſcopus. Epiſcopum autem non oportet damnationis ſubire ſententiam præter Apoſtolicam authoritatem. Igitur omnes quicumque ſumus filii S. Matris Eccleſiæ, in maximo dolore poſiti ſumus. Nam plurimum veremur, ſi illis miſerrimis & perditiſſimis viris audientia S. Concilij, ſicut ipſis de pœna ſecuri poſtulant, permittatur, cum de tanta præſumptione reuinctos puniti minimè concedatur, grauiſſima ſcandala in omnium fidelium populo generari. Certè quod videbunt impunitos, & nequaquam à ſui gradus honore deiectos, eoſdem putabunt ab omni Concilio aut vinci non potuiſſe, aut iuſtificatos eſſe: eruntque, vt ita dicam, nouiſſima peiora prioribus. Ergo maieſtatem tuam omnes exoratam vellemus, vt interim illorum impiam ſacrilegam & nefariam aſſertionem audire contemneretis, donec acceprâ Romanæ ſedis audientiâ damnandi poteſtatem haberetis. Quamquam eiuſmodi homines nequaquam oporteat audiri, neque tam eſt pro illis Concilium aduocandum, quàm de illorum ſupplicio exquirendum. Tunc quippe Hæretici neceſſariò audiendi fuerunt, quando hæreſes ipſæ & huiuſmodi quæſtiones, vt pote quæ nondum ad vnguem diſcuſſæ fuiſſent, in dubium venire potuerunt, vt per congreſſum certaminis pateſceret, vtra pars ſtaret pro defenſione veritatis. Quod idem nunc profectò fieri non oportet, quia creberrimis ſanctorum Patrum Conciliis, tum etiam venetabilium Doctorum clariſſimis ſententiis ita ſunt omnia eliquata, vt ne minimum quidem reſederit de omni fæce dubitationis... Quamobrem Brunonem & Berengarium iam anathematizatos arbitramur. Quod ſi ita eſt, verè illis audientia Concilij deneganda eſt, & cum veſtris cumque noſtris Epiſcopis, ſi ita vobis videtur, cum amico veſtro Imperatore, cum ipſo Papa, quæ vindicta in eos ſtatuatur, deliberandum. Eſt enim iuſtum, vt quorum manus ſunt contra omnes, omnium manus, etiam contra ipſos excitentur.

Similitet Frollantus ſeu Frollandus Epiſcopus Siluanectenſis, cuius colloquium petierat Berengarius, excuſans non obitum vadimonium, quia morbo detentus fuerat, reſcribit ſe illi Regem planè conciliaſſe: & ex illius litteris intelligitur quanta inter eos neceſſitudo intercederet.

Epiſtola Frolandi ad Berengarium.

Domino & Fratri Berengario Frollantus Siluanectenſium Epiſcopus ſuus. Quantum ſapit fidelis gaudia futuræ felicitatis. Detentus vtraque infirmitate

» non poſſum prout diſpoſueram & ribi mandaueram huc ad te venire. Sed quæſo
» ora pro me & attentius, vt ea liberer quæ animam meam necat, ægritudine, &
» neſcio ſi in hoc præſenti ſeculo amplius re, Chariſſime Domine, videre potero:
» ſed ſatage vt in alio cum rtanquillitate mereat te videre. Et tamen ſi tandiu
» Deus mihi vitam cum ſoſpitate ſeruarit, vt opportunitas ad te mihi venien-
» di eſſet, nunquam dimitterem, quin diu conceptum deſiderium tui ad te
» accedendo adimpletem, quia illud non auderem dicere, vt tu ad noſtras partes
» vel in hac Quadrageſima orandi gratia dignareris aduenite. Quodſi tanta circun-
» ſeptus fuero infirmitate, quod neque tu ad me valeas venire; & ſi præoccupatus
» morte fuero, animam meam tibi committo, mitte pro ea ad cœleſtem curiam
» obſecrationes nuncias, toga Atchangelorum & Apoſtolorum Principes, & cæ-
» teros illius aulæ centuriones, qui tanto Regi adſiſtunt familiares, vt illi dignen-
» tut ſuggerete, quatenus peccatricem meam animam liberari præcipiat de mortis
» carcere: immo tu ipſe fultus orationis munete interdum & ſœpius piiſſimum Re-
» gem, vt pto aliis ſoles pro me aggredere, & per te fiducialitet obſecra, vt digne-
» tut mihi parcete. Domnum R. Abbatem & cæteros Dominos & fratres, quos
» mihi tua Dilectio acquiſiuit, ſub meo nomine ſaluta, & in orationibus ſuis, vt
» mei meminerint, obſecra. Quidquid tibi placuerit, mihi remanda. Illud volo
» fraterniras tua nouerit, quod multum firmiter aquiſiui tibi gratiam Domni
» mei Regis. Vale & quamuis monitore non egeas, vt mei memineris, attende.

Veruntamen Rex veritus ne hiſce Doctrinis & quæſtionibus tam Regnum quam Eccleſia turbaretur, ſynodum habuit Pariſiis frequẽtiſſimam Epiſcoporum & Magiſtrotum, vt ſupra dictum eſt: ad eamque iuſſus eſt venire Berengarius author ſchiſmatis. Sed ille metuens carcerem, venite recuſauit: ſcripſit vero ad amicum quendam eique arcana mentis credidit. Porro ipſius litteræ in ſynodo cui Rex aderat, exhibitæ ſunt *quarum lectio*, inquit Durandus, *quoniam nequiſſima ſordebant hæreſi, vehementer diſplicuit: damnato proinde communi ſententia talium authore: damnatis etiam eius Cõplicibus cum Codice Ioannis Scoti, ex quo ea quæ damnabantur, ſumpta videbantur.* Addit Durandus. *Concilio ſoluto diſceſſum eſt, ea conditione, vt niſi reſipiſceret eiuſmodi peruerſitatis author cum ſequacibus ſuis, ab omni exercitu Francorum præeuntibus Clericis Eccleſiaſtico apparatu quæſiti vbicumque conueniſſent, eo vſque obſiderentur, donec aut conſentirent Catholicæ fidei, aut mortis pœnas luituri caperentur.*

Ex his intelligitur iam tum fuiſſe magnum hæreſeos iſtius fautorum numetum, vt bello perſequendi eſſent, niſi ad ſaniorem mentem doctrinamque tedirent; iſtique malo celeriter occurrete oportuiſſe, ne in dies impunitatis ſpe numerus accreſceret, neve Ftancia Principum factionibus, quæ eiuſmodi ſchiſmata ſubſe qui ſolent, turbaretur. Decretum verò iſtius Synodi adeo terruit Berengarium, vt ad Concilium Vercellenſe quod eodem anno, vel vt alij ſcribunt, anno 1052. habitum eſt, ire non auſus fuerit etiamſi nominatim vocatus & citatus fuiſſet.

Miſit verò tantum illuc duos clericos, quos Franciſcus de Roye in eius vita ſuſpicatur fuiſſe Freualdum & Waldonẽ erroris adſtipulatores qui Magiſtri abſentiam excuſarent, ipſiuſq; nomine agerent: adfuit autem ibi Lanfrancus, quem Papa penes ſe retinuerat, iuſſusque dogma quod aſſerebat, explanare, orthodoxũ eſſe probauit, contrariumque omnino hæreticum: vt ſcribit idem Lanftancus his verbis ad Berengarium. *De hinc declarata eſt ſynodus Vercellenſis, quæ tunc proximo ſeptembri eodem præſidente pontifice eſt celebrata Vercellis, ad quam vocatus non veniſti. Ego vero præcepto ac precibus præfati Pontificis vſque ad ipſam ſynodum ſecum remanſi. In qua in audientia omnium qui de diuerſis huius mundi partibus illuc conuenerant, Ioannis Scoti liber de Euchariſtia lectus eſt ac damnatus, ſententia tua expoſita ac damnata, fides S. Eccleſiæ quam ego teneo, ac tenendam adſtruo, audita, & concordi omnium aſſenſu confirmata. Duo Clerici qui legatos tuos ſe eſſe dixerunt, volentes te defendere, in primo ſtatim aditu defecerunt & capti ſunt. Ab hac ſententia nunquam diſceſſit S. Leo, in omnibus conciliis fuit, ſeu quibus ipſe præſentiam ſuam exhibuit, ſeu quæ per legatos ſuos in diuerſis Prouinciis congregari inſtituit. Quæ ſententia non effugit ſucceſſorem quoque ſuum felicis memoriæ Papam Victorem, ſed quidquid de hac re ſeu cæteris ipſe ſtatuit, ſtatuiue præcepit, hoc etiam iſte ſua atque Conciliorum ſuorum authoritate firmauit.*

Willelmus Malmeſburienſis l. 2. de geſtis Reg. Angl. ſcribit Berengarium tunc

Digitized by Google

primo errorem ſuum reuocaſſe: ſed cum teſte Lanfranco præſens non interfuerit, ſed tantum per legatos, ſi quid tunc reuocatum eſt, per eos conſtat fuiſſe reuocatum. Cui reuocationi non modo non acquieuit Lanfrancus, quinimo cõqueſtus eſt ſe indicta cauſa fuiſſe damnatum, auditis tantummodo clericis ſeu ſcholaribus, qui mentem ſuam non ſatis fuerant aſſecuti. Vnde contumacior factus, acrius quam ante errorem ſuum defendit. Igitur Henricus Rex conſulere volens ſaluti & quieti publicæ, ipſum licet alias ſibi amicum & familiarem obmuteſcere iubet, imo beneficiis ſpoliat: qua de re queritur Berengarius apud amicum quendam ſuum Richardum: nec minus tamen ſententiam ſuam deffendere pergit, & Ioannem Scotum laudat vt orthodoxum, Paſchaſium Corbeienſem damnat vt inſanum & ineptum. Eius ad Richardum Epiſtola talis eſt.

Dilecto Fratri Richardo Berengarius ſalutem & ſoſpitatem. Quia facile vobis factum eſſe cum Rege loqui non neſcio, vellem ſi videretur & vobis illi verbum aliquod pro me faceretis, ſi forte humanitatis, liberalitatis, dignitatiſque Regiæ atque Chriſtianitatis reputatione aliqua munificentia compenſaret damnum, quod in Clerico Eccleſiæ ſuæ iniuſtiſſimè ac Regia Maieſtate indigniſſimè tantum intulit. Quod ſi facit ab immodica culpa, ſi modica expenſa non modicum exoluit: ſi autem non facit, me tamen præſto nihilominus habet in eo vno ſeruire Regiæ Maieſtati, vt ſatisfaciam ſecundũ ſcripturas illi & quibus velit. Iniuſtiſſimè damnatum Ioannem Scotum, iniuſtiſſimè nihilominus aſſertum Paſchaſium in Concilio Vercellenſi, peruerse & Regio auditu indigniſſimè expoſuiſſe illi Clericos Carnotenſes, ſi ita res acta eſt, quomodo ad me peruenit ſententia de Euchariſtia, quam in ſcriptura habet glorioſæ memoriæ Fulberti Epiſcopi. Quam Quidam Epiſcopi ipſius putant fuiſſe ſententiam; ſed eſt B. Auguſtini: *Va autem Prophetis qui Prophetant de corde ſuo, qui dicunt hæc dicit Dominus, cum Dominus non ſit locutus.* Propter Aſcelinum dico, quòd B. Auguſtini verba ad prauitatem ſui erroris detorquere non timuit; ſicut quidam Compatriota illius, qui apud Pictauum inter diſcutientes eandem B. Auguſtini ſententiam, hanc Coniecturam non eſt confuſus inferre. Propheta dicit tranſitorium ſacramentum quod per fauces tranſiret in ventrem. Quod autem hoc minus fidelitatis meæ ſeruitium refugiat, nouerit quæ ſcribit Ioannes Scotus, monitu illum ſcripſiſſe præcarioque Karoli Magni (id. *Calui, qui ſuis temporibus Magnus quoque appellatus eſt.*) Anteceſſoris ſui, qui quantum circa res quærendas perſtrenuus, tantũ circa Religionem deuotus, ne incrutorum Cardinaliumque illius temporis præualeret ineptia. Erudito verò Ioanni illi impoſuit colligere de Scripturis, quæ ineptiã illam conuerterent. Vnde ferat oportet defuncto patrocinium contra calumnias nunc viuentium, ni ſe mauult exhibere indignum ſucceſſione & ſede illius magnifici Anteceſſoris ſui, qui etiam circa negotium, intelligendarum Scripturarum ſollicitus ab erudito viro non adtenebrandum veritatis lumen tale exegit obſequium. Sacramentum quidem tranſitorium eſt, veritas verò quę per ipſum operatur, & gratia qua inſinuatur æterna participatio ſacramenti, multorum eſt, paucorum communio Charitatis. Qui Dominum purè diligit, bene ad ſacramentum accedit. Mandatum nouum Charitas: Teſtamentum nouum promiſſio Regni Cœlorum, pignus hæreditatis, id eſt ſacramentum Communionis.

Inter hæc obit 13. Kal. Maij. an. 1054. Leo Pontifex omnibus bonis flebilis, 1054.
eique ſuccedit Victor II. natione Sueuus, qui deceſſoris ſui veſtigiis inhærens, vt omnem tergiuerſationis & abſentiæ prætextum Berengario auferret, ita poſtulante Henrico Francorum Rege Concilium Turonis haberi voluit per Hildebrandum Romanæ Eccleſiæ Archidiaconum & Legatum ſuum. Is eſt Hildebrandus, qui poſtea ipſe Pontifex factus Gregorij VII. nomen accepit.

Berengarius audita Leonis morte, verbis & ſcriptis, clam & palam lacerat eius memoriam, nec eorum famæ parcit qui Concilio Vercellenſi interfuerant. Ait infatuatione Lanfranci infatuatum Leonem Concilium vanitatis adunaſſe, neq; ipſum Pontificem, ſed Pompificem & Pulpificem appellat, teſte Guitmundo, maledictaque in eum congerit, quæ poteſt homo furore amens. Sed poſt aduentum Hildebrandi in Galliam linguam compreſſit aliquandiu, donec ea quæ acturus venerat, peracta fuiſſent.

Ergo ille anno 1055. Turonis frequentem habet Epiſcoporum aliorumque Præ- 1055.

latorum & Doctorum ſeu Magiſtrorum in Theologia ſynodum : ad eamque Berengarium citat. Tunc erat Eccleſiæ Turonenſis Archimyſta Barrholomeus frater Ioannis Domini de Cainone, in cuius Epiſcopio prædictus Legatus hoſpitatus eſt. Condicta die dedit Berengario præſentroptionem defendendæ cauſæ ſuæ, aut ſubſcribendi Decreto ſynodi Vercellenſis: at ille abiecta cauſæ defenſione confeſſus coram omnibus communem Eccleſiæ fidem, pollicetur ſe nunquam ab ea diſceſſurum daro propriæ manus ſacramento, inquit Guitmundus l.I. hac de re ſic ad eum ſcribit Lanfrancus. *Denique in Concilio Turonenſi, cui ipſius,* (nempe Victoris) *interfuere ac præfuere Legati , data eſt tibi optio defendendi partem tuam: quam cùm defendendam ſuſcipere non anderes, confeſſus coram omnibus communem Eccleſiæ fidem, iuraſti te ab illa hora ita crediturum, ſicut in Romano Concilio te iuraſſe eſt ſuperius comprehenſum.*

Vtriuſque Concilij, Vercellenſis ſcilicet & Turonenſis meminit Willielmus Malmeſburienſis l. 3. de Geſtis Anglorum. *Fuit*, inquit, *hoc tempore Berengarius Turonenſis Hæreſiarcha, qui panem & vinum in altari appoſita poſt conſecrationem ſacerdotis verè & ſubſtantialiter Corpus Domini, ſicut S. Eccleſia prædicat, eſſe denegabat. Vnde ſodalitati Catholicæ timẽs ſanctiſſimæ memoriæ Leo Papa Vercellis contra eum inſtituto Concilio tenebras nebuloſi erroris Euangelicorum teſtimoniorum fulgore depulit: ſed cùm poſt obitum eius virus hæreſeos in finibus quorundam nebulonum diu confotum iterum erumperet, Hildebrandus, cum Archidiaconus eſſet, Turonis, mox Papa Romæ adunatis Conciliis conuictum ad dogmatis ſui anathema compulit. Berengarius planè quamuis ipſe ſententiam correxerit, omnes quos ex totis terris deprauauerat, conuertere nequiuit. Quod Epiſcopum Carnotenſem prædixiſſe aiunt.*

Hildebrandus igitur conuictum videns Berengarium, eumque ratus verè pœnitẽtem hæreſi ſuæ omnino renunciaſſe, humaniter eum monuit, ne vnquam recederet ab Eccleſia Catholica, ac propriæ manus ſacramento ſatisfacientem clemenrer ſuſcepit, teſte Guirmundo. Quod ſacramentum exigi ſolebar pro recta fide à ſacerdotibus. Et rale exegir poſtea Ludouicus VII. ab Algrino Aurelianenſi Archidiacono, cui Rex permiſit vt ſe ſolâ manu purgaret.

1056. Anno 1056. 3. non. Octob. obit Henricus II. Imperator Romanorum, & Spiræ ſepultus eſt: qui ne peſtis illa Berengariana Germaniam inficeret, ſolerter & diligẽter prouiderat. Ei ſuccedit Henricus III. impubes, & ſub Agnetis Marris & Annonis Coloniẽſis Archiepiſcopi tutela Imperium adminiſtrat, donec ipſe per ætatem, (erat enim quinquennis tantummodo) ſolus gubernare poteſt: ſed eius regnum ſeditioſum valde fuit & turbulentum, vt ex dicendis conſtabit. Ipſo autem Victore Papa præſente Germaniæ regnum capeſſit, qui iam triennio ante præcipuo Patris beneficio Rex fuerat conſecratus.

Porro idem Pontifex omnino cupiens extingui Berengarianam hæreſim, quam Leo in Italia, ipſe in Prouincia Turonenſi, Guillelmus Princeps in Normania, Henricus Rex in vrbe & Academia Pariſienſi confixerant, iubet eriam in Remenſi Prouincia profligari; atque in eam rem mandat Geruaſio Barbet Caſtroledenſi, viro, vt habetur in Fragmento Floriacenſi, *linguâ facundo, iuſtitiâ inſigni, nobili genere, virtute nobiliori*, è ſede Cenomanenſi ad Remenſem tranſlato, vt ſynodum conuocet: Quam ille quidem indixit ad an. 1057. ſed Victore interim è viuis ſublato, cui ſucceſſit Stephanus, effectum non habuit. Stephanus iſte, antea Fridericus dictus, Abbas Caſſinenſis ſedit tantum 4. menſes: nec cauſæ Eccleſiæ indormiuit: quippe cum Geruaſius ab eo petiiſſet reſcribi ſibi, an ad corroborandam ſynodi Remenſis authoritatẽ accedere neceſſe eſſet conſenſum Henrici Regis, Romæ ipſe Concilium indixit, cui & Geruaſium intereſſe præcepit. At eo morte præuento nihil agi potuit. Obit autem 4. April. an. 1058. dum Normanos, qui duce Guiſcardo Siciliam occupauerant, & Eccleſiæ fines affligtabant, propellere curat, Eccleſiamque ipſam Simoniaca peſte & ſacerdotum coniugiis purgare: quam in rem vtebatur opera Petri Damiani, qui tunc temporis florebat ſanctitate, doctrina, atque gerendarum rerum peritia.

Ne verò interdicerentur ſacerdotum coniugia, obſtitit Guido Mediolanenſis Præſul Nobilium fauore ſubnixus, contra Papam & Ciues, qui infames illas nuptias deteſtabantur. Eóque res proceſſit, vt coniugati ſacerdotes non amplius publicè

publicè ſacrum facere Mediolani auderent, ſed in loco quodam qui *Pataria* diceebatur facere cogerentur. Vnde à pueris *Patarini* dicti ſunt: & hinc fluxit *Patarinorum* hæreſis. Nam Guido in ſua ſententia obſtinatus apud Fontanetum in agro Nouarienſi ex conſenſu & mente ſuorum Coëpiſcoporum Clericis vxores habere permiſit, ſicque omnium bonorum odium in ſe concitauit.

Anno igitur 1058 Florentiæ vbi deceſſerat, habitis Comitiis Tuſculani Comites Primoribus Cleri pecuniâ corruptis cum armatorum manu irrumpentes, propinquum ſuum Ioannem Epiſcopum Veliternum plurimis Epiſcopis & Cardinalibus aduerſantibus & e Conuentu clam dilapſis, per quendam Eccleſiæ Oſtienſis Preſbyterum hominem ignarum, ad Apoſtolatus apicem prouehunt & Petrum Damiani Oſtienſem Epiſcopum eum adorare cogunt, item & cæteros qui reman'erant: is pſeudo-Pontifex Benedicti X. nomen accepit. Reuerſo verò ex Germania Hildebrando, quò eum ad Henricum Imperatorem miſerat Stephanus, cæteri qui in eiuſmodi electionem non conſenſerant, legitimum Pontificem adulterino opponendum eſſe decernunt. Quod ſentiens Benedictus ſeque malè promotum agnoſcens, poſt nouem menſes & dies 20. Papatu cedit, & Gerardus Burgundio ſeu Allobrox Epiſcopus Florentinus creatur, qui Nicolai II. nomen aſſumpſit 3. non. Ian. 1058.

In iſta autem Romanarum rerum mutatione & confuſione Berengarius poſt damnatam in Concilio Turonenſi hæreſim, velut canis ad vomitum redit, opportunam ratus occaſionem inſtaurandi ſchiſmatis: non audet tamen publicè reuocare quod iurauerat, metu carceris, ſed clam & in priuatis Conuentibus, ſummiſſiſque Diſcipulis pecuniâ corruptis: vt docent veteres quædam Tabulæ San-Victorinæ, quas refert Ioannes Picardus S. Victoris Canonicus in notis ad Ep. 1. S. Anſelmi Cantuarienſ. & quæ tales ſunt. *Verum ſeductiſſimus homo*, Berengarius, *atque pernicaciſsimus ad ſubuertendum, in ſalubri propoſito fideliter non ſtetit, ſchiſmatis crimen iuriſiurandi violatione cumulans: & quia timor pœna retinebat, ne publicè prædicaret quod publicè damnauerat, idem ſecretis diſputationibus domi inſuſurrabat, atque per Diſcipulos pecunia corruptos pariter ac fallacia peregrè tranſlegerat.* Idem ferè habet Malmeſburien. l. 3. de Regibus Angl. Et Mathæus Pariſienſis in Vuillielmo II. *Si quidem per egenos Scholares, quos quotidianis ſtipendiis ſuſtentabat, eandem paſſim hæreſim diuulgabat.* Ipſe quoque libellos quoſdam in vulgus emittit erroris ſeminatrices, donec Nicolaus hominem conſtringendum ratus, Concilium Generale indicit Romæ, quò ex omnibus orbis Chriſtiani partibus Prælatos conuenire iubet, nominatimque Berengarium; & 4. proponit capita futuræ deliberationis, Collationem ſeu inueſtituras, vt aiunt, Eccleſiarum, coniugia Clericorum, deprædationem Normanorum & quæſtionem Euchariſtiæ.

Ergo Anno 1059. vel vt vult Bertholdus anno 1060. menſe Aprili habitum 1059.
eſt Concilium Romanum ſeu Lateranenſe 113. vel 118. Epiſcoporum, vbi capita præallata propoſita & examinata ſunt, quæ, quanquam paulò ab Hiſtoriâ noſtra diſcedimus, non erit tamen inutile hiſce annalibus inſerere. Igitur quoad inueſtituras Eccleſiarum & creationem ſummi Pontificis quam voluit Nicolaus deinceps pendere à Cardinalibus, ſic ſtatuit, vt legitur in Chronico Virdunenſi.

Nouit Beatitudo veſtra, Dilectiſſimi fratres & Coëpiſcopi, inferiora quoque membra non latuit defuncta piæ memoriæ Domino Stephano deceſſori noſtro, hæc Apoſtolica ſedes, cui Deo authore deſeruio, quot aduerſa pertulerit, quot denique per ſimoniacæ hæreſis trapezitas, malleis & crebris tunſionibus ſubiacuerit. Adeo vt columna Dei viuentis iam iam pene videretur nutare & ſagena ſummi piſcatoris procellis intumeſcentibus in naufragij profunda ſubmergi. Vnde ſi placet fraternitati veſtræ, debemus auxiliante Deo futuris caſibus prudenter occurrere, & Eccleſiaſtico ſtatui, ne rediuiua, quod abſit, mala præualeant, in poſterum præuidere. Quapropter inſtructi Prædeceſſorum noſtrorum aliorumque SS. Patrum authoritate decernimus, atque conſtituimus, Vt obeunte huius Rom. Vniuerſalis Eccleſiæ Pontifice imprimis Cardinales Epiſcopi diligentiſſima ſimul conſideratione tractantes, mox ſibi Clericos Cardinales adhibeant, vt nimirum ne venalitatis morbus qualibet occaſione ſubrepat, religioſi viri præduces ſint in promouendi Pontificis electione, reliqui autem ſequaces. Et certè rectus atque legitimus hic Electionis Ordo perpenditur, ſi perſpectis diuerſorum Patrum regulis ſeu geſtis, etiam illa B. Leonis

Digitized by Google

ſententia recolatur. Nulla, *inquit*, ratio fuit, vt inter Epiſcopos habeantur, qui nec à Clericis ſunt electi nec à pluribus expetiti, nec à comprouincialibus Metropolitani iudicio conſecrati. *Quia verò ſedes Apoſtolica cunctis in Orbe terrarum præfertur Eccleſiis, atque ideo ſuper ſe Metropolitanum habere non poteſt, Cardinales Epiſcopi proculdubio Metropolitani vice funguntur, qui electum Antiſtitem ad Apoſtolici culminis apicem prouehunt. Eligant autem de ipſius Eccleſiæ gremio ſi repertus fuerit idoneus, & ſi de ipſa non inuenitur, ex alio aſſumatur ſaluo debito honore & reuerentia dilecti filÿ noſtri Henrici, qui impræſentiarum Rex habetur & futurus Imperator Deo concedente ſperatur, ſicut iam ſibi conceſſimus, & ſucceſſorum illius qui ab hac Apoſtolica ſede perſonaliter hoc ius impetrauerint. Quod ſi prauorum atque iniquorum hominum ita peruerſitas inualuerit, vt pura, ſincera, atque gratuita electio fieri in vrbe non poſſit, Cardinales Epiſcopi cum Religioſis Clericis Catholicis & Laïcis licet paucis ius poteſtatis obtineant eligere Apoſtolicæ ſedis Antiſtitem, vbi congruentius iudicauerint. Planè poſtquam Electio fuerit facta, ſi bellica tempeſtas vel qualiſcumque hominum conatus malignitatis ſtudio reſtiterit, vt is qui electus eſt in Apoſtolica ſede iuxta conſuetudinem inthronizari non valeat, electus tamen ſicut Papa authoritatem obtineat regendi ſanctam Rom. Eccleſiam & diſponendi omnes Facultates illius, quod B. Gregorium ante electionem ſuâ feciſſe regnoſcimus. Quod ſi quis contra hoc Decretum noſtrum ſynodali ſententia promulgatum per ſeditionem vel præſumptionem aut quodlibet ingenium electus ſeu inthronizatus fuerit, authoritate Diuina & SS. Apoſtolorum Petri & Pauli perpetuo anathemate cum ſuis authoribus, fautoribus, ſequacibus, à liminibus S. Dei Eccleſiæ ſeparatus ſubiiciatur ſicut Antichriſtus & inuaſor atque deſtructor totius Chriſtianitatis. Nec aliqua ſuper hoc audientia aliquando ei reſeruetur, ſed ab omni Eccleſiaſtico gradu in quocumque prius fuerat, ſine retractatione deponatur. Cui quiſquis adhæſerit, vel qualemcumque tanquam Pontifici reuerentiam exhibuerit, aut in aliquo eum defendere præſumpſerit, pari ſententiâ ſit mancipatus. Quiſquis autem huius noſtri Decreti vel ſententiæ temerator extiterit, & Rom. Eccleſiam ſuâ præſumptione confundere & perturbare contra hoc ſtatutum tentauerit, perpetuo anathemate atque excommunicatione damnetur, & cum impiis quando reſurgent in iudicio, reputetur. Omnipotentis ſcilicet Patris & Filÿ & Spiritus S. contra ſe iram ſentiat, & SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, quorum præſumit confundere Eccleſiam, in hac vita & in futura furorem reperiat, fiat habitatio eius deſerta, & in tabernaculis eius non ſit qui inhabitet, & fiant fily eius orphani & vxores eius viduæ. Commotus amoueatur ipſe & filÿ eius & mendicent & eÿciantur de habitationibus ſuis. Scrutetur fœnerator omnem ſubſtantiam eius & deleant alieni labores eius. Orbis terrarum pugnet contra illum & cuncta elementa ſint ei contraria & omnium Sanctorum quieſcentium merita illum confundant & in hac vita ſuper eum apertam vindictam oſtendant. Obſeruatores autem huius noſtri Decreti Dei omnipotentis gratia protegat, & authoritate BB. Apoſtolorum Petri & Pauli ab omnibus vinculis abſoluat. Nicolaus Epiſcopus S. & Apoſtol. Rom. Eccleſiæ huic Decreto à nobis promulgato ſubſcripſi: Bonifacius Alban. ſubſcripſi. Humbertus S. Eccleſiæ ſilua Candidæ ſubſcripſi. Petrus Oſtienſis Ep. ſubſcripſi, &c. cæteri Epiſcopi numero 76. cum Presbyteris & Diaconis ſubſcripſerunt.*

Ex hoc tempore Cardinalium S.R.E. Dignitas longè maiori in pretio eſſe cœpit: vt notant hiſtorici. De 2. autem capite nempe de coniugio Sacerdotum, ſic in eodem Concilio ſtatutum eſt.

Nicolaus Epiſcopus S.S.D. Omnibus Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Clericis & Laïcis fidelibus tam maioribus quàm minoribus pr omnes Gallias commorantibus, imò Aquitanicis, Vaſconibus Sal. & Apoſt. bened. Quicumque ſacerdos Diaconus & Subdiaconus poſt inſtitutum B. memoriæ prædeceſſoris noſtri Leonis Papæ de Caſtitate Clericorum Concubinam palam duxerit, vel ductam non reliquerit, ex parte Dei omnipot. authoritate BB. Apoſtolorum Petri & Pauli præcipimus & omnino contradicimus, vt Miſſam non cantet, neque Euangelium aut Epiſtolam ad Miſſam legat, neque in Presbyterio ad Diuina officia cum his qui præfatæ Conſtitutioni obedientes fuerint, maneat, neque partem ab Eccleſia recipiat: quouſque à nobis ſententia ſuper huiuſmodi Deo concedente procedat. Et præcipientes ſtatuimus, vt hi prædictorum Ordinum qui eidem prædeceſſori noſtro obedientes eius inſtitutum ſeruauerint, iuxta Eccleſias quibus ordinati, ſunt, ſicut oportet religioſos Clericos, ſimul manducent & dormiant, & quidquid ab Eccleſiis competit, communiter habeant.

Digitized by Google

De Re Normanorum, quæ tertium caput erat, quia eis abſentibus transfigi non poterat, inquit Sigonius, placuit conuentum transferre Melfim in Apuliam. Reliquum eſt 4 caput quod ad Berengarium pertinebat. Iuſſus autem eſt Berengarius qui ibi aderat, ſententiam exponere, & expoſuit pluribus verbis ſacrificium Miſſæ figuram eſſe tantummodo Corporis & ſanguinis Chriſti, eoque confidentius, quod antequam haberetur Concilium, in priuatis colloquiis pene Nicolaum ipſum infecerat & corruperat. Contra eum producti ſunt duo validiſſimi Pugiles Lanfrancus & Albericus Caſſinenſis: de priore ſic ſcribit Henricus de Knygton lib. 2. de Euentib. Angl. c. 5. vbi poſtquam dixit Nicolaum fere à Berengario fuiſſe corruptum, ſubdit de Lanfranco. *Surgens vero Lanfrancus rationes Berengarij improbauit & errorem eius manifeſtauit. Reſpondit Berengarius aut tu es Lanfrancus, aut tu es Diabolus: Reſpondit Lanfrancus. verè Lanfrancus ſum, ſed tu es hæreticus.* ET QVANDO IN SCHOLIS MILITAVIMVS, SEMPER CONTRA FIDEM CATHOLICAM AVTHORITATES COLLEGISTI.

De poſteriore Leo Oſtienſis ſic habet. *Eique* (Berengario) *cum nullus valeret obſiſtere, Albericus Caſſinenſis Diaconus euocatur ad ſynodum. Quo cum veniſſet, poſt multos verborum conflictus cum neuter cederet, Albericus vnius hebdomadæ acceptis induciis librum aduerſus eundem Diaconum Berengarium edidit de Corpore Domini SS. Patrum teſtimoniis roboratum: in quo omnes aſſertiones eius deſtruxit æternaque obliuione deleuit.*

Ita confuſus Berengarius petiit edi ſibi fidei formulam, cui ſubſcribere ſe dixit paratiſſimum. Id vero oneris iniungitur Humberto de Silua Candida Cardinali Burgundioni, vt eam ſcribat, retractationemque Berengario dictet fidei conſonam. Ille vero editam Concilio profert, quæ lecta & approbata fuit, eique ipſe Berengarius ſubſcripſit: neque ſubſcripſit modò, ſed libros etiam, quos contra receptam ſententiam compoſuerat, in ignem coniecit. Formula autem talis eſt.

Ego Berengarius indignus S. Mauricij Andegauenſis Eccleſiæ Diaconus cognoſcens veram Catholicam & Apoſtolicam fidem, anathematizo omnem hæreſim præſertim eam, de qua hactenus infamatus ſum quæ adſtruere conatur panem & vinum quæ in altari ponuntur, poſt conſecrationem ſolummodo ſacramentum & non verum Corpus & ſanguinem Domini noſtri I. C. eſſe, nec poſſe ſenſualiter niſi in ſolo ſacramento manibus ſacerdotum tractari vel frangi aut fidelium dentibus atteri. Conſentio autem Romanæ & Apoſtolicæ ſedi, & ore & corde confiteor de Sacramentis Dominicæ menſæ eandem fidem me tenere quam Dominus & venerabilis Papa Nicolaus & hæc ſancta Synodus authoritate Euangelica & Apoſtolica tenendam tradidit mihique firmauit, ſcilicet panem & vinum quæ in altari ponuntur, poſt conſecrationem non ſolum ſacramentum ſed etiam verum Corpus & ſanguinem Domini noſtri I. C. eſſe & ſenſualiter non ſolum ſacramento, ſed in veritate manibus ſacerdotum tractari, frangi & fidelium dentibus atteri. Iurans per ſanctam & homouſion Trinitatem & per hæc ſacro ſancta Chriſti Euangelia. Eos vero qui contra hanc fidem venerint cum dogmatibus & ſectatoribus ſuis, æterno anathemate dignos eſſe pronuncio. Quod ſi ipſe aliquando contra hæc aliquid ſentire aut prædicare præſumpſero, ſubiaceam Canonum ſeueritati. Lecto & perlecto ſponte ſubſcripſi.

Hæc formula legitur apud Lanfrancum, Guitmundum, Algerum eamque Iuo Carnotenſis in ſuo Decreto & Gratianus in ſuo inſeruerunt. Addit vero Lanfrancus. *Cum ergo veniſſes Romam, non auſus es defenſare quod antea ſenſeras: poſtulaſti Nicolaum Pontificem eiuſque Concilium quatenus fidem quam tenere oporteret, verbis tibi traderet, ſcripturâ firmaret. Iniuncta eſt huius rei cura Humberto Epiſcopo. Itaque verba fidei ſuperius comprehenſa ſcripſit, recitauit, adſenſu omnium ad legendum & confitendum tibi tradidit, Tu vero acquieſcens accepiſti, legiſti, confeſſus es, te ita credere iureiurando confirmaſti & tandem manu propria ſubſcripſiſti. Nicolaus Papa gaudens de conuerſione tua, iusiurandum tuum ſcriptum miſit per vrbes Italiæ, Galliæ Germaniæ, & ad quæcumque loca fama tuæ prauitatis antea potuit peruenire, vt ſicut Eccleſiæ ſcandalizatæ prius dolebant de te auerſo atque aduerſo, ita poſtea gauderent gratiaſque Deo agerent de reuerſo atque conuerſo.*

Cum ergo Berengarius in ea verba iuraſſet, librum Ioannis Scoti & ſuos propriis manibus in ignem coniecit teſte Guitmundo lib. 3. in fine, & Lanfranco. *Tu quoque inclinato Corpore, ſed non humiliato corde ignem accendi libroſque peruerſi*

Digitized by Google

dogmatis in medio ſancti Concilij in ignem coniecisti. Iurans per id quod rebus omnibus incomparabiliter maius eſt, fidem à Patribus qui præſentes erant, traditam, inuiolabiliter te ſeruaturum, veteremque Doctrinam tuam de Corpore & ſanguine Domini ab illa die aliis non prædicaturum.

Dum hæc ita Romæ geruntur menſe Maio eiuſdem anni Henricus ſentiens ſe morti propinquum, Philippum filium ſuum vix ſeptennem Remis per Geruaſium Archiepiſcopum conſecrari iubet, qui antequam Epiſtola Miſſæ legeretur, vertens ſe ad Philippum expoſuit ei Catholicam fidem, petiitque an eam tueri paratus eſſet. Quo annuente & ſe paratum dicente, delata eſt profeſſio fidei his verbis conſcripta quam ipſe Philippus legit.

» Ego Philippus Deo propiciante mox futurus Rex Francorum in die ordinationis meæ promitto coram Deo & ſanctis eius, quod vnicuique de vobis commiſſis Canonicum Priuilegium & debitam legem atque iuſtitiam conſeruabo, & defenſionem quantum potero, non inde exhibebo, ſicut Rex in ſuo Regno vnicuique Epiſcopo & Eccleſiæ ſibi commiſſæ per rectum exhibere debet, populo quoque nobis credito me diſpenſationem legum in iure conſiſtentem *noſtra authoritate conceſſurum.* Huicce inaugurationi interfuerunt 3. Archiepiſcopi, 18. Epiſcopi 26. Abbates & Legati ſedis Apoſtolicæ, quam non ante Geruaſius abſoluit quàm obtinuit à Rege ſummum Franciæ Cancellariatum more Maiorum & Anteceſſorum ſuorum. Quâ de re ſic legitur in Manuſcripto Codice Monaſterij S. Theodorici.

His & cæteris adſtantibus Geruaſius verbum habuit coram Rege quia eſſe deberet ſicut ſui Anteceſſores fuerant, ſummus Regis Cancellarius. Quod eodem Rege gratiſſimè annuente & cæteris conniuentibus, prædictus Pontifex ſibi & Eccleſiæ ſuæ obtinuit. Scilicet quia verum ſit quod ab antiquo ita fuerit, legitur in præceptione præcepti quod Karolus Rex de rebus S. Walburgis fecerat hoc modo. Goſlenus Cancellarius ſcripſit & ſubſcripſit ad vicem Heriuæi Archiepiſcopi ſummique Cancellarij. Geruaſius vero octauus fuit Archiepiſcopus poſt Heriuæum. Itaque cum legimus Reginaldum Epiſcopum Pariſienſem & poſtea Franconem alioſque fuiſſe Cancellarios, id non eſt ita intelligendum, vt Archicancellarij fuerint, quæ dignitas Archiepiſcoporum erat Remenſium, ſed Procancellarij tantummodo & vice illorum: quemadmodum Goſlenus vice Heriuæi, Arnulphus vice Adalberonis, vt legitur in quibuſdam Chartis & ſic de aliis. Petiit quoque idem Archiepiſcopus confirmari ſibi primatum & præminentiam conſecrandorum Regum. Sed quanquam id tunc conceſſum eſt, contrarius vſus poſtea abrogauit.

1060. Eodem anno, aut vt nonnulli ſcribunt, an. 1060. obiit Henricus Pater Vitriaci effectu potionis inconſultò impedito, qua de re ſic legitur in Fragmento Hiſtoriæ Henrici 1. ex Bibliotheca Petauiana. *Prætaxatus vero Rex Henricus poſtquam Regnum Francorum fere per 30. annos rexit, cauſâ corporeæ ſalutis à Ioanne Medicorum peritiſſimo potionem accepit. Sed veneno nimiam ſitim inferente iuſſum Archiatri ſpreuit & à Cubiculario potum accipiens dum Medicus abeſſet, ante purgationem bibit. Vnde nimis infirmatus eodem die poſt perceptionem ſacræ Euchariſtiæ obiit. Philippum vero filium ſub tutela Balduini Flandrenſis Comitis conſtituit, qui eum nobiliter educauit & Regnum eius ſtrenuè rexit* Quantus autem tum fuerit in Francia rerum nouarum, metus indicat his verbis Geruaſius Remenſis ad Nicolaum Papam. *Multo grauior augit me triſtitia de obitu Regis: quod etiam veſtram non latet prudentiam: ſcitis enim quantum effrenes & indomiti ſunt Noſtrates, quorum diuiſionem timeo Regni noſtri fore deſolationem.* Nihilominus tamen Balduinus tam prudenter tamq; æquis legibus Regnum adminiſtrauit donec adoleſceret atque ipſe per ſe regere poſſet, vt nulla fuerit de eius geſtione cauſa conquerendi.

Sub hoc Tutore, ſeu vt vulgo loquimur, Regente Berengarius qui Henricum ſibi infenſiſſimum expertus fuerat, liberius & audacius Palinodiam canens errorem reſumpſit abiuratum, nouum Librum de Euchariſtia ſcribit ad Lanfrancum & ad Richardum, quem Labbeus in noua Bibliotheca manuſcriptorum pag. 290. ait extare manuſcriptum in Bibliotheca Regia; Nouum inquam, quia Romæ alium pridem editum idem in ignem coniecerat. Qua de re in membranis Cantuarien. Sic habetur. *Pœnituit blaſphemum & ſacrilegum amiſiſſe libellos peruerſi dogmatis Romæ ſuis manibus in ignem coniectos, ne ipſe cremaretur. Proinde ſcri-*

ptum condidit recens vt approbatius fulciretur vetus error & perdurabilius in annos futuros porrigeretur. Eadem fere verba leguntur apud Oldericum Vitalem l. 4. *Blaſphemus Hæreſiarcha quia mœſtus erubuit quod periculoſi dogmatis Romæ fuis, ne ipſe cremaretur, manibus in ignem coniecerit, Diſcipulis pecunia pariter ac fallacia corruptis recens ſcriptum domi condidit & per eoſdem peregrè tranſmiſit, vt vetus error approbatius fulciretur & in futuros perdurabilior annos porrigeretur. Ad quod deſtruendum Lanfrancus dilucido edidit venuſtoque ſtylo libellum ſacris authoritatibus ponderoſum & indiſſolubiliter conſtantem conſequentiis rationum verè intelligentia aſtructione de Euchariſtia copioſum, facundo ſermone luculentum, nec prolixitate tædioſum.*

Tum ergo variis ſcriptis hinc & inde pugnatum eſt, quorum hodie pauca extant Berengariana, extant vero plurima Catholica. Aiebat autem in ſcripto ſuo Berengarius fidei formulam in Concilio Romano editam, ſuam non fuiſſe ſed Humberti Cardinalis, à ſe vero metu & per vim extortam; Humbertum hominem eſſe ignarum, væſania vulgi, Paſchaſij & Lanfranci deceptum, eumque contemptoriè Burgundum vocabat ineptiſſimum: denique ſedem Apoſtolicam opprobriis & conuiciis onerabat. At Lanfrancus *Cur magis*, inquit, *ſcriptum hoc adſcribis Humberto Epiſcopo quam tibi? quam Nicolao Pontifici? quam eius Concilio? quam denique omnibus Eccleſiis quæ id cum debita reuerentia ſuſceperunt & pro conuerſione tua Deo gratias retulerunt?*

Cum autem Berengarius quaſi de victoria certus quæreret cum quibus concurreret, duo fortiſſimi pugiles denunciatæ prouocationis libellum vltro acceperunt Guillelmus Beccenſis Monachus, vir nobilitate & doctrina conſpicuus, factus deinde Abbas Cormelinenſis, & Aſcelinus Vticenſis Cœnobij ſeu S. Ebrulfi Monachus. E pugna vero diſceſſit Berengarius offenſiſſimus Guillelmo, à quo ad inſitas prope redactus fuerat; vnde aduerſarij ſparſerunt in vulgus coactum fuiſſe Ioannis Scoti ſententiam eiurare, quam tam acriter contumaciterque defendendam & propugnandam ſuſceperat: quæ aduerſa fama Berengario ſtomachum mouit vehementer, vnde non amplius diſſimulandum ratus, clarè & apertè ſe Ioannem Scotum pro Catholico, Paſcaſium pro hæretico habere ſcripſit ad Aſcelinum hoc pacto.

Longè aliter vobis ſcribendum fuerat, ſi mihi liberum vis diuina feciſſet. Ep. Berengarii ad Aſcelinum. quod quia non facit, ſcribendum vobis vtcumque putaui. Per vos igitur tranſiens diſpoſueram omnino nihil agere cum quibuſcunque de Euchariſtia, priuſquam ſatisfacerem in eo Epiſtolis ad quos contendebam ſecundum Euangelicam & Apoſtolicam ſcripturam. Inde factum eſt vt nihil pœne vobis appoſuerim, nihilque conſenſerim in colloquio illo ad quod quàm indignè tunc conueneras, vt omittam cæteros, ſi rem conſideres, non latebit. Inde factum eſt vt etiam tacuerim, ac damnabilem & ſacrilegam illam Vuillelmi ſententiam quam pronunciauit OMNEM HOMINEM AD MENSAM DOMINICAM DEBERE IN PASCHA ACCEDERE. Vt ergo ad rem veniam, audiui nunc iactitare Vuillelmum quod negare nequiueram hæreticum eſſe IOANNEM SCOTVM; quod falſum eſſe teſtis es mihi: & ſi ſatis meminiſti verborum meorum, quamuis hæreticum habeas tu quoque Ioannem Scotum, quàm inconſideratè, quàm impiè, quàm indignè ſacerdotio tuo non diutius te neſcire permittat ille de quo Apoſtolus fidelibus promittit. Sed etſi quid aliter ſapitis & hoc vobis Deus reuelauit? ſapis enim contra omnes naturæ rationes, contra Euangelicam & Apoſtolicam ſententiam, ſi cum Paſchaſio ſapis in eo quod ſolus ſibi confingit Sacramento Dominici Corporis decedere panis omnino ſubſtantiam. Verba autem mea de Ioanne hæc fuerant. *Non peruidiſſe omnia illius, ſicut etiam nunc verum eſt; quæ autem vidiſſem ad eam rem pertinentia, recitare me poſſe ex ſcriptis illorum, quos præfixeram habendos eſſe hæreticos in Ep. ad Lanfrancum, ſi Ioannes ille hæreticus haberetur. Cæterum ſi quid in illo viderem non ſatis delimatum, facilè me improbaturum eſſe.* Hæc & verò dicebam & in nullam excuſſionem ex tranſitu venire contendebam propter cauſam ſuperius dictam. Duo tantum protulit ille ſicut noſti vir optimus, quæ à me audita ad illum peruenerant, *conuincere ipſa verba in conſecrationem panis inſtituta non decedere ſacramento panis materiam, & non eſſe Virgam Epiſcopalem animarum curam.* Horum prius ergo ſicut meminiſſe potes, confirmaui; & ita planum eſt, vt ſuffi-

Digitized by Google

ciat hoc ſentire & conuincere etiam puerulus in ſchola conſtitutus, qui vim iuncturæ verborum non inſtrenuè callet. De 2. imò dixi & confirmaui & confirmo virgam illam eſſe animarum curam, vt facile aduertere poſſet qui vellet quid ſentirem & nunc, quod apud Epiſcopos agere ſuſceperam, vellem ſi mihi tutum fieret, ſaltem apud vos agere in audientia quorumcunque: ſed quandiu non poſſum, obſecro nomen Domini ne falſum teſtem te facias, quod Ioannem illum Ego damnauerim, moneoque vt caueas & ab Euangelio illo *Væ vt qui tenetis clauem ſcientiæ, ipſi non introitis & introeuntes introire non ſinitis?* Memineris etiam illius propheticæ ad populum ſuum deteſtationis, vbi ait, populus enim ad iracundiam prouocans eſt & filij mendaces qui dicunt videntibus. Nolite videre, & aſpicientibus, nolite aſpicere nobis ea quæ recta ſunt: ſicut ad me dixit in audientia tua Arnulphus veſter, vt permitterem vos ſicut inſtituti eſſetis, tenere, quanquam totus in eo ſum, ne quis tranſgrediatur terminos Patrum, Euangeliſtæ Apoſtoli, Ambroſij, Auguſtini, Hieronymi quod ita ſe habere, ſi mihi fiat copia tecum agere, quantum de tua vigilantia certiſſimus præſumo, luce clarius peruidebis. Scripſi hæc vtcumque. Interim opportunitatem à Domino colloquendi tibi expectans. Vale

His acceptis litteris Aſcelinus, Aſcelini veteris Pictauienſis nepos exiſtimans Berengarium de corrigendo errore ſuo cogitaturum poſt tot colloquia, concertationes & ſynodos, nullatenus tamen correxiſſe, imo redire ad vomitum ſemper, reſcripſit in hunc modum præmiſſa hac Epigraphe. D. BERENGARIO FRATER ASCELINVS.

Litteras tuas nuper lætus ſuſcepi ſperans feſtinum nobis tuæ correctionis ſignificari gaudium: quibus perlectis lætitia mea verſa eſt in mærorem, cum priſtinum adhuc affirmare non deſtiteris errorem. O Deus vbi eſt illa viuacitas, illa ſubtilitas, illa prudendentia, quibus affatim pollere ſolebas? cum etiam illa quæ in colloquio noſtro dicta ſunt, vt maiora taceam, ſi non diſſimulas, oblitus ſis illam ſententiam, Willielmi dico quam pronuncians dixiſti Omnem hominem in Paſcha debere ad menſam Dominicam accedere, quam ſi ſic proferret, ſacrilega vtique iudicari deberet. Sed hanc aliter fuiſſe prolatam, teſtes ſunt qui interfuerunt. Tunc enim dictum fuit, quod & nunc teſtificamur, omnē Chriſtianū debere in Paſcha de menſa Dominica communicare, niſi pro aliquo crimine à ſe perpetrato à tam ſalubri ſequeſtretur Conuiuio: hoc autem nullomodo fiat niſi ſolo præcepto Confeſſoris ſui, alioquin claues Eccleſiæ annullantur. Sed vt ad me redam, omni re conſiderata, non indignè me ad prædictum Colloquium conueniſſe credo: attuli enim mecum quod quandiu vixero, adiuuante diuinâ virtute, certum, indubitabile nulliſque euentibus violabile in ſacrario cordis retinebo. *Panem ſcilicet & vinum in altari Spiritus Sancti virtute per ſacerdotis Miniſterium verum Corpus verumque ſanguinem Chriſti effici.* Quod ſcriptura atteſtāte ſatis euidenter probatur, ſi non ſiniſtra interpretatione teneretur: Ioannem vero Scotum nec inconſideratè, nec impiè, nec indignè ſacerdotio meo habeo, quem toto niſu totaque intentione ad hoc ſolum tendere video, vt mihi perſuadeat hoc videlicet, quod in altari conſecratur, neque verè Chriſti Sanguinem eſſe. Hoc autem aſtruere nititur ex SS. Patrum Opuſculis quæ prauè exponit, quorum illam S. Gregorij orationem hic annotari ſufficiat *Perficiant in nobis tua Domine quæſumus, Sacramenta quod continent, vt quæ nunc ſpecie gerimus, rerum veritate capiamus.* Quam exponendo prædictus Ioannes inter cætera fidei noſtræ contraria, *ſpecie* inquit, *geruntur iſta non veritate.* Quod non Catholicè dictum, ſi bene tuam vigilantiam noui, non ignoras, præſertim quod in ſæpe dicto colloquio non negaueris, quando eandem orationem cum expoſitione ſua ex Ioannis libro recitaui. Verum tunc quod & nunc obiecisti nobis te libellum illius nondum ad finem vſque perlegiſſe. Vnde ſatis mirari nequimus te tantæ ſcilicet prudentiæ virum tantopere laudare quod ignoras: neque enim ſi noueris, te laudauiſſe crediderim. Nouit namque prudentia tua ſic cauenda eſſe verba hæreticorum, ceu pocula veneficorum, quæ prius dulciter mulcent, vt poſtmodum lethaliter necent. Cæterum cum Paſchaſio aliiſque Catholicis non ſolum ſapio, ſed etiam veneror & amplector verum Corpus verumque ſanguinem Chriſti à fidelibus in altari ſumi ſub ſpecie panis & vini.

Sed neque hoc vt dicis, contra naturæ rationem ago. Neque enim & aliud naturam dixerim, quam Dei voluntatem. Quis enim ſanè ſapiens cauſam rerum naturam vocet, aut non potius omnium naturarum & ex natura ſui generis naſcentium voluntatem Dei eſſe fateatur? Porro voluntas Dei tam efficax eſt & omnipotens, vt eius velle ſolum, fieri ſit. At per hoc voluiſſe illum aliquid, ſit feciſſe. Omnia enim quæcumque voluit Dominus, fecit. Voluit autem panem & vinum quod in altari S. Spiritus conſecratione per miniſteriũ ſacerdotis conficitur, verè carnem ſuam & ſanguinem potentialiter creari, creando verò quotidie myſtice immolari. Quod & ipſe patenter inſinuat in huius ſacramenti exordio Diſcipulis ſuis dicens ACCIPITE ET COMEDITE HOC EST ENIM CORPVS MEVM. Ac ne leuiter acciperent vel qualecunque Corpus putarent, membra enim Chriſti dicuntur fideles quique ac per hoc Corpus, adiecit clarirudinem & ait QVOD PRO VOBIS TRADETVR. Similiter & de Calice. QVI PRO VOBIS EFFVNDETVR. Ecce quomodo nos inſtruit Redemptor noſter. Ecce quomodo aperit & exprimit, quod Corpus, quem ſanguinem nobis commendet. Panem & vinum Diſcipuli carnalibus intuebantur oculis & audiebant à veritate HOC EST CORPVS MEVM QVOD PRO VOBIS TRADETVR, & HIC EST SANGVIS MEVS QVI PRO MVLTIS FVNDETVR. Quid apertius? quid clarius? quid dulcius? ô quàm ſanum adſtruere, quàm periculoſum niti refellere, quod veritas aſſeuerat! Hoc Euangeliſtæ teſtantur, Apoſtoli concionantur, tanti Doctores tractant, ſi recto intellectu percipiantur. Quiſquis autem illorum bene dicta prauè interpretatus fuerit, quid de eis mereatur, ipſe viderit. Neque verò mirari vel diffidere debemus Deum facere poſſe, vt hoc quod in altari conſecratur virtute Spiritus S. & miniſterio ſacerdotis, vniatur Corpori illi quod ex Maria Virgine Redemptor noſter aſſumpſit. Quippe vtrumque ſubſtantia corporea, vtrumque viſibile, ſi reminiſcimur, nos ipſos ex corporea & incorporea, ex mortali & immortali ſubſtantia eſſe compactos, ſi denique firmiter credimus Diuinam humanamque naturã in vnam conueniſſe perſonam. Ediſſerat mihi Cinis & puluis ſecundi vel tertij rationem, & tunc ſe ſufficere credat ad primi expeditionem. Quis enim cognouit ſenſum Domini, aut quis Conſiliarius eius fuit?

Hæc tibi breuiter reſponderem oſtendens me cum Paſchaſio neque contra Naturæ rationes, neque contra Euangelicam & Apoſtolicam ſapere ſententiam. Denique per nomen Domini me obſecras, ne faciam me falſum teſtem, quod Ioannem nobiſcum damnaueris. Quod libenter obſeruabo: verum de hoc teſtis ſum verus, quod ſupradictam illius expoſitionem in oratione Gregoriana ipſa veritate conſtrictus nobiſcum improbaſti. Ad vltimum timeo ne illud Væ Euangelicum, vnde me cauere mones, in caput tuum quod abſit., retorqueatur. Clauem enim ſcientiæ voluens ipſe non introire videris, quoniam Vniuerſali Eccleſiæ diſſentis, & quibus perſuades quod ſentis, nimirum introeundi aditum claudis. Quod vero Domnus Arnulfus Cantor ſubiecit, videlicet vt permittas nos ſicut inſtituti eſſemus ſentire, bene & ſapienter protulit, tuæque ſaluti ſi velles compendioſè conſuluit: deterruiſſet enim te ſi poſſet, ne per te ſolum, vel ſi qui ſunt, per tuos ſocios viam mutare niteteris, quam Doctores noſtri tam ſancti, tam ſapientes tam Catholici, adeo rectam, adeo delimatam, adeo protritam nobis oſtenderunt, vt nullus qui eam tenuerit, exorbitet, nullus qui non tenuerit, non exorbitare nequeat. Sed hæc hactenus. Nunc te familiariter exoratum velim: vt ab hac peruerſa intentione deſiſtas, neve nobis inauditas vanaſq; credulitates ingeras, néue tibi tam liberè cõmittas, Euangelicæ illius Gallinæ alis nutriendum te humiliter ſubmittere non detrectes, ne præclarum illud ingeniũ quod tibi Deus conceſſit, infatuetur, & ideo foras eiiciatur & ab omnibus conculcetur. Pudeat te patrocinari librum, quem Vercellis in plenaria ſynodo damnatum, teque propter eum hæreſis maculâ notatum audiuimus. Redi ergo precor ad Catholicam & Apoſtolicam, traditionem vt & inde compleatur illud Apoſtolicum, quod mihi direxiſti: *ſed ſi quid aliter ſapitis & hoc vobis Deus reuelabit?*

Ex his litteris intelligimus Arnulphum Cantorem Eccleſiæ Carnotenſis contra Berengarium etiam ſcripſiſſe, vnde Berengarius in Ep. ad Aſcelinum de eo ſic ſcribit: *dixit in Audientia tua Arnulphus veſter, vt permitterem vos ſicuti inſtituti eſſetis, tenere.* Is quoque fuerat Fulberti Diſcipulus, & poſt eum ſcholam Car-

notenſem habuit, ediditque quædam opuſcula de B. Maria: vt legitur apud Ordericum Vitalem ad an. 1063. vbi poſtquam de Vvitmundi Monachi Vticenſis ſeu S. Ebrulfi doctrina & nonnullis eius operibus verba fecit, ſubiungit. *Ipſam nimirum hiſtoriam Arnulphus Cantor Carnotenſis, Fulberti Epiſcopi Diſcipulus ſecundum vſum Clericorum hortatu Roberti Abbatis* (Vticenſis) *iam ediderat, & duobus Iuuenibus Monachis Huberto & Rodulfo à prædicto Patre Carnotum miſſis primitus cantauerat.*

Neſcio an ille ſit Arnulphus, an alius huius nominis Monachus S. Luciani Beluacenſis Lanfranci Diſcipulus apud Beccum, factus deinde Roffenſis Epiſcopus, cuius extat quædam Epiſtola reſponſiua ad Quæſtiones de Euchariſtia à Lamberto quodam viro docto propoſitas: quemque legimus apud Mathæum Pariſienſem obiiſſe an. 1124. Porro quis fuerit etiam ille Lambertus, non auſim aſſerere. Multi fuerũt hoc ſeculo huiuſce nominis: initio quidẽ Lambertus Lingonenſis Epiſcopus, qui an. 1030. fato communi functus eſt. Fuit & alius Schafnaburgenſis Monachus Cœnobij Hitsfeldenſis, qui ſcribebat adhuc an. 1077. memoratur & Lambertus Leodienſis Monachus: Item & alius Lambertus ex Archidiacono Teroanenſi & Canonico Inſulano factus Attrebatenſis Epiſcopus an 1093. & in Concilio Claromontano an. 1095. confirmatus.

Non erit autem forte ſuperuacaneum Quæſtiones Lamberti ſolutioneſque Arnulphi ſeu Ernulfi circa idem myſterium hiſce Annalibus inſerere; vt diſcat poſteritas, quàm conſtans fuerit illis temporibus fides de veritate corporis & ſanguinis Christi. Sic igitur ſcribit Arnulfus in 2. tomo ſpicilegij Dacheriani.

Arnulfi ad Lambertum de Quæſtionibus Euchariſticis.

Venerabili ac gremio charitatis venerabiliter confouendo Lamberto frater Ernulfus in Sanctorum felicitate conſortium felicitatis æternæ. Faciem veſtram in carne nunquam vidi, quam vt viderem, terrarum intercapedo non conceſſit. Per ea verò quæ de moribus veſtris, de humilitate, benignitate, affabilitate cæteriſque animæ veſtræ ornamentis latore litterarum veſtrarum referente cognoui, notitiam veſtri certius in animo meo teneo impreſſam, quàm ſi præſens præſentem his incognitis aſpiciam. Ita fit, vt animi veſtri egregiæ compoſitioni ea nectar dilectionis qualitate, quæ neſcit amico rectè petita denegare, largitur propria, vindicat aliena. Cuius rei dilectione veſtra condigna poſtulante, experientia veſtra meam poſſibilitatem ſeruata ordinis integritate inueniet efficacem. Ante biennium, ni fallor, quandam Schedulam, quam ad me veſtra beatitudo direxerat, ſuſcepi præferentem conſcriptas Quæſtiones quinque, nonnullas habentes pauca verba, ſed tegentes myſteria immenſa. Cuius portitor ſe obſequio veſtro aiebat poſtulare, quatenus ad interrogata reſponderem, & quod ibi tenebroſum claudebatur, nonnullorum tarditatem fallens aliquo ſpendore veſtirem, per idem tempus graui ægritudine correptus diutiſſimè lecto decubui, ea languoris vehementia fatigatus, vt præ doloris impatientia pene omnibus membris extiterim diſſolutus. Hæc idcirco poſuerim, ne petitioni dignationis veſtræ videar parere noluiſſe; dum tanto tempore ſit dilatum, quod ante tantum temporis fuerat poſtulatum. Proinde ſedato aliqua ex parte languore diuturno, de veſtris Inquiſitionibus quam petieratis ſententiam fero, ponens mea, ſupererogans aliena.

1. Quæſtio.

Prima ergo poſita eſt percunctatio de Sacramento altaris, ita propoſita vt quæratur, cur hodierna Eccleſiæ conſuetudo alio & pene contrario ritu cenſeat porrigi Corpus Dominicum, quàm à Domino in Cœna diſcipulis ſuis fuerit diſtributum. Id enim quotidianus Eccleſiæ prætendit vſus, vt tribuatur hoſtia ſanguine intincta, cum à Domino potius corpus, deinde ſanguis porrectus fuiſſe memoretur. Quem etiam morem Eccleſiæ ex decretis Iulij Papæ nitimini improbare, quibus idem Papa Dominicum commendat Ordinem & Apoſtolica confidentia Eccleſiaſticam arguit diſpoſitionem, & adiiciens intinctam panis buccellam Dominum proditori ſuo contuliſſe, & ex ea mentis eius impuritatem prodidiſſe. De cuius dubietatis antiquitate quod intelligimus, quod à noſtris Doctoribus accepimus, edicere parati ſumus.

Redemptor noſter veniens in mundum, quia propter hominum ſalutem inter homines apparuit, quæque reparationi infirmitatis humanæ commoda ſeu neceſſaria fore præuidit, ſicut oportere vidit in ſapientia ſua, ita ab hominibus

bus fieri & eſſe voluit in Eccleſia ſua. Hæc eis cum quibus conuerſari dignatus eſt, verbo vel exemplo inſinuauit, quæ faciēda erant, modum præfigere omittens. Hinc eſſe videtur quod ait *hoc facite in meam commemorationem*. Non ait. *Hoc modo facite. & ite baptizate omnes gentes in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti*. Non ait hoc modo baptizate, non ait ſemel mergite aut tertio mergite. Non ait ſcrutinium facite, chriſma ſacrate. Qua in re inſinuaſſe videtur quæ præcepta ſunt non fieri non licere, pro ratione vero neceſſitatis vel honeſtatis alio & alio modo fieri licere. Vnde nonnulla Chriſtianæ religionis inſtituta cum Eccleſiæ naſcentis initio ſuæ modum originis accepere; quem in progreſſu eiuſdem creſcentis propter quaſdam rationabiles cauſas non diu renuēre. Id B. Auguſtini reſponſiones ad Ianuarium euidenter oſtendunt, de eo ipſo de quo agitur ſacramento hæc dicentis: *Sacramentum Corporis & Sanguinis Domini* apparet Diſcipulos non accepiſſe ieiunos. Ex hoc placuit S. Spiritui, vt in honorem tanti ſacramenti in os Chriſtiani prius Dominicum Corpus intraret, quam cæteri cibi. Nam ideo per Vniuerſum orbem mos iſte ſeruatur. Idipſum ex S. Hieronymi ſcriptis poteſt approbari in expoſitione Epiſtolæ Pauli ad Titum ita loquentis. *Antequam Diaboli inſtinctu ſtudia in Religione fierent & diceretur in populis Ego ſum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, communi conſilio Presbyterorum Eccleſiæ gubernabantur. Poſtquam vero vnuſquiſque eos, quos baptizauerat, ſuos eſſe putabat non Chriſti, toto orbe decretum eſt, vt vnus de Presbyteris electus ſuperponeretur cæteris, ad quem omnis cura Eccleſiæ pertineret, vt ſchiſmatum ſemina tollerentur.* Quibus documentis manifeſtum redditur aliquos Eccleſiæ ritus alio modo cœpiſſe & alio modo per eius incrementa cucuriſſe.

Vbi patet atteſtantibus ſcripturis ſacramenta altaris, quæ modo ieiuni accipimus, Diſcipulos Domini cœnatos accepiſſe. Patet etiam quod ſumimus de menſa lapidea ac ſacrata, illos ſumpſiſſe de menſa lignea, non ſecundum morem Eccleſiæ ſacratâ aut fortaſſe nullâ. Ibi panes quotidianos comederūt, de genimine vitis biberunt. Nos in forma nummi panem accipimus, vinum aqua mixtum potamus. Neminem ergo dubitare licet tanti ritum ſacramenti multis ac longè diuerſis modis in præſentis Eccleſia temporis celebrari, quos in primordio non accepit.

Qui ergo quærit cur non accipiantur exemplo Dominico ſingulatim, quæ de altari ſumuntur noua conſuetudine ſimul mixta, ſimili ratione quærere poteſt cur non ſumantur in ſimili loco aut de ſimili menſa, vel in ſimili forma: aut cur etiam aliud ſumatur videlicet aqua, quæ à Domino non legitur in cœna eſſe porrecta. Si vero ea neceſſariis cauſis intelligit rationabiliter eſſe parta ac reperta, nouerit & ea de quibus quæritur & cur aliter fiant quam à Domino facta ſunt, inquiritur, ratione inferiori non eſſe comparata. Porro cur miratur quiſpiam quod ſacramenta porriguntur ſimul mixta, nonne indeſinenter in Dominici Corporis & ſanguinis conſecratione diuiſo Corpore in 3. partes, vna à ſacerdote, videlicet quæ ab ipſo ſumenda eſt, in Calice reſeruatur, ſanguini admiſcetur, ſanguini infunditur, cum ſanguine ſumitur? Quis ſacerdotem peccare dicat, dum in quotidiano tanti myſterij officio carnem cum ſanguinis ſuſcipit admixtione? Si ergo bonum eſt ſumere hoſtiam ſanguine infuſam, malum erit porrigere hoſtiam ſanguine intinctam? quod qui malum non eſſe agnouerit, deſinet mirari, cum ratione factū eſſe cognouerit. Arguitur iſte mos ex eo, quod buccellæ intinctæ à Domino traditori ſuo porrectæ ſimilitudinem videtur habere, id ſi diligenter inſpiciatur, nihil dignum reprehenſione continere videbitur. Si enim exteriora penſentur, nemo dicet iuſtum hominem edere non debere panem intinctum in ſua cœna, quia id proditor manducauit Iudas Dominica in cœna. Aut nemo ideo non dabit oſculum pacis, quia Iudas oſculo dedit ſignum proditionis. Simili modo quid nobis obſtat accipere Corpus Dominico ſanguine intinctum, licet Iudas accepit buccellam de manu Domini Dominico vino intinctam? Si autem interiora cogitemus, propter aliud ille, propter aliud nos. Ille in ſuæ nequitiæ ſignum, in ſignum doli & proditionis quam mente gerebat, de manu Domini buccellam intinctus fraude ſuſcepit. Nos Carnem Domini intingimus in Sanguine Domini, non vt deſignemus malitiam eſſe in cordibus noſtris, ſed ne accipientes ſiue porrigentes peccemus non habita forte competenti cau-

tela in labiis & in manibus noſtris. Euenit enim frequenter vt barbati & prolixos habentes granos (id. *pilos ſparſos*) dum poculum inter epulas ſumunt, prius liquore pilos inficiant quàm ori liquorem infundant. Ij ſi acceſſerint ad altare liquorem ſanctum bibituri, quomodo periculum deuitare poterunt inter accipiendum, quomodo vterque accipiens videlicet & porrigens effugient grande peccatum? præterea ſi impubetes & ſine granis, aut mulieres ad ſumendam communionem ſanctam conueniunt, quis ſacerdotum poterit tam prouidè miniſtrare, tam cautè calicem Domini diſtribuere, vt multis eum ſingulatim diuidat, diuidens ſic in ora eorum fundat, vt infundens nihil effundat? ſæpe enim dum ſoli ſibi calicem infundere diſponit, negligentia aut imprudentia faciente effuſionis periculum incurrit: quanto facilius in multitudine poſito ſacerdoti multis diuerſarum formarum miniſtranti contingere poteſt, vnde grauiter offendat, vnde eum aſperam pœnitentiam agere oporteat?

Ne ergo polluamus ſanguinem noſtræ redemptionis, ne tanquam impietatis manibus effundamus poculum humanæ ſalutis, à Religioſis viris prouidè actum eſt, vt Dominici portiuncula Corporis non ſicca ſicut Dominum egiſſe nouimus, porrigatur, Sed Domini infuſa Sanguine fidelibus tribuatur. Quo pacto euenit vt ſecundum Saluatoris præceptum eius carnem edat, ſanguinem bibat, periculum euadat, quem in tanta re offendere oppido formidat. Id enim ſolidum edimus, id liquidum edimus: id liquidum bibimus, quod ſimul ſeparatimue ore ſumptum per guttur traiicimus, in qua diſtributione nemo vt dictum eſt, formidare debet, quod buccella panis intincta Proditori Domini à Domino ſimiliter eſt porrecta. Non enim ea operatio congruam habet ſimilitudinem, quæ cauſæ habet diſſimilitudinem. Vnde Iulij Papæ Decreta, quanquam rationabiliter dataperſuere, apud aliquos modernos hac in parte quieuêre; Eccleſiæ præualuit conſuetudo, quæ pondere rationis antecellit eminentiore. Nec mirum rationabilem vſum tantis actum neceſſariis cauſis Iulij Decretis anteponi, cum legamus & ipſis quotidianis actionibus frequentari videamus, cæterorum inſtituta Pontificum propter ſimiles aut inferioris vt videtur generis cauſas diſcretiore prudentia eſſe mutata. Teleſphorus Papa in Decretis ſuis Miſſarum officia qua hora celebranda ſint, his verbis abſoluit, *Nocte Sancta Natiuitatis Domini Miſſas celebrent vt reliquis temporibus Miſſarum celebrationes ante horam diei tertiam minimè ſunt celebranda: quia eadem hora & Dominus omnipotens & ſuper Apoſtolos ſpiritus S. deſcendiſſe legitur.* Quod cuius Decretum quam pauci ſeruauête, quam multi abiecêre, teſtatur Eccleſiaſtici frequentia ſeruitij, teſtatur ipſa pro fidelibus viuis ac defunctis ſacerdotalis oratio & Dominici Corporis & ſanguinis quotidiana immolatio: teſtatur nec non pro ſe ac ſuis ſiue id fieri petens, ſeu præſentiam ſuam exhibens popularis multitudo. Intellexerunt enim ſatius eſſe multis horis multas fieri oblationes quam vſque ad horam tertiam pluribus omiſſis paucarum oblationum fieri dilationes. Similiter Victor Papa in Decretis ſuis docet baptiſmum faciendum eſſe in Paſcha ſic dicens, eodem tempore id. Phaſchæ baptiſmus eſt celebrandus Catholicis: ſi tamen mortis periculum ingruerit, Gentiles ad fidem venientes quocumque loco vel tempore baptizentur. Quod etiam Papa Syricius Decretali aſſertione corroborat ſic dicens, Baptiſmi Priuilegium apud nos & apud omnes Eccleſias Dominicum ſpecialiter cum Pentecoſte Paſcha defendit. Quibus tamen in qualibet neceſſitate opus fuerit, omni volumus celeritate ſuccurri, vt ipſo ſuæ paſſionis myſterio per prædicta Martyrij genera ad vitam migrandum eſſe inſinuaret, ſignans etiam per certamen legitimum neminem poſſe coronari, qui non vno horum ſtuduerit corporaliter ſeu ſpiritualiter [illegible]figi.

1. Quæſtio. 2. Quæſtione percunctatum eſt, cur quarta pars hoſtiæ in Calice ponitur. De qua ita reſpondemus. Non eſt noſtræ conſuetudinis, vt quarta pars hoſtiæ dimitti debeat in Calice, ſed tertia. Alicui fortaſſis quarta idcirco mitti videtur, quod hoſtia per medium ſecta medietatis quaſi medietas in Calice ponitur, quæ quia ad totius hoſtiæ quantitatem ſeu quadrans eſt, quarta ideo eſſe videtur Sed nouerit Dilectio veſtra, quod non attendimus quanta quæque pars ſit in toto, ſed quota ſit de toto. Sufficit enim in diuiſione hoſtiæ ternarium numerum conſummare, non quæ partium maior, quæue minor ſit, attendere Vnde nonnullæ Eccleſiæ illum habent vſum, vt hoſtiam non per medium diuidant, ſed eam

trium æqualitate partium comminuant. Cur autem in tres determinatè diuidatur, ex Decretis Anacleti Papæ probabiliter coniicitur. In eiſdem namque legitur, quia Epiſcopus ſacrificaturus Deo, in ſolemnioribus diebus ſeptem aut quinque aut tres Diaconos & ſubdiaconos & reliquos miniſtros ſecum habeat. *Et paulo poſt.* Peracta conſecratione omnes communicent, qui noluerint Eccleſiaſticis carere liminibus. Inde Eccleſiaſtica inoleuit conſuetudo, vt Epiſcopo aut Presbytero ſacrificante, & Diacono ac ſubdiacono cooperante eiuſdem obſequij nemo aut raro quiſpiam à ſanctæ communionis excipiatur participatione. Quia ergo ipſis tribus Dominici altaris ſeruitoribus commiſſa ſunt Dominica ſacramenta, quibus ſcriptura communicare iubet, ſtatutum eſt, vt arcanæ recordationis hoſtia in 3. partes diuidatur, quæ diuiſæ à ſingulis ſeruitoribus ſingulæ ſuſcipiantur; quarum vnam ſacerdos in calice ſecurius ſibi reſeruat, cæteras in patena miniſtris, ſi præſentes fuerint, porrigendas cuſtodit. Eis abſentibus, ſicut agit quod erant acturi, ita accipit, quod erant accepturi. Nec tamen vacat à myſterio, quod numero Trinitatis illa ſolet fieri diuiſio. Corpus enim Domini quod in altari conficitur, ſacramentum eſt eius Corporis quod eſt Eccleſia: quæ quia in tribus Electorum Ordinibus conſummatur, Præpoſitis, Continentibus & Coniugatis, rectè Corpus Domini tripertitò diuiditur, quod Electis omnibus ſignum eſt vnitatis, ſignum concordiæ & pacis & cauſa æternæ ſalutis. Hi ſunt illi Ordines in quorum figura Ezechiel propheta ſe tres liberatos viros cogitur audiſſe, Noë ſcilicet, Danielem, & Iob. Noë quippe qui Rector Arcæ extitit inter vndas, Præpoſitorum Ordinem ſignat. Daniel pro ſua excellenti abſtinentia à mundanis delectationibus Continentum vitam figurat. Sanctus Iob figuram gerit ſanctorum Coniugum de acceptis bonis Deo miniſtrantium in operibus bonis.

Dicunt non improbandæ authoritatis viri idcirco trifariam tanti fieri ſacramenti diuiſionem, vt ipſo numero præſentia Trinitatis æternæ adeſſe cognoſcatur, cuius de modica creatura tantam fieri operationem credimus & veneramur. Videtur etiam nonnullis ſummæ peritiæ viris hanc idcirco inter ſacra Miſſarum ſolemnia Dominici corporis triformiter fieri diuiſionem, quatenus illo partium numero ſolemniter recolatur, qualiter ipſa eadem Carnis ſubſtantia in figura humani corporis à verbo Dei aſſumpta ſub trina veritate hominibus propter homines fuerit exhibita. Mortalibus enim oculis mortalis apparuit, in ſepulchro mortuus iacuit, immortalis ſurrexit. Quibus contractæ infirmitatis quaſi medelis, clementiæ placuit Diuinæ deſperantes animos ſoliditatis humanæ ad fidem erudire, ad amorem accendere, ad venturæ ſpem reſurrectionis attollere.

3. Loco 3. ſequitur Quæſtio, hæc ita proponitur. In perceptione Euchariſtiæ ſumitur Corpus Domini aut ex toto aut ex parte. Si verò ex toto ſumitur ore fidelium, & integer Chriſtus in partes non ſcinditur, quemadmodum certum tenemus, quomodo tunc vel quare ſeparatim ſanguis ſine corpore ſumitur? Duas in vna proponitis Quæſtiones. Videlicet quare & quomodo ſeparatim ſanguis ſumitur; hæc verò quare ſumitur, nulla reſponſione indigere videtur. Puto enim à me ſufficienter abſolutum eſſe, quare ſumitur Corpus Domini ſine ſanguinis admixtione, puto abſolutionis perſpicuitatem diligenter attendenti ſufficere debere. Quia ergo in manifeſtæ rei veſtigatione ineptum eſt ſuperfluè laborare, omittimus de ea vlterius loqui, factores Dominici Ordinis nequaquam arguentes, Eccleſiaſticæ verò Diſciplinæ cautelam minus prouidis commodantes. Altera verò Quæſtio quæ dicit, Quomodo ſumitur ſanguis ſeparatim ſine corpore, non magna diſcuſſione videtur egere. Si enim eam paulò attentiùs aſpiciaris, facili explicatione ſe ipſam præbet vobis. Quia enim omnem Corpoream ſubſtantiam conſtat corpus eſſe, ſanguinem Domini Corpus eſſe manifeſtum eſt remotâ omni ambiguitate. Sed cum Dominus paſſionis ſuæ ſacramenta commendaret dicens. HOC EST CORPVS MEVM, HIC EST CALIX SANGVINIS MEI, corpus à ſanguine diſtinxit, corpus propriè intelligens quod ſolidum erat, quod Cruci affigendum erat. Per ſanguinem aſſignans, quod erat liquidum, quod erat effundendum, in vtroque paſſionis ſuæ qualitatem præfigurans. Et nos

3. Quæſtio.

quoties de corpore & ſanguine Domini loquimur, in eadem ſignificatione nomina ipſa memoramus. Domini ergo Corpus quanquam in ſacramentorum velamine ſumatur ex toto, ſicut videmini aſſeuerare, ſeparatim tamen & ſanguis ſine corpore & corpus percipitur ſine ſanguine; dum & liquor ſine ſoliditate & ſoliditas conſumitur ſine liquore. Nec repugnare videtur, ſi totus ſanguis ſeparatim ſumatur ſine corpore, quem totum credimus ſumi cum corpore, cum & totum ab vno, totum à multis corpus Dominicum percipi certiſſimè teneatis. Quomodo autem totum ab iſto, totum ab illo ſumitur, ſeparatim verò ſumitur ab iſto & ab illo, ita cum totum Corpus accipitur per ſe & totus Sanguis per ſe ſeparatim & ſanguis ſine corpore & corpus ſumitur ſine ſanguine? De quæſtione verò tanti ſacramenti modeſtius vt opinor, eſſet colloquendo dicere, quod dici opus habet, quàm diſcutiendo ſcribere, quod periculoſum Iudicium habet: ne forte quod perſpicuum eſt, vt inutiliter exponatur, aut quod obſcurum, incautè relinquatur, ſeu ambiguo verbo dum ſcriptor non aduertit, auditor offendatur. Familiari enim colloquio commodius oſtenderet & quantum dici debet, & quantum credi oportet, & quod dici ſiue credi Catholica fides abhorret.

4. *Quæſtio.* In 4. Quæſtione ſic quæritur. Si integer Chriſtus ſumitur, vtrum ſolum Corpus ſine anima, an etiam anima cum corpore ſumitur? cuius generis percunctationes ab his frequenter proponi ſolent, qui appetunt ſapientes videri, quos magis delectat Philoſophicis diſputationibus elatè inſeruire, quàm Eccleſiaſticis diſciplinis & ſacris authoritatibus humiliter ac fideliter obedire. Hi timentibus Deum & fide potius quam ratione probantibus Corpus Chriſti ſanguinemque eſſe quod ſumitur de altari, decipulas huiuſmodi obtendere ſolent. Corpus Chiſti quod ſumitur de altari aut eſt animatum, aut eſt inanimatum. Si eſt animatum, cur non ex ſe mouetur, ſi vero inanimatum, quomodo eſt illud quod ſurrexit à mortuis & viuit in ſecula ſeculorum? itemque ſic aiunt. Corpus Domini aut eſt corruptibile, aut eſt incorruptibile. Si eſt incorruptibile, quomodo frangitur, minuitur, inueteratur? ſi autem eſt corruptibile, qualiter verum eſt veram reſurrectionem illud accepiſſe, veræ incorruptelæ particeps eſſe? Has, vt dictum eſt, nodoſas diſputationes illi obiicere moliuntur, quos amor humanæ laudis, quos fauor fatigat popularis, qui gaudent imperitis ſcrupuloſarum parare laqueos quæſtionum, quibus ſacrarum non ſufficit robur & authoritas ſcripturarum, quibus cordi eſt potius ſequi rationem ſapientiæ ſecularis, quæ ſtulta facta eſt à ſapientia Dei, quàm fidei veritatem, quæ inſcrutabilia penetrat, & rationis impotentiam pertranſiens aſcendit vſque ad ipſum nutum Dei. At iuſtus ex fide viuens, humiliter ſapiens non ſenſum ſuum præferendo, ſed Domini ſui mandata reuerenter amplectendo omnia credit, quæ Spiritus S. credenda eſſe præcepit, non quærens quomodo hoc vel illud eſſe poſſit, ſed ad omnia diuinitus imperata quæ legit vel audit, vt pote mitis & humilis corde humillimè adquieſcit. Hæc idcirco dixerim, vt quæ fide ſola intuenda ſunt, in quæſtionem non abducatis, quia non eſt vtile animæ Chriſtianæ inſolitis diſputationibus diſcutere myſteria redemptionis noſtræ. *Quoniam de ſua ſalute dubitare videtur, qui de myſteriis ſalutis quæſtiones facere dignoſcitur: ſcriptum quippe eſt, qui dubitat, non credit.*

Cæterum quo argumento quáue ſubtilitate diſputandi queat quis approbare panem & vinum Corpus ſanguinemque fieri Chriſti per verba Chriſti? tamen quia omnipotens veritas locuta eſt, ita dicens HOC EST ENIM CORPVS MEVM, Et HIC EST SANGVES MEVS, neminem dubitare licet ita verum eſſe, vt ſcriptura docet, tum quia veritas mentiri non poteſt, tum quia omnipotens non facere hoc non poteſt. Porro ſi rationis acumine comprehendi non poteſt, vtrum panis & vinum per conſecrationem fiant Corpus & ſanguis, nemo diſputandi arte fretus veſtigare debet, quomodo ſit ſanguis vel qualis ſanguis. Cum enim ſecreta cœleſtia nequeat quis ratione ſcrutari, ineptus ſit, ſi quamuis quod de ipſis legitur, fide teneat, quod non legitur, videlicet quàm pulchra aut quomodo ſint diſpoſita, ratione inquirere ſeu diſcutere præſumat. Qui enim de quacunque re an ſit ignorat, de ea fruſtra qualis ſit & aut quomodo ſe habeat, interrogat. Ita huiuſmodi ſacramenta, cum quid ſint, nemo ratione apprehẽdere queat,

qualia ſit.r, ſuperflua curioſitate indagare curat. Id ſanè myſterij genus idcirco myſterium fidei vocatur, quia eius ſecreta ſola capit fides, quæ ratio aſſequi non poteſt. De quo nimirum ita ſcriptum eſt, ſi quid reſiduum fuerit, igni comburetur. Eius profecto ſecreta abſcondita ſunt in theſauris ſapientiæ cœleſtis, quæ inde ſacrilegum eſt furari, præſertim ſic prohibente Spiritu Dei. *Altiora te ne quæſieris*, & illud, *ne tranſgrediaris terminos Patrum tuorum*, Vnde id Sacrilegij perpetrare cauendo, quod fidei ſolius arcano cuſtoditur, diſputationis acumine diſcutere deuito. Nihil enim ipſe pro arbitrio meæ intelligentiæ ponere volo, ſed id ſolum, quod ex ſcripturis authenticis vel probatorum ſententia Doctorum collectum eſt, proferre intendo. Aut certè ſi dicendum ſit, quid aliud, vel quare aliud, debet de Carne noſtræ redemptionis quàm quod omnipotens veritas allegauit? quæ vbi inter cœnandum Carnem ſuam Diſcipulis edendam protulit dicens *Hoc eſt Corpus meum*, de qualitatibus tacuit ſubſtantiæ, mutationem factam eſſe inſinuauit.

Quid ergo? nonne ſicut dixit facere potuit? nonne potuit mutare panem in ſubſtantiam Carnis ſine aſſumptione qualitatum ipſius Carnis? quid omnipotens facere non potuit? credimus & certum tenemus ſubſtantiam panis verborum virtute eſſe mutatam in ſubſtantiam Dominicæ carnis. Certiſſimè tamen ſcimus & ſenſibus corporis comprobamus qualitates panis immobiliter permanere, cuius ſubſtantiam, quia ſacroſancta eſt, credimus non manere. Viſu enim candorem, tactu contrectamus panis ſaporem, cæteraſque eiſdem cæteriſue ſenſibus qualitates panis ita iudicamus, vt panis cuius ſubſtantia deeſt, quantitatem nullam deeſſe videamus, carnis ſubſtantia adeſt, qualitatem nullam adeſſe ſentiamus. Cum ergo manentibus qualitatibus non miremur panis abeſſe ſubſtantiam, ſed integritate fidei in ſubſtantiam carnis credamus eam adeſſe non mutatis eius qualitatibus, permutatam, quid mirum ſi præſente Carnis ſubſtantia qualitates carnis, ſicut non videntur adeſſe, ita dicantur abeſſe? Quo pacto quod ſacratur, quamuis concedatur eſſe Chriſti Caro, non tamen rectè quæritur immortalis, mortua ſiue immortalis exiſtat; ſicut non rectè fideles à fidelibus quærimus an hoſtiâ ſacratâ, cum qualitates panis aſpiciamus, panis exiſtat. Sicut enim, vt dictum eſt tranſlatâ panis ſubſtantiâ qualitates eius videntur non eſſe tranſlatæ, ita admiſſa carnis ſubſtantia qualitates eius non ſentiuntur eſſe admiſſæ. Sed ad me redeo, mei exceſſus præſumptionem caſtigo, malens cum ſimplicibus ſimpliciter credere, quam ſimplicitati columbæ amarus exiſtere.

5. Loco veſtra venerabilis diligentia verſiculum de propheta Ioel ſumptum digerit, percunctans videlicet quid intelligere voluit propheta cum dicit, *Quis ſcit ſi conuertatur & ignoſcat Deus & relinquat poſt ſe benedictionem?* hujus lucubratiunculam de B. Hieronymi Commentariolo ſuper 12. prophetarum expoſitionem compoſito decerpere potuiſtis, ſi forte librum apud vos habuiſtis. Quod quia liber idem nobiſcum eſt, & ego poſſem niſi breuitatem eius ſufficere vobis non poſſe dubitarem, dicam itaque quod ſentio. Indicet qui vult: capiat qui poteſt. Propheta ſuos Authores Domini contemptores hortatur ad pœnitentiam dicens. *Conuertimini ad Dominum Deum veſtrum.* Et quaſi quis quæreret, qua ſpe conuertemur? id. Vnde poſſumus ſperare nos veniam conſecuturos? ſubiungit dicens, *quia benignus & miſericors eſt, patiens & multum miſericors, præſtabilis ſuper malitiam.* Quo poſito æquipollēter interrogatiuam pro enunciatiua oratione ſubinfert ſic dicens. *Quis ſcit ſi conuertatur?* hoc eſt, forſitan conuertetur. Ac ſi diceret, quia Deus miſericors eſt, ſi conuertamini à prauis operibus, forſitan & ipſe conuertetur ab ea ſententia, quam merentur peccata veſtra, ſcriptum eſt enim, *Mutat Deus ſententiam, conſilium nunquam.* Quomodo autem conuertatur mutetque ſententiam, exponit cum dicit. *Et ignoſcat & relinquat poſt ſe benedictionem*, id eſt & peccata remittat & remiſſis peccatis gratiam tribuat. Quod vero dicit, relinquat poſt ſe, id eſt ſequentibus ſe, iis ſcilicet, qui volunt facere voluntatem Dei, non quærunt vt Deus faciat voluntatem ſuam. Quamuis & eundem verſiculum ſed apertius poſitum in propheta Ionæ valeamus inuenire ſic. *Quis ſcit ſi conuertatur & ignoſcat Deus & reuertatur à furore iræ ſuæ & non peribimus?*

Quæſtio.

Extat in eodem Tomo Spicilegij Dacheriani. tractatus Guitmundi Monachi

Cœnobij de Cruce Heltonis ſeu S. Leufredi, in quo reſpondet ad quæſtiones de ſubſtantia atque vnitate Trinitatis deque myſterio Euchariſtiæ ab Areſaſto ſibi propoſitas. Vltimum tamen Tractatus ſeu Epiſtolæ folium in quo quæſtionem de ſacramento altaris tractauit, exciſum ſe reperiſſe ait Dacherius. Priorem vero de Trinitate fusè proſecutus eſt, licet nec ibidem cernere ſit abſolutam.

1061. Anno 1061. vel vt alij ſcribunt, 1062. obiit Nicolaus Papa, ortumque eſt ſchiſma in electione ſucceſſoris. A Cardinalibus enim Romanis omnium voce abſens electus eſt Anſelmus Lucenſis Epiſcopus Patriâ Mediolanenſis. A Ciſalpinis verò ſeu Longobardis Cadolus Parmenſis Epiſcopus, qui Honorij nomen accepit. Anſelmi, qui Alexander II. dictus eſt, partes ſuſtinuit Gallia, & cæteræ tandem Gentes. Vir iſte doctrina non vulgari præditus ſtatuit, nequis Eccleſiaſtica beneficia ab vllo laïco acciperet, Monachos continuit clauſtris, & à prædicatione abſtinere voluit, vt habetur Can. iuxta. 16. q. 1. Extat eius Epiſtola ad Geruaſium Remenſem Archiepiſcopum, quâ quantum Simoniacam peſtem deteſtaretur, quæ in Francia tunc temporis vbique vigebat, ſatis apertè declarat. *Peſtem Simoniacam*, inquit, *quæ hactenus veſtris in partibus quaſi timida ſerpere ſolebat, nunc caput accepimus extuliſſe, & gregi Dominico tam timore quàm pudore remoto grauiſſimam iacturam inſtantiſſimè inferre. Vnde non mediocri mærore afficimur: quippe qui nobis creditos & Chriſti ſanguine redemptos quorumdam peruerſitate perire videamus. Quod totum ſanè Archiepiſcopis imputamus. Nemo enim Simoniacus emptionem iniret, ſi ſe conſecrandum fore deſperaret. Sed quia Archiepiſcopi ſine diſcretione conſecrant, multi indiſcreti ad Epiſcopatus adſpirant. Verum cum tempus accepimus, adiutore Deo & de Conſecratis & de Conſecratoribus Iuſtitias indicabimus, Et quanquam ammonitione non videaris egere, te tamen ammonemus atque præcipimus, vt Ioſcelinum Sueßionenſi Eccleſiæ non conſecres Epiſcopum, qui Archidiaconatum Simoniacè obtinuiſſe non contentus, epiſcopari etiam pecuniâ contendit.*

Synodus Andegauenſis contra Berengarium Eodem anno dicitur ab aliquibus Lanfrancus ex Priore ſeu Præpoſito Beccenſi factus Abbas S. Stephani Cadomenſis: ſed male. Conſtat enim anno tantum 1066. Abbatem factum fuiſſe. Eodem anno menſe Aprili Hugo Biſontinenſis Archiepiſcopus conſecrauit Andegaui Monaſterium nouum in honorem S. Saluatoris: cui conſecrationi interfuerunt Euſebius Bruno Epiſcopus Andegauenſis, wlgrinus Cenomanenſis & Verecus Nannetenſis. Ibi Berengarius quoque adfuit & plurimi viri Docti, inter cæteros verò Arnaldus Magiſter ſcholarum Cenomanenſium & wlgrini in Epiſcopatu ſucceſſor: atque in Capella Fulconis Comitis Andium hæreſis Berengariana toties confutata & eiurata ipſius Hugonis & eruditorum virorum authoritate calcata eſt. Nec tamen deſiit poſtea colloquia petere, congreſſus & concertationes, Brunonemque Epiſcopum importunâ efflagitatione fatigare: quamobrem ille pertæſus Epiſtolâ ad ipſum ſcriptâ ſignificauit ſe nullatenus ei iudices, teſtes aut auditores procuraturum, increpauitque quod Eccleſiaſticis definitionibus nunquam acquieſceret toties conuictus & damnatus. Epiſtola autem talis eſt. Ad Beringerium Magiſtrum, quam ex veteri Manuſcripto edidit olim vir clariſſimus Claudius Menardus in Notis ad libros S. Auguſtini contra ſecundam Iuliani reſponſionem pag. 499.

Epiſtola Brunonis ad Bereng. Fratri & ſinceræ dilectionis cultu amplectendo Conſacerdoti Berengario B. E. Salutē. Scripſiſtis ad vos perueniſſe relatu credibilium teſtium Gaufridum Martini
» ſumma ope & præconio publico ineptiæ atque inſaniæ Lanfranci ſuffragari, &
» quibuſdam interpoſitis obteſtati eſtis, vt vos & ipſum ſub iudice audiri faciam, in
» libro B. Ambroſij de Sacramentis. Super quo quid reſponſi, quidve Conſilij
» mihi vobis, quæ (ſi dignaremini) habeam, patienter æquanimiterque aduer-
» tite. Veritatis aſſerendæ an famæ quærendæ gratia, neſcio, Deus ſcit, hæc orta
» motaque quæſtio, poſtquam Romani orbis maximam pene partem peragrauit,
» ad vltimum nos cum infami longinquorum & vicinorum redargutione acerri-
» mè pulſauit. Contra quod quamuis humili hebetique meo, ſed & doctorum &
» me meliorum conſilio tale reſponſionis elegi temperamentum, quod à veritatis
» tramite nullo erroris diuerticulo deuiaret, & Vniuerſalis Eccleſiæ ſublimioribus
» & dignitate & eruditione perſonis, ſuper hac re commotis offenſionis ſcandalum
» iure incutere minime deberet, quod & ſimpliciores fide attingere ineuitabiliter
» oporteret, & eruditiores quoſque faſtu aliquo tranſcendere non liceret. Quod

Digitized by Google

quidem relictis rurbulentis diſputationum riuulis de ipſo veritatis fonte ſinceriſſima abundantia profluenri, & ſingulari ſingularitate ſalubri, & nobis ipſis neceſſarium ducimus haurire, & omnibus quibus placeret nobiſcum proponere. Quod eſt, Dominus Ieſus pridiè quam parcrerur, accipiens panem in ſanctas ac venerabiles manus ſuas, eleuatis oculis in cœlum, benedixit, fregit, dedir Diſcipulis dicens, accipire & manducare ex hoc omnes, hoc eſt enim Corpus meum. Simili modo accipiens præclarum Calicem, item gratias agens benedixit, dedit que Diſcipulis ſuis dicens, accipite & bibite ex eo omnes, Hic eſt enim Calix Sanguinis mei, noui & ærerni teſtamenti, myſterium fidei, quod pro vobis & pro mulris effunderur in remiſſionem peccatorum. Hæc quorieſcumque feceritis, in mei memoriam facieris. Huius verbi, per quod omnia facta ſunr, virtute & effectu panem poſt conſecrantis in hæc verba Sacerdotis ſacrarionem, verum Corpus Chriſti, & vinum eodem modo, verum Sanguinem eſſe credimus & confitemur. Quod ſi quis hoc qualirer fieri poſſir inquirar, non ei ſecundum naruræ ordinem, ſed ſecundum Dei omniporenriam reſpondemus: & hoc & omnia quæcumque voluir fecit Deus in cœlo & in rerra, in mari & in omnibus abyſſis. Neque enim ſecundum naturæ ordinem, verbum Deus, in principio apud Deum de Spiriru ſancto & Virgine concipi, & quomodo poſt reſurrectionem verum Corpus Domini Ieſu ad Diſcipulos clauſis ianuis intromitri & palpari potuit, quælibet verborum affluentia differere poreſt, & ſecundum Dei omniporentiam in verirate facta eſſe firmiſſimè credi neceſſatium eſt. Si vero aliquis, quid de hac re parres doctoreſque noſtri ſenſerint, quidve ſctiptum teliquerint, à nobis requiſierir, ad eorum libros, ſi ad hoc idoneus eſt, eum mirtimus, vr quod ibi inuenerit, diligenter legat, purè intelligar, & quod accommodatius Euangelicæ veritari ſenſerit, cum gratiarum actione & ſtudio ftaternæ concordiæ ſibi eligar. Porro nos non Patrum ſcripta contemnentes, ſed nec illa qua Euangelium legentes (neque enim ipſi viuenres & ſcribenres hoc voluerunr & in ſuis opuſculis ne id fieter voluerunt) eorum ſententiis, ſalua quæ eis deberur reuerentia in taurę rei diſceptarione abſtinemus, ne ſi Patrum ſenſa aut aliquo euentu deprauara, aut à nobis non bene intellecta, aut non plenè inquiſita inconuenienrer protulerimus, ſcandalum illud, quod rantopere fugimus, incurramus; & cum vnus de puſillis Chriſti ſcandalizator mole aſinatia ad collum ſuſpendio & in profundum maris præcipitio iudicerur dignus, nos totius Eccleſiæ ſcandalum iute meriroque exhorreſcimus, nec timere ab hoc nos fruſtra periclitari diſſimulamus, cum ſalubrirer & cum quiere pacis Chriſtianæ contenti viuere poſſimus Sacroſanctorum illorum verborum Chriſti, quæ ſuperius poſita ſunr, ſimplici compendio & ſufficienri ſanctæ fidei firmitare, quantum nos ſentimus & mulros nobis ſatis ſuperiores viros ſenrire cognoſcimus. Hoc conſilio querimonia quæ in præſentia Domini Geraldi tunc legari apud Turonum emerſit, ſedata eſt. Hoc conſilio eodem rumultus qui in audientia Domini Eldebranni in eadem ciuirate efferbuir, ſopirus eſt: hac veridica confeſſione exactioni ptincipis huius noſtri, in capellula cuius in veſtra Epiſtola mentionem feciſtis, ſarisfactum eſt, & rediuiua peſtis, quæ neſcio quorum improbitate exagitata caput extulerat, Domini Biſonticenſis Archiepiſcopi & eruditorum qui adfueranr aurhorirate calcata eſt. Ac nullam aliam de hac re diſpurarionem vel conrrouerſiam, nec accuſatores, nec defenſores, nec reſtes, nec iudices, nec cauſidicos, nec auditores, me quærete, procutare, congregare aliquando ſciatis. Omnibus vero pro hac re, me volente, quod ſi parum eſt quamuis paruipendatur, contradicente conuentum publicum aggregare volenribus conſenſum non tribuam, confluentibus humilitatis meæ perſonam ſubtraham, confligentibus audientiam, perſeuerantibus communionem: eſt enim cauſa ter Prouinciæ noſtræ iudicio terminata, quarto ſedis Apoſtolicæ Synodi ſentenria extincta. Valete E.

Quis ſit autem ille Getardus, qui tumultum Turonenſem ſedauir, non facile dictu eſt. Nam errant, qui Geraldum Engoliſmenſem Legarum Pontificium notari putant: ille enim factus eſt tantum an. 1101. Epiſcopus Engoliſmenſis, & obiir an. 1135. quæ tempora cum Alexandri Papæ II. temporibus non concordant. Forte à nonnullis vox Geraldi repoſita eſt loco litteræ G. quæ in manuſ-

criptoerat. Vel intelligendus Giraldus Oſtienſis Epiſcopus ſucceſſor Petri Damiani ab Alexandro Legatus in Franciam & Burgundiam miſſus: ſed anno tantum 1073. miſſum volunt aliqui, quo anno obiit Alexander. At in prædicta epiſtola Brunonis ille G. ſedator Turonici tumultus ante Hildebrandum veniſſe in Gallias videtur, hoc eſt ante an. 1055. quo habita eſt Turonenſis ſynodus.

Quod ad Gaufridum Martini attinet, de quo ſcripſerat Berengarius ad Brunonem, videtur eſſe Gaufridus ſeu Goffridus Turonenſis, S. Martini Cantor Lanfrancianæ partis fautor, qui deinde Brunoni in Epiſcopali ſede ſucceſſit an. 1081. 8. id. Auguſti, vt legitur in Chronico Vindocinenſi, de quo infra dicetur.

Anno 1063. vehemens orta eſt in Normania inter Ducem & Proceres diſſen-
1063. ſio, imo inter ipſoſmet Magnates. Litem quoque exercebat Gaufridus de Bolonia Epiſcopus Pariſienſis cum Monachis San Dionyſianis & Abbate Rainerio, qui ſe certorum priuilegiorum munimine tutantes ab Epiſcopali Iuriſdictione videri volebant eſſe immunes. Nec lis iſta ſtetit intra Cancellos fori Pariſienſis, ad Papam ipſum delata eſt, qui poſt habitam de ea in Conuentu Prælatorum diſceptationem, ad Geruaſium Remenſem tandem reſcripſit. *Deuotioni tuæ notum eſſe volumus, quod Abbas Monaſterij S. Dionyſij Martyris apud noſtram audientiam ſuper Epiſcopo Pariſienſi ſemel & ſecundò fuerit queſtus. Videlicet quod ipſe contra ius priuilegiorum à Sanctis & Apoſtolicis viris ſalubriter eidem Monaſterio multotiens conceſſum, contraque Francorum Regum & Epiſcoporum ipſius patria Conſtitutiones, ſubripere ſibique vindicare iamdicti Monaſterij poteſtatem attentauerit, ad quæ nimirum dirimenda ad ſedem Apoſtolicam vtrumque venire inuitauimus. Vt ibi congregatis Eccleſiarum Iudicibus huius cauſam litigij canonicè determinaremus. His igitur in ſancto Concilio repræſentatis, poſt longam diſcuſſionem, poſt varias vtriuſque partis oppoſitiones claruit iuſtitiam præfato Monaſterio fauere. Nec tot aut tantorum Pontificum authoritati abſque horrendo anathemate aliquem poſſe obuiare. Vnde conſilio totius ſancti Conuentus, quæ à ſanctis prædeceſſoribus noſtris ſanctè ſunt inſtituta, firmauimus atque corroborauimus. Rogando itaque fraternitatem tuam ammonemus, quatinus ſi inuitatus fueris ab Abbate vel fratribus eiuſdem Monaſterij, chriſma & oleum & cætera quæ eis ex Epiſcopali officio viderentur neceſſaria tribuas, ac tuos Suffraganeos tribuere præcipias.*

Similis intercedebat inter Guidonem Ambianenſem Epiſcopum & Fulconem Corbeienſem Abbatem controuerſia. Epiſcopus enim vir doctiſſimus & metro proſaque peritus priuilegia & immunitates contra ſacros Canones Monachis conceſſas tolerare nolens, eos ſuæ Iuriſdictioni adſtringebat, & peruicaces anathemate feriit, nec niſi multis precibus Alexandri Pontificis & Geruaſij Remenſis abſoluit.

1605. Anno 1065. habitum eſt Concilium Mantuanum præſente Henrico Imp. &
Alexandro Pontifice de tribus præſertim capitibus: quotum vnum fuit de Be-
rengariana hæreſi, quem victum rationibus compulerunt quarto ad Palino-
1066. diam, inquit ex Lanfranco Genebrardus. Anno verò 1066. obiit Eduardus Anglorum Rex ſine prole maſcula, cuius temporibus, regnauit autem annis 22. & 9. menſibus, aucta eſt Oxonienſis Academia ædificijs & Collegiis. Imprimis aiunt fundatum fuiſſe ab ipſo Rege Collegium Regium vulgo ORIAL dictum. Deinde Exonienſe à Villielmo Stapledone Epiſcopo Exonienſi. Item Aulam Ceruinam. Villielmus verò Normaniæ Dux, ad quem legitimè pertinebat ſucceſſio Regni Anglicani, habitis frequentiſſimis Magnatum ſuorum Comitiis, ex eorum conſenſu pugnaciſſimum conflat exercitum, & adiutus etiam Francorum opibus transfretat in Angliam adeundæ hæreditatis ergo. Prius verò quàm tantæ expeditioni ſe accingat, mittit legatos ad Heroldum Regiæ Domus Maiorem, qui Regis nomen & inſignia aſſumpſerat, experiundi cauſâ num poſſet rem amicè cum eo componere. At reportant Heroldo eſſe in animo partum tueri Regnum. Willielmus iura iuribus accumulare cupiens, ad Alexandrum Papam Nuncios deſtinat, rogatque negotium, ſi probauerit, authoritate Apoſtolica firmare. Ille verò audita vtriuſque contendentis cauſâ vexillum in omen Regni Willielmo tranſmittit. Igitur apud Liſlebonam Conuentu habito menſe Auguſto è portu S. Vallerici ſoluentes curſu rapido Haſtingas appellunt, nec multo poſt, nempe pridie idus Octobris commiſſo prælio, victo oc-

ciſoque

eiſoque Haraldo Vvillelmus Londinum adit, magniſque ab omni Clero & populo acclamationibus recipitur, & ab Aldredo Eboracenſi Archiepiſcopo Regni diademate recingitur, atque intra breue tempus contra omnem ſpem tota Anglia incruentè potitur, vltro ſe illi ſubmittẽtibus pleriſque Proceribus, aliis ne quid turbarum oriretur, fuga dilapſis.

Ex hoc tempore longè plures Angli, facili facto ex Anglia in Franciam traiectu, Academiam Pariſienſem frequentarunt: nam ante quidem nonnulli ſciendi auidi è puris noſtris fontibus ſcientias & artes hauſturi veniebant: at pauci, propter difficultatem itinerum bellorumve tumultus: poſtquam vero Normanis ſubditi fuerunt, tanto numero ſe Lutetiam effuderunt, vt non modò cæteros aduenas ſed ipſoſmet etiam Francos multitudine ſuperare viderentur. Multum autem cõtulit ad amorẽ litterarum excitandum Lanfranci, Anſelmi, Guitmundi, aliorumque litteratiſſimorum virorum quibus tunc Normania redundabat, celebritas: multo verò magis ipſius Principis willielmi ſingularis erga literatos à natura inſita inclinatio: quæ tãta legitur fuiſſe, vt cæteri Magnates exemplo ipſius non modo Viros doctos ſecum haberent, ſed in ſuis quiſque ditionibus aut Clericorum Collegia, aut Monachorum Cœnobia erigere & fundare voluerint.

Huius autem inuicti & fortunatiſſimi Principis virtutes & geſta deſcribere tres præcipui ſcriptores aggreſſi ſunt, Vvillelmus Gemmeticenſis Monachus ſcriptis ſatis notus, Vvillielmus Normanus Patriâ Pratellenſis Diœceſis Lexouienſis, dictus Pictauinus, quod Pictaui fonte Philoſophico imbutus ad ſuos deinde reuerſus omnibus ſuis vicinis & conſodalibus doctior enituerit, vt refert idem author; & Guido Præſul Ambianenſis qui Metricũ carmen edidit, quo Maronem & Papinium geſta heroum pangentes imitatus, Bellum Anglicanum deſcripſit, Haraldum vituperans, Guillielmum vero collaudans & magnificans.

Anno 1066. Hugo de Bar, vulgò Rainardus dictus vir eloquentiſſimus & in 1066.
Theologia quoque verſatus ad Lingonenſem Epiſcopatum promotus eſt, qui ſãcto pioque peregrinandi & loca Terræ ſanctæ inuiſendi deſiderio motus, è Capella Imperatoris Conſtantinopolitani S. Mammetis ſeu Mamantis Martyris brachium Lingonas attulit, & eius nomine Baſilicam Cathedralem, quæ in honorem S. Ioanois Euangeliſtæ conſecrata fuerat, appellari voluit. Huiuſque Sancti vitam, acta, paſſionem proſâ verſibuſque Heroicis Latinis ex Græcis Commentariis deſcripſit. De eo ſic legitur in libro de tranſlationibus Reliquiarum S. Mamantis Martyris in Bibliotheca Floriacenſi, cuius author viuebat circa an. 1200. *Procedente tempore aſſumptus eſt ad regimen vrbis Lingonica Rainaldus Epiſcopus piæ recordationis qui decimus ſedit ante venerabilem Guillelmum, qui eſt electus noſter. Vir ille ſpectabilis quidem genere fuit, ſed nobilitatem generis honeſtas morum & multiplex litterarum ſcientia illuſtrabat. Non ſolum enim liberalibus ſtudiis eruditus fuit, ſed vtriuſque teſtamenti paginis ſufficienter inſtructus: ipſa enim eius opera teſtimonium perhibent veritati.*

Sed ante hunc authorem Hugo Flauiniacenſis qui Rainardum noſſe potuit, vtpote contemporaneus ſcriptor, in Chronico Virdunenſi ad an. 1077. de eodem ſic ſcribit. *Lingonenſem Eccleſiam Rainardus cognomento Hugo regebat, vir adprimè Rhetoricis imbutus ſtudiis, clarus ingenio, ſermone facundus, ſcientia præditus, affabilis alloquio & prudens conſilio.* Huic aliqui tribuunt hymnum qui cantatur in Dominica Ramis-Palmarum, GLORIA LAVS, eumque compoſuiſſe in arce ciuitatis Nouiomenſis vbi à Philippo captiuus detinebatur, ſcribit prædictus author libri de Tranſlat. Reliq. S. Mamantis. *Cum* ipſe, inquit, *teneret Comitatum Tornodorenſem & Comitatum Barri ſuper Sequanam pro ſuis nepotibus qui adhuc erant paruuli, propter quaſdam diſcordias, ſicut dicitur, Rex Francorum* (Philippus) *qui tunc erat, ipſum tenuit in Nouiomenſi ciuitate in turri iuxta portam: vbi non fractus aduerſitate, ſed gaudens, quia intelligebat quod filium quem diligit, flagellat Deus, fecit hymnum & modulatis vocibus cantauit cum pueris in Ramis palmarum, ſcilicet* GLORIA LAVS. Verum hic hymnus verius tribuitur Theodulpho Aurelianenſi in carcere Andegauenſi detento à Ludouico Pio, vt ſuo loco retulimus.

Sed quorſum tam multa de hoc viro? certè licet non legatur ſtuduiſſe in ſchola Pariſienſi, vix eſt tamen, vt alteri ſtudio tantum alumnum adſcribere poſſimus. Siquidem filius erat Rainaldi Comitis Barri & Tornodorenſis, qui in Curia

Digitized by Google

Regis inter primos verſabatur. Nobilium autem filii raro alibi quàm in ſchola Pariſienſi educabantur: ij vero præſertim qui Clericali militiæ deſtinabantur, vt Regibus innoteſcerent aulamque frequentare aſſueſcerent, indead Beneficia Eccleſiaſtica promouendi. De eo rurſum dicetur ad an. 1077. quo anno in Chronico Diuionenſi legitur obiiſſe. At alii ſcribunt adhuc interfuiſſe an. 1080. Synodo Xantonenſi.

1067. Anno 1067. Obit Maurilius Archiepiſcopus Rothomagenſis, Patria Moguntinus, vt nonnullis placet, profeſſione Haluerticenſis Scholaſticus: aliis vero Patria Remenſis, & in ſchola Leodienſi educatus: idque teſtatur eius Epitaphium à Richardo Helluini filio eiuſdem Eccleſiæ Canonico compoſitum. Quod apud Ordericum legitur.

Humani Cives lachrymam nolite negare
Veſtro Pontifici Maurilio Monacho.
Hunc Remis genuit, ſtudiorum Legia nutrix
Potauit triſido fonte Philoſophico.
Vobis hanc ædem cœptam perduxit ad vnguem,
Lætitiâ magnâ fecit & encenia.
Cum tibi Laurenti vigilat plebs ſobria Chriſti,
Tranſit, & in cœlis laurea feſta colit.

Malmeſburienſis ait eum mortuum reuixiſſe & ſuos allocutum iterum obiiſſe: idque etiam teſtantur Albericus in Chronico, Vincentius l. 5. c. 40. Huic ſucceſſit Ioannes Baiocenſis Abrincenſium Epiſcopus, vir quoque virtutibus & litterarum peritiâ conſpicuus, atque à ſede Abrincenſi ad Rothomagenſem, ita permittente Alexandro Pontifice, transfertur, ad quem à Willielmo Rege miſſus fuerat Lanfrancus tunc Abbas Cadomenſis, qui Rothomagenſis Præſulatus dignitatem ad quam electus fuerat, abdicarat. Abrincenſi vero ſedi præpoſitus eſt Michael natione Italus litterarum etiam eruditione clarus.

Porro neque hoc omittendum quod obſeruat Preuotius in ſuis ad librum de officiis Eccleſiaſt notis, extare in antiquis codicibus eburneis Eccleſiæ Metropolitanæ formulâ profeſſionis fidei de veritate Carnis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia contra Berengarium latam in Concilio Prouinciali *præſidente huic ſanctæ ſedi* (Rothomag.) *venerabilis memoriæ Maurilio*. Et hocce tempore Guitmundus Monachus S. Leufridi ſub Abbate Odilone tractatum edidit aduerſus Berengarium, in quo magnam tam in Artibus liberalibus, quàm in Theologicis peritiam demonſtrat. Pauca hæc ſeligo ex l. 3. circa medium.

In quodam Miſſali Hiſpano quod dicunt Sanctum dictaſſe Iſidorum, in hebdomada ante Paſcha in quadam Miſſa ſic inueni. *Totum Pater, de cœlo eſt, demutatum in naturam filii tui & Corpus & ſanguis eſt.* Non iam figura ſed veritas, non creatura mortalis ſed natura cœleſtis, edentibus vitam æternam Regnumque perpetuum collatura potantibus. *Hos Impanatores ſuos* ipſe Dominus Ieſus verbo oris ſui interficit, cum accipiens panem gratiaſque agens ac benedicens ait. *Hoc eſt Corpus meum.* Non ait, *in hoc latet Corpus meum*, nec dixit, *in hoc vino eſt Sanguis meus*; ſed dixit, *Hic eſt Sanguis meus*. Vnde & Eccleſia Dei conſequenter à ſe coſdem ſeparat, cum in ipſo Canone Miſſæ ex Apoſtolica traditione ita orat, *Quam oblationem tu Deus, in omnibus quæſumus benedictam, aſcriptam, ratam, rationabilem acceptabilemque facere digneris*, vt nobis Corpus & ſanguis fiat *dilectiſſimi filii tui Domini noſtri I. C.* & Non hic oratur, vt in ea *Corpus & Sanguis lateat*, aut in eam Corpus & ſanguis adueniat, ſed vt ipſa oblatio & Corpus & Sanguis fiat. In hac oratione Cyprianus, Hilarius, Ambroſius, Auguſtinus, Hieronymus, Gregorius & cæteri omnes Eccleſiaſtici authores iſtos vno ore percutiunt & quicumque Miſſas celebrantes ipſi orationi tota deuotione conſentiunt. Nam contra diuinas authoritates humana ratione incedere id quidem inſanum; ſine ratione autem, id longè inſanius. At vero & ſine ratione & contra rationem aduerſus Deũ ſemper latrare, id protſus ſupra quã dici poſſit, inſaniſſimũ. Iſti enim nequiores nequiſſimis *fratres ſuos vmbraticos* præ ſe iuſtificauerunt. Illi quippe iudicium ſenſuũ tranſcendere non valẽtes, tanquã ex infirmitate erraſſe videri poſſunt. Hi vero neq; ex ſenſibus neq; ex vlla ratione, neq; ſcriptura aliqua cauſam erroris ſui mutuantes, ſolâ penitus ſuperbiâ veſanire videntur, dum reclamante natura quã

tantopere defenſitare ſolent (quomodo enim in ſolido corpore panis, alterum »
Corpus latere poſſit, videri non poteſt) reclamante inquam natura, reclamanti- »
bus ſcripturis ſacris, nullo SS. Patrum teſtimonio, nullo Diuino oraculo, nullo »
miraculo fulti munitam vndique Catholicam pietatem, beſtialiter obſtinati ob »
hoc tantum oppugnare videntur, ne ab ea victi eſſe videantur. O infelices quos »
pietas non vincit! O infelicissimos qui dum ſubijci pietati renuunt, impietatis »
ſerui eſſe non erubeſcunt! »

Origo Nominalium & Realiũ.

Occaſione vero harumce diſputationum & altercationum Berengarianarum ortæ ſunt in Academia Pariſienſi duæ ſectæ Philoſophorũ, atque etiam Theologorum. Nam cum in tanto Monachorum cum Berengario diſſidio non poſſent de quæſtionibus illis controuerſis omnino ſilere Profeſſores, varij varias explicandæ & conciliandæ vtriuſque opinionis artes viaſque quærere cœperunt, & nonnulli quoque qui amatores nouitatis initio Berengario adhæſerant, vt eum ſæpe damnatum viderunt ſemperque contumacem remanere, ne doctrinam omnino eiurarent quam initio arripuerant, varia effugia & ſubtiles diſputandi methodos excogitarunt, vt ad ſpeciem ſaltem vera dicere putarentur. Hinc ergo in duas quodammodo partes ſecti ſunt Philoſopi, quorum alij nominibus, alii rebus vim imponebant. Vnde *Nominales & Reales* apellati.

Nominalium Princeps & Anteſignanus fuit Ioannes quidam cognomento Sophiſta. de quo ſic Author hiſtoriæ à Roberto Rege ad mortem Philippi I. *In Dialectica hi potentes extiterunt Sophiſtæ: Ioannes qui eandem Artem Sophiſticam vocalem eſſe diſſeruit, Robertus Pariſiacenſis, Rocelinus Compendienſis, Arnulphus Laudunenſis. Hi Ioannis fuerunt Sectatores, qui etiam quamplures habuerunt Auditores.* Quis fuerit ille Ioannes, aut vnde, non habeo vetuſtiorem Authorem nec recentiorem qui indicet. Eum tamen eſſe ſuſpicor Ioannem illum, qui fuit Henrici I. Archiatrus & Medicorum omnium ſui temporis peritiſſimus, vt legitur in fragmento hiſtoriæ Henrici. Is erat Patria Carnotenſis, & ex euentu cognominatus eſt Surdus, vt ait Ordericus Vitalis. Et quia vir iſte magnum ſibi nomen adinuentis in Dialectica ſubtilitatibus comparauit, effecit, vt quicumque cæteris doctiores eſſe putarentur, *Sophiſtæ* appellarentur: quales multi leguntur apud Ordericum. Hinc Lanfrancus & Anſelmus *profundi Sophiſtæ* dicti. Item Robertus Pariſienſis, Galo Epiſcopus Leonenſis, Pontius Abbas Cluniacenſis eodem nomine appellari. Fulbertus Maurilij Rothomagenſis Conſiliarius & *Sophiſta* dicitur ad an. 1056. quo anno Maurilius & Fulbertus & Hugo Lexouienſis Epiſcopus & Ausfridus Pratellenſis Abbas atque Lanfrancus Beccenſium Præpoſitus & alij plures profundæ ſagacitatis viri Vticenſe cœnobium luſtrarunt. Item idem Ordericus ad an. 987. multos Gerberti Diſcipulos commemorat, quos ait fuiſſe *Fulgentes in Choro Sophiſtarum.*

Robertus quidem Pariſienſis Vrbano Pontifici acceptiſſimus fuit & poſtea Paſchali, cui adhæſiſſe videtur contra Henricum Imperatorem, vt ſuo loco dicemus. Omnium verò Ioannis Diſcipulorum optimè ſcientiam illam vocum concepit & docuit Rocelinus natione Brito ſeu Armoricus, Compendienſis verò Canonicus: in qua tantopere excelluit, vt pro Authore & Inſtitutore *Nominalium* vulgò habeatur. Cum enim ſententiam illam Magiſtri ſui, qui in vocibus ſeu nominibus omnia reponebat, ſumma animi contentione defenderet, reluctantibus pleriſque, aliis verò vt rei nouæ ſtudioſis eidem fauentibus, occaſionem dedit ſchiſmati in Philoſophia & Theologia: quod diu & per multa ſecula in Academia Pariſienſi viguit.

Porro materia communis totius diſputationis erat Vniuerſale Logicum, in quo ſcilicet conſiſteret. Nam cum eorum quæ exiſtunt in rerum natura nihil ſit niſi ſingulare: non detur autem ſcientia ſingularium, quia incerta ſunt & mutabilia, ſcientia autem eſt cognitio certa rei neceſſariæ, non contingentis, non mutabilis ac proinde habere debet obiectum Vniuerſale, quæſtio mota eſt, quodnam eſſet illud obiectum Vniuerſale. Vetus opinio naturam ipſam realem eſſe tenebat Vniuerſalem: Noua contendebat nullam dari naturam Vniuerſalem, ſed quidquid eſt, eſſe ſingulare, ſolaſque voces ſeu nomina Vniuerſalia dici poſſe. Hincque alij Nominales dicti, alij Reales.

Huiuſce Duplicis ſectæ meminit Ioannes Sareſberienſis lib. 2. Metalog. c. 1. vir eximiæ eruditionis & doctrinæ, qui diu in Academia Pariſienſi verſatus ſequente ſeculo floruit, magnumque nomen in litteris adeptus eſt. *Alius ergo*, inquit, *conſiſtit in vocibus, licet hæc opinio cum Rocelino ſuo fere omnino iam euanuerit. Alius ſermones intuetur & ad illos detorquet quid quid alicubi de Vniuerſalibus meminit ſcriptum.* Scilicet inde moueri cœpir Quæſtio illa celebris de Vniuerſalibus, an dentur à parte rei, an per intellectum vt vocant: an in conceptu conſiſtant & voce, an in re.

Rocelini autem Diſcipulum fuiſſe Petrum Abaelardum vult Otho Friſinghenſis l. 1. de geſtis Frederici 1. c. 47. vbi de Abaelardo eiuſque hæreſi verba faciens, *habuit*, inquit, *primo Præceptorem Rocelinum quendam, qui primus noſtris temporibus in Logica ſententiam vocum inſtituit.* Adſti pulatur Othoni Auentinus lib. 6. Annal. Boiotum, vbi totam hanc materiam de Nominalibus, & Realibus fuſè deſcribit.

Hiſce quoque temporibus, *inquit*, fuiſſe reperio Rucelinum Britannum Ma-
„ giſtrum Petri Abaelardi noui Lycæi conditorem, qui primus ſcientiam vocum ſi-
„ ue dictionum inſtituit, nouam Philoſophandi viam inuenit. Eo namque au-
„ thore duo Ariſtotelicorum Peripateticorum genera eſſe cœperunt; vnum illud
„ vetus, locuples in rebus procreandis, quod ſcientiam rerum ſibi vindicat, quam-
„ obrē *Reales* vocantur: alterum nouum, quod eam diſtrahit, *Nominales* ideo nun-
„ cupati, quod auari rerum, prodigi nominum atque notionum, verborum viden-
„ tur eſſe aſſertores. In hiſce duobus generibus diſſidium & bellum ciuile eſt. Il-
„ lius Thomas Aquinas Italus & Ioannes Duns Scotus, huius Vuillielmus Ocha-
„ menſis Anglus (cuius ſepulchrum marmoreum apud nos in Boiaria Monachij in
„ templo Franciſcanorum monſtratur) Marſilius Heidelbergenſis Academiæ,
„ Ioannes Buridanus Viennenſis Gymnaſij inſtitutor, Gregorius Ariminenſis Vien-
næ humatus Anteſignani ſunt. *Intellige, ſuis quoque temporibus*, nam Ioannes & Rocelinus primi Nominalium parentes duobus tribuſue ſeculis iſtos omnes præceſſerunt. Pergit Auentinus, declatatque quo pacto iſtæ duæ ſectæ rurſus in varias opiniones abierint.

„ Ab his ſubinde aliæ opiniones, alia placita ſunt: ita fit vt nulli duo concinant.
„ Acutiſſimus cenſetur, qui maximè ab aliis diſcreparit: eruditionem diſcordia
„ metiuntur: ſe inuicem iugulant: ſeipſos iniuriis conficiunt atque conſumunt,
„ nunquam concordes, niſi cum conſpirarint. Sunt qui armati aduerſus omnes om-
„ nium reprehenſiones inter ſe collitigant, eamque peſtem Grammaticæ Theolo-
„ giæque inuexere, nimirum ſcholaſticæ atque vmbraticæ. Nihil poteſt ſine ſuo in-
„ teritu ſibi eſſe contrarium: illa interiit: hęc nunc in ſe victas conuertit manus. Sin-
„ gulæ ſectæ iudicio multarum ſectarum ſtultitiæ conuincuntur. Veterani ſcien-
„ tiam vtpote æmulā naturæ de rebus ſiue in rebus exiſtere (nēpe notatio naturæ &
„ ſenſus animaduerſio peperit artem) ea quæ confuſa ſunt, notione, mente, cogita-
„ tione duntaxat diſtinguuntur. Diuerſa quoq; eſſe contendunt ſicuti eſt numerus,
„ & res quæ numeratæ ſunt, magnitudo, & res magna; cœcus & cœcitas atque hu-
„ iuſcemodi alia. Tironum Caterua hæc quæ ſolū intelligentia & cogitatione ſepa-
„ rantur, idē eſſe cenſent. Nec enim aliud numerū, quàm res numeratas, cœcitatē
„ quàm cœcum eſſe ipſis placet. Hi ſcientiā quoque potiſſimum de dictionibus, &
„ nuſquā niſi in animi notionibus eſſe docent. Eam enim comparari, vbi verborum
„ explicatio, definitiones communes animi ſententiæ, poſtulata, ratiocinationes
„ adhibentur præceptis, & ad omnia de quibus diſceptatur, vbi proloquiis, pro-
„ nunciatis, argumentis, quaſi rerum notis, ducibus ad probandum & concluden-
„ dum vtimur. Hæc vniuerſa haud dubiè orationes ratione concluſæ ſunt, quæ ex
„ verbis & nominibus componuntur.

Pergit de Idæis narrare quid varij exiſtiment *De Ideis quoque, quas Cicero formas atque ſpecies;* vulgus philoſophorum Vniuerſalia, naturas communes com-
„ municabileſue nuncupant: ſicuti & antiquiſſimi Philoſophi digladiantur. So-
„ crates Sophroniſci, Plato Ariſtonis filius Athenienſes idæas ſeiunctas à ma-
„ teria & corpore, æternas in ſenſis viſiſque Dei id. mentis eſſe exiſtimant....
„ Ariſtoteles filius Nicomachi Stagirites primus huiſcemodi ſpecies labefactauit.
„ Theophraſtus Leſbius ejus Diſcipulus atque in ſchola ſucceſſor vehe-

Digitized by Google

mentius eam fregit. Sroïci qui à Zenone originem duxêre, nullam talem Idæam in natura rerum, ſed notiones in animo eſſe dixerunt, hoc eſt confirmationem inſignitam & impreſſam intelligentiæ. Anriqui Ariſtotelis opinionem, Recentiores Stoicorum ſectantur. Iſthæc noua Ariſtotelicorum ſecta à veteribus pene exploſa & exſibilata à Willielmo Occamenſi rurſus excitata, aucta, atque de integro inſtaurata eſt. Hanc ob cauſam à ſuis *Venerabilis* ille *Inceptor* vocari ſolet. Vicitque manus Vvilielmi, adeo vt celeberrima Galliarum Lutetia, Germaniæ magnæ Erfordia, Noricorum Vienna in illius verba iurarint. Extat in Rucelinum ſuperiorem Epigramma Decaſtichon, quod non nitoris cultuſue, ſed teſtimonij gratia ſubſcribo.

Quas Rnceline doces, non vult Dialectica voces.
Iamque dolens de ſe non vult in vocibus eſſe.
Res amat, in Rebus cunctis vult eſſe diebus.
Voce retractetur. Res ſit, quod voce docetur.
Plorat Ariſtoteles nugas dicendo ſeniles.
Res ſibi ſubſtractas per voces intitulatas,
Porphyriuſque gemit, quia Res ſibi lector ademit.
Qui Res abrodit, Ruceline, Boëtius odit.
Non argumentis nulloque ſophiſmate ſentis
Res exiſtentes in vocibus eſſe manentes?

Neque vero ſucceſſu tantum temporis variæ opiniones ex duabus illis ſectis natæ ſunt, ſed in ipſis etiam initiis vtraque diuiſa eſt in varias ſcholas diſſidenteſque familias. Nam vt ait Ioannes Sareſberienſis l. 2. Metal. c. 18. *de Magiſtris aut nullus aut rarus, fuit, qui Doctoris ſui vellent inhærere veſtigiis*; & vt ſibi quiſque faceret nomen, proprium cudit errorem. Vnde factum eſt vt dum ſe Doctorem corrigere promittebat, ſeipſum corrigendum aut reprehendendum tam Diſcipulis quàm poſteris præberet. Igitur tum tota ratio veteris Diſciplinæ immutata eſt: & tamen omnes pro ſe ſtare dicebant Ariſtotelem: quanquam Nominales Platoni magis, quàm Ariſtoteli adhærere videbantur.

Inter Reales Gualterus de Mauritania, qui ſequente ſeculo floruit & e Scholis aſſumptus eſt ad Epiſcopatum Laudunenſem, nouam quandam viam iniuit: cui & alij complures inſtiterunt: quamquam tempore Saresberienſis circa an. 1160. nullus eam aut pauci tenebant. Bernardus Carnotenſis Ideas poſuit, Platonem æmulatus, & tam ipſe quam eius Sectatores conati ſunt Platoni Ariſtotelem cōciliare: *Sed eos tardè veniſſe arbitror*, inquit Sareſberienſis, *& laboraſſe in vanum vt reconciliarent mortuos, qui quandiu in vita licuit, diſſenſerunt.* Fuit & nouæ opinionis author Gilbertus Porretanus: ſuæ quoque princeps Gauzlenus ſeu Ioſlenus, Epiſcopus deinde Sueſſionenſis, celeberrimus hoc & ſequentis ſeculi initio ſcholæ Pariſienſis Magiſter.

Idem altercandi ſtudium Theologiæ quoq; ſacraria inuaſit. Tum enim Philoſophi eadem arte & methodo Theologiam tractare aggreſſi ſunt, Theologiamque altercatricem, ſeu vt vocant Scholaſticam longè corroborarunt, cui infirmas & debiles duntaxat vires Berengarius dederat, non contentus ſolidis Magiſtri ſui Fulberti argumentis. Hanc ergo methodum amplexi ſunt Robertus Pariſienſis, Robertus Arbricellenſis, Anſelmus Laudunenſis; Guillelmus Campellenſis eius diſcipulus, Petrus Abaelardus, & Gilbertus Porretanus Guillelmi Auditores; Robertus Foliothus Abaelardi apud Melidunum auditor, Mauricius de Soliaco, Guill. de Melitona, Robertus Pullus, Simon Piſciacenſis, Guillelmus S. Theodorici, Ioannes Belethus & alij innumeri qui hoc & ſequente ſeculo floruerunt: omnium verò optimè & feliciſſimè Petrus Lombardus Abaelardi vt aiunt diſcipulus, hocce Theologiæ genus ſtabiliuit & confirmauit, vt alio loco fuſius oſtendemus.

Porro vt in Philoſophia multi hiſce temporibus inſignes viri florebant, ita & in Theologia complures claruerunt; quorum Anteſignani commemorantur in fragmento hiſtoriæ citatæ à Roberto ad mortem Philippi, vbi ſic legitur. *Hoc tempore tam in Diuina quàm in humana Philoſophia floruerunt Lanfrancus Cantuariorum Epiſcopus* (an. 1070.) *Guido Longobardus, Manigaudus Teutonicus, Bruno Remenſis, qui poſtea vitam duxit Eremiticam.* circa an. 1082. Verum iſti antiquum

Theologiæ genus, paulo ſeuerius retinuiſſe videntur, vt ex eorum ſcriptis intelligitur. Quanti autem clamores in ſcholis audiri cœperint, quantæ altercationes hinc ortæ, quantaque ſubtilitatum inuentio emerſerit, commodius dicetur ad calcem huius ſeculi.

1068. Anno 1068. Alexander II. ad nouum Angliæ Conquæſtorem Willielmum legatos miſit congratulatum de tam felici rerum ſucceſſu, ſimulque petiit Denarium S. Petri pro laudabili conſuetudine ſolui ſolitum, quem Ina ſeu Offa quondam Anglorum Rex Scholæ Anglorum ſeu Saxonum Romæ in ſtudio commorantium addixerat. *Nouit*, inquit, *prudentia tua Anglorum Regnum ex quo nomen Chriſti ibi clarificatum eſt, ſub Apoſtolorum Principis manu & tutela extitiſſe. Nam vt bene noſti donec Angli fideles erant, piæ deuotionis reſpectu ad cognitionem Religionis annuam penſionem Apoſtolicæ ſedi exhibebant, ex qua pars Romano Pontifici, pars Eccleſiæ S. Mariæ quæ vocatur* Schola Anglorum *in vſum Fratrum deferebatur.* Extat hoc fragmentum in Bibliotheca Vaticana, contineturque in libro Cenſuum Eccleſiæ Romanæ. Et ex eo intelligitur tum fuiſſe mutatum vſum Denarij S. Petri, quem diximus initio fuiſſe Scholarium Anglo-Saxonum ſuſtentationi deſtinatum.

Rex autem Vvilielmus 4. Regni ſui anno cenſum habuit legeſque Anglicanas edi ſibi poſtulauit, vt quas iudicaret eſſe retinendas, retineret, quas abrogandas, induceret & aboleret. Inter cætera autem ſic ſtatuit de Denario illo S. Petri, vt legitur apud Henricum de Knygthon Canonicum Leyceſtrenſem l. 2. de euentib. Angliæ c. 4. *Item omnes qui habent 30. denarios viuæ pecuniæ in domo ſua de ſuo proprio, Anglorum lege dabunt denarium S. Petri, & lege Danorum dimidiam marcatam. Iſte vero denarius debet ſummoniri in ſolennitate Apoſtolorum Petri & Pauli, & colligi ante feſtiuitatem quæ dicitur ad Vincula, ita vt vltra illum diem non teneatur. Si quiſquam detinuerit, ad iuſtitiam Regis clamor deferatur, quoniam Denarius hic* Eleemoſyna Regis eſt, *iuſtitia eius faciat Denarium reddere & forisfactum Epiſcopi & Regis. Quod ſi quis plures domos habuerit, de illa vero vbi reſidens fuit in feſto Apoſtolorum Petri & Pauli denarium reddat.*

Inter leges Saxonicas Regis Eadgari hæc 5. loco legitur. *Et omnis* HEORD-PENNY *reddat (ita vocabant Denarium illum) ad feſtum S. Petri; & qui non perſoluerit ad terminum illum, deferat eum Romæ & etiam 30. d. & afferat inde ſignificationem, quòd tantum ibi reddidit; & cum redierit Domi, emendet 120. S. Et ſi iterum reddere nolit, deferat eum Romæ & emendationem eandem, & cum redierit, emendet 200. S. Regi. Ad tertiam vicem ſi adhuc non reddiderit, perdat totum quod habebit.*

Similiter inter leges Saxonicas Kanuti, qui tempore Fulberti Carnotenſis e Dania in Angliam venit, Sax. 9. *Et* ROM FETH *id. Romæ Cenſus, quem B. Petro ſingulis annis reddendum ad laudem & gloriam Dei Regis noſtra larga benignitas ſemper inſtituit, in feſto S. Petri reddatur; qui ſupra tenuerit, reddat Epiſcopo denarium illum & 30. denarios addat, & Regi det 30. S.* vocabatur ergo hic Denarius Anglicè Rome-Scot vel Romſcot. Saxonicè Heord-peny & Harrth-peny & Rom-Feth; item Peter-pence. id. nummus domeſticatim Romæ pendendus.

Eodem anno natus eſt in Anglia Vvillielmo Conquæſtori tertius filius nomine Henricus: ſed ſecundum nomine Robertum, cui Northumbriæ Comitatum attribuerat, amiſit ab incolis illius regionis cum 900. hominibus de ipſius familia interemptum.

1069. Acceſſit & alia clades an. 1069. à Danis & Eadgaro Ethelingo Edvvardi nuper Regis ſpurio, qui cum 300. nauibus in Angliam appulſi multa mala intulerunt, multos magnates aut trucidarunt aut ſpoliarunt, ſed hieme tandem tranſactâ Villielmus commiſſo cum iis prælio victoriam adeptus eſt, aduerſariis penitus profligatis. Acceſſerunt & multæ proditiones, quarum magna ex parte authores erant Prælati indignantes ferre iugum Normanicæ dominationis. In iis repertus fuit Agelricus Epiſcopus Dunelmenſis & frater eius Egelwinus, etiam Epiſcopus eiuſdem ſedis, quorũ ille captus apud Vveſtmonaſterium carceribus mancipatus eſt: iſte verò in exilium amandatus. Stigandus Cantuarienſis Archipræſul & Alexander Lincolnienſis, qui ſibi metuentes ad Scotos diffugerunt. Vnus omnium conſtantiſſimus Egelvvinus Dunelmenſis Epiſcopus exul & proſcriptus zelum Dei habens excommunicauit vniuerſos Eccleſiæ inuaſores & rerum Eccleſiaſticarum raptores, vt habet Matthæus Pariſienſis.

Google

Anno ergo 1070. videns Vvillelmus complures è Prælatis diuerſarum partium 1070.
Anteſignanos ſe præſtare, eos partim ſuis Epiſcopatibus & Beneficiis ſpoliat, aut milites iis imperat, quos vnuſquiſque belli tempore alere & ſtipendiis ſuſtentare tenerentut; alios in exilium amandat, & inter eos Stigandum Cantuarienſem Schiſmaticum & Simoniacum, qui nempe numeratâ pecuniâ Epiſcopatum Helmhamenſem, deinde Wintonienſem, poſtremo Cantuarienſem emerat, iamque Apoſtolicâ ob id authoritate damnatus fuerat. Eum igitur Epiſcopatu ſpoliat & Lanfrancum ex Monacho & Priore Beccenſi factum an. 1066. Abbatem Cadomenſem, de conſenſu Alexandri Pontificis ad ſedem Cantuarienſem promouet, de qua promotione ſic ipſe Lanfrancus ad Alexandrum.

Summo S. Eccleſiæ Paſtori Alexandro Papæ Lanfrancus indignus Antiſtes Canonicam obedientiam. Neſcio cui aptius calamitates meas explicem quàm tibi, Pater, qui ipſarum mihi calamitatum cauſa exiſtis. Nam cum de Beccenſi congregatione in qua habitum Religionis aſſumpſi, à principe Normanorum Vvillielmo abſtractus Cadomenſi præeſſem cœnobio, imparque exiſterem paucorum regimini Monachorum, incertum habeo quo iudicio Omnipotentis Dei factus ſum te cogente ſpeculator multorum numeroque carentium populorum. Quod cum præfatus Princeps iam Rex Anglorum factus multis variiſque modis laboraret efficere, caſſis tamen laboribus ſuis à me nullomodo potuit impetrare, quo ad vſque Legati tui Hermenfredus videlicet Sedunenſis Epiſcopus atque Humbertus S. Rom. Eccleſiæ Cardinalis in Normaniam venerunt, qui Epiſcopos, Abbates & eiuſdemque Patriæ Nobiles conuenire fecerunt, atque in eorum præſentia, vt Cantuarienſem Eccleſiam regendam ſuſciperem, ex Apoſtolicæ ſedis authoritate præceperunt. Aduerſus hoc imbecillitas mearum virium morumque indignitas prolata in medium nihil profuit, excuſatio incognitæ linguæ gentiumque barbararum nullum apud eos locum inuenire præualuit. Quid plura? aſſenſum præbui, veni, ſuſcepi: in quo tot moleſtias, tot tædia, tantumque ab omni fere bono defectum mentis quotidie ſuſtineo, tot aliorum in diuerſis prouinciis perturbationes, tribulationes, damna, obdurationes, cupiditates, ſpurcitias, tantumque S. Eccleſiæ caſum inceſſanter audio, video, ſentio; vt tædeat me vitæ meæ, doleamque plurimum me vſque ad hæc tempora perueniſſe. Mala ſiquidem ſunt quæ in præſenti cernuntur, multò vero deteriora ex iſtorum conſideratione in futuro coniiciuntur. Et ne diu Celſitudinem veſtram multis magniſque negotiis occupatam prolixo orationis ambitu protraham, rogo quatenus propter Deum & animam veſtram ſicut veſtrâ, cui contradici fas non fuit, me authoritate alligaſtis, ſic quoque alligatum abrupto per eandem authoritatem filium neceſſitatis vinculo abſoluatis. Vitam Cœnobialem quam præ omnibus rebus diligo, repetendi licentiam concedatis. Nec in huius rei ſperni petitione debeo, quam tam piè, tam neceſſariè, tam iuſtis de cauſis concedi mihià vobis depoſco. Meminiſſe ſiquidem debetis nec tradi obliuioni oportere, quā benignè veſtros Conſanguineos alioſque à Roma ſcripta deferentes in præfatis adhuc Cœnobiis conſtitutus ſœpe recepi, quàm ſtudioſè eos pro captu meo ingeniiſque ipſorum tam in ſacris quàm in ſecularibus litteris erudiui, vt taceam multa alia in quibus vobis veſtriſque Anteceſſoribus pro rerū ac temporum qualitate nonnunquam ſeruiui. Nec hoc iactando aut improperando teſte conſcientia dico, nec fauorem gratiæ veſtræ, quaſi prolatis obedientiæ meæ obſequiis ſolito maiorem captare nequeo. Hoc tantum ſtudeo, harumque litterarum is ſolum meus finis eſt, vt congruam rationem iuſtamque cauſam poſſim obtrudere, quâ id quod peto, à veſtra munificentia Chriſto adſpirante valeam obtinere.

Hinc intelligitur quantas initio paſſus fuerit difficultates & moleſtias Lanfrancus. Nam cum & in Normania & deinde in Anglia ipſius conſilio Vvillielmus in omnibus vteretur, cum Angli Regem pro Tyranno haberent, non poterant non odiſſe ſummum eiuſdem Miniſtrum, qui vt legitur in vitis 23. S. Albani Abbatum *quaſi ſecundus Rex habebatur.* Itaque vt ſe parte leuaret oneris, conſuluit Willelmo, vt Guitmundum è Cœnobio S. Leufredi accerſeret, eique Eccleſiaſtici regiminis curam demandaret: ſed eodem anno accerſitus, honorem iſtum onuſque à ſe ablegauit: qua de re ſic Ordericus ad an 1070. *Regio iuſſu accerſitus*

Pontum transfretauit & oblatum ſibi à Rege & proceribus Regni onus Eccleſiaſtici regiminis omnino repudiauit. Erat enim ano maturus & religioſus, ac ſcientia litterarum eruditiſſimus. Cuius ingenii præclarum ſpecimen euidenter patet in lib. de Corpore & ſanguine Domini contra Berengarium, & in aliis opuſculis ipſius. Eodem anno Vvaltero Herefordienſi Epiſcopo defũcto ſubſtituitur Robertus genere Lotharingus, omnium artium liberalium peritus, ac præcipuè lunarem compotum & curſum Aſtrorum rimatus. Ille Mariani Scoti libros in compendium contraxit, quem ita ſplendidè deflorauit, inquit Ionnes Brompton, vt iam magis arrideat defloratio, quàm ingentis voluminis diffuſio.

1071. Anno 1071. Orta de primatu Angliæ contentione, Lanfrancus Cantuarienſis & Thomas Eboracenſis qui anno quoque ſuperiore 1070. Aldredo poſtremo Archipræſuli Angligenæ ſuceſſerat, ambo contendentes Romam profecti ſunt ad Alexandrum, qui auditis vtriuſque rationibus, reſpondit non poſſe litem commodè definiri niſi in Anglia, vbi Epiſcoporum & Abbatum teſtimonia facilius eſſet excipere & ſecundum ea iudicare. Id vero honoris Lanfranco Romæ accidit, vt Pontifex illi venienti aſſurrexerit eumque oſculo exceperit. Rem ſic narrat Malmeſburienſis. *Honoris maximum indicium fuit, cum Romam venienti ſequeſtrato illo Romani ſupercilii faſtu dignanter aſſurgeret* Alexander, *profeſſus hanc venerationem non ſe illius Archiepiſcopatui, ſed* Magiſterio litterarum *deferre: quapropter ſe feciſſe quod eſſet honoris, illum debere facere quod eſſet iuſtitiæ, vt pro more omnium Archiepiſcoporum S. Petri vicarii pedibus aduolueretur. Reddidit debitum tanti amoris expertus inſignia, vt quæcunque petenda putaſſet, haud dubie impetraret.*

Erat quoque Thomas ille plurimum eruditus, Normanigena & Patria Baiocenſis, qui dicendi amore Galliam, Germaniam & Hiſpaniam luſtrarat, demumque reuerſus in patriam Baiocenſis Theſaurarius, poſtea Willelmi Regis Conquæſtoris Capellanus factus, indeque ad Archiepiſcopatum Eboracenſem aſſumptus anno 1070. in quo 30. annis vixit, vt ſcribit Thomas Stobæus ex Hugone Scriptore contemporaneo. 25.[us] inquit, *Eboracenſem Eccleſiam ſuſcepit regendam primus de Normanigenis Thomas ſenior, qui Baiocis oriundus, in Galliis eruditus ardore diſcendi in Germaniam profectus, omnem Saxonum & Theutonum Scholam eſt perſcrutatus: inde per Franciam reuerſus Normaniam perrexit ad Hiſpanias ibique multa alia quæ alibi non potuit, addiſcens, pectus ſuum Hiſpanicarum fecit armarium ſcientiarum. Tandem ad Natale ſolum reuerſus magnifici viri Odonis Baiocenſis Epiſcopi familiaritatem nactus tum propter multimodam ſcientiam Baiocenſis Eccleſiæ ab eodem Epiſcopo aſſecutus eſt Theſaurariam, nec multo poſt eum eodem Epiſcopo veniens in Angliam Regis Vvillelmi ſenioris conſecutus eſt Cappellaniam. Recepit Thomas ſenior Epiſcopatum an. 1070. & vixit in Epiſcopatu an. 30.*

Idem ex eodem authore refert ad ea vſque tempora nullam vnquam inter Angligenas Archipræſules interceſſiſſe de primatu Eccleſiæ Anglicanę litem, ſed poteſtate, dignitate & officio imo & Suffraganeorum numero pares à Sancto Gregorio conſtitutos ſemper in pace vixiſſe, hos verò primos pace turbata diſcordias excitaſſe & labores multiplicaſſe: vt ſcribit Hugo Eboracenſis Eccleſiæ Cantor, qui ſub 4 aut 5. Pontificibus, Thoma ſeniore, Gerardo, Thoma Iuniore & Turſtino vixit, eorumque Conſiliarius & comes indiuiduus ad mortem vſque fuit. Primum ergo Lanfrancum exegiſſe profeſſionem ab Eboracenſi, ſuiſque ſucceſſoribus exigendi exemplum dediſſe ſub hoc prætextu; quod niſi Eboracenſis Cantuarienſi ſubiiceretur, vnuſque fieret Angliæ Primas, fieri poſſet vt de exteris Gentibus quæ Regnum infeſtare ſolebant, aliquis ab Eboracenſi Rex inauguraretur, ſicque regnum turbarum ſcinderetur: & id credulo Regi Vvillemo inculcaſſe.

Impetrauit autem ab eodem Alexandro Pontifice Lanfrancus, vt Monachi in Cathedralibus Eccleſiis, in quibus erant, remanerent: in quorum locum ab Epiſcopis Clerici ſeculares ſubſtituebantur paſſim. Diu certè in Cantuarienſi Metropoli id vſurpatum & obſeruatum, vt Monachi Canonici eſſent, è quorum ſuffragio pendebat Archiepiſcopi electio, nec alii præter eos in Eccleſia Metropolitana miniſtrabant. Impetrauit quoque Paulo Commonacho ſuo & Conſanguineo, quem è Normania ſecum ad ſolatium & leuamen laborum adduxerat, S. Albani Abbatiam poſt mortem Fretherici Anglicanæ factionis ad-

uerſus

uerſus Guillelmum Anteſignani. Erar quoque Paulus iſte litteratiſſimus & in obſeruantia regularis ordinis rigidus & prudens ; ſub cuius regimine facta eſt Eccleſia S. Albani quaſi *Schola Religionis*, vt legitur in Vitis 23. Abbatum. Vterque verò, hoc eſt tam Paulus quàm Lanfrancus Alexandro Pontifici erat acceptiſſimus, ſed maximè Lanfrancus, qui non tantum Conſanguineorum eius in Normania, ſed & ipſius etiam Alexandri magiſter fuerat in Francia, vt veriſimile eſt. Videtur id ſatis clarè innuere author, quiſquis ille ſit, prædictarum Vitarum in vita Fritherci 13. Albatis S. Abbani. *Illine Archiepiſcopus tranſalpinans & ducens ſecum Commonachum ſuum ac propinquum Conſanguineum ſuum Paulum, vt ſibi pallium adquireret à Papa Alexandro : qui quandoque ipſius Lanfranci Diſcipulus extiterat & in Scholis auditor diligens magnificè ab omnibus honorabatur. Vnde intranti Papale Palatium D. Papa reuerenter aſſurrexit ſuſcipiens eum in oſculo & ſalutatione primitiua dicens* ASSVRGO TIBI TANQVAM MAGISTRO *& deoſculor tanquam Pædagogum & non tanquam Archipræſulem. Quo audito Archiepiſcopus incuruans ſe humiliter, pedes Papales deoſculatur dicens. Et Ego te Patrem humiliatum ſicut Ananias Paulum, Sixtus Laurentium meritò veneror & honoro.*

Anno 1072. reuerſo in Angliam Lanfranco ex præcepto Papæ & Rege willel- 1072.
mo annuente cauſa illa primatiæ Anglicanæ agitara eſt apud windleshorum præſente Humberto Apoſtolicæ ſedis legato, quæ tandem Cantuarienſi Eccleſiæ adiudicata eſt. Eodem anno habita eſt Rothomagi ſynodus Epiſcoporum, in qua multa capita ſancita ſunt, quæ ad Eccleſiæ regimen pertinebant : nihil vero propoſitum fuiſſe videtur de Hæreſi Berengariana. Extant apud Ordericum huiuſce ſynodi Capitula, quam Chronicon Rothomagenſe norat ad an. 1074. eique ait præſediſſe willielmum Angliæ Regẽ & Ioannem Archiepiſcopum cum ſuis ſuffraganeis, Odone Baiocenſi, Hugone Lexouienſi, Michaele Abrincenſi, Gilberto Eboracenſi, Roberto Sagienſi. In ea autem Ioannes pene lapidibus obrutus interiit, quod Concubinas presbyteris abſtuliſſet.

Eodem anno obiit apud Rauennam inſignis ille tum multiplici litterarum cognitione, tum moribus clarus, & tot legationibus in Franciam ad Henricum & Philippũ perfunctus, tot denique Pontificibus & Regibus & viris Doctis charus Petrus Damiani Cardinalis Epiſcopus Oſtienſis, litteratorum ſui ſeculi Patronus & præſidium ac decus, de quo extat præclarum Alexandri Pontificis rad Geruaſium Remenſem elogium his verbis. *Quoniam igitur pluribus Eccleſia um negotiis occupati ad vos ipſi venire non poſſumus, talem vobis virum deſtinare curauimus, quo nimirum poſt nos in Rom. Eccleſia maior authoritas non habetur, Petrum videlicet Damianum Oſtienſem Epiſcopum, qui nimirum & noſter oculus eſt & Apoſtolicæ ſedis immobile firmamentum. Huic itaque vicem noſtram pleno iure commiſimus, vt quidquid in aliis partibus Deo auxiliante ſtatuerit, ita rectum teneatur & firmum, ac ſi ſpeciali noſtri examinis ſententia fuerit promulgatum. Quapropter venerabilem ſanctitatem veſtram fraterna charitate monemus, & inſuper Apoſtolica vobis authoritate præcipimus, vt talem & tantum virum tanquam noſtram perſonam digna ſtudeatis deuotione ſuſcipere, eiuſque ſententiis atque iudiciis propter B. Petri Apoſtolorum Principis reuerentiam humiliter obedire. Quiſquis enim faſtu ſuperbiæ, quod abſit, inflatus illius iudicio contradictor vel aduerſator extiterit, vſque ad dignam ſatisfactionem, noſtram vel Romanæ Eccleſiæ gratiam non habebit.* Obiit autem an. ætatis 66. ſecundum Baronium, ex aliis vero an. 84. & ſuum ſibi Epitaphium quod eſt eiuſmodi, compoſuit.

Quod nunc es, fuimus, & quod ſumus ipſe futurus.
His ſit nulla fides quæ peritura vides.
Friuola ſinceris præcurrunt ſomnia veris,
Succedunt breuibus ſecula temporibus.
Viue memor mortis, quo ſemper viuere poſſis,
Quidquid adeſt tranſit : quod manet, ecce venit.
Quam bene prouidit, qui te male munde reliquit,
Mente prius carni, quàm tibi carne mori.
Cœlica terrenis præfer manſura caducis,
Mens repetat proprium libera principium.
Spiritus alta petat, quo prodit fonte recurrat

Sub ſe deſpiciat quidquid in ima grauat.
Sis memor, oro, mei, cineres prius aſpice Petri
Cum prece cum gemitu, dic ſibi parce Deus.

1073. Anno 1073. obit Alexander II. Lanfranci olim Diſcipulus. Cui ſuccedit Hildebrandus natione Etruſcus, Patria Saonenſis, Bonicij filius quondam Prior Cluniacenſis, tunc vero Romanus Archidiaconus & Gregorij VII. nomen accipit, vir fortis & intrepidus. Cuius elogia in ipſius electionis formula leguntur apud Platinam. Nos S. Rom. Eccleſiæ Cardinales, *Clerici, Acolythi, Subdiaconi, Presbyteri, præſentibus Epiſcopis, Abbatibus, multiſque tum Eccleſiaſtici tum Laici ordinis eligimus hodie 10. Kal. Maij in Baſilica Sancti Petri ad vincula anno ſalutis 1073. in verum Chriſti vicarium Hildebrandum, Archidiaconum, virum multæ doctrinæ, magnæ pietatis, prudentiæ, iuſtitiæ, conſtantiæ, religionis, modeſtum, ſobrium, continentem, domum ſuam gubernantem, pauperibus hoſpitalem, in gremio Sanctæ Matris Eccleſiæ liberè à teneris annis vſque ad hanc ætatem educatum, doctum, quem quidem cum ea poteſtate Eccleſia Dei praeſſe volumus, qua Petrus Dei mandato quondam præfuit.* Is eſt Hildebrandus qui an. 1055. Concilio Turonenſi ſub Victore II. præſedit aduerſus Berengarium. Noſtros Academicos alioſque viros doctos ſingulari amore complectebatur, illorumque ad Beneficia Eccleſiaſtica promouendorum apud Pontificem, Epiſcopos, Reges ſemper ſuaſor & author erat, Simoniacæ peſtis acerrimus inſectator, Eccleſiaſticæ vero dignitatis promotor & amplificator. Philippum Regem iuuenem adhuc & proteruum litteris admonuit, mitibus verbis Pontificales addens minas, ne turbaret Eccleſiam intruſionibus ad Epiſcopatus, vtque recordaretur non alia ratione Maiores ſuos quam bene merendo de Eccleſia Gallicanum Imperium extuliſſe. Sic enim eum compellat Ep. 5.

Gregorius S. S. D. Philippo Regi Francorum Sal. & Apoſt. Bened. Significaſti
„ nobis per litteras & legatos tuos te B. Petro Apoſtolorum Principi deuotè ac de-
„ center velle obedire, & noſtra in his quæ ad Eccleſiaſticam Religionem perti-
„ nent, monita deſideranter audire atque perficere. Quod ſi ita cordi tuo, diuino
„ intuitu affixum eſt, multum gaudere nos conuenit, quod Eminentia tua ad diui-
„ nam prona reuerentiam, quæ Regiæ adminiſtrationis ſunt cogitat atque cogno-
„ cit. Vnde Nobilitatem tuam ex parte B. Petri admonemus, & omni Charitatis af-
„ fectu rogamus, quatenus Deum tibi placare ſtudeas, & inter cætera quæ tuum eſt
„ corrigere, per te illata Beluacenſi Eccleſiæ detrimenta, pro magnitudine tui no-
„ minis & honoris aliquatenus emendare non prætermittas. Attendere enim te no-
„ biſcum & conſiderare diligenter volumus, in quanta dilectione ſedis Apoſtoli-
„ cæ, quantaque gloria & laudibus fere per orbem terrarum anteceſſores tui Re-
„ ges clariſſimi & famoſiſſimi habiti ſunt, dum illorum Regia Maieſtas in amplifi-
„ candis & defendendis Eccleſiis pia ac deuota conſtitit, in tenenda iuſtitia libe-
„ ra ac diſtricta permanſit. Poſtquam vero Diuina & humana iura ſubuertendo
„ tanta virtus in poſterioribus cœpit hebeſcere, & totius Regni gloria, decus, honor
„ & potentia cum peruerſis moribus immutata ſunt, & nobiliſſima fama ſtatus Re-
„ gni è culmine ſuæ claritatis inclinata ſunt. Hæc quidem & alia talia frequenter
„ & ſi oportet, aſpero etiam ſermone tibi inculcare ſuſcepti nos officij cura com-
„ pellit.

Eodem anno apud S. Maxentium in Pictonibus habita eſt Synodus Epiſcoporum Aquitanicæ Prouinciæ præſidente Goſcelino Archiepiſcopo Burdegalenſi contra Berengarium, in qua ipſe præſens damnatus eſt. Huiuſce ſynodi meminit Theuetus lib. 15. Coſmog. c. 6. & Gabriel Lurbeus Iureconſultus, Procurator & Syndicus Burdegalenſis in Chronico Burdegal. ſic ſcribens ad hunc annum. *Goſſelenus Archiepiſcopus eo anno ſub finem menſis Iunij Synodum Prouinciæ Burdigalenſis apud Fanum D. Maxentij in Pictonibus cogit aduerſus Berengarianæ hereſis fautores.* Sammarthani fratres in Goſſelino ſcribunt eum in Pontificatu ſuo tres habuiſſe ſynodos, primam *an. 1073. 7. Kal. Iulias in D. Maxentij cœnobio, cui præfuit, ac coram eo Berengarium fidei ſuæ rationem* expoſuiſſe, idque probant ex Chronico Malleacenſi. Verum in Chronico illo non notatur an. 1073. ſed potius an. 1075. ſic enim habetur. *an. 1075. Pictauis fuit Concilium quod tenuit Giraudus legatus de Corpore & ſanguine Domini, in quo Berengarius fermè interemptus eſt. Fuerat-*

Digitized by Google

que aliud Concilium apud S. Maxentium 6. Kal. Iulÿ in quo erat maior Goſcelinus Archiepiſcopus Burdegalenſis, qui Archimbondo ſucceſſit, Vuillielmus Petragoricus & aly multi. Iſtud primum fuit 7. Kal. Iuly, & aliud idibus Ianuary.

Anno 1074. Gregorius Pontifex Concilium generale habuit Romæ in Laterano contra Simoniacos & vxoratos Preſbyteros; in eoque ademit ſacetdotibus vxores, vxoratis diuina celebrare interdixit, & Laicis vlla ab iis ſacramenra accipere ſub excommunicationis interminatione. At Henricus III. Imperator malè conſultus vxoratos Epiſcopos deſignauit. Hinc inter eos acre bellum, quod funeſtos habuit exitus, vt ex hiſtoria patebit. 1074.

In prædicto verò Cócilio Romano ſolenne præſertim Deeretum ptomulgatum eſt contra Laicorum Principum Collationes ſeu Inueſtituras occaſione Anſelmi Lucenſis electi, qui cum Romam ad Gregorium profectus fuiſſet, diemque conſecrationis præſtolatetur, acceſſu Nunciotum Henrici Imperatoris inhibitus eſt, datis ad Papam littetis ne conrra motem prædeceſſorum ſuorum eum conſecrare vellet, *qui*, vt ſctibit. Hugo Flauiniacenſis, *Epiſcopatus electionem ſolam, non autem donum per Regiam accepiſſet inueſtituram*. Papa conuocatis Cardinalibus togatiſque quid fieri, quid reſponderi oporteret, ex eorum conſilio Conſectationem prædicti Anſelmi diſtulit, *donec inueſtituram Epiſcopus ex Regio dono accepiſſet*. At quia vidit hoc SS. Patrum aduerſari Decretis, vt in Canonica Epiſcopi Electione donum præualeret Regum aut Imperatorum, qui ſœpe electionem ipſam immutabant vel irritam faciebant, conuocato 50. Epiſcoporum Concilio & conſidente Preſbyterorum & Abbatum multitudine, iuxta Decreta Pontificalia & Sanctiones Canonicas, ne hoc à quoquam amplius præſumeretur, prohibuit ſub interminatione anathematis, & Decretum fecit in hæc vetba.

Si quis deinceps Epiſcopatum vel Abbatiam de manu alicuius Laica perſona ſuſceperit, nullatenus inter Epiſcopos vel Abbates habeatur, nec vlla ei vt Epiſcopo vel Abbati audientia concedatur. Inſuper ei gratiam B. Petri & introitum Eccleſiæ interdicimus, quoad vſque locum quem ſub crimine tam ambitionis quàm inobedientiæ quod eſt ſcelus Idololatriæ, cœpit, deſeruerit. Similiter etiam de Inferioribus Eccleſiaſticis dignitatibus conſtituimus. Item ſi qui Imperatorum, Ducum, Marchionum, Comitum vel quilibet ſecularium poteſtatum aut perſonarum inueſtituram Epiſcopatus vel alicuius Eccleſiaſticæ dignitatis dare præſumpſerit, eiuſdem ſententiæ vinculo ſe aſtrictum ſciat.

His ſubiungit Hugo Flauiniacenſis ſecutum fuiſſe Gregorium Patrum exempla, licet iam pet multa annorum curricula damnabilis hæc conſuetudo inoleuiſſer. In 7. enim Vniuerſali ſynodo à 5. Patriarchis & 350. Patribus ſub Adriano Papa habitâ cap. 3. ſic haberi. *Omnis electio Epiſcopi, Presbyteri vel Diaconi à Principibus facta, irrita maneat ſecundum regulam quæ dicit, Si quis Epiſcopus ſecularibus poteſtatibus vſus Eccleſiam per ipſos obtinuerit, deponatur & ſegregetur, omneſque qui illi communicant.* Item in 8. Vniuerſali ſynodo habita à 5. Patriarchis ſub Nicolao I. Pontifice cap.... *Promotiones vel conſecrationes Epiſcoporum concordans prioribus Conciliis hæc ſancta & Vniuerſalis ſynodus electione & decreto Epiſcoporum fieri conſtituit & ſtatuit atque promulgauit, neminem Laicorum Principum & Potentum ſemet inſerere electioni vel promotioni Patriarchæ vel Metropolita aut cuiuslibet Epiſcopi, ne inordinata hinc & incongrua fiat confuſio vel contentio, præſertim cum nullam in talibus poteſtatem quemquam Poteſtatiuorum laicorum habere conueniat, ſed potius ſilere & attendere ſibi vſquequo regulariter à Collegio Eccleſia ſuſcipiat finem electio futuri Pontificis. Si quis verò Laïcorum ad concertandum & cooptandum inuitatur ab Eccleſia, licet huiuſmodi cum reuerentia obtemperare aſciſcentibus. Quiſquis autem ſecularium Principum & Potentum, vel alterius Dignitatis Laïcus aduerſus communem & conſonantem atque canonicam electionem Eccleſiaſtici Ordinis agere tentauerit, anathema ſit donec obediat & conſentiat.* Item ex Concilio Niceno c. 6. *Per omnia manifeſtum eſt, quia ſi quis præter voluntatem & conſcientiam Metropolitani fuerit ordinatus, hunc ſanctum & magnum Concilium ſtatuit non debere eſſe Epiſcopum.* Item ex Concilio Antiocheno Cap...... *Si quis Presbyter vel Diaconus per ſecularem Dignitatem Eccleſiam Dei obtinuerit, deiiciatur, & ipſe & Ordinator eius à communione modis omnibus abſcindatur, & ſint ſub anathemate ſicut Simon Magus à Petro.*

Hæc opere pretium fuit hiſce Annalibus inſerere, vt intelligant Academici qui de hiſce rebus frequenter in ſcholis & in Actibus diſputant, vnde & qua occaſione ortum ſit in Eccleſia Dei ſchiſma, quod eam ducentos prope annos magno religionis damno turbauit. Contentus fuerat Nicolaus II. in Synodo Romana ſummi Pontificis Electionem Cardinalibus attribuere. Gregorius omnium Prælaturatum collationes ſeu Inueſtituras Principibus Laicis ademit, quas longo vſu & inueteratâ conſuetudine poſſidebant. Hinc orta bella & contentiones inter Imperium & Sacerdotium.

In Gallia quoque Simoniacos Epiſcopos vehementer exagitauit idem Pontifex, habitiſque Conciliis per Hugonem Dienſem Legatum ſuum, virum meritorum numero conſpicuum, de ſedibus quas pecuniarum largitionibus occupauerant eiecit, quorum tamen multos re accurarius cognitâ & pœnitentes reſtituit. Vnum præſertim Manaſſem Archiepiſcopum Remenſem qui Geruaſio arte mala ſucceſſerat, inſectatus eſt, quem tandem ſæpe monitum, etiam poſt reſtitutionem ingratum & ſæpe relapſum perpetuæ depoſitionis pœnâ mulctauit.

Contumaciæ cauſa videtur fuiſſe protectio Philippi Regis, quem, quia malis conſultoribus ſollicitatus vexabat Eccleſiam, idem Pontifex ſuauiter & fortiter admonuit, vt eiuſmodi conſiliis adhęrere deſiſteret, ſecus ſe authoritate ſua vſurũ. *In hoc,* inquit, *te tuæ ſecuritatis amicum ſollicitumque eſſe demonſtras, ſi Apoſtolicam beneuolentiam ſicut Chriſtianum Regem decet, aſſequi & obtinere deſideras. Quam quidem hoc pacto adipiſci multò faciliùs ac dignius poteris, ſi te in Eccleſiaſticis negotijs diligentem deuotumque reuerenter exhibueris. Quâ in re proculdubio minus vigilanter, multumque negligentius, quàm ſanum fuerit olim, habuiſſe te cerneris. Sed nos adoleſcentiæ tuæ præterita delicta ſpe correctionis tuæ portantes, vt deinceps caſtigatis moribus ad ea quæ oportet inuigiles, ex debito Officij noſtri monemus. Igitur inter cætera virtutum ſtudia Regiæ excellentiæ conuenientia, quæ tibi ineſſe optamus, cum te Iuſtitiæ amatorem miſericordiæque cuſtodem exiſtere, Eccleſias defendere, pupillos viduaſque protegere ſit neceſſarium, ad æternæ ſalutis cuſtodiam tibi eſſe prauorum conſilia ſpernenda, maximeque Excommunicatorum familiaritates deteſtandas arbitramur atque aſſerimus. Vnde ſublimitati tuæ ex parte B. Petri præcipimus ac ex noſtra rogamus vt Manaſſæ Remenſi Archiepiſcopo dicto, ſed propter ſuas iniquitates quæ non prætereunt ſcientiam tuam, irrecuperabiliter depoſito nullum vlterius fauoris tui ſolatium præbeas, ſed eum ita ab amicitia tua reſcindas atque à conſpectu præſentiæ tuæ contemptum repellas, vt te pateat inimicos S. Eccleſiæ, videlicet excommunicatione induratos reſpuendo, Deum diligere, Apoſtoliciſque mandatis morem gerendo gratiam B. Petri veraciter deſiderare.*

1075. Anno 1075. habita eſt Pictaui apud S. Hilarium Synodus frequens præſide Gerardo Legato Apoſtolico, de ſacramento Euchariſtico contra Berengarium & Berengarianos; qui poſt mortem Nicolai II. à quo damnati fuerant in Concilio Vercellenſi an. 1059. & Henrici I. Franciæ Regis, qui Hæreticos acriter & vehementer inſectabatur, ſub pueritia & adoleſcentia Philippi, & Regentia Balduini Flandriæ Comitis, occupato quoque in bellis Anglicis & Normanicis Vuilelmo Duce Normaniæ tunc Anglorum Rege; caput altius attollebant, ſuumque errorem audacius per quindecim circiter annos ſparſerant. Ad exterminandam igitur peſtem illam & e fundo eradicandam vbi originem ſumpſerat, iuſſus eſt Berengarius ſe ſiſtere, & interfuit Diſcipulorum, quos per plures annos impiâ ſuâ doctrinâ imbuerat, præſidio fultus: verum cum errorem ſuum tueri aggreſſus fuiſſet, ferme interemptus eſt, vt habetur in chronico Malleacenſi, cuius verba ſupra retulimus ad an. 1073. eaque exſcripſit Ioannes Beſly inter probationes Comitum Pictauienſium, & Philippus Labbeus Ieſuita in Synopſi Hiſtorica Conciliorum Galliæ. Quid autem contra Berengarium ſtatutum fuerit, iam non extat. Fallitur autem hic Franciſcus de Roye in vita Berengarij, aiens Gerardum illum Præſidem Synodi Pictauienſis fuiſſe Epiſcopum Engoliſmenſem: tunc enim nullus erat huiuſce nominis Epiſcopus Engoliſmæ Legatus Pontificis, nec fuit ante annum 1101. Quis verò is fuerit, intelligimus ex Hugone Flauiniacenſi in Chronico Virdunenſi, vbi ait Alexandrum II. deſtinaſſe in Gallias Giraldum Oſtienſem Epiſcopum, qui Petro Damiani ſucceſſerat, viceſque ei ſuas per Franciam & Burgundiam commiſiſſe: eum ex præſcripto Papæ Concilium habuiſſe Cabillone Epiſcopatum tunc habente Roeleno litteris apprimè

erudito, & in lectione diuinorum voluminum ſtudioſiſſimo. Et ad an. 1074. ait Giraldum Oſtienſem *Epiſcopum Romanæ ſedis Legatum in Gallijs Concilio Cabilloni habito* cum Romam rediret & apud Dienſem vrbem hoſpitaretur, conquererenturque apud ipſum Clerus & Ciues de Lancelino Epiſcopo ſuo ſimoniaco, eo expulſo Hugonem Camerarium Lugdunenſem illac forte tum tranſeuntem ad Papam, in Epiſcopum ſubſtituiſſe. Inter hæc verò Alexandro Papa defuncto Gregorioque ſubſtituto, ipſum paulo poſt reuerſum nunciaſſe Gregorio, quid de Hugone ſtatuiſſet, eumque Papæ commendaſſe. Porro Papam ei menſe Decembri duos ſacros Ordines contuliſſe, ſequente verò Quadrageſima, eum Sabbato in preſbyterum, Dominica in Epiſcopum Dienſem conſecraſſe. Cum autem ex hiſtoria Eccleſiaſtica pateat Giraldum illum Apoſtolicæ ſedis Legatum præſediſſe Synodo Pictauienſi an. 1075. habitæ, ſignum eſt rediſſe in Galliam, vbi veriſimile eſt obiſſe legationis munus, donec ei ſubſtiturus eſt Hugo ille Dienſis, quem ſequentibus annis legimus Legatum apoſtolicum in Gallia fuiſſe.

Eodem anno Robertus cognomento Diabolus Vvillelmi Anglorum Regis Conquæſtoris Filius peſſimis vſus Conſiliariis Normaniam hoſtiliter inuadit Franciæ opibus & militibus adiutus, quam quidem pater ei ante expeditionem Anglicanam aſſignatat, nondum tamen proptio iure poſſidendam tradiderat. Dici non poteſt quanta ei damna intulerit, quantas prædas egerit, cædeſque perpetrarit. Auſus eſt etiam cum patre manus conſerere apud Gerboraïum, quo in prælio pater victus, Vvillelmus alter filius vulneratus eſt, & multi de familia Regis vulneribus plagiſque confixi. Quamobrem ei pater maledixit: quam maledictionem, antequam obiret, grauem eſſe ſenſit, vt refert Mathæus Pariſienſis, & exitus probauit.

Anno 1076. inchoatur Ordo Grandi-montenſis per Stephanum de Mureto 1076.
virum inter Aruernos nobiliſſimæ proſapiæ. Prima ſedes Ordinis apud Muretum fuit ab vrbe Lemouicenſi 4. leucis diſtans. Stephano verò mortuo Fratres ad altum montem ſe contulerunt. Hincque Grandi-montenſes appellati.

Anno 1077, Kal. Septemb. obiit Herlwinus ſeu Helluinus Beccenſis Cœnobij
Inſtitutor & primus Abbas anno ætatis 84. cuius tale legitur Epitaphium apud 1077.
Gemmeticenſem l. 6. c. 9.

Hac tegitur Petra, qui quas circunſpicis ædes,
Cunctas ediderat, Monachus ex laico.
Ter poſt vndenos ac tres ac quatuor annos
Grammata neſcierat poſtque peritus obit.
Quatuor vndecies tranſegit Cœnobialis
Annos, rite ſuos dimidiando dies.
Cum Phœbus nonum ſub Virgine protulit ortum,
Commigrando diem clauſit & hebdomadam.
Herlvuinus erat, ſi quis de nomine quærat,
Cui cum Sanctis det quidquid eis Deus eſt.

Hellewino ſucceſſit vnanimi fratrum conſenſu Anſelmus ex Priore: de quo non videntur prætereunda quæ habet idem Gemmeticenſis eod. lib. & cap. *Ex generoſis parentibus*, inquit, *in ciuitate Auguſta quæ eſt contigua Burgundiæ & Italiæ per diuerſa loca ſtudiis litterarum operam dando peruenit Normaniam, & in Monaſterio Becci, vbi tunc temporis magnus ille Lanfrancus Prioris fungebatur officio, cum aliis conſcholaſticis ab eodem tam diuinis quàm ſecularibus litteris inſtructus, ipſius hortatu & conſilio factus eſt Monachus Becci anno ætatis 27. vbi vixit Clauſtralis ſine prælatione 3. annis. Abbas extitit poſt piæ recordationis Herluinum: inde aſſumptus eſt ad Archiepiſcopatum poſt Lanfrancum. 17. autem Archiepiſcopatus anno, Monachatus 49. ætatis 76. tranſiit è mundo 11. Kal. Maij feria 4. ante Cœnam Domini.*

Eodem anno Paulus S. Stephani Cadomenſis Abbas Lanfranci Conſanguineus & Diſcipulus 4. Kal. Iulij Eccleſiam S. Albani in Anglia eiuſdem ope Lanfranci regendam ſuſcipit: primuſque fit eius Eccleſiæ Abbas, ex quo Normanis Anglia ſubdita eſt. Eius viri litteratiſſimi & eloquentiſſimi opera floruit ſchola San-Albanenſis: multos enim è Normania & Gallia præſtantes ingenio viros ad

ſciſcit, libros quoque complures comparat. Vnde vt legirur in vitis 23. S. Albani Abbatum. *Bono odore famæ hac Eccleſia totam repleuit regionem, & facta eſt quaſi aliarum Scholarum Magiſtra.*

Eodem anno habita eſt Synodus Æduenſis præſide Hugone Dienſi, ad quam conuenerunt ex Francia & Burgundia multi illuſtres viri, Epiſcopi & Clerici, Abbates & Monachi quam pluresvr refert Hugo Flauiniacenſis, tum Duce Burgundiæ Hugone Iuſto & Eccleſiæ Lingonenſis Epiſcopo Rainardo cognomento Hugone, qui vt idem ſcribit, vir erat apprimè *Rhethoricis imbutus ſtudiis, clarus ingenio, ſermone, ſcientiâ praditus*, affabilis eloquio, & prudens conſilio. Ad hanc ſynodum vocatus Manaſſes Remenſis & à Clericis & Canonicis ſuis accuſatus, quia vt ſe purgatet non venit, ab officio ſuſpenſus eſt. Ille vero accuſatorum ſuorum domos euertit, præbendas vendidir & bona diripuit. Hanc ob rem à Papa Romam citatus iuit. Tunc etat Eccleſiæ Remenſis Scholaſticus ſeu Scholæ præfectusBruno Colonienſis, Chartuſianorum poſtea Patriatcha, vt infra dicetur: Cuius commemorantur nonnulli Diſcipuli illuſtres, præſertim Robertus de Burgundia e Regia Burgundionum Ducum ſtirpe ſatus, ex Archidiacono Lingonenſi factus poſt Rainardum Epiſcopus an. circiter 1080. *qui Magiſtrum ſuum chariſſimum Brunonem* Carthuſianorum authorem appellat, rogatque omnes ſuæ Diœceſeos Deo ſeruientes, vt pro defuncti anima orent, eiuſque memoriam in Eccleſiis obſeruent. Item Lambertus Abbas Pultarienſis eiuſdem Magiſtri ſe Diſcipulum profitetur.

Legimus quoque in quadam Charta an. 1076. qua Manaſſes Archiepiſcopus Remenſis confert S. Baioli duo altaria Alteio & Caprillo Brunonem fuiſſe eiuſdem Eccleſiæ Cancellariũ. Sic enim haberur. *Actum anno 1076. præſentibus Henrico S. Remigy, Ioſcelino Altum villaris, Germano Moſomi, Raimbaldo S. Theodorici Abbatibus; & Brunone Remenſis Eccleſia Cancellario.* Verum cum Archiepiſcopi ſui ſcelera vitæque genus Clerico indignum ferre non poſſet, maluit dignitates iſtas amittere, quam aut conſcius aut teſtis eſſe ipſius criminum, Remiſque Pariſios vt communis fert opinio, conceſſit, vbi Eremiticæ vitæ conceptum deſiderium ad effectum perducere conſtituit.

Hiſce temporibus florebant è Teuthonicis in Academia Pariſienſi Willeramus deinde Abbas Merſeburgenſis, & Wetzilo ex Canonico Moguntinenſi factus poſt Sigfridum ſeu poſt Exembaldum Archiepiſcopus. De priori Trithemius in lib. de ſcriptoribus Eccleſ. & poſt eum Pantaleo, *Villeramus*, inquit, *optimo ingenio & magna animi induſtria praditus fuit. Itaque litterarum amore Patriam relinquens Pariſios ſe ſe contulit. Ibi enim omnes humaniores littera maximè florebant. Hinc factum vt breui in ſacris & profanis ſtudiis magnum nomen aquiſierit. Cum autem in Patriam litterariis artibus ornatus rediiſſet, Bambergenſis Eccleſia Scholaſticus factus eſt.* Ait deinde eum in Monaſterio Fuldenſi Monachum induiſſe, vbi tanquam in celebri Academia omnes litteræ maximo ardore docebantur. Poſtremo factus eſt Abbas Merſeburgenſis. De Vetzilone verò dicetur ad an. 1085.

Primatia Lugdunenſis.

In eadem Synodo Æduenſi Humbertus Simoniacus e ſede Lugdunenſi expulſus eſt, eique ſubſtitutus Gebuinus Archidiaconus Lingonenſis, vir morum probitate venuſtus. Cui Gregorius anno ſequenti 1078. Primatum attribuit in 4. Lugdunenſes: quæ res multorum diſſidiorum ſemen fuit. Bulla legitur l. 6. Ep. 34. eſtque talis.

» Gregorius Epiſcopus Seruus ſeruorum Dei Gebuino Lugdunenſi Archiepiſ-
» copo antiqua SS. Patrũ, quibus licet indigni & longè meritis impares in admini-
» ſtratione huius ſedis ſuccedimus, veſtigia in quantum diuina dignatio permittit,
» imitari deſiderantes, ius quod vnicuique Eccleſiarum pro merito & dignitate ſui
» ipſi contulerunt, nos ex eorum ſucceſſionis conſideratione decet illæſum & im-
» mutabile conſeruare ac munimine Decretorum noſtrorum ad perpetuam ſtabi-
» litatem corroborare. Qua propter, quia dilectiſſime in Christo Frater Gebuine
» poſtulaſti à nobis, quatenus dignitatẽ ab antecesſoribus noſtris conceſſam Eccle-
» ſiæ cui Deo authore prodeſſe dignoſceris, confirmaremus, & quæque ſua ab in-
» feſtatione Apoſtolicæ ſedis defenſione tueremur, inclinati precibus tuis cõfirma-
» mus, Primatũ ſuper 4. Prouincias Lugdunenſis Eccleſiæ tuæ & per eam tibi ſuc-
» ceſſoribuſque tuis, his tantum qui nullo interueniente munere electi vel promoti

Digitized by Google

fuerint, videlicet à manu, ab obſequiis & à lingua. A manu, vt nihil inde ſeruitij "
faciat, ſicut Quidam intentione Eccleſiæ prælationis potentibus perſonis ſolent "
deferre. A lingua, vt neque per ſe neque perſubmiſſam perſonam preces effundat. "
Sed neque his qui per ſeculatem poteſtatem ad hanc dignitatem peruenerint, ſci- "
licet dono vel confirmatione alicuius perſonæ, quæ ſanctæ religioni videarur ob- "
uiare: & contra puram authenticamque ſanctorum Patrum authotitatem veni- "
re. Sed his nimirum hanc dignitatem concedendam eſſe ſenrimus, qui purâ & "
ſincetâ electione ſibi ſucceſſerint, & ita pet oſtium intrauerint ſicut Fraternita- "
rem tuam cognouimns intraſſe. His vero qui alirer intrauerint, videlicet qui iux- "
ta Dominicam ſententiam non per oſtium ſed aliunde vt fures & Latrones aſcen- "
derint, non ſolum Primatum huius dignitaris non concedimus, verum etiam om- "
ni honore Eccleſiaſtici regiminis indignos & alienos fore adiudicamus. Prouin- "
cias autem illas quas confirmamus, dicimus Lugdunenſem, Rothomagenſem, "
Turonenſem & Senonenſem, vt hæ videlicet Ptouinciæ condignam obedien- "
tiam Lugdunenſi Eccleſiæ exhibeant & honorem quem Romani Ponrifices red- "
dendum eſſe ſcripris propriis præfixetunt, humilitet & deuotè petſoluant ſaluâ "
in omnibus Apoſtolicæ ſedis reuerentiâ & præſenti authoritatis noſtræ decreto "
indulgemus, concedimus atque firmamus. Statuentes nullum Regnum, &c. Dat. "
Romæ 12. Kal. Maij. indict. 2. "

Acne Senonenſis Præſul & alij conſtirutioni eiuſmodi vnquam refragaten-
tur, iuſque ſuum violari conteſtarentur, ad eos ſcribit idem Pontifex, eiuſque
bulla legitur lib. 6. Ep. 35. in qua hæc habenrur verba inter cætera. Eccleſia Spi- "
ritu S. edocta per diuerſas prouincias & Regna Præſules, Archiepiſcopos & Pri- "
mares ordinauit, cuius conſtitutione & authoritate Lugdunenſis Eccleſia pri- "
marum ſuper 4. Prouincias per annotum longa curricula obrinuit. Vnde Pattum "
exempla ſequens Lugduni primatum quem ipſi decretis ſuis conſtituerunt, ſtudet "
confirmare: ideo enim diuerſos gradus cõſtituit Dei prouiſio, vt concordia ex obe- "
dientia naſceretur & ſic imitaretur Eccleſia ordines Angelorũ & hinc pax & cha- "
riras mutua ſe vice complecterentur. Quia igitur vnumquodque tunc ſalubriter "
cõpletur officium, cum fuerit vnus ad quem recurri poſſit Præpoſitus, Prouinciæ "
autem multo anre Chriſtum diuiſæ ſunt, & poſtea ab Apoſtolis & Clemente diui- "
ſio renouata eſt, & in Capite Prouinciarum, vbi dudum Primares legis erant ſe- "
culi ac prima iudiciaria poteſtas: ad quos confugiebant pro oppreſſionibus qui "
ad Reges confugere non poterant, ipſis quoque locis celebrioribus Patriarchas "
vel Primates, qui vnam formam tenent, leges diuinæ & Eccleſiaſticæ poni & eſſe "
iuſſerunt, ad quos Epiſcopi confugerent & ipſi nomine Primarum fruerentur & "
nõ alij: reliquæ vero Metropoliranæ ciuitates licet maiorũ Comitũ eſſent, haberẽt "
tamen Metropoliranos ſuos qui obedirent Primatibus, vt in legibus ſeculi olim "
ordinatum erat qui non Primarum, ſed aut Metropoliranorum aut Archiepiſco- "
porum nomine fruerentur: & licet ſingulæ Metropoles ſuas Prouincias habeant "
& Epiſcopos, Ptimates tamen tunc & nunc habere iuſſæ ſunt, ad quos poſt ſedem "
Apoſtolicã ſũma negotia conueniant, vt ibidẽ quibus neceſſe, releuentur & iuſtè "
teſtituantur, & qui iniuſtè opprimuntur, iuſtè reformentur & fulciantut, Epiſco- "
porumque cauſæ & ſummorum negoriotum iudicia ſalua Apoſtolicæ ſedis au- "
thorirate iuſtiſſimè terminentur. Quapropter præcipimus, vt Lugdunenſi Eccle- "
ſiæ honorem à maioribus noſtris & Eccleſiiis veſtris præfixum exhibere humi- "
liter procuretis. Dat. Romæ 12. Kal. Maij. "

Huic decreto Pontificio parer Archipræſul Turonenſis, Richerius Senonenſis contra, ius antiquum violari conqueritur: Anſegiſo Senonenſi ptimatiam Galliarum Germaniæ à Ioanne VIII. attributam probat: Seguino à Ioanne XV. confirmatam, vnde in ſynodo Remenſi an. 992. primus ſedit; & Leotherico à Gerberto Aquitannico ſeu Silueſtro II. aſſertam an. 1000. verum in Concilio tantũ Claromontenſi habito an. 1095. Vrbanus II. Lugdunenſi Primariam attribuit, & Suffraganeorum obedientiam Mertopolirano Senonenſi hac in re interdixit.

Porro quam ægrè Gibuinum Archidiaconum ſuum dimiſerit Rainaldus Lingonenſis, ſcribit Hugo Flauiniacenſis in Chronico Virdunenſi ad hunc annum his verbis. *A Latere Domini Lingonenſis electus eſt Gebuinus Archidiaconus, vir morum probitate venuſtus vt præficeretur Lugdunenſi Eccleſia: hoc totius Concilij* (Ædu-

Digitized by Google

nenſis) *acclamauit aſſenſus;hoc etiam Lugdunenſis Eccleſia Clericorum & Laïcorum qui aderant, expetiit bona voluntatis affectus. Raptus igitur ab altari, quò confugerat, diligentius ſeruatur, vt in die Dominico more ſolenni benediceretur. Doluit ſuper hoc Lingonenſis Epiſcopus, Clerusque qui aderat Lingonicus: quia amiſiſſe videbantur virum in Eccleſiaſticis & ſecularibus negotiis perneceſſarium, cui plurimum innitebantur. Sed præualuit concors ſententia Concilij, quia ſic erat præfinitum & placitum in oculis Domini. Sexta iam ſeſſionis die aſſurgit Lingonenſis idem e medio circumſedentium, & vir Nobilis & vrbana eloquentia ratione compoſitâ attentos Auditores ſibi reddens & beneuolos replicuit aliqua pro damno Eccleſiæ ſibi commiſſæ illato, quod quaſi eruiſſent ei oculum, cui ſuum tuliſſent Archidiaconum, in quo ſpes omnis, in quo refrigerium, in cuius ſibi erat charitate ſolatium.*

Verum coactus eſt cedere Concilio, & Gebuinus ab ipſo Legato Apoſtolico conſecratus eſt in Archiepiſcopum Lugdunenſem die Dominica 15. Kal. Octobr.

Habuit quoque idem Hugo Dienſis Synodum Pictaui, vbi miror nihil inter acta referri de Berengariana hæreſi, quæ paucis ante annis ibidem damnata fuerat. Noluit forte Hugo Quæſtionem illam agitari, eamque Gregorio Papæ definiendam reſeruauit. Reuera, cum Berengarius toties in Conciliis Generalibus & Prouincialibus damnatus, errores ſuos nihilominus publicaret, eum Pontifex in ſolemniori damnandum eſſe iudicauit. Itaque anno 1078. vt nonnulli volunt, Romæ Concilium habet Gregorius 10. Kal. Decemb. cui iubet ſe ſiſtere Berengarium: eumque ibi præſentem damnatum fuiſſe ſcribit Author Anonymus, quem non ita pridem luce publica donauit P. Chiffletius in libello, quem *de Berengarij multiplici damnatione inſcripſit.*

De hoc Concilio hæc habet non contemnenda Hugo Abbas Flauiniacenſis in Chronico Virdunenſi. *Anno*, inquit, *ab incarnatione Domini 1078. menſe Feb. indictione 9. Pontificatus D. Papæ Gregorij VII. an. 6. conuocatum eſt Concilium ex diuerſis partibus Orbis, & omnibus in Eccleſia Seruatoris Romæ Congregatis habitus eſt ſermo de Corpore & Sanguine Domini.* Maxima *ſiquidem pars panem & vinum per ſacræ orationis verba & ſacerdotis conſecrationem Spiritu S. inuiſibiliter operante conuerti ſubſtantialiter in Corpus Dominicum, quod in Cruce pependit & in ſanguinem qui de eius latere fluxit, aſſerebat. Quidam verò cæcitate nimiâ perculſi figuram tantùm adſtruebant. Verum vbi res cœpit agi, priusquam tertia dies ventum foret in Synodum, deſtitit contra veritatem niti pars altera. Denique Berengarius huius erroris Magiſter poſt longo tempore dogmatizatam impietatem erraſſe ſe coram Concilio confeſſus, veniam poſtulatam ex Apoſtolica clementia meruit, iurauitque ſic.*

„ Ego Berengarius corde credo, & ore confiteor panem & vinum quæ in altari po-
„ nuntur, per myſterium ſacræ orationis & verba noſtri Redemptoris ſubſtantiali-
„ ter conuerti in veram & propriam ac viuificatricem carnem & ſanguinem Do-
„ mini Noſtri I. C. & poſt conſecrationem eſſe verum corpus Chriſti, quod na-
„ tum eſt de Virgine & pro ſalute mundi oblatum in Cruce pependit, & quod ſe-
„ det ad dexteram Patris; & verum ſanguinem Chriſti, qui de eius latere fuſus
„ eſt, & non tantùm per ſignum & virtutem ſacramenti, ſed in proprietate naturæ
„ & vnitate ſubſtantiæ; ſicut in hoc Breui continetur, & Ego legi, & vos intelli-
„ gitis, ſic credo. Nec contra hanc fidem vlterius docebo. Sic me Deus adiuuet,
„ & hæc ſacroſancta Euangelia. *Tunc D. Papa præcepit Berengario authoritate Apoſto-*
„ *lica, vt de corpore & ſanguine Domini nunquam vlterius cum aliquo diſputare vel docere*
„ *præſumeret, exceptâ causâ reducendi ad fidem eos, qui per eius doctrinam ab ea receſſe-*
„ *rant.* Hæc Hugo.

Alij verò communiter ſcribunt non comparuiſſe tunc Berengarium, ſed ei datas fuiſſe inducias vſque ad futuram Synodum, quam indixit Pontifex ad an. 1079. & menſem Febr. Verum non duas, ſed vnicam tantum habitam fuiſſe crediderim: omnes enim de menſe Februario conueniunt; quoad annum vero, difficultas facile tollitur habitâ ratione cōputationis Romanæ & Gallicanæ. Nam Romani annū auſpicabantur à kalendis Ianuariis: Galli verò à Feſtis Paſchalibus. Itaque more Gallicano annus erit 1078. Romano verò 1079. Huic ergo Synodo certum eſt adfuiſſe Berengarium, & plures eius ſententiam impugnaſſe, ſed maximè duos ſanctiſſimos viros, S. Brunonem, qui deinde fuit Signinus

Epiſcopus

Epiſcopus in prouincia Romana, & S. Vvolphemum abbatem Brunnilerenſem,
qui ex voro ad Apoſtolorum limina profectus huic Concilio interfuit, ac poſt-
modum contra illam hæreſim Epiſtolam miſit ad Meginhardum Abbatem, quam
exſcribit Contardus Monachus in eius vita apud Surium die 22. April. Cuius
quoque Epiſtolæ meminit Trithemius in Chronico Hirſaug. & quæ talis eſt.

Dei gratia Vvolphemus Abbas Coabbati Meginhardo, Salutem. Lac doctrinæ
ſpiritualis, quod à me rogaſti de Cœlo tibi fide & humilitate largius accumula-
ſti; fide, quoniam quod in me non eſt, credis in me poſſe Deum omnipotentem
operari; humilitate verò, quia deficientibus meritis & ſapientiâ canitiem & or-
dinis dignitatem non abhorres in me venerari. O quam conſequens eſt vt dum
nocet, quod inebriat, pro remedio deſideres quod debriat: nocet autem
quædam ebrietas *hæreſis Berengarij*: Cuius ebrietatis periculum declinemus,
& ad vbera vino meliora appropiemus, & mox vt eam aſſertionem iuuan-
te Chriſto poſſimus deſtruere, quæ clauſis ianuis eum ad Diſcipulos poſt
reſurrectionem non intraſſe nititur adſtruere, ex matris Eccleſiæ manans mam-
mis lacter nos Euangelium Ioannis. *Cum eſſet*, inquiens, *ſerò die illo vna ſa-
bathorum & fores eſſent clauſæ, vbi erant Diſcipuli congregati, ſtetit Ieſus in medio.* Et
paulo inferius, *Poſt dies octo iterum erant Diſcipuli eius intus & Thomas cum eis; & ve-
nit Ieſus ianuis clauſis & ſtetit in medio.* Ecce inter Berengarium quod non intraue-
rit Dominus januis clauſis, & inter Ioannem quod intrauerit cum ſit controuer-
ſia, ſuperat ille cui ſcimus inquienti, *quia verum eſt teſtimonium eius*, omnis applau-
dit eccleſia, nam ſi gentilitas dum libros claudit, his quos recipi iudicat, applau-
dit, multo veriùs huic euangelio perhibet eccleſia teſtimonium, pro quo priuſ-
quam ſcriberetur, præmiſit orationes & ieiunium. Norit igitur Berengarius
hæc ſibi ſufficere, quibus cum à Deo ſint, non poſſit homo contradicere. Itaque
deinceps ad id quoque domino iuuante veniam, quod in Euchariſtiæ ſacramen-
to loquitur blaſphemiam: ſed quia ſcriptura docet, ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam
non eſſe reſpondendum, repro[illegible] interim ipſis blaſphemiæ verbis ad fontem
eius præcurrendum. Vt ſi dominus dederit nos eum obſtruere, deſinat inde ſanies
huius blaſphemiæ ad nos defluere. Eſt autem vena huius ſcaturiginis, quod
non rectè ſentit de ſacramento Dominici Corporis & Sanguinis, & dum ad
aſpiciendum in eis panem & vinum oculos corporis habet, ad perſpiciendum in
eiſdem carnem & ſanguinem oculos mentis non adhibet. Nos autem vt viſum
acuamus & acuendo proficiamus, quo hæc intuemur ad obtinendam ſemel ac-
ceptam huius veritatis traditionem, noſmet hoc modo cohortemur, Si *is qui dixit
& facta ſunt, & mandauit & creata ſunt omnia*, Si is inquam dixit de hoc pane, hoc
eſt corpus meum, & de vino hic eſt ſanguis meus, neceſſe eſt omnino ſic eſſe:
nam hæc ſola myſteria non ab aliis ſunt ſeparata, quæ dicente Deo facta ſunt,
vel mandante creata. Eſt autē vnus atque idem Deus primo mundum formans,
deinde hoc ſacramento ſuam imaginem reformans. Si enim alius faceret homi-
nem & alius redimeret, redimens plus honoris ſibi aſſumeret: atque ita & Deus
per ſe redempturus erat & homo non niſi per ſe redimi poterat: quia videlicet
nihil homini iure redimendo proficeret, quidquid aliud quàm hominem intuen-
do Deus perficeret, vt ex hoc liquido conſtet quòd vnus atque idem Deus, &
homo redemptor homini extet, igitur omnino ſic eſſe eſt, quod dicente Deo vel
mandante non eſſe non poteſt. Ecce noui & veteris Teſtamenti nos ex authori-
tate probamus, quibus Berengarius tertium addit, quod non minus quàm ter-
tium de cœlo cecidiſſe Catonem reprobamus. En ergo poſt duo teſtamenta ter-
tium hoc, & ideo tertium quia ab eis alienatur verbis ipſius authoris ita loquẽtis
*Si mures conſecratum corpus Chriſti comederint, num ideo Chriſtus in eis, & ipſi in Chri-
ſto manebunt, nec vitam æternam habebunt?* O ſi nunc apud inferos tortor Horatij de-
ſidear, dum hoſtem Eccleſiæ hunc verbis his derideat.

Parturient montes, naſcetur ridiculus mus.

Putauimus hunc inter montes exaltatum magnum quid parturire; tam ex ſe
plures in adiutorium eius conſpicimus eum de cauernis accire. Iam autem
mediam hanc ironiam abrumpentes contra Berengarium & pro nobis noſmet
cohortemur, ita dicentes. *Si corpus hoc vnde agitur ab Apoſtolis & ab omnibus ele-
ctis comeſtum, qui ſoli ſic illud comedunt, vt Chriſtus in eis maneat & ipſi in Chriſto, &*

Kkk

non Iudas & omnes reprobi, ad quos poſt buccellam panis Satanas intrat & fit longè alia conglutinatio intrantis Satanæ, & reproborum, quàm ea quæ eſt Chriſti & electorum. Nuſquam enim Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit. Si inquam hoc corpus ait ab electis comeſtum & eis conglutinatum, illis quoque conglutinatis eidem ſe ſanum & incolume, viuum & integrum recipit ad Patrem, multò magis à Iuda & reprobis omnibus plus etiam à muribus & ab aliis mundi ſpurcitiis recolligitur in regnum ſuum, ſine ſui diminutione vel contaminatione. Nam & ſol hic inuiſibilis creatus & non omnipotens radios ſuos in cloacas & alias mundi ſordes emiſſos rurſus retrahit ad ſe ſine aliqua pollutione. Hoc autem corpus poſt expletam more Catholico communionem, ſanum & incolume, viuum & integrum ſe recipit ad Patrem. Sic etenim teſtatur eccleſia Achaiæ Beatum Andræam Apoſtolum dicere, *Poſtquam omnis populus credentium agni carnes comederit & ſanguinem biberit, agnus qui ſacrificatus eſt integer perſeuerat & viuus, &c.* Cum verè ſacrificatus ſit & verè carnes eius comeſtæ ſint à populo & verè ſanguis eius ſit bibitus, tamen vt dixi & integer permanet, & immaculatus & viuus, &c. Igitur corpus hoc ab his quibus ille participibus particeps eſt, ſe viuum & integrum & incolume recipiens multo magis ab his colligit in regna ſua. Hoc interim charitati tuæ puto ſufficere, dum videamus ſi opus ſit his aliquid adiicere. Veruntamen & quod dixi & ſi quid dicturus ſum tuis orationibus & omnium piè de me ſentientium commendo, quoniam & ſi mortui ſunt obtrectatores Hieronymi, authorem obtrectationis huiuſmodi viuere perpendo.

Victus autem in illa diſputatione Berengarius, coram frequenti Concilio ſe errasse bono animo confeſſus veniam meruit; & fidei profeſſionem publicè edidit, quam ſupra ex Hugone retulimus, quamque etiam refert Bertholdus Conſtantienſis in Alemannia presbyter, ſcriptor illius temporis, qui hiſtoriam ſuam vſque ad an 1100. perduxit.

His actis Pontifex, qui eum iam Turonis damnauerat, cum eſſet Hildebrandus Legatus, eum amplexatus, ſemper amicè & honorificè habuit, atque apud ſe aliquandiu detinuit; ſeu quia diuturniori conuerſatione fidem hominis firmare voluit; ſeu quia Berengarius non ſtatim in Galliam redire auſus eſt, propterea quod tam ſæpe relapſus multarum turbarum author extiterat, verebaturque aduerſantium odia, præſertim verò Fulconis Richini Comitis Andegauenſis, à quo Romam ad Concilium ire compulſus fuerat. Poſt aliquantum vero temporis, vt redire voluit, Gregorius redeunti litteras Apoſtolicæ protectionis dedit ad Rodulphum II. Archiepiſcopum Turonenſem & ad Euſebium Brunonem tunc adhuc Epiſcopum Andegauenſem; quarum exemplar extat in veteri MS. S. Albini Andegauenſis, taleſque ſunt.

Gregorius Epiſcopus Seruus Seruorum Dei *Venerabilibus Fratribus Rodulpho Turonorum Archiepiſcopo & Euſebio Andecauorum Pontifici Sal. & Apoſtol. Bened.* Audiuimus Fulconem Comitem Andecauenſem quorundam inſtinctu, qui filio noſtro chariſſimo Berengario Sacerdoti inimicantur, in eiuſdem odium exarſiſſe: quapropter fraternitati veſtræ mandamus, quatenus ipſi Comiti noſtra vice præcipiatis, vt non vlterius ſupradictum virum inquietare præſumat: nec ſolum, ſed & contra omnes inimicos & perturbatores rerum ipſius vicem noſtram ad ferenda illi auxilia ſuſcipiatis, præcipiendo præcipimus ex authoritate Apoſtolorum Petri & Pauli. Valete, & nulla ratione quæ præcipio contemnite.

Dedit quoque idem Pontifex alias litteras ad vniuerſos Chriſti fideles, quibus vetuit nequis eum hæreticum appellaret, néve quis ei aut poſſeſſionibus ipſius damnum inferret, quæ quidem extant in alio eius Monaſterij S. Albini MS. quod habet Commentarium Aimonis Monachi in epiſtolas. D. Pauli, & D. Lucas Dacherius publici iuris fecit in 2. tomo Spicilegij.

Gregorius Seruus Seruorum Dei Omnibus B. Petro Fidelibus Sal. & Apoſtol. Bened. *Notum vobis omnibus facimus Nos anathema feciſſe ex authoritate Dei Omnipotentis* Patris & Filij & Spiritus S. & Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli omnibus qui iniuriã aliquam facere præſumpſerint Beringario Romanæ eccleſiæ filio, vel in eius perſona vel in omni poſſeſſione ſua, vel qui eum vocabunt

hæreticum, quem poſt multas quas apud Nos quantas voluimus, fecit moras, »
domum ſuam remittimus, & eum co fidum noſtrum Fulconem nomine. »

De hac autem Berengarij conuerſione non modo his temporibus quibus ſcribimus, ſed & tunc etiam dubitatũ fuiſſe video. Imo Bertholdus presbyter Continuator Hermanni Contracti an. 1054. defuncti, ad an. 1083. referens eius mortem, ait eum hæreticum obiiſſe. Berengarius, inquit, nouæ hæreſis de corpore »
Domini author eo tempore deficiens abiit in locum ſuum, qui licet eandem hæ- »
reſim ſæpiſſimè in Synodo abiurauit, ad vomitum tamen ſuum canino more non »
expauit redire. Nam & in Romana Synodo Canonicè conuictus, hæreſim ſuam »
in libro à ſe deſcriptam cõbuſſit & abiuratam anathematizauit: nec tamen poſt- »
ea dimiſit. Bertholdo ſuccenturiantur Hæretici Blondellus, Faucherus, & alij »
plerique.

Verum de vera ſinceraque eius conuerſione conſentiunt omnes Catholici, nec vſquam præterquam apud Bertholdum legitur, hæreſim non dimiſiſſe. Poſtquam enim Româ rediit, relicto Andegauenſi Archidiaconatu Turonas conceſſit, ſeque in ſolitudinem abdidit, & omni deinceps altercationi renunciauit. Quidam tamen eius Diſcipuli non ſtatim obmutuerunt, & inter cæteros Hildebertus Cenomanenſis, qui Magiſtri ſui ſententiæ forſitan fauens, aut perſonæ amicitia ductus, huncce Pontificem hæreſeos inſimulare non eſt veritus, quod contra ſentiret, ſicut & alios qui Lanfranci ſententiam tuebantur. Quanquam forte non de Gregorio, ſed de aliis Pontificibus Romanis, qui eum & Alexandrum II. præceſſerunt, loquitur; quorũ plurimi intruſi, pecunia & largitione promoti, & plurimi vitiis dediti: ſeu potius Antipaparum qui deinde ſe intruſerunt, prauos mores carpit: vt vt ſit ſtatum vrbis Romæ, his verſibus depingit.

Par tibi Roma nihil, cum ſis prope tota ruina,
Quam magni fueris integra, fracta doces.
Longa tuos faſtus ætas deſtruxit, & arces
Cæſaris & ſuperûm templa palude iacent.
Ille labor, labor ille ruit, quem dirus Araxes,
Et ſtantem tremuit, ac cecidiſſe dolet.
Quem gladij Regum, quem prouida iura Senatus,
Quem ſuperi rerum conſtituêre caput.
Quem magis optauit cum crimine ſolus habere
Cæſar, quàm ſocius & pius eſſe ſocer.
Qui creſcens ſtudiis tribus, hoſtes, crimen, amicos
Vi docuit, ſecuit legibus, emit ope.
In quem dum fieret, vigilauit cura priorum,
Iuuit opus pietas, hoſpitis vnda locum.
Materiam, fabros, expenſas, axis vterque
Senſit, ſe muris obtulit ipſe locus.
Expendêre Duces Theſauros, fata fauorem,
Artifices ſtudium, totus & Orbis opes,
Vrbs cecidit, de qua ſi quicquam dicere dignum
Moliar, hoc potero dicere, ROMA FVIT.
Non tamen annorum ſeries, non flamma, nec enſis,
Ad plenum potuit hoc abolere decus.
Cura hominum potuit tantam componere Romam,
Quantam non potuit ſoluere cura Deûm.
Confer opes marmorque nouum ſuperumque fauorem,
Artificum vigiles in noua facta manus.
Non tamen aut fieri parſtanti machina muro
Aut reſtaurari ſola ruina poteſt.
Hic Superum formas Superi mirantur & ipſi,
Et cupiunt fictis vultibus eſſe pares.
Non potuit Natura Deos hoc ore creare,
Quo miranda Deum ſigna creauit homo.
Vultus adeſt his Numinibus, potiuſque coluntur
Artificum ſtudio, quàm deitate ſua.

Vrbs felix, ſi vel Dominis vrbs illa careret,
Vel Dominis eſſet turpe carere fide.

Hæc ſarcaſticè Hildebertus & paulo nimis Magiſtro ſuo addictus: quæ tum ſcripſiſſe videtur, cum nondum Berengarius vltimò errorem abiuraſſet.

Eodem anno ortum eſt ſchiſma in Eccleſia, inuadente ſedem Apoſtolicam Guiberto ſub Clementis III. nomine pſeudopontifice. Id hac occaſione accidit. Gregorius ægre ferens Henricum Imperatorem Schiſmaticorũ & Vxoratorũ presbyterorũ fautorem ſe & protectorem præſtare, ſibique præterea contra Decreta Rom. Eccleſiæ Prælaturarum adminiſtrationem & Prælatorum nominationes arrogare, ſæpius monitum nec meliori frugi redditum tandem ſacris arcuit. Imperator collecto apud Vvormaciam 24. Epiſcoporum & multorum Procerum Concilio Gregorij facta decretaque irrita pronunciat. Papa Henrico Imperium abrogat, & Rodolphum Burgundiæ Ducem in Regni poſſeſſionem inducit, miſſa ei corona, cui erat inſcriptum,

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodolpho.

Henricus Gregorio ſimiliter Paparũ abrogat & die ipſo Pentecoſtes apud Brixiã habito Concilio Guibertum Rauennatem Epiſcopum ad Pontificatum promouet, ab eoque coronam Imperij ſuſcipit, & anno ſequenti commiſſo cum Saxonibus & Rodolpho graui prælio, opima ſpolia reportat. Qua victoria elatus Gregorium deinceps & Gregorianos miris modis proſequitur. Quanquam autem hiſtoria iſta ad Vniuerſitatem propriè non pertineat, quia tamen de iure quod Gregorius ſibi tum arrogauit deponendorum Regum, & eximendorum à præſtiti ſacramenti obligatione ſubditorum ſæpe in ſcholis diſputatum eſt, non erit omnino extra rem noſtram ad eorum quæ tum ab vtraque parte geſta ſunt, hiſtoriam digredi & diuertere. Horum autem initium à Concilii Romani anno 1077. habiti Canonibus repetendum eſt, quorum tres primi præſertim contra Imperatores & Principes, qui Epiſcopatus & cæteras Eccleſiæ Dignitates ſimoniacè diſtribuebant, conditi fuerunt.

„ 1. Quicunque militum, vel cuiuſcunque ordinis vel profeſſionis perſona, prædia Eccleſiaſtica à quocunque Rege, ſiue ſeculari Principe, ab Epiſcopis inuitis „ ſeu Abbatibus, aut ab aliquibus Eccleſiarum Rectoribus ſuſcepit vel ſuſceperit, „ vel inuaſit, vel etiam eorundem Rectorum vitioſo & deprauato conſenſu renuerit, niſi eadem prædia eccleſiis reſtituerit, excommunicationi ſubiaceat.

„ 2. Quoniam inueſtituras Eccleſiarum contra ſtatuta canonum, multis in locis „ cognouimus à laicis fieri, & ex eo plurimas perturbationes in Eccleſia oriri, ex qui„ bus Chriſtiana Religio perturbatur, decernimus vt nullus Epiſcoporum inue„ ſtituras Epiſcopatus vel Abbatiæ vel Eccleſiæ de manu Imperatoris vel Regis „ vel alicuius Laicæ perſonæ, viri vel fœminæ ſuſcipiat.

„ 3. Si quis præbendas, Archidiaconatus, præpoſituras, vel aliqua Eccleſiaſtica „ officia vendiderit, vel aliter quàm ſtatuta SS. Patrum præcipiunt, ordinauerit, „ ab officio ſuſpendatur. Dignum eſt enim, vt ſicut gratis Epiſcopatum accepit, „ ita membra eius gratis diſtribuat.

Cum verò Papa reluctantem Imperatorem anathemate feriſſet, ſubditoſque à præſtiti ſacramenti vinculis exoluiſſet, & nonnulli iam Rodulphum creaſſent Principem, Henricus ad ipſum Papam confugit & colloquium petiit. Conuentus itaque ad ipſo indictus, cui vterque Princeps interfuturus eſſet ad cauſam dicendam Papa iudice & arbitro. Henricus iugi grauitatem ſibi veritus imponi, Conuentum turbauit, nec adfuit. Itaque in eum ira conſtituit Gregorius, vt legitur in Chronico Virdunenſi.

Beate Petre Princeps Apoſtolorum & tu B. Paule Doctor gentium dignamini „ quæſo aures veſtras ad me inclinare, meque clementer exaudire. Quia veritatis „ eſtis Apoſtoli & amatores, adiuuate vt veritatẽ dicam vobis omni remota falſi„ tate quam omnino deteſtamini, vt fratres mei mihi melius acquieſcant & ſciant „ & intelligant quia ex veſtra fiducia poſt Deum & matrem eius ſemper virginem „ Mariam prauis & iniquis reſiſto, veſtris autem fidelibus auxilium præſto. „ Vos autem ſcitis, quia non libenter ad ſacrum ordinem acceſſi & inuitus vltra „ montes cum Domino meo Papa Gregorio abij, ſed magis inuitus cum Do„ mino meo Papa Leone ad veſtram ſpecialem Eccleſiam redij in, qua

vtcumque vobis deſeruiui. Deinde valde inuitus cum multo dolore & gemitu & planctu in throno veſtro valde indignus ſum collocatus. Nec ideo dico, quia nonego vos, ſed, vos elegiſtis me & grauiſſimum pondus Eccleſiæ veſtræ ſuper me poſuiſtis & quia ſuper monrem excelſum me iuſſiſtis aſcendere & clamare & annunciare populo Dei ſcelera eorum & filiis Eccleſiæ peccata eorum, membra Diaboli contra me cœperunt inſurgere & vſque ad ſanguinem præſumpſerunt in me manus iniicere. Adſtiterunt Reges terræ & principes ſeculares & Eccleſiaſtici, aulici etiam & vulgares conuenerunt in vnum aduerſus Dominum & aduerſus vos Chriſtos eius dicentes *Diſrumpamus Vincula eorum & proiiciamus à nobis iugum ipſorum.* Et vt me omnino morte vel exilio confunderent, mulris modis in me conati ſunt inſurgere. Inrct quos ſpecialiret Henricus, quem dicunr Regem, Henrici Imperatoris filius contra veſtrum calcaneum erexir Eccleſiam, facta cum mulris Epiſcopis Vltramontanis & Italicis conſpiratione, adnitens me deiiciendo eum ſibi ſubiugare. Cuius ſuperbiæ veſtra reſtitit aurhotitas, eumque veſtra deſtruxit poteſtas. Qui confuſus & humiliatus ad me in Longobardiam venit, abſolutionem ab excōmunicarione quæſiuir. Quem ego videns humiliatum multis ab eo promiſſionibus accepris de vitæ ſuæ melioratione, ſolum ei communionem reddidi, non tamen eum in Regno, à quo in Romana Synodo depoſueram, reſtauraui: nec fidelitarem omnium qui ei iurauerant vel iuraturi eranr, à qua omnes in eadem ſynodo abſolui, vr ſibi ſeruaretur, præcepi. Er ideo hæc detinui, vr inter eum & Principes Vltramontanos qui ei cauſâ iuſſionis Eccleſiæ veſtræ reſtiterant, iuſticiam facerem, vel pacem componerem, ſicur & ipſe Henricus iuramenro per duos Epiſcopos mihi promiſit. Prædicti aurem Epiſcopi & Principes Vltramontani audienres illum non ſeruare quod promiſerat, quaſi deſperari de eo vobis teſtibus elegerunt ſibi Rodulphum Ducem in Regem. Qui Rex Rodulphus feſtinanrer ad me miſſo nuncio indicauit ſe coactum Regni gubernacula ſuſcepiſſe, ramen ſe pararum mihi modis omnibus obedire. Er ex eo rempore eundem mihi ſemper miſir ſermonem adiiciens etiam filio ſuo dato obſide & fidelis ſui ducis Bertholdi quod promittebat, ſacramento firmare. Interea H. cæpit me precari vt illum contra prædictum R. adiuuarem. Cui reſpondi me libenrer facere auditâ vtriuſque partis ratione vt ſcirem cui iuſtitia magis faueret. Ille vero putans eum ſuis viribus poſſe deuincere, meam contempſit reſponſionem. Poſtquam autem perſenſit ſe non poſſe ſicut ſperauit agere, duo Epiſcopi ex conſenraneis ſuis, Virdunenſis ſcilicer Theodericus & Obſeburgenſis Romam venerunr, & in ſynodo ex parre Henrici me vt iuſtitiam facerem rogauerunt, quod & Nuncij Rodulphi fieri laudauerunt. Tandem adſpiranre Deo ſicut credo ſtatui in eadem ſynodo in partibus Vltramontanis fieri colloquium, vr illic aut pax ſtatueretur, aur cui iuſtitia faueret amplius, cognoſceretur. Et quia purabam, quod iniuſtior pars colloquium nollet fieri, vbi iuſtitia locum ſuum ſeruaret, excommunicaui & anathemate obligaui omnes perſonas ſiue Regis ſiue Ducis ſiue Epiſcopi aut alicuius hominis, qui colloquium aliquo ingenio impediret, ne fieret. Prædictus aurem Henricus cum ſuis fautoribus non rimens periculum inobedientiæ, quod eſt ſcelus idololatriæ, colloquium impediendo excommunicationem incurrit, & ſeipſum Anathemaris vinculo obligauit, magnamque mulritudinem Chriſtianorum morti tradi & Eccleſias fecit diſſipari, & pœne rotum Teuronicorum Regnum deſolarioni dedir. Quapropter iudicio & miſericordia Dei eiuſque piiſſimæ Matris ſemper Virginis Mariæ veſtra fultus authoritare ſæpe nominarum Henricum, quem dicunt Regem omneſque fautores eius excōmunicarioni ſubiicio, & iterum Regum Teutonicorum & Italiæ ex omnipotentis Dei parte & veſtra interdicens ei omnem poteſtatem & dignitatem Regiam illi tollo, & vt nullus Chriſtianus ei ſicut Regi obediat, interdico. Ipſe autem Henricus cum ſuis fautoribus in omni congreſſione belli nullas vires nullamque in vira ſua victoriam obtinear. Vr aurem Rodulphus Regnum Teuronicorum regar & defendat, quem Teutonici elegerunt ſibi in Regem ad veſtram fidelitarem, ex parte veſtra dono, largior & concedo omnibuſque ſibi fideliter adhærentibus abſolutionem omnium peccatorum, veſtramque benedictionem in hac vita & in futura veſtra fretus fiducia largior. Si-

cut enim Henricus pro ſua ſuperbia & inobedientia & falſitate à Regni dignitate iuſtè abiicitur, ita Rodulpho pro ſua humilitate, obedientia & veritate poteſtas & dignitas Regni conceditur. *Agite nunc quæſo Patres & Principes Sanctiſſimi, vt omnis mundus intelligat & cognoſcat, quia ſi poteſtis in cælo ligare & ſoluere poteſtis in terra Regna, Principatus, Ducatus, Marchiatus, Comitatus & omniũ hominum, profeſſiones pro meritis tollere & concedere. Vos Patriarchatus, Archiepiſcopatus, Primatus, Epiſcopatus frequenter tuliſtis prauis & indignis, & Religioſis viris dediſtis. Si enim ſpiritualia iudicatis, quid de ſecularibus poteſtis? Et ſi Angelos dominantes omnibus ſuperbis Principibus, quid de illorum ſeruis facere poteſtis? Addiſcant nunc Reges terræ & omnes ſeculi Principes, quanti vos eſtis, quid poteſtis, & timeant paruipendere iuſſionem Eccleſiæ veſtræ, & in prædicto Henrico tam citò iudicium veſtrum exercete, vt omnes ſciant quia non fortuito, ſed veſtra poteſtate cadet & confundetur, vtinam ad pænitentiam, vt ſpiritus ſaluus ſit in die Domini*. Data Romæ non. Martij.

Hæc tam inſolita Pontificis agendi ratio multorum Principum tam Eccleſiaſticorum quam Laicorum à ſe animos abalienauit; illorũ quidem exiſtimantium Regem Imperatoris filium, à Deo electum, populo regendo præpoſitum, ſacramque illam Regiæ Maieſtatis dignitatem authoritate Pontificia non poſſe deprimi & deponi; nec ſubditos ſacramenti nexu ſolui: iſtorum verò præuidentium, ſi ſineretur Pontifex gladio iſto Petri abuti, nullum Principem deinceps ſecurum ſui ſceptri ſuæque dignitatis fore: id nimirum nihil aliud eſſe, quam arma rebellibus ſubditis miniſtrare, eoſque contra legitimos Principes propoſitâ ſpe impunitatis ad furorem excitare. Itaque Imperator intellecto hoc animorum motu, congregat ipſe ſynodum vltraiectinam, & expoſitâ atque exaggeratâ anathematis Pontificij iniquitate facilè propellit ad Pontificem ipſum anathemate percellendum: vt ſupradictum eſt.

Eodem anno Philippus Rex ſeculares Clericos eccleſię S. Martini de Campis, quam Henricus pater conſtruxerat, quod eſſent ſolutioris vitę, inde eiicit, ibidemque Monachos Cluniacenſis ordinis collocat, teſte Nangio. Petrus Eremita Ambianenſis modum orandi per calculos, quos vulgo *Patenoſtros* vocamus, docet; fitque poſtmodum Dux Chriſtianorum bello Turcico.

1080. Anno 1080. ne Berengarius in hæreſim relaberetur, & imparatos aut incautos deciperet, aliamque in Francia fidei profeſſionem ederet, quàm in Concilio Rom. ediderat, vtque omnibus notum fieret, quod ille ſincerè ſuum errorem abiuraſſet, idem Pontifex Gregorius per Hugonem Dienſem Legatum ſuum, Gibuino Lugdunenſi defuncto factum Archiepiſcopum, eccleſię Gallicanę Synodum frequentiſſimam Burdigalæ celebrat, vt omnes Aquitani, quos præcipuè ea peſte infecerat, intelligerent quæ fides eſſet ipſius, quæque tenenda doctrina. Ad hanc autem citatus Berengarius vltro comparuit, eandemque quam in Concilio Romano profeſſionem edidit, Hæc breuiter Chronicon Malleacenſe. *Fuit Concilium Burdegalæ, in quo Berengarius fidei ſuæ reddidit rationem, & Hugo Abbas S. Leodegarij fuit depoſitus.* Hinc cœpit hæreſis iſta vires amittere, inquiſitumque in eos qui eam propugnabant, & Anaſtaſius quidam Monachus SS. Sergii & Bacchii Andegauenſis coactus fuit edere fidei ſuæ profeſſionem, quippe ſuſpectus, apud Geraldum S. Albiui Andegauenſis Abbatem, quam refert Dacherius ad vitam Lanfranci. Eſtque eiuſmodi ex MS. Cœnobii Sergiani.

„ Domino Geraldo Abbati olim filio nunc Deo propitio venerabili Patri Frater
„ Anaſtaſius Domini, qui eſt quod habet. De Corpore & Sanguine Domini iuſſi-
„ ſti, Venerande Pater, vt quidquid paruitas mea ſentit, imò quod credit, ſancti-
„ tati veſtræ patefaciat, hoc breuiter pro modulo meo ſalua fidei puritate accipiet.
„ Credo ſacroſanctum Corpus Dominicum, quod in altari quotidie ex ſacer-
„ dotis officio conſecratur, omni execrata dubitatione veram eius carnem eſſe, quæ
„ paſſa eſt in Cruce, & verum eius ſanguinem qui manauit ex latere, vt veritas ip-
„ ſa teſtatur. *Caro mea, inquiens, verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.* Et *qui*
„ *manducat carnem meam & bibit meum Sanguinem, in me manet, & Ego in eo.* Ad Diſ-
„ cipulos cum panem porrigeret. *Hoc eſt Corpus meum quod pro vobis tradetur.* His
„ igitur & huiuſmodi verbis Dominicis fidem præbens, ſicut nullum Corpus aliud
„ pro noſtra ſalute traditum præter ſuum ſcio, ita vt præfatus ſum, nullam eius
„ aliam carnem, quàm quæ nata eſt de Maria Virgine, & reſurrexit de ſepulchro,

manducari in remiſſionem peccatorũ credo, neque alium ſanguinem bibi, quàm qui profluxit de eius latere, non dubito. Qui verò autumant illud poſt conſecrationem panem eſſe materialiter & Corpus Chriſti figuraliter tantum & non veraciter, Carnales carnaliter ſapientes non parum contra fidem deſipiunt, eo quod magis ſuis corporalibus oculis quàm veritatis atteſtationibus credunt. Quod autem Panis & Caro, Sacramentum vel figura tanta conſecratio dicitur non ſolum non reprobo, verum etiam fidei rationes colligens Catholicè amplector & approbo. Panem namque orthodoxè dici nemo qui probè ſapit, dubitat, cum eadem veritas dicat, *Ego ſum Panis viuus qui de cœlo deſcendi, & Panis quem Ego dabo, caro mea eſt, pro mundi vita.* Sacramentum verò, quia ſub eorum ſpecie viſibili quæ videntur, ſecretius virtute Diuina Caro conſecratur, quatenus hoc ſit interius in veritate quod creditur fidei virtute. Figura autem, dum aliud intelligitur, quàm quod viſu corporali & guſtu ſentitur. Quippe cum Agnus Dei Chriſtus qui in Patris dextera gloriatur, quique iam non moritur, & mors illi vltra non dominabitur, ob ſuæ paſſionis memoriam in myſterio tantæ immolationis immolatur. Ergo poſt tanti myſterij conſecrationem ſic veram Dominici Corporis Eucharistiam me credo ſumere, vt tamen nullo modo negem in figura vel ſacramento eſſe. Alioquin ſi abſque ſacramento vel figura Dei Agnum dentibus vorari crederem, in magnum vt ait Pater Auguſtinus, facinus incurrerem. Atqui eo vberius veritate fruor, quo plenius figuram vel ſacramentum ineſſe illuſtrante ſpiritu S. intueor. Hæc itaque, Beatiſſime Pater, quæ dico quampluribus SS. Patrum dictis deuotiſſimè fulcirem, ni, fateor, huius Epiſtolæ prolixitatem formidarem. Tria ſolummodo eximiorum Doctorum teſtimonia inſeram, quatenus vobis ſatisfaciam me vel optimè credere, vel ſolerti vigilantia & ſagaci perquiſitione hæc indagaſſe, tantaque illa intelligentiæ luce penſaſſe. Beatiſſimus namque Cyprianus ad Populum in eo opere vbi de hoc ſapido gaudio loquitur. *Hoc accipite*, inquit, *in pane quod pependit in ligno. Et hoc accipite in Calice quod manauit ex latere.* Hæc eadem verba & ſenſa egregius Doctor Auguſtinus in ſermonibus ad Neophytos locutus eſt. S. vero Ambroſius in eo libro quem de ſacramentis edidit, ait *Quia ipſa eſt Caro Chriſti in ſacramento & Sanguis qui in Cruce pependit & fluxit e latere: & quæ ex Virgine Maria ſumpta, & non alia, inquit ſed ipſa.*

Ecce Pater Gerarde, habes veraciſſima teſtimonia. Si autem te ſcire delectat quomodo alij Patres noſtri hæc eadem ſentientes, concordent, quære quæ B. Hilarius in 8. lib. de Trinit. commendat: quæ Os aureum B. Gregorius in dialogorum lib. 4. confirmat: quæ ſanctiſſimus Cyrillus 150. qui in Epheſo ſunt congregati, prædicat: quæ magnus Leo Papa in ſermone 7. Menſis diſputat: quæ Diuinæ legis interpres Hieronymus in expoſitione Exodi pronunciat: quæ venerabilis Beda in ſermone ſuo ventilat: quæ Paſchaſius vir Catholicus de eodem ſacramento clarificat. Quæ in libro de verbis Domini; quæ in expoſitione Ioannis Euangeliſtæ ſerm. 26. quæ in Natale Innocentum: quæ in Epiſt. ad Bonifacium Epiſcopum: quæ in lib. 4. de Doctrina Chriſtiana, & quæ in 33. Pſalmi titulo prædictus Pater Auguſtinus examinando diſputat diſputandoque examinat. Si diligenter quæſieris, inuenies proculdubio, vt dixi, omnes concordare & nullatenus diſcordare. Reuera quia ab vbertate Domini inebriantur, nihil mirum ſi eadem ſanctè, purè, mellito gutture eructare gloriantur. Cæterum ſuper his quæ te Pater iubente pro mea quantulacunque facultate pectore pleno fiduciæ dixi, humiliter obſecro non mireris, ſi garrula Ariſtotelicorum vel Chryſippæorum argumenta trutinare, vel ex flumine Tullianæ eloquentiæ riuulum ducere non perpendis: ſed memento quia ſimpliciter fructus carpimus in Diuinæ Paginæ hortulo, quorum radices glorioſè fixæ ſunt cœlo. Valete.

Hoc tempore Robertus de Arbriſello Aremoricus Diœceſis Redonenſis luſtratis minoribus Scholis in Prouinciis, Pariſios venit ad maiorem Officinã vbi Magiſter in Theologia factus, poſt aliquantũ tempus in ſtudiis & in profeſſione impenſum ab Epiſcopo ſuo Silueſtro reuocatus eſt, vt in Diœceſeos regimine eius opera vteretur: vt fusè narrat in eius vita Baldricus Abbas Burgulienſis, deinde Archiepiſcopus Dolenſis. *Perambulabat*, inquit, *regiones & Prouincias irrequietus, & in litterarum ſtudiis non poterat non eſſe ſollicitus. Et quoniam Francia tum florebat in ſcho-*

laribus emolumentis copioſior, fines paternos tanquam exul & fugitiuus exiuit, Franciam adiit & vrbem qua Pariſius dicitur, intrauit, Litterarum Diſciplinam quam vnicè ſibi poſtulauerat pro voto commodam reperit, ibique aſſiduus Lector inſidere cœpit. Illis exercitiis totus deſudabat, nec ob id conuerſationis approbata obſeruantiam prætermittebat, inter Conſcholares quandam modificata ſeueritatis Maieſtatem prætendebat, & quod de ſe futurum erat, id quibuſdam indiciis euidenter ſignificabat. Tunc temporis Rex Philippus Henrici filius Francorum colonias regebat, & Gregorius VII. vrbis Romæ Papatum tenebat. Hæc idcirco diximus, vt quibus temporibus Robertus excreuerit & ſtuduerit, patenter inſinuauerimus. Reddebat enim Scholaſticis quod Scholaſticorum erat, nec propterea ſe Dei ſeruitio minus coaptabat. auſpicabantur de eo iam aliquid qui eum nouerant: quoniam intuebantur in eo magnum quoddam. Ex iis paret Robertum tum docuiſſe Pariſiis. Quomodo vero fuerit inde euocatus Redonas, dicemus ad annum 1090.

Ad eundem annum refert Onuphrius reſtitutionem Canonicorum Regularium in Franciam per Iuonem dictum Carnotenſem Epiſcopum. Quem imitatus M. Robertus de Arbricellis, eorum Collegium inſtituit in quodam nemore prope Credonium in finibus Diœceſis Andegauenſis circa an. 1093. fundante Reginaldo Credonenſi Toparcha Roberti Burgundi filio: cuius Abbatiæ, quæ B. Mariæ de Rota dicta eſt, primus Abbas fuit ipſe M. Robertus. Extat quædam Charta fundationis eiuſmodi facta Andegaui in craſtino dedicationis Baſilicæ B. Nicolai: cui ſubſcripſerunt inter alios Hugo Lugdunenſis Archiepiſcopus, Reginaldus Credonenſis, Gaufridus Andegauenſis, Iuo Carnotenſis, Hoellus Cœnomanenſis Epiſcopi: eademque confirmata eſt Turonis an. 1096. Vrbano II. Miſſam celebrante 12. Kal. April. Extat & Charta alia de Bremio in Chartulario 47. Abbatiæ prædictæ in qua dicitur. *D. Robertus de Arbriſel primus Pater Congregationis de Rota.*

Eodem anno Henricus Imperator Brixiæ Concilium habuit 30. Epiſcoporum, cui etiam interfuerunt legati aliorum 19. litteris muniti Procuratoriis: item Optimates & Duces exercituum Italiæ & Germaniæ & ex eorum ſententia Gregorius Pontifex Gradu Pontificio indignus eſſe iudicatus eſt, quod antiquus eſſet Berengarij Diſcipulus eiuſque prauæ doctrinæ conſenſiſſet: cuius rei fidem ſumpſerunt ex litteris quas ad Archiepiſcopum Turonenſem & ad omnes Chriſti fideles dederat, quibus vetabat Berengarium vocari hæreticum: & præterea, quia quandiu Romæ fuerat, eum ſemper inter amicos & familiares habuerat. Huiuſce Pſeudo-Synodi decretum tale refert Conradus Abbas Vſpergenſis in Chronico ad hunc annum. *Nos contra eundem Hildebrandum procaciſſimum, ſacrilegia & incendia prædicantem, periuria & homicidia defendentem, Catholicam & Apoſtolicam fidem de Corpore & ſanguine Domini in Quæſtionem ponentem, hæretici Berengarij antiquum Diſcipulum, Diuinationum ac ſomniorum cultorem, manifeſtum Necromanticum, Pythonico ſpiritu laborantem, & idcirco à vera fide exorbitantem, iudicamus Canonicè deponendum & expellendum.*

Ita Schiſmatici loquuntur de legitimo Pontifice, à quo plerique eorum, vt ſimoniaci & impij depoſiti fuerant.

Similiter Benno Archipreſbyter Cardinalis in iiſdem partibus Henricianis & Guibertinis in hiſtoria ſeu potius Satyra, quam de vita Gregorij VII. conſarcinauit, de eodem ſic impiè & apoſtaticè loquitur cauſas proferens, quibus pſeudo-ſynodus Brixienſis mota eum damnaſſe videbatur. *1. Quod ieiunium indixit Cardinalibus, vt Deus oſtenderet quis rectius ſentiret de Corpore Domini, Romana Eccleſia, an Berengarius? per hoc manifeſtè probatus infidelis, cum in Nicæno Conſilio ſcriptum ſit, quia dubius in fide infidelis ſit. 2. Et de Corpore Domini ſignum quæſiuit, quod petente B. Gregorio ad firmandam mulieris fidem contigit, quando panis formam Chriſti accepit digiti & miſit duos Cardinales Attonem & Cunonem ad S. Anaſtaſiam, vt cum Suppone eiuſdem Eccleſiæ Archipresbytero triduanum ieiunium peragerent; & illis 3. diebus ſinguli per dies ſingulos pſalterium & miſſas decantarent, vt ſupradictum ſignum ais Chriſtus oſtenderet, quod minimè contigit. 3. Quod Ioannes Portuenſis Epiſcopus, qui intimus fuerat & a ſecretis Hildebrandi aſcendit Ambonem B. Petri & inter multa audiente clero & populo ait. Tale quid fecit Hildebrandus & nos vnde deberemus igni incendi, ſignificans de ſacramento Corporis Domini; quod Hildebrandus Reſponſa Diui-*

na

Digitized by Google

quærens contra Imperatorem fertur inieciſſe igni contradicentibus Cardinalibus qui aſſiſtebant ei.

Verum contra hæc commenta & mendacia Schiſmatici Cardinalis & Schiſmaticorum acerrimi defenſoris pugnant Hiſtoricorum coæuorum & ſuppariorum teſtimonia, qui Gregorium ſcribunt fuiſſe virum non minus ſanctitate vitæ, quam doctrinæ puritate conſpicuum,& in vita & poſt mortem multis miraculis clarum: quorum e numero ſunt inter alios Lambertus Scafnaburgenſis ad an. 1073. & 1077. Marianus Scotus ad an. 1081. qui obiit an. 1086. Otho Friſinghenſis Henrici Imp. nepos l. 6, 34. *Forma Gregis factus*, inquit, *quod verbo docuit, exemplo demonſtrauit, ac fortis per omnia athleta murum ſe pro Domo Domini ponere non timuit: denique quod ſummum eſt, in album Sanctorum relatus, anniuerſariâ memoriâ in Eccleſia nomine celebri perſeuerat.* Hugo Flauiniacenſis Abbas, qui ſcripſit vſque ad an. 1102. de intruſione Guiberti ad an. 1079. ſic habet in Chronico Virdunenſi. Sequenti anno Wibertus ſedem inuaſit Apoſtolicam, à damnatis & excommunicatis ſuique ſimilibus in Apoſtaticum non Apoſtolicum electus. Quæ conſpiratio primùm facta eſt apud Brixiam, vbi congregati aliqui Epiſcoporum de Synagoga Sathanæ, traditi in reprobum ſenſum & contra fidem, quæ eſt confeſſio Petri, & ſanctam Sedem eius Rom. Eccleſiam turpia & nefanda iacientes, ad plenitudinem damnationis ſuæ elegerunt Wibertum Hæreſiarcham de ſui ſimilibus, & deſperatâ ſuperbiâ Apoſtolicum eum vocantes, Apoſtatam non Apoſtolicum effecerunt. Qui idcirco omnium fidelium odio dignior eſt, quia cum à Principibus Heinrico ſcilicet Rege depoſito & cæteris huius perditionis miniſtris quæſitum eſſet, quis ad impugnandum ſanctum virum, Papam videlicet Gregorium, falſitatis vexillũ ſuſciperet, nemo omnium tam audax, tam præſumptor, tam deſperatus & perditus inuentus eſt, qui naufragium fidei ſubire deligeret præter eum ſolum. Qui idcirco, credimus, Antichriſti negotium ſuſcepit, vt ruinam Archiepiſcopatus Rauennenſis, quem pro ſuis criminibus eodem Greg. præſidente Synodali iudicio perdiderat, ſuſceptione oblati periculi compenſaret. Aderat in Conuentu illo malignantium multus numerus damnatorum, quos ad perſequendum amatorem Iuſtitiæ communicatio criminum & amor Principis illexerat, eum ſolum inuenit Diabolus promptiorem, cui maliciæ ſuæ omnem Principatum committeret. Suſcepit itaque ſedem Sathanæ & in Cathedra peſtilentiæ ſublimatus, Impiorum mentes ad expugnandum nomen Domini exercebat, factus omnibus fouea peccandi.

Multas idem Author eiuſdem Pontificis Bullas refert, ex quibus quantæ conſtantiæ, virtutis, fidei & fortitudinis fuerit, intelligitur. Legitur apud eundem authorem Epiſtola Gebehardi Salzeburgenſis Epiſcopi ad H. Metenſem Epiſcopum de hac Wiberti electione his verbis. *G. Salzeburgenſis Epiſcopus H. Metenſi Epiſcopo Salutem.* Wibertus quondam Rauennas Archiepiſcopus cum obedientiam quam Apoſtolicæ ſedi iuramento promiſerat, non attendere, ſed contra ipſam omnimodis ſuperbire ſtuduiſſet, in Romana ſynodo irrecuperabiliter depoſitus & anathematizatus eſt ab Apoſtolica ſede & ab Epiſcopis totius Eccleſiæ; nec hoc ſemel in vna ſynodo, ſed in omnibus ſynodis quotquot iam ſeptennio Romæ celebratæ ſunt. Hic igitur ita in periuriis inueteratus & pro eiſdem irrecuperabiliter depoſitus & anathematizatus ſedem Romani Pontificis, cui obedientiam iurauit, per manus anathematizatorum vt pote ſui ſimilium inuaſit legitimo Paſtore adhuc eidem ſedi præſidente. Ipſorum autem excommunicatorum nullus eum conſecrare vel potius execrare præſumpſit præter Mutinenſem & Aretinum Exepiſcopos, qui ambo pro ſuis criminibus iam annis tribus Officio & communione caruerunt. Sed hi etiamſi officium & communionem haberent, & Romana ſedes paſtore vacaret, nullum tamen eidem ſedi Pontificem ordinare poſſent. Huius enim ordinationis priuilegium ſolis Cardinalibus Epiſcopis Albanenſi, Hoſtienſi, Portuenſi, à SS. Patribus eſt conceſſum. Ergo Mutinenſis & Aretinus Epiſcopi iuxta teſtimonium ſanctiſſimi Papæ Innocentij non benedictionem, ſed damnationem quam habuerunt, ſuo Rauennati imponere potuerunt; nec illum in Romanum Patriarcham, ſed in perditiſſimum Hæreſiarcham promouerunt. Caueat igitur omnis Chriſtianus caput Antichriſto inclinare, ſtatuam quam Nabuchodonoſor erexit, adorare: ſic-

que ſe ipſius Hæreſiarchæ perniciosiſſimo anathemati innodare. Nam quicumque illi obedierit, qui dixit, *ponam ſedem meam ad Aquilonem & ero ſimilis altiſſimo, certiſſimè in æternam damnationem ibit cum ipſis amen.* Sed vt ad Berengarium redeamus, quis credat Gregorium ei adhæſiſſe, quem & cum Legatus eſſet Turonis damnauit, & Romæ ad ſolennem fidei profeſſionem compulit? Et quis credat Berengarium toties rebellem, obſtinatum & relapſum, ſi Pontificem habuiſſet ſibi fauentem, in ſynodo Burdigalenſi, poſtquam è ſynodo Romana reuerſus eſt, profeſſionem fidei Eccleſiæ Catholicæ conſonam editurum fuiſſe, quam edidit, & pœnitentiam acturum fuiſſe, quam egiſſe fatentur omnes ſcriptores coætanei & ſuppares excepto vno Bertholdo, vt ante diximus & patebit amplius ad an. 1088. quo obiit Berengarius?

1081. Anno 1081. vt legitur in Appendice ad Chronica Andegauenſia, obiit Euſebius cognomento Bruno Andegauorum præſul 6. Kal. Septemb. qui initio viſus fuerat Berengario fauere, non tam ob doctrinam quam ille tenebat, quàm quia virum eximium ægre ferebat tantis moleſtiis agitari: poſtremò verò vt vidit eum toties in hæreſim relapſum, deſeruit. Ei ſucceſſit Gaufridus Berengarianæ doctrinæ impugnator, de quo ante diximus. Vtrique hoc cecinit Epitaphium Marbodus ſcholæ Andegauenſis tum Magiſter, deinde Redonenſis Epiſcopus.

Bruno Pater, iocunde ſenex, mitiſſime præſul,
Cuius cor pietas, lingua mel & lac erat.
Si tibi culpa fuit, quod nullum lædere velles,
Quale tuum meritum cum bona culpa fuit?
Quid tibi, Chare Pater, Clerus populique precemur!
Vt quod tu nobis, id tibi ſit Dominus.
Hic iacet Andegauæ Gaufridus Epiſcopus vrbis,
Si caro Pontificis mortua nomen habet.
At ſi ſpiritui magis hoc aptare velimus,
Non iacet hic præſul, ſed ſuper aſtra ſedet.
Quod ſi corporeis tantum ſitus eſt tribuendus,
Nec ſtat nec recubat, nec ſuper aſtra ſedet.
Gloria carnalis pernicibus euolat alis,
Quæ nondum paret gloria, flore caret.
Cantor Gaufridus, Cantorum nobile ſidus,
Diues agris, domibus, ſeruitiis, opibus.
Prudens, famoſus, probus, impiger, ingenioſus
Tranſiit vt fumus, hac in humo ſit humus.
Actio cauſarum, Ciuilis dictio Iuris,
In quibus ingenium fixerat & ſtudium.

Eodem quoque anno defunctus eſt, vt habetur in eadem appendice, dulcis memoriæ Arnaldus Cenomanorum Epiſcopus 3. Kal. Decemb. Feria 2. Is ante promotionem fuerat *Magiſter Scholarum*, ſeu *Scholaſticus Cenomanenſis*, vir impensè doctus, qui quanquam filius eſſet ſacerdotis, ob ingentia tamen merita licet multis reluctantibus, annitente verò Alexandro II. Pontifice factus eſt poſt Wlgrini deceſſum Epiſcopus.

Eodem anno natus eſt Philippo Franciæ Regi ex Berthrada coniuge Ludouicus filius cognomento Groſſus, Rex ipſe poſt patrem futurus, orationibus & frequentibus precibus ac meritis B. Arnulfi Abbatis Sam-Medardi, deinde Epiſcopi Sueſſionenſis à Deo impetratus, quem Reginæ prolem maſculam maximè cupienti prædixiſſe ferunt eam concepiſſe filium, idque illi per Oſtemarum Monachum Pariſiis ſignificaſſe, legitur in fragmento diuerſorum Scriptorum de Geſtis Philippi I. à Ducheſnio collectorum.

Eodem anno Martyrium ſubit Kanuthus Daniæ Rex, qui in Hiſtoria noſtra ob hoc mihi dignus videtur habere locum, quòd Clericos & viros litteratos in Regno ſuo à vulgari foro exemptos eſſe voluit. Sic enim de eo ſcribit Saxo Grāmaticus l. 4. c. 11. *Nec ſolum Pontificibus dignitatis incrementa donauit, ſed etiam priuatorum Clericorum Ordinem benigniſſimis decretis adornare ſtudebat. Nam quò cumulatiorem eis honorem redderet* LITTERATORVM CONTROVERSIAS VVLGARIS FORI

CONDITIONE EXEMPTAS AD EIVSDEM PROFESSIONIS IVDICIVM RELEGABAT. *yſdem Religionis Reos obiecta repellere nequeuntes pecuniariâ multâ puniendos permittit. Quibus etiam in omnia, quæ aduerſum diuina committerentur, animaduerſionis arbitrium tradidit cunctaſque huius generis actiones ſacerdotali iudicio deſtinatas, à Publico foro ſecreuit, ne honore impares conditio æquaret.*

ANNO 1082. Hugo Dienſis defuncto Gebuino Lugdunenſi fit Archiepiſcopus, 1082.
vir multiplici legatione Apoſtolica crebriſque ſynodis, quas ad Eccleſiaſticæ Diſciplinæ reformationem habuit in Gallia, celebertimus. Ad hunc quoque annum narrat Hugo Flauiniacenſis tum adhuc Gregorium Romæ ſediſſe, ſed inualeſcente in dies factione Guibertina multas iniurias perpeſſum fuiſſe. Quippe Henricum Imp. concepto Romæ aggrediendæ conſilio, vt legitimum Papam cum iniuria & dedecore à ſede propelleret, cum innumerabili exercitu Italiam peragrando omnes ad adorãdam ſtatuam compuliſſe, neminemque ad oſculum admiſiſſe, qui non ante *Paparelli* illius pedem oſculatus fuiſſet, cuius tamen in litteris & diſciplinis Eccleſiaſticis magnam indicat fuiſſe peritiam. *Quæ maior eſſe poteſt inſania,* inquit, *quam virum litteris apprimè eruditum, Diſciplinis Eccleſiaſticis imbutum, Sanctitatis Eccleſiaſticæ non ignarum, tenentem in Eccleſia magnæ dignitatis & prælationis locum ad tantam mentis deuenire hebetudinem, vt contra Deum ſuperbire incipiat, & locum celſitudinis non in Eccleſia, ſed extra Eccleſiam & ſupra Eccleſiam contra ius & fas appetens illi aſſimilari omnino ſtudeat, qui dixit,* ponam ſedem meam ad Aquilonem, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis, aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero altiſſimo.

Ad hunc annum maxima Scriptorum pars refert Conuerſionem Brunonis Carthuſienſium Antiſtitis, ſed de cauſa Conuerſionis non vna eſt omnium ſententia: *Origo Ordinis Chartuſiani.*
de qua ſcilicet noſtris temporibus nata eſt ingens controuerſia inter Carthuſianos eorumque fautores & M. Ioannem Launoyium Doctorem Theologum e Regia Societate Nauarrica. In hoc quidem conueniunt omnes, Illuſtre Carthuſianorum Inſtitutum Brunoni Colonienſi, Scholaſtico quondam Remenſi deberi. Sed illi contendunt Conuerſionis & conſequenter Inſtituti iſtius cauſam & occaſionem ſumptam ex Magiſtro quodam & Comprofeſſore Pariſienſi Canonico rediuiuo, qui è tumulo ſurgens, cum cantarentur vigiliæ defunctorum, ter dixerat alta, & intelligibili voce *ſe iudicatum à Deo & damnatum eſſe* propterea quod nimis de ſe propriiſque meritis ſuis præſumpſiſſet. Launoyius verò & cum eo plurimi viri doctiſſimi & Antiquitatis periti negant hiſtoriam illam eſſe veram: imo contendunt Brunonem nunquam docuiſſe Pariſiis.

Vtraque Pars magnis authoritatibus ſententiam ſuam tuetur. Non is autem ſum, qui tantæ litis nodum diſſoluere poſſim, fundamenta quibus vtraque nititur referre ſatis erit, ne ſano Lectori præiudicium ponere videar. Vnum dicam tantummodo, non videri poſſe negari quin Bruno Lutetiæ olim ſtuduerit, & quin ibidem etiam docuerit paulo ante hæcce tempora, & ab anno circiter 1077. quod triplici coniectura ex veterum authorum locis petita confirmare licet.

1. Eſt ex Chronici Malleacenſis Manuſcripto Codice qui ſeruari dicitur Pariſiis in Bibliotheca Puteana, quique ab authore conſcriptus eſt circa an. 1140. & in lucem editus à Philippo Labbeo. In eo autem leguntur hæc verba ad an. 996. *Gerbertus docuit Fulbertum Carnotenſem Epiſcopum. Hic iterum Fulbertus docuit Berengarium Canonicum S. Martini. Qui item Brunonem Remenſem & alios multos hæredes Philoſophiæ reliquit. Bruno quidem perfectus Philoſophus & Eremita apud Calabriam multorum Monachorum Pater obiit in Chriſto.* At vbi Berengarius eum hæredem Philoſophiæ reliquit? certè vbi ipſe docebat, at non legitur docuiſſe Remis ſed Turonis & præſumitur docuiſſe Pariſiis poſt mortem Fulberti Carnotenſis præceptoris ſui. Itaque veriſimile eſt Brunonem eum Lutetiæ audiuiſſe; & ibidem poſtea docuiſſe.

2. Coniectura petitur ex authore Anonymo, qui Hiſtoriam à Roberto ad mortem vſque Philippi 1. perduxit, quique Brunonem nouit aut noſſe potuit. Ille autem iis eum accenſet quos prope certum eſt ſtuduiſſe & docuiſſe Pariſiis. *Hoc tempore,* inquit, nempe circa an. 1060. *tam in Diuina quam in humana Philoſophia floruerunt Lanfrancus Cantuarienſis Epiſcopus, Guido Longobardus, Manigaudus Teutonicus, Bruno Remenſis, qui poſtea vitam duxit Eremiticam.* Nemo autem dixerit viros illos docuiſſe Remis.

3. Petitur ex Chronico S. Remigij Remenſis & ex authoritate Guiberti Abbatis Nouigenti ſupparis ſcriptoris, aientis Brunonem Canonicum & Scholaſticum Eccleſiæ Remenſis offenſum criminibus Archiepiſcopi ſui Manaſſis paulo antequam ab Hugone Dienſi Legato Apoſtolico in Lugdunenſi ſynodo quæ an. 1077. habita eſt, damnaretur, vrbem Remenſem cum aliquot nobilibus Clericis reliquiſſe. Sic enim habet. *Huius ergo* (Archiepiſcopi) *mores prorſus improbos & ſtupidiſſimos habitus cum omnis honeſtus horreret, Bruno in Eccleſiis tunc Galliæ opinatiſſimus cum aliis quibuſdam Remenſium Clericorum nobilibus, infamis illius odio exceſſit ab vrbe, quem poſtmodum Proceres, Clerus atque Burgenſes cum ab Hugone qui Dienſis cognominabatur, Archiepiſcopo Lugdunenſi Apoſtolicæ ſedis legato, viro in tenore iuſtitiæ clariſſimo, celeberrimo anathemate ferıretur & ille manu militari theſauros Eccleſiæ dilapidans niteretur, à ſede quam male obſederat, pepulerunt.*

Ex hoc loco conſtat Brunonem relictis Remis cum nobilibus quibuſdam aliis Clericis Eccleſiæ Remenſis aliò commigraſſe; quos quidem ſocios licet non nominet Guibertus, ex Epiſtola tamen ipſius Brunonis ad Radulphum Viridem Præpoſitum Remenſem intelligimus hos tres amicos ſimul demigraſſe Brunonem, Radulphum & Fulcium Monoculum. Sic enim, ille. *Reminiſcitur quippe dilectio tua, quod cum ego & tu & Fulcius Monoculus quadam die ſimul fuiſſemus in hortulo adiacente domui Adæ vbi tunc hoſpitabar, de falſis oblectationibus tractaremus.* Ergo tunc Bruno hoſpitabatur apud Adam; non vtique Remis: cum enim Canonicus eſſet Eccleſiæ Remenſis & Scholaſticus, veriſimile non eſt eum alieno in hoſpitio manſurum fuiſſe. Vnde coniicio Brunonem cum amicis iſtis duobus Lutetiam veniſſe, ipſumque apud Adam hoſpitem domum elegiſſe: tumque docendi profeſſionem reſumpſiſſe. Ille forſitan eſt Adam Canonicus Pariſienſis, qui poſt Gualeramum Cantor eiuſdem Eccleſiæ fuit circa an. 1100. & id muneris obiit vltra an. 1123.

Adſtipulatur ſupra laudatus Guibertus, qui de eius conuerſione ſcribens ſic ait. *Fuit non longè ab his diebus Bruno quidam in vrbe Remenſi vir* & liberalibus inſtructus Artibus & MAGNORVM STVDIORVM RECTOR *qui conuerſationis initia ſubiecta occaſione nactus dignoſcitur.* Quibus verbis denotare videtur Brunonem Pariſienſis & Remenſis ſtudij fuiſſe Rectorem, quæ ab AIMOINO Floriacenſi Monacho in vita ABBONIS dicuntur *Maiores ſapientiæ, ſeu ſtudiorum Officina.*

Verum his quæ de receſſu ab vrbe Remenſi ad Pariſienſem dicta ſunt, obſtare videtur locus Guiberti de Nouigento ſic ſcribentis. *Bruno vrbe* (Remenſi) *deſerta ſeculo abrenunciare propoſuit, qui ſuorum notitias horrens ad Gratianopolitanum proceſſit territorium.* Vnde colligitur eum ex vrbe Remenſi egreſſum rectâ & ſine mora Gratianopolim profectum fuiſſe. At ſi bene expenditur iſte locus, conſilium quidem proponit quod executioni poſtea demandatum eſt. Senſus enim eſt Brunonem vrbe Remenſi deſertâ conſilium deſerti animo concepiſſe, non ſequitur tamen quod ſtatim executus ſit. Et reuera conſtat ex iis quæ ſupra dicta ſunt, Brunonem vrbe exceſſiſſe, antequam Manaſſes in Concilio Lugdunenſi damnaretur: Concilium autem iſtud ab Hugone Dienſi poſt AUguſtodunenſe & Pictauienſe anno 1077. celebratum eſt, vt legitur in Chronico Virdunenſi.

Porro Bruno cum cæteris Canonicis Remenſibus Manaſſem Archiepiſcopum ſuum aſperioribus verbis increpauerat, eumque in conſilio AUguſtodunenſi accuſarat vt inuaſorem Eccleſiæ Remenſis & Simoniacum, & ab officio, quod iuſſus ſe ſiſtere noluiſſet, ſuſpendi curarat. Quod ille acerbè ferens, omnibus quibus potuit modis eos vexauit. Qua de re ſic legitur in prædicto Chronico. *Accuſatus eſt in eodem Concilio* (Auguſt.) *Remenſis Eccleſiæ inuaſor Simoniacus Manaſſes à Clericis Remenſibus: & ſuſpenſus ab Officio, quia vocatus ad Concilium vt ſe purgaret, non venit. Qui cum Canonicis Remenſis Eccleſiæ accuſatoribus ſuis à Concilio redeuntibus plurimas paraſſet inſidias, demum domos earum fregit, prabendas eorum vendidit, & bona eorum diripuit.* Hæc acta ſunt inter Concilium Auguſtodunenſe & Lugdunenſe; & hæc eſt vera cauſa receſſus Brunonis ex vrbe Remenſi: quo tempore vix conceperat deſerti propoſitum. Receſſit vero cum Radulpho Viridi & Fulcio Monoculo nobilibus Clericis; & receſſit ad eum locum, vnde poſtea Fulcius Romam profectus eſt relictis Radolfo & Brunone. Inter receſſum verò illum & profectionem ad Eremum inter-

Digitized by Google

ceſſerunt plures anni: ſiquidem anno 1077. receſſerunt, & anno tantum ſecundum plures 1086. vel ſecundum alios an. 1082. ad Carthuſiam profecti ſunt, tempore vero illo intermedio Lutetiæ commoratos fuiſſe & docuiſſe credibile eſt, dum præſtolabantur Archiepiſcopi ſui aut pœnam aut mentem ſaniorem.

Si enim poſtquam exceſſit ex vrbe Remenſi, rectâ Gratianopolim conceſſit, ergo cum Radulpho & Fulcio profectus eſt, qui tamen nec illius itineris, nec profeſſionis Eremiticæ ſocij fuiſſe leguntur. De Fulcio quidem certum eſt iuiſſe Romam: Radulphus vero Eccleſiæ Præpoſitus fuit vſque ad an. 1108. quo factus eſt eiuſdem ſedis Archiepiſcopus, eamque ad an. vſque 1124. rexit & gubernauit. Socij autem & viæ & inſtituti hi fuiſſe perhibentur, M. Landuinus natione Tuſcus ex vrbe Luca litteris diuinis & humanis decennio eruditus, vt habetur in Codice Remenſi; duo Stephani, Bingenſis & Dienſis; & Hugo Preſbyter, quem Capellanum ſuũ appellabant: at, nemo iſtorũ dicitur fuiſſe e Nobilibus Eccleſiæ Remenſis Clericis. Igitur iſti alij ſunt ab iis quibuſcum Bruno ex vrbe Remenſi diſceſſit: alio proinde è loco profectus eſt ad Eremum, quàm ex vrbe Remenſi, & eo è loco vbi tum Landuinus & duo Stephani & Hugo Preſbyter litteris operam dabant, ſeu ſtudendo ſeu docendo & quem ad locum conuolabant externi & alienigenæ. At quæ alia vrbs in Gallia præter Pariſienſem, externis eiuſmodi abundabat?

His ita ſuppoſitis iam vtriuſque partis defenſores placet in aciem producere. Primo ergo Carthuſienſes communi fama nituntur, quæ pro fundamento hiſtoriæ ſeu rei geſtæ veritatem conſeruaſſe videtur. Illa autẽ fert Brunonem Commagiſtri ſeu Comprofeſſoris alicuius quocum amicitiam Lutetiæ contraxerat, anaſtaſi & damnatione territum, in eremum cum ſex Collegis confugiſſe & Ordinem ſuum inſtituiſſe.

2. In Antiquioribus Carthuſienſium Statutis, deinde in folio editis, de hac Inſtitutione ſic habetur. Cum Pariſiis circa annum Dominicæ Incarnationis 1082. ſolenne ſtudium floreret, *quidam Doctor vita, fama & ſcientia inter omnes præcipuus præuentus infirmitate diem clauſit extremum.* Cumque ad tanti viri funeralis Officij ſepulturam tota Vniuerſitas Pariſienſis & Doctorum & Scholarium conueniſſet, ſubito cunctis ſpectantibus, qui mortuus erat, eleuato capite reſedit in feretro & omnibus audientibus alta & terribili voce clamabat IVSTO DEI IVDICIO ACCVSATVS SVM. Erat inter alios ibidem Venerabilis Bruno natione Teutonicus, in Ciuitate Colonienſi non obſcuris parentibus natus, *Eccleſiæ Remenſis Canonicus, ſacræ Theologiæ Doctor eximius cum M.* Landuino, duobus Stephanis, Bingenſi & Dienſi S. Rufi Canonicis. Coniunxerat & illis ſe Hugo quidam, quem Cappellanum nominabant, eo quod ſolus inter eos ſacerdotis fungeretur Officio, & Laïci duo Andreas & Guarinus, qui omnes tremefacti & ſalubriter compuncti à quodam S. Eremita interrogantes qualiter tam horrendum euadere poſſent diuinum Iudicium, audierunt illud Pſalmi 54. ECCE ELONGAVI FVGIENS ET MANSI IN SOLITVDINE. Vnanimi igitur amore ſolitudinis accenſi adierunt S. Hugonem Gratianopolitanæ Eccleſiæ Antiſtitẽ, precantes vt in eius Diœceſi, quæ multis deſertis montibus abundabat, congruum ſibi ad propoſitum, locum concederet.

3, In Breuiario Romano apud Surium Carthuſianum & alios Collectores in Brunonis vita ſic legitur. *Is à parentibus genere ac virtute claris* Lutetiam Pariſiorum miſſus tantum ibi in Philoſophiæ & Theologiæ ſtudiis profecit, vt Doctoris ac Magiſtri munus in vtraque Facultate ſit adeptus: nec multo poſt ob egregias eius virtutes Eccleſiæ Remenſis Canonicatu potitus, anno Domini ſupramilleſimum octogeſimum ſecundum memorabili ſpectaculo apud Pariſios interfuit. Cum enim ad celeberrimi cuiuſdam Magiſtri funus triduo celebrandum tota fere Ciuitas conueniſſet, accidit vt ad illa verba pſallentium RESPONDE MIHI, prima die ſe accuſatum, 2, iudicatum, 3, condemnatum ore proprio defunctus exclamauerit. Rei nouitate ac certæ damnationis ſententia perculſus inter alios Bruno cum ſex aliis familiaribus Mundo renuncians S. Hugonem Epiſcopum Gratianopolitanum adiit.

4. Eandem Hiſtoriam confirmant authoritate Cæſarij Heirſterbackenſis, qui

licet locum non indicet, in quo tam memorabile factum accidit, in Francia tamen accidiſſe commemorat lib.11.c.49. his verbis. *Fuit in Regno Francorum Clericus Quidam nobilis & dives : quæ duo ſæpe hominem extollunt, multiſque vitys ſubjiciunt, qui cum mortuus eſſet, & in feretro poſitus, multitudine populi circumſedente tame Clericis quàm ex Laicis, ipſe ſe erexit cunctis audientibus in hac verba prorumpens* Iuſtus iudex iudicauit, condemnauit, condemnatum tradidit in manus impiorum. *Quibus dictis ſe reclinans iterum non obdormiuit, ſed de requie tranſiuit ad laborem, de delicys ad miſeriam.*

En inquiunt ipſiſſimam hiſtoriam ab Authore antiquo, qui ſcholas Pariſienſes frequentabat ante annum 1200. ſednihil de Brunone. quid tum. inquiunt, potuit neſcire Cæſatius hanc fuiſſe cauſam cur Bruno ſe conferret ad Eremum. Res quidem publica erat & omnibus nota : at ſecretum conuerſionis ſoli Brunoni & ſociis cognitum. Quod etiam potuerunt ignorare Guibertus de Nouigento & Petrus Cluniacenſis Brunoni ætate ſuppares, qui non crediderunt hanc Hiſtoriam ad Carthuſianos pertinere. Deinde non ſtatim forte Bruno dimiſit ſcholas, ſed aliquanto poſt tempore, itaut credi poſſet non ea re fuiſſe tactum. Addunt ſolere eiuſmodi conuerſionum conſilia ſeruari ſecreta, & nonniſi paucis intimiſque aperiri & communicari. Quamobrem non alij quàm Bruno eiuſque ſocij cauſam diſceſſionis ſcire potuerunt. Et quis ſciuiſſet, quæ cauſa, quæve occaſio fuerit Ignatio Loyolæ inſtituendæ ſuæ Societatis, niſi ipſe aut ſocij prodidiſſent?

Cum verò illis obiicitur, quamobrem ergo Cæſarius non indicat clarè locum, ſi Lutetiæ hoc accidiſſe ſciuit, qui poſt vnum à re acta ſeculum Lutetiæ ſtuduit? reſpondent ſatis indicare eum ait, *In Regno Francorum* accidiſſe, cuius Lutetia Metropolis eſt Sedeſque Regni primaria. Deinde tempore Cæſarij non iam forte conſtabat de loco, aliique alibi rem accidiſſe dicebant: ille verò ne alterutri opinioni præiudicium facere videretur, ſcripſit generatim, id in Regno Francorum accidiſſe, quod omnes fatebantur. Poſtremo noluit forte locum indicaui, ne Gentem illuſtrem Canonici offenderet.

At ipſemet Cæſatius lib. 2. cap. 15. quaſi rem aliam enarrans, Canonicum Pariſienſem cuidam amico ſuo apparuiſſe diſertò ſcribit. locus talis eſt. *Pariſius in*
» *Eccleſia S. Dei Genitricis Mariæ Canonicus obyt nuper, qui multa habens ſtipendia de-*
» *licatiſſimè vixerat : & quia ex delicÿs, maximè* his quæ ad gulam pertinent, libido
» naſcitur, nata nutritur & quotidianis eius incitamentis augmentatur, idem Iu-
» uenis valde tunicam carnis ſuæ maculauit, & tam illo quàm aliis ſuis peccatis
» iram Dei in ſe prouocauit, tandem per infirmitatem tactus timore mortis con-
» feſſionem fecit, peccata defleuit, & emendationem promiſit, viaticum accepit,
» inunctus eſt, hominem depoſuit. Cuius corpus vt pote vir nobilis diueſque
» cum magna pompa ſecularis gloriæ tumulatum eſt, & erat in illa die tanta ſe-
» renitas, vt ipſe aer eius obſequiis famulari videretur, dixeruntque homines ad
» inuicem. Multa bona præſtitit Deus homini iſti, nihil ei defuit horum, quæ
» homo Chriſtianus habere debuit, Dominicis Sacramentis munitus eſt, aer in
» eius morbo ſerenatus eſt, cum magna gloria ſepultus eſt. Sed homo videt in fa-
» cie, Deus autē intuetur cor. *Poſt paucos dies cuidam ſibi valde familiari apparens di-*
» *cebat ſe eſſe damnatum, dumque miraretur ille & expaueſceret, pænitentiam eius & con-*
» *feſſionem, ſacram etiam communionem & inunctionem commemorans, reſpondit defun-*
» *ctus. Vnum bonum mihi defuit, ſine quo nihil horum quæ enumerata ſunt mihi prodeſſe*
» *potuit. Quid eſt illud? inquit: reſpondit mortuus, Vera contritio.*

Addunt tertium exemplum huiuſmodi Anaſtaſeos ſeu viſionis, quod refert Mathæus Pariſienſis accidiſſe circa an. 1072. id. circa Brunoniana tempora, duorum nempe Clericorum Nannetenſium, quorum tam arcta erat neceſſitudo & amicitia, vt alter alteri promiſiſſet, ſi prior moreretur, ſocium ſe reuiſutum admoniturumque de ſtatu in quo eſſet: alterum ergo eorum poſt paucos dies mortuum, dum alter exſpectaret promiſſi fidem, poſt 30. dies viuenti apparuiſſe, ſeque ſtatumque animæ agnoſcendum dediſſe his verbis. *Prolata contra me à Deo ſententiâ deputatus ſum miſer ſupliciis ſempiternis* : eoque ſpectro fuiſſe adeo territum ſuperſtitem, vt bonis omnibus ſuis diſtributis apud S. Melanium, Monachum indueret

5. Probant authoritate M. Ioannis Carletij, vulgo Gerſonis Eccleſiæ & Vni-

Digitized by Google

uerſitatis Pariſienſis Cancellarij, qui ante an. 1380. Lutetiæ ſtudebat. Ille autem conſtantem ſuo tempore huiuſce anaſtaſeos veritatem ex communi fama indicat fuiſſe Notula 23 in tractatu de ſimplificatione Cordis. *De timore Domini*, inquit, *conſtituamus ante meditationis noſtræ oculos exemplum illud celebre, à quo cœpiſſe dicitur Ordo Carthuſianorum. Mortuus eſt Quidam magnæ reputationis Magiſter apud Scholaſticos. Parantur Exequiæ in templo. Venit vox.* Iuſto Dei Iudicio accuſatus ſum. *Dilata eſt ſepultura in alterum diem. Tunc audita eſt vox* Iuſto Dei Iudicio iudicatus ſum. 3. *Die in quam dilatio ſepulturæ iterum facta extitit, inſonuit vox* Iuſto Dei Iudicio condemnatus ſum. *Ecce in his eſt poſitum coram Meditantis oculis Iudicij tremendi, accuſationis, iudicationis & condemnationis ſpectaculum.*

6. Probant authoritate B. Antonini Florentinorum Archiepiſcopi eandem hiſtoriam referentis in 2. parte hiſtor. c. 22. his verbis. *Ann. Dom. 1086. ſecundum Vincentium in ſpeculo Hiſtor. l. 26. c. 82. qui hoc refert ex Hiſtoria Sigeberti, habuit initium Carthuſienſium Ordo. Dicit enim. Bruno natione Teutonicus ex Vrbe Colonia litteris à primæua ætate eruditus, Remenſis Eccleſiæ Canonicus & Scholarum Magiſter relicto* ſeculo Eremum Carthuſiæ fundat, propoſitumque Monaſticæ Conuerſationis ſatis arduum inſtituit. Huius ſacri propoſiti cooperator exiſtens B. memoriæ Hugo Gratianopolitanus Epiſcopus ab eodem Brunone habitum Monaſticum ſumpſit, cunctiſque ibi habitantibus inſigne exemplum præbuit...... habuit autem principium talis Religio ex hoc ſtupendo euentu. Cum in ciuitate Pariſius floreret ſtudium abundās tam multitudine ſcholarium ex variis regionibus, quàm copioſâ catervâ Doctorum ſolemnium in omni Facultate, inter cæteros vnus erat ſingularis, qui eminentia ſcientiæ & probitate vitæ & maximæ famæ pollebat. Huic autem vita functo ſolennes exequiæ paratæ ſunt in Eccleſia, vbi ſepulturæ erat tradendus: ad quem honorandum conuenerat Magiſtrorum & ſtudentium Vniuerſitas Pariſienſis & alij plurimi. Cum ergo cadauer in feretro in Eccleſia ſecundum morem eſſet delatum & Officium celebraretur, ſurrexit qui iacebat mortuus, & in loculo reſidens voce magnâ audientibus cunctis clamauit. IVSTO DEI IVDICIO ACCVSATVS SVM. Quo dicto, vt prius, iacuit. Ex qua voce omnes territi obſtupuerunt, decreueruntque pro illa die non tradere illud ſepulturæ: ſed ſequenti die iterum omnes conuenēre. Cumque iſtud per ciuitatem diuulgatum eſſet, die ſequenti multò plures conuenerunt ad ſpectaculum illud. Officium autem peragentibus circa feretrum illius, iterum defunctus reſedit in lectulo clamans IVSTO DEI IVDICIO IVDICATVS SVM. Ex qua re conſternati ſunt omnes qui aderant audientes: & vt exitum eius noſſent, ordinauerunt, vt ad ſequentem diem differretur ſepultura eius. Die ergo tertia tota pœne Ciuitas profluit, & in proſecutione Officij pro anima illius ſurrexit, & iam tertiò Doctor ille defunctus clamauit dicens. IVSTO DEI IVDICIO DAMNATVS SVM. Quod omnes præ admiratione quaſi exanimes reddidit, ſicque patefacta omnibus ſua damnatione indignus iudicatus ſepulturâ Eccleſiaſticâ, ſepulturâ Aſini ſepultus eſt. Aderat ad hoc ſpectaculum Bruno, de quo in principio Capituli dictum eſt: Magiſter ſolemnis ſcholarium, qui his viſis ait ad ſocios & diſcipulos. Ecce Chariſſimi tantus Doctor & Sanctus ab omnibus reputatus perit, nunquid & nos perire volumus & non potius ſaluari? Non eſt nobis locus ſalutis, niſi mundum fugiamus. Si in viridi ligno hoc factum eſt, in arido quid fiet? & multa alia eiuſmodi. Sicque compuncti, vt dictum eſt, ſeculum dimiſerunt.

Hæc ſcribebat Antoninus circa an. 1450. Non addimus verò poſteriorum Authorum teſtimonia vſque ad hanc ætatem: ſiquidem omnes verba pene omnia Antonini aut Gerſonis exſcribunt, nec vetuſtiorem authorem citant, qui hiſtoriam illam ſcriptis mandarit. Prætermimus quoq; argumenta, quæ ducuntur ex tabellis, picturis & imaginibus, quarum quippe neſcitur ætas, aut quæ à ducentis circiter annis propoſitæ ſunt. Item Chartas quaſdam Chartuſienſes & Grandimontenſes, quia aut nihil habent eorum quæ de rediuiuo Doctore dicuntur, aut recentiore manu exaratæ ſunt, quàm vt iis fides adhiberi poſſit. Nunc ergo aduerſæ partis rationes & fundamenta proponamus.

Launoyius & qui cum eo ſentiunt, de tempore quidem Conuerſionis Brunonianæ Inſtitutique Chartuſiani omnino conueniunt: de cauſa vero & occaſione diſ-

Rationes Launoyi.

ſentiunt, quam à veterum authorum ſcriptis planè alienam eſſe conteſtantur, in quibus nihil quidquam de famoſa illa rediuiui Canonici anaſtaſi legitur. 1. Igitur proferunt ipſiuſmet Brunonis Epiſtolam ad Radulphum Viridem virum celeberrimum, Magiſtrum doctiſſimum, Eccleſiæ Remenſis Præpoſitum, qua rationem declarat ſui è ſeculo receſſus, eumque ad idem faciendum, prout ante promiſerat, hortatur. *Quanquam*, inquit, *longo terrarum tractu & prolixiore temporis ſpatio corpora ab inuicem ſeiuncta ſunt, animus tamen beneuolentiæ tuæ ab amico auelli non potuit...... In finibus autem Calabriæ cum fratribus Religioſis & aliquot bene eruditis eremum incolo, ab hominum habitatione ſatis vndique remotam.... Quam* contemplationem, *tu frater chariſſime vtinam vnicè diligeres, vt eius amplexibus fotus diuino caleres amore... Fuge ergo, frater mi, fuge has moleſtias & miſerias omnes, & transfer te à tempeſtate huius mundi in tutam & quietam portus ſtationem. Quapropter opera pretium eſt diligenti examinatione prudentiam tuam iſta perpendere: quòd ſi amor Dei te non inuitat, tantorum præmiorum vtilitas te non prouocat, ſaltem neceſſitas & timor pœnarum ad hoc compellere debet. Scis namque qua ſponſione obligatus es, & quàm omnipotens ac terribilis ſit, cui temetipſum munus gratum & omnino acceptabile deuouiſti; cui nec mentiri licet nec expedit. Nec enim patitur ſe iniuſtè videri. Reminiſcitur quippe dilectio tua: quod cum ego & tu & Fulcius Monoculus quadam die ſimul fuiſſemus in hortulo adiacenti domui Adæ ubi tunc hoſpitabar, de falſis oblectationibus & perituris huius mundi diuitiis, nec non de perennis gloriæ gaudiis aliquandiu, vt opinor, tractaremus vnde diuino amore feruentes promiſimus ac vouimus ſpiritui ſancto in proximo fugitiua ſeculi relinquere & æterna captare, nec non Monachicum habitum recipere, quod & in vicino peractum eſſet, niſi tunc Fulcius Romam abiſſet, ad huius reditum poragenda diſtulimus: quo moram faciente, aliiſque interuenientibus cauſis diuinus amor elanguit, refriguit animus, feruorque euanuit. Quid ergo ſupereſt, Chariſſime, niſi à tanti debiti nexibus te citius expedire, ne pro tam graui tamque diuturno mendacij crimine iram incurras potentiſſimi, & propter hoc cruciatus immanes?*

Ex hiſce Brunonis verbis duo euidenter colligi poſſe videntur. Vnum, veram hîc conuerſionis & Carthuſiani Inſtituti cauſam & occaſionem proferri, nempe collationem de rebus mundi caducis, quam habuerunt inter ſe: vnde habitus Monaſtici propoſitum animo conceperunt. Alterum eſt, quod ne verbulum quidem proferat, aut ſuſpicandum relinquat de rediuiui illius Doctoris ànaſtaſi & terribili voce. Cuius certè ſpectaculi mentionem facere non omiſiſſet, ſi tale fuiſſet.

2. Sigibertus Gemblacenſis Monachus qui obiit an. 1113. hæc ſcribit ad an. 1084. *Bruno natione Teutonicus ex vrbe Colonia litteris apprime eruditus, Remenſis Eccleſiæ Canonicus & Scholarum Magiſter, relicto ſeculo Eremum Carthuſiæ fundabat, propoſitumque monaſticæ Conuerſationis ſatis arduum inſtituit. Huius ſancti propoſiti cooperator & æmulator B. memoriæ Hugo Gratianopolitanus Epiſcopus ab eodem Brunone habitum Monaſticum ſumpſit, cunctiſque ibi habitantibus inſigne præbuit exemplum.*

3. Producunt authoritatem Guigonis quinti Carthuſiæ Prioris, in vita Hugonis Gratianopolitani Epiſcopi, vbi Societatis & inſtituti ſui initia deſcribit. Guigo autem Carthuſiam regebat an. 1130. & e ſuis nonnullos miſit ad inhabitandum montem Dei in Remenſi agro: quo tempore Rainaldus II. cognomento de Martigniaco Eccleſiam Remenſem & Odo B. Remigij Cœnobium regebat. Sic ergo ille. *In his agebat, & ecce tribus necdum in Epiſcopatu poſt Monaſterij reditum completis annis adeſt M. Bruno vir religione ſcientiaque famoſus, honeſtatis & grauitatis ac totius maturitatis quaſi quoddam ſimulachrum. Habebat autem ſocios M. Landuinum, qui poſt eum Carthuſiæ Prior extitit, duos Stephanos Burgenſem & Dienſem. Hi S. Rufi Canonici fuerant, ſed deſiderio vitæ ſolitariæ ei Abbate fauente ſeſe coniunxerant. Hugonem etiam, quem cognominabant Capellanum, ex eo quod ſolus ex eis ſacerdotis fungeretur Officio; duos* Laicos, *quos appellamus* Conversos, *Andream & Guarinum. Quærebant autem locum Eremiticæ vitæ congruum, necdum repererant. Hac ergo ſpe & ſuaui ſanctæ conuerſationis eius odore trahente ad virum ſanctum venerunt, quos ille non ſolum gratanter, ſed & reuerenter ſuſcepit, tractauit & voti compotes fecit. Ipſo namque conſulente, iuuante, comitante Carthuſiæ ſolitudinem intrauerunt atque extruxerunt.*

4. Probat Launoyius authoritate & teſtimonio Guiberti Abbatis de Nouigento ſuper Couciacum Diœceſis Laudunenſis, authoris coæui: is enim ex Monacho

cho S. Germani Flauiacenſis factus eſt Abbas Nouigentinus an. 1104. & obiiſſe videtur circa an. 1124. Ille autem tractarum de vita ſua compoſuit, & multa ad Carthuſianorum Religionem pertinentia inſeruit curioſiſſima & poſteritate digniſſima, hæc autẽ inter ea tera. At quia conueniebat, vt Litteratorum Quiſpiam ſacri gregem Ordinis ſub eudem affectum poſt ſe contraheret, fuit non longè ab his diebus Bruno Quidam in vrbe Remenſi vir & liberalibus inſtructus artibus & MAGNORVM STVDIORVM RECTOR, qui conuerſionis initia ex ſubiecta nactus occaſione dignoſcitur. Manaſſes quidam poſt Geruaſij famoſiſſimi Archiepiſcopi deceſſum prædictæ vrbis regimini ſimoniacè ſe intruſit, vir quidem nobilis ſed nihil prorſus ſerenitaris quæ prima ingenuitatem decet, habens. Tantos enim faſtus ex illa nouitate conceperat, vt Regias peregrinarum gentium Maieſtates, imo Maieſtatum ferocitates imitati videretur...., Is igitur cum milites affectaret ſummopere & clerum negligeret dixiſſe aliquando refertur. BONVS ESSET REMENSIS ARCHIEPISCOPATVS *ſi non Miſſas inde cantari oporteret.* Huius ergo mores prorſus improbos & ſtupidiſſimos habitus eùm omnis honeſtus horreret, Bruno tunc in Eccleſiis Galliæ opinatiſſimus cum aliis quibuſdam Remenſium Clericorũ nobilibus infamis illius odio exceſſit ab vrbe: quem poſtmodum Proceres, Clerus atque Burgenſes cum ab Hugone qui Dienſis agnominabatur, Archiepiſcopo Lugdunenſi Apoſtolicæ ſedis legato, viro in tenore iuſtitiæ clariſſimo, creberrimo anathemate feriretur & ille manu militari theſauros Eccleſiæ dilapidare niteretur, à ſede quam malè obſederat, pepulerunt: & exſilio relegatus æterno, cum ſe ad excommunicatum tunc temporis Henricum Imperatorem ipſe etiam excommunicatus contuliſſet, hac illacque oberrans ſine communione poſtremo defungitur. At Bruno vrbe deſerta, ſeculo etiam abrenunciare propoſuit, qui ſuorum notitias horrens ad Gratianopolitanum proceſſit territorium. Ibi in arduo admodum & terribili promontorio, ad quod difficillimum & valde inſolens iter intenditur, ſub eo enim præruptiſſimæ vallis vorago dehiſcit, habitare deligens, eiuſmodi mores inſtituit, & ſequaces eius hodie ſic viuunt.

5. Plurimum quoque valet teſtimonium ipſorummet Carthuſianorum ſtatutorum & conſuetudinum Ordinis in veteri Manuſcripto contentarum, vbi vita Brunonis & 4. conſequentium Carthuſiæ Priorum ſummatim exaratur; de Brunone autem hæc verba habentur. *Bruno natione Teutonicus* ex præclara vrbe Colonia parentibus non obſcuris natus, litteris tam ſecularibus quam diuinis valde munitus, Eccleſiæ Remenſis quæ nulli inter Gallicanas ſecunda eſt, Canonicus *& Scholarum Magiſter* relicto ſeculo Eremum Carthuſiæ fundauit & rexit ſex annis, qui cogente Vrbano, euius quondam Præceptor fuerat, Romanam perrexit ad curiam, eundem Papam ſolatio & conſilio in Eccleſiaſticis negotiis iuuaturus. Sed cum tumultus & mores curiæ ferre non poſſet, relictæ ſolitudinis & quietis amore flagrans, relicta curia, contempto etiam Archiepiſcopatu Remenſis Eccleſiæ ad quem ipſe Papa volente electus fuerat, in Calabriæ eremum, cui *turris* nomen eſt, ſeceſſit: ibique Laicis & Clericis quam plurimis adunatis ſolitariæ vitæ propoſitum, quandiu vixit, exercuit, ibique defunctus humatus eſt poſt egreſſum Carthuſiæ.

Ex hoece loco multa colliguntur ad intelligentiam hiſtoriæ neceſſaria. 1. Brunonem euocatum fuiſſe ab Vrbano è Carthuſia poſt annos ſex regiminis: igitur non euocatus eſt ante an. 1089. quia Vrbanus anno tantum 1088. electus eſt ac proinde Bruno non inſtituit Ordinem ſuum ante an. 1082. 2. In curia Rom. manſit vſque ad an. 1095. quo in Calabriam amore ſolitudinis ſeceſſit, nec inde reuocari potuit oblato Archiepiſcopatu Remenſi, qui anno 1096. 19. Kal. Feb. vacauit obeunte Rainaldo de Bellaio, qui Manaſſi ſucceſſerat. 3. In Eremo Calabriæ manſit ad mortem vſque, quæ accidit 6. Kal. Octob. an. 1001.

6. Producunt grauiſſimam Petri Venerabilis Cluniacenſis Abbatis, qui ſequenti ſeculo ab an. 1140. floruit, authoritatem. Non enim ille ignorare potuit Canonici rediuiui hiſtoriam, aut non mandare litteris, ſi vera fuit, ſi tam publica, ſi in ciuitate Pariſienſi tamque in frequenti conuentu: cum ex profeſſo Miraculorum libros conſcripſerit. lib. autem 2. c. 28. fuſiſſimè & clariſſimè agit de hocce Carthuſienſium Inſtituto: de illius vero rediuiui apparitione, ne gry quidem.

» Seruatut, *inquit*, in Burgundiæ finibus inter omnes Europæ noſtræ Monaſtici
» Ordinis profeſſiones, profeſſio quædam multis aliis eiuſdem Monaſtici propoſi-
» ti ſanctior & cautior, inſtituta noſtro tempore à quibuſdam Patribus magnis, do-
» ctis & ſanctis M. Brunone Colonienſi, M. Landuino Italico, ac quibuſdam aliis
» & verè magnis, vt dixi, & Deum timentibus viris, qui quorundam antiquorum
» Monachorum tepiditate negligentia ac deſidia prædocti, ſeculo abrenunciare
» volentes cautiùs ſibi ſuiſque in via Dei ſectatoribus conſuluerunt, & vigilanti
» oculo Ordinem contra omnes pene ſathanæ inſidias circunſeptum inſtituerunt.

Vt autem manifeſtò conſtet ipſius tempore nihildum auditum de Canonico illo rediuiuo, ait ſe nullo ſeruato ordine, nulla habita ratione generis, quæcumque diſcere potuit, miracula mandaſſe litteris. Quoniam ad roborandam fidem &
» mores inſtituendos miracula noſtro tempore vel circa noſtra tempora geſta, quo-
» rum cognitio indubia datur, ſcribere propoſui. Poſtea quæ præmiſſa ſunt, alia
» quoque legentibus vel audientibus non minus, vt credo, vtilia adiungenda
» ſunt. In quibus vt ſupra iam dixi, nullum temporis ordinem ſeruo, nullius gene-
» ris miracula vito, ſed ſicut ea vel olim didici, vel quotidie à diuerſis & fidei di-
» gnis diſcere poſſum, ſcripturæ commendo. Eſt ne autem veriſimile curioſum iſtum Miraculorum Indagatorem & perſcrutatorem præteriturum fuiſſe prodigioſam illam anaſtaſim, ſi paulo ante ſua tempora contigiſſet?

7. Neque Gaufredus Prior Voſienſis, qui centum circiter à Brunone annis ſcribebat, eius cauſæ meminit. Sic enim tantum habet. *Ordo Carthuſienſium ſanctiſſimus incepit hoc tempore, ſcilicet anno 1086. per Brunonem virum ſanctum, natione Allemanum de Colonia Agrippina, Magiſtrum in Theologia cum ſex aliis venerabilibus viris in Diœceſi Gratianopolitenſi.*

Denique referunt varia teſtimonia exterorum Authorum ſuppariorum, item & conſequentium ſeculorum, Roberti de Monte, qui Chronicon Sigeberti continuauit, Chronologiſtæ Malleacenſis, Monachi Antiſſiodorenſis, Adami in Floribus manuſcriptis Hiſtoriarum, quos Gregorio IX. dedicauit, Vincentij Bellouaci, Chronici S. Martini Turonenſis, Hugonis Cardinalis, aliorumque vſque ad tempora Gerſonis, quorum nullus famoſæ illius anaſtaſeos meminit: & quam nemo dixerit eos prætermiſſuros fuiſſe, ſi aut legiſſent aut audiuiſſent accidiſſe. Ex his fateri neceſſe eſt Launoyij ſententiam apud doctos hodie præualere, præualituramque adhuc poſthac magis, cum temporis diuturnitas inueteratam in animis vulgi opinionem anaſtaſeos ſenſim obliterabit; niſi forſan eadem certiora proferat aliquando aduerſæ parti teſtimonia, quæ litem illam dirimant.

1083. Ad annum 1083. Bertholdus Preſbyter Conſtantienſis refert obitum Berengarij: quem ſequitur Author Chronici S. Petri Viui ſic ſcribens an. 1083. *Berengarius Turonenſis Magiſter & ammirabilis Philoſophus, amator pauperum effloruit. Hic compoſuit Orationem illam, quæ ſic incipit* Ivste Ivdex Iesv Christe. *Poſt hæc fidelis & verè Catholicus vitam finiuit.* Verum eius obitus communiter ab aliis refertur ad annum 1088. vt infra dicemus.

1084. Anno 1084. Henricus Imperator Romam capit, Gregorium in turre Creſcentis muro claudit, Guibertum Antipapam in ſede Petri conſtituit. Tum ſchiſmatici cornua attollunt, conuerſaque eſt omnino facies Eccleſiæ; cuius miſerabilem ſtatum deſcribit Hugo Flauiniacenſis his verbis. *Non ſufficiebat ſacerdotibus ſolos peccare: facti erant laqueus iuuenum omnes, vt etiam abſque ſynagogis facerent eos, qui non communicabant operibus eorum in communicando cum excommunicatis, in abiectione Gregorij, in aſſertione Wiberti. Iam vero ſi quis eſſet qui Gregorio communicaret; hic publicè conuiciis appetebatur, hic hæreticus, deſtructor Regni, aſſertor mali, qui nec vita dignus eſſet, qui publicæ indignationis offenſam contraheret, periurus, & quodam aduentitio nomine Paterinus dicebatur. Aduenerant tempora periculoſa, obnubilata erat facies Eccleſiæ, non agnoſcebat quos genuerat filios, quia patiebatur infeſtos, nec ipſi Matrem agnoſcebant quam cum multis & miris modis affligerent & infeſtarentur, vicem eius dolere non nouerant.*

Interim Gregorius concaptiuum ſuum Iarentonem Abbatem S. Benigni Diuionenſis virum doctiſſimum Hugonis Ducis Burgundiæ olim præceptorem, amicum & familiariſſimum ſuum cum quibuſdam Cardinalibus mittit ad Ro-

Digitized by Google

bertum Apuliæ Ducem, qui tunc forte Claſſe inſtructa mare tranſibat, to-
gatque vt Eccleſiæ & ſibi ſuppetias afferat. Ille non ſegniter iuſſa executus
fidelem ſe præſtat, aduolat cum Normanis ſuis, Regem & Guibertum fugat,
Gregorium in integrum reſtituit. Verum ob perpetratas à militibus cœdes innu-
meras, ſtupra, latrocinia non audens Pontifex fidere Romanis, Salernum ſe re-
cipit cum Cardinalibus: indeque per Petrum Igneum & Giſulfum Principem
Salernitanum quos Cluniacum miſit, dedit litteras ad omnes Chriſti fideles, qui-
bus & calamitatem ſuam & calamitatis cauſas ſignificauit.

In iſta rerum perturbatione Teutonici Guiberto adhæſerunt, eidemque Lo-
tharingia & Longabardia. Virduni Theodoricus cognomento Magnus in Cœno-
bitas qui à Gregorio ſtabant, omnem quem potuit, furorem exercuit. *Totus illi
ſermo* inquit Hugo Flauiniacenſis, *de Imperio Henrici*, *de Clementis Papatu erat*:
itavt publicè in Eccleſiis nomen illius Hæreſiarchæ nefandi in Canone recitari
præciperet. Quod etiam faciebant reliqui Epiſcopi Lotharingiæ & Longobar-
diæ, exceptis paucis, qui magiſterium Gregorij agnoſcebant. Manaſſes Remen-
ſis ad eaſdem partes ſe contulerat, vnde ita Clero & populo exoſus fuit, vt eum
ex vrbe expulerint.

Anno 1085. habita eſt à Henricianis Pſeudoſynodus Moguntina, cui præſe-
dit Vvetzilo Archiepiſcopus Moguntinus, in eaque Gregorio abrogatus eſt Pon- *1085.*
tificatus & Clemens pro vero Papa agnitus. Gregorius Vvetzilonem anathema-
te percutit; at ille nihilominus Archiepiſcopale munus exequitur: aiunt tamen
poſtea agnito errore cum Papa reconciliatum fuiſſe & pœnitentem obiiſſe an.
1089. Ille in Academia Pariſienſi Magiſterium in Theologia fuerat olim con-
ſecutus. De quo ſic ſcribit Pantaleo. *Vvetzilo à pueritia litteris deſtinatus fuit.
Erat enim egregia indole & feliciſſimo ingenio præditus. Itaque littrarum amore Lute-
tiam profectus, ibidem S. Theologiæ Doctor creatus eſt. Is enim cum inſigni eruditione
etiam pietatem atque morum innocentiam coniunxerat. Cum ergo in Patriam reuerſus eſ-
ſet, Canonicus Moguntinenſis electus eſt. Itaque in ea Eccleſia ſuis virtutibus longè
alios ſuperauit, atque ſubinde concordiæ ſtudens cum omnibus pacem habuit: multoties
etiam ad populum ſermonem habuit & ſingulari facundia homines ad pietatem perduxit.*
Demum anno 1085. ſucceſſit Exkenbaldo in Archiepiſcopatu & ſui muneris
primitias ſchiſmatis patrocinio conſecrauit.

Verum tandem innumeris calamitatibus fractus elanguit Gregorius & apud
Salernum morbo correptus, ſentiens ſe morti propinquum conuocatis Cardi-
nalibus & rogantibus quem vellet ſibi in ſucceſſorem ſubrogari, deſignat vnum è
tribus, Anſelmum Lucenſem, Odonem Epiſcopum Oſtienſem, & Hugonem Lug-
dunenſem, & paulo poſt obiit, eique ſubſtituitur Deſiderius Caſſinenſis Abbas
ſub Victoris III. nomine de cuius electione extat apud Hugonem Flauinia-
cenſem Epiſtola Hugonis Lugdunenſis Archiepiſcopi ad Mathildem Comitiſ-
ſam, quâ ſcribit eam non fuiſſe Canonicam, quippe de homine à Gregorio ex-
communicato factam Henricianiſque partibus addicto. *Electionem*, inquit, *Caſſi-
nenſis Abbatis antequam Ego Romam venerim, factam ſufficienter audiſtis, cui tam Ego
quàm & cæteri fratres mei S. Rom. Eccleſiæ filij diligentes magis gloriam hominum,
quàm Dei pro temporis infirmitate aſſenſum præbuimus. Poſtquam autem ad montem
Caſſinum, quò ipſe iam præceſſerat, Romæ aliquandiu morati ipſius ducatu peruenimus,
ex eiuſdem familiaribus nobiſcum colloquiis, dum videlicet nefandiſſimos actus ſuos in
auribus Epiſcoporum & Cardinalium iactanter recitare non erubeſceret, copioſius neceſ-
ſario deprehendimus, quàm intolerabiliter Deum in ipſius Electione offenderimus.*
Hinc effectum, vt nonnulli cum ipſo, ne conſecraretur Deſiderius, interceſſerint.
Verùm poſt aliquanti temporis moras ab ipſo Odone Oſtienſi Epiſcopo Cardi-
nale, qui cum Hugone conſpirauerat, conſecratus eſt agnita ambitione Hugo-
nis, qui quod eſſet e tribus à Gregorio deſignatis vnus, Pontificatum ambiebat.
Itaque cum à Victoris communicatione defeciſſet, nec tamen ad ſchiſmaticos
tranſiſſet, ab eo anathemate percuſſus eſt an. 1087. omnique legationis munere
priuatus: Odo verò Eccleſiaſticæ pacis ſtudioſus patefecit, quam dignus eſſet
Pontificatu. Vnde ex hoc Baldricus Burgulienſis occaſionem accepit ad eum
ſcribendi & vaticinandi futurum eum aliquando Pontificem. Maximè verò

eum commendat ab amore erga litteratos, atque imprimis erga Poëtas, ac proinde elegos ſcribit, quibus audiuerat eum maxime delectari. Extat inter Baldrici Carmina Hiſtorica vnum hoc de Odone Oſtienſi Epiſcopo.

Odas, ô vtinam, cui mittuntur, placituras!
Odoni magno, dirigo paruus ego.
Odo Pontificum decus & ſpecialis honeſtas,
Conſilium Papæ, regula Iuſtitiæ.
Eccleſiæ robur, non concutienda columna,
Mittit quod placeat Burgulianus oue.
Burgulianus aue Magno dicit Patriarchæ,
Quod mihi notitiam præſulis obtineat.
Odo, Wido meâ mihi te celebrauit in aure,
Pluribus indiciis te mihi ſignificans.
Guido tuum nomen noſtrum deuexit in Orbem,
Vtque viri tanti præco vir ille mihi.
Te mihi procêrum ſtaturâ ſignificauit,
Quæ non excedet effigiata modum.
Mores iocundos Wido tibi dixit ineſſe,
Et quod conueniat moribus alloquium.
Vtque mihi dixit, ditat te litteræ diues,
Et vatum Muſas delicioſus amas.
Si cantare velis, cantas modulamine dulci,
His execreſt vultus & facies hilaris.
Affatu ſuauis, communis & omnibus omnis,
Exhilaras moeſtos & ſtolidos reprimis.
Os oratorum modo viuis Tullius alter,
Callidus in verbis viuis Ariſtoteles.
Temporaque modò ſunt, quæ ſunt ſine remige nauis,
Rectorem ſtatui te voluere ſibi.
Qui te fecerunt, Odo velut Oſtia Roma,
In modico Romæ te facient Dominum.
Hic iam cæperunt ordiri prouida fata.
Hinc intelligimus, iamque fauemus eis.
Odoni factus hæres in Pontificatum,
Mox in Papatum ſubſtituendus eris.
Hoc locus, hoc nomen, hoc ſignat copia linguæ,
Hoc alti ſenſus præcinit integritas.
Innuit hoc habitus tunicatæ Religionis,
Vos ambos idem Cluniacus genuit.
Ambos vos fouit, vos Oſtia ſuſtulit ambos,
Alter Papa fuit, nec minus alter erit.
O ſi tunc merear florere ſuperſtite vita
Vt nunc te toto pallidus ore canam!
Tunc Orpheus noſtram nequeat ſuperare Cæmœnam,
Si pleno flatu buccina noſtra ſonet.
Velis furtiuis vehitur modò noſtra Carina:
Namque Piratarum perſtrepit omne genus.
Inſontem lacerant me dentibus obloquiorum
Meque reum mortis clamitat inuidia.
Obiiciunt quod ego tabulas poſt tempora tango,
Quod non demiſſo vado ſupercilio,
Ipſe ſuſurro tamen, mecum quoque rumino pſalmos,
Atque obliquatis vultibus intueor.
Vt fur inuidiæ probitati eſt ſæpe Nouerca,
Quocirca tepeo ſæpius à ſtudio.
Quod ſi me vellet defenſio veſtra tueri,
Vt mea duntaxat Carmina diligeres.

Digitized by Google

Repentes hedera mox ſurgent vberiores,
Si quando audaci fretus ero gladio.
Audaci ſi quando lyras moderamine tangam,
Si Muſas pleno pectore diſcutiam.
Si quando impauidus vates audebo vocari,
Si calamos teneam non trepidante manu.
Si verbo, noſtris ſignisue quibuſlibet. Odis
Illudas, Odo, fulmina non timeo.
Fulmina quæ timeat, quem maxima Roma tuetur,
Quid timeat tua quem protegat Odo manus?
Me ſub amore tuo digneris, maxime Paſtor,
Tutior vt Romam ſi ſit opus videam.
Tutior vt Duce te Romana Palatia cernam,
Quem mea ruſticitas terreat abſque Duce.
Iam nunc de veſtro tanquam ſecurus amore,
Vobis commendo quod penitus cupio.
Me præſumentem de te confundere noli,
Debita poſco quidem: da mihi, namque potes.
Si quotcumque modis aures obſtruxerit aſpis,
Vt nolis noſtras inſinuare preces.
Si quæſita neges poſſiſque negata referre,
Si tua claudantur corda meis precibus.
Vt dare tu nolis ſine damno quod dare poßis,
Non es quem ſpero, quem tuus ipſe cano,
O quam ſperabam viuis procul & procul alter,
Quod Deus auertat, vt mihi tu facias.
Vnicus eſt, Odo, mihi filius, immo Coabbas,
Pro quo deuotus adſto tuis pedibus.
Namque manum ſuper hunc nimis aggrauat ille Remenſis,
Iram qui Papæ funditus emeruit.
Impoſuit ſiquidem Regi diadema Philippo:
Nunc & in hoc Papæ negligit Imperium.
Propterea fundo mea viſcera funditus Odo,
Vt mihi perficias hanc tibi rem facilem.
Abbatis partem ſuſtentes ordine recto,
Vt reſtauretur filius ille meus.
Quod confirmauit in eo Romana poteſtas,
Inconuulſum ſit permaneatque ratum.
Et potes & debes, niſi me contempſeris, Odo,
Abbatem ſancto reddere Remigio.
Non ingratus ero, ſuperaddam gratificandus
Munera Carminibus, carmina muneribus.
Ecce fatigatus nimium remeare nequiuit,
Sed ſi mandabis vt veniat, veniet.
Iam ſecurus erit, redeat ſi ſcripſeris illi.
Nouerimus quoniam reſtituendus erit.
Si mandare velis, quod penſes vtile nobis,
Guidonem noſtro noueris eſſe loco.
Guido mihi viuit, magnus, bonus atque fidelis
Magni momenti, nominis haud modici.
Hunc venerare modo quo nos veneremur eodem
Namque bona morum ſimplicitate viget,
Odam dilatat occaſio multa precandi
Sed modo fine breui ſis memor, Odo, mei.

Videtur ei hiſce verſibus commendare Abbatem S. Remigij Remenſis, cuius nomen non reperio, ſed quem Manaſſes Archiepiſcopus Remenſis ſicut & alios multos vexauerat, ob idque Pontifici exoſus erat. Guido verò de quo hîc loquitur, vt de homine ipſi Odoni notiſſimo, is eſſe videtur Guido Turonenſis qui Re-

mis in Profeſſione litterarum obiit, vbi & Odo ſtuduerat, forte ſub ipſomet Guidone, certè ſub Brunone Carthuſianorum Inſtitutore. Eidem libellum neſcio quem dedicauit, & ille ſimiliter eodem metri genere Baldrico ſic reſcripſit, & iocosè nugando vt ſit inter amicos, dolere ſe ſignificauit, quod nomen ſuum Poëmati non inſeruiſſet.

Hanc Baldrice tibi mittit tuus Odo ſalutem,
A te reſcribi quam cupit eſſe ſibi.
Nuper amice tuum tenui legique libellum,
Credere vix potui temporis huius opus.
Tantum pondus erat verbis, facundia tanta,
Poſſet vt hac credi compoſuiſſe Maro.
Inter amicorum ſcribi mea nomina ſperans,
Deuolui librum terque quaterque tuum.
Vel leuis vlla mei non eſt ibi mentio facta,
Commouit mentem res nimis iſta meam.
Scilicet indignum me vir facunde putaſti,
Carmine quem velles perpetuare tuo.
Attamen vrna, lepus, coruus quoque, Cancer, Aſelli,
In cælo ſtella te quoque teſte nitent.
Et poſt tantorum tot nomina clara virorum
Vilis beſtiola calica regna tenent.
Me quoque multorum poſt nomina clara virorum
Fac tua cæleſtis pagina ſuſcipiat.
Hæreat in libri rogo margine diſtichon vnum
Inſcriptus valeat, quo tuus Odo legi.
Si meritis precibuſque meis quæſita negabis,
Extorquebo tamen improbitate mea.
Hac mea ſæpe tibi triuialia carmina mittam,
Sic indignanti quod precor excutiam.

Ex his verſibus, vt ex vngue leo, diſcitur quantus vir fuerit Odo, quantuque facundiæ.

Eodem anno obiit Robertus ille Guiſchardus Dux Normanorum Tranſalpinorum Gregorij liberator, eiuſq; corpus Venuſina ni vrbe Apuliæ conditum eſt. Hiſce quoque temporibus Alexius Comnenus Imperator Conſtantinopolitanus litterarum officinam reparari curat, & *Grammaticorum Scholam aperuit in gratiam pauperum Scholarium, eorumque Magiſtris & Pædagogis ſtependia de publico conſtituit:* omnibus vero, hoc eſt tam docentibus, quàm diſcentibus victum competentem prouidit & ordinauit teſte Zonara tom. 3.

Iiſdem etiam temporibus Conſtantiuus Afer Patria Carthaginienſis Chaldaïcè, Arabicè, Perſicè, Ægyptiacè & Indicè doctus in Academia Babylonica litteris à puero inſtitutus poſt 39. peregrinationis annos reuerſus in patriam, demum in Italiam traiiciens Monachico habitu ſumpto apud Caſſinum Salerni docet, multaque opera Medica è diuerſis Gentium linguis transfert in Latinum, vt legitur in Chronico Caſſinenſi lib. 3. cap. 34. eaque Deſiderio Abbati ſuo Papæ facto dedicauit. Hinc Scholę Salernitanæ fama celebrari cœpit, quæ Eduardo Anglorum Regi libellum de conſeruanda valetudine verſibus conſcriptum tranſmiſerat ante an. 1066.

Anglorum Regi ſcribit SCHOLA TOTA SALERNI,
Si vis incolumem, ſi vis te reddere ſanum,
Curas tolle graues, iraſci crede profanum.
Parce mero, cænato parum, non ſit tibi vanum
Surgere poſt epulas, ſomnum fuge meridianum.
Non mictum retine, non comprime fortiter anum,
Hæc bene ſi ſerues, tum longo tempore viues.

Ad hanc Scholam moris fuit hoc & ſequente ſeculo mittere ſtudioſoſq; Artis Medicæ, vt eam illic ad vnguem addiſcerent: At ſi vera ſcribit Ioannes Sareſberienſis, multum ſuo iam tempore nempe circa an. 1160. de famâ & celebritate priſtina & antiqua deperdiderat. Dico *antiqua;* non eſt enim credendum na-

um fuiſſe Scholam illam Conſtantini prædicti temporibus. Siquidem jam an.
984. celebris erat, vt indicat Hugo Fauiniacenſis ſic ſcribens de Adalberone
Epiſcopo Virdunenſi. *In Salernum eodem anno benedictionis ſuæ, curationis gratiâ
profectus reuerſus in Italia obiit 14. Kal. Maij, & relatum corpus eius Verduni ſepul-
tum eſt vixit in Epiſcopatu 3. annis, & ſucceſſit Heymo an. 988.* Similiter Ordericus
Vitalis ad an. 1059. de Rodulfo Clerico verba faciens, quem in omni ſcientiarum
genere verſatiſſimum fuiſſe ait, ſubiungit. *Phyſicæ quoque ſcientiam tam copioſè ha-
buit, vt in vrbe Salernitana, vbi maximæ* Medicorum ſcholæ ab antiquo tempore
habentur, *neminem in Medicinali arte præter quandam ſapientem Matronam, ſibi parem
inuenerit.*

Anno 1086. obiit Anſelmus Lucenſis vir omni virtutum & ſcientiarum genere 1086.
decoratus, Henricianæ & Guibertinæ factionis inſectator acerrimus, vnioni Ec-
cleſiaſticæ & Gregorio VII. addictiſſimus, à quo vnus é tribus ad Pontificatum
Maximum promouendis deſignatus fuerat, vt legitur in quadam Epiſtola Vrbani
II. ſic ajentis apud Hugonem Flauiniacenſem. *Domnus noſter Papa Gregorius bea-
tæ ac dignæ memoriæ cum apud Salernum graui teneretur infirmitate, vnde ipſe poſtea
obiit, conuenerunt ad eum Epiſcopi & Cardinales Romani, qui ibidem aderant, rogantes
eum & poſtulantes, vt quem ſibi vellet ſubrogari ſucceſſorem in Pontificatu, iis oſtenderet.
At ille ſecum aliquantulum cogitans, hæc illis verba dedit. Quemcunque horum trium,*
Lucenſem ſcilicet Epiſcopum, *Oſtienſem, aut Archiepiepiſcopum Lugdunenſem habere
poteritis, in Pontificem eligite.* Obiit autem Mantuæ 18, Martii, eratque Ma-
thildis Comitiſſæ à Confeſſionibus. Multa eius extant opera: Imprimis Colle-
ctio Canonum per Capita, qua ratione Gratianus poſtea Decretum ſuum com-
pilauit. Tractatus in Pſalmos, in Ieremiæ Lamentationes, Apologeticum Gre-
gorii Papæ contra Guibertum Antipapam, & alia multa.

Anno 1087. obiit Rothomagi 5. id. Septemb. Vvillielmus Conquæſtor Anglo- 1087.
rum Rex & Normanorum Dux, qui licet à tenera ætate in bellis enutritus fuiſ-
ſet, non in litteris verſatus, litteratorum tamen præcipuam curam habuit, eo-
rumque quamplurimos ad Dignitates Eccleſiaſticas, cum potuit, promouit: ſic
enim ille apud Authorem, qui eius morti interfuit, vt refert Baronius, ad Sacer-
dores, qui tum aderant. *Theſauros meos iubeo dari Eccleſiæ & pauperibus, vt quæ conge-
ſta ſunt ex facinoribus, diſpergantur in Sanctis Sanctorum vſibus. Debetis enim recolere
quàm dulciter vos amaui, & quàm fortiter contra omnes æmulos defenſaui Eccleſiam,
Dei Matrem ſcilicet natura nunquam violaui, ſed vbique vt ratio exegit, deſideranter
honoraui. Eccleſiaſticas dignitates non venundedi, ſimoniam deteſtatus ſemper refutaui. In
Electione perſonarum vitæ meritum & ſapientiæ doctrinam inueſtigaui, & quantum in
me fuit, omnium digniſſimo Eccleſiæ regimen commendaui. Hoc nimium probari poteſt
veraciter in Lanfranco Cantuarienſium Archipræſule, hoc in Anſelmo Beccenſium Ab-
bate, hoc in Gilberto Fontanellenſi & Durando Troarnenſi & in alijs multis Regni mei
Doctoribus, quorum celebris laus perſonat in vltimis, vt credo terræ finibus. Tales
ſocios ad colloquium elegi, in horum contubernio veritatem & ſapientiam inueni,
ideoque ſemper gaudens optabam eorum conſilijs perfrui.*

Reuera tanti viri erga litteratos amor ita ſtudioſorum animos accendit ad ſtu-
dia litterarum, vt nullo vnquam tempore tot reperiantur Normani in eas incu-
buiſſe, & tam feliciter in earum profeſſione excelluiſſe, quàm ætate Guillel-
mi. Præter cæteros enim, quos fama obſcura tecondit, floruerunt Lanfrancus,
Anſelmus, Paulus Lanfranci conſanguineus, Abbas Cadomenſis, deinde San-
Albanenſis, Guitmundus S. Leufridi Monachus, deinde Epiſcopus Auerſanus
& Cardinalis, Mauricius Rothomagenſis, Ioannes Abrincenſis, Michaël natio-
ne quidem Italicus, ſed Abrincenſis Epiſcopus doctiſſimus, Rodulfus Clericus
cognomento Mala-corona, de quo in Vitis Illuſtribus, Goiſlebertus Medicus
Carnotenſis, ſed in Normania conſpicuus, Giſlebertus Maminotus, Guillel-
mi Archiater, & innumeri alii, quos paſſim commemorat Ordericus Vitalis in
Hiſtoria.

Idem Princeps anno 4. Regni Anglorum leges ciuiles & conſuetudines ap-
probatas recognoſcens, atque à legibus Eccleſiaſticis exordium ſumens, pri-
mum caput conſcripſit *de Clericis & poſſeſſionibus eorum*, ab omniq; tributo immu-
nes eſſe voluit, vt & Scholarium poſſeſſiones, vbicunque ſitæ eſſent. Sic enim

habet. OMNIS CLERICVS ET ETIAM SCHOLARIS, OMNES EORVM RES ET POSSESSIONES VBICVNQVE FVERINT, PACEM DEI ET ECCLESIÆ HABEANT. Quæ verba leguntur apud Henricum de Knygthon lib. 2. de Euentibus Angliæ.

" Ioannes verò Bromptonius Abbas Iornalenſis, qui circa an. 1320. ſcribebat, eius
" dotes ſic perſcribit. Erat ſapiens ſed aſtutus, locuples ſed cupidus, glorioſus
" ſed famæ deditus, affabilis quidem & humilis ſeruientibus, ſed durus & ſeuerus
" ſibi & reſiſtentibus. Principes namque & Conſules in carcerem poſuerat, Epi-
" ſcopos & Abbates poſſeſſionibus ſuis priuauerat, Fratri proprio non pepercerat,
" nec qui reſiſteret, erat. De Geſtis verò ſic loquitur. Regi præfato Normania
" iure hæreditario prouenerat. Cenomaniam armis acquiſierat, Britanniam ſibi
" accliuem fecerat, ſuper totam Angliam ſolus regnauerat: ita quod nec ibi vna
" ſola hida terræ inerat (id. terra vnius aratri culturæ ſufficiens) de qua neſciret
" cuius eſſet, & quid per annum valeret. Scotiam quoque ſibi ſubiugauerat:
" Vvalliam rebellantem in ſuam acceperat ditionem. Et quamuis eius tempore
" multæ iniuriæ fiebant, adeo tamen auctor erat & amator pacis, *quod puella auro*
" *onuſta poſſet impune Regnum Angliæ pertranſire. Nam ſi quis aliquem quacunque de*
" *cauſa peremiſſet, capite plectebatur. Si mulierem aliquam vi oppreſſiſſet, membris genita-*
" *libus priuabatur.* Idem Author refert eiuſdem Principis leges circa Iudicia, quas
" in Synopſi huius ſeculi referemus.

Sepultus eſt igitur in cœnobio S. Stephani Cadomenſis, cui olim Lanfrancum præfecerat, deinde Anſelmum, tranſlato prædicto Lanfranco ad ſedem Cantuarienſem. Ei autem Baldricus Abbas Burgulienſis hoc cecinit Epitaphium.

Indice qui Cælo, qui præſagante Comæte
Anglos innumeris ſtragibus obtinuit:
Qui Dux Normanis, qui Cæſar præfuit Anglis,
Qui quaſi mananti fonte profudit opes,
Imperio pollens Vvillielmus, Coniuge, Natis
Occidit, & ſimul hæc omnia deſeruit.

Poſt eius mortem Anglia Vvillielmo II. cognomine Rufo Lanfranci Diſcipulo, Normania Roberto ceſſit in partem hæreditatis & ſucceſſionis Paternę.

Ad hunc annum Sigebertus & alii Scriptores referunt tranſlationem Corporis S. Nicolai ex vrbe Myra Lyciæ Metropoli in Apuliam, vbi apud Barrium requieſcit. Narrant verò illud à Mercatoribus Anglis inuentum in mari fluctuans, eiectum ſcilicet aut à Turcis, qui Myram ceperant, aut à Chriſtianis, vt ſacrũ corpus ab hoſtium immanitate ſeruarent: idque contigit anno 775. poſtquam Myræ tumulatum fuerat: Et ex eo cœpit eius nomen eſſe celebrius apud Occidentales, maiorique veneratione coli: quanquam tamen non ignotaretur in Francia; ſiquidem Robertus Rex ædem in Palatio eius nomini ante an. 1030. dedicarat, vt ſuo loco docuimus. Ille autem ab omni æuo Scholarium Patronus habitus, & præſertim Iuniorum, qui humaniorum litterarum rudimentis & Grammaticæ operam dant, vt S. Catharina Philoſophorum.

Anno 1088. obit Victor III. eique ſubrogatur Odo de Caſtillione Epiſcopus
1088. Oſtienſis & Cardinalis, vnus è tribus, qui à Gregorio VII. deſignati fuerant, & Vrbani II. nomen accipit. Carthuſianorum Patriarchæ olim Diſcipulus: quem proinde ſtatim atque ad Pontificatum promotus eſt, ad ſe in Curiam euocauit ex ſolitudine, vbi cũ M. Landuino & aliis ſociis Deo militabat, vt in regenda Eccleſia eius conſilio vteretur. Sic enim habetur in Statutis Antiquioribus Carthuſiani Ordinis. *Cogente Vrbano, cuius quondam Præceptor fuerat, Romanam perrexit ad Curiam, eundem Papam ſolatio & conſilio in Eccleſiaſticis negotiis iuuaturus.* Hic Pontifex valde ſtrenuus fuit, & in Diuinis Scripturis plurimum eruditus, natione Gallus, & in Cluniacenſi Cœnobio Monachus factus. Sedit annis 12. menſibus 4. diebus 19. & Magiſtrorum Pariſienſium operâ & conſilio in multis vſus eſt, imprimis verò Anſelmi Laudunenſis, Roberti Pariſienſis præclari Sophiſtæ & Nominalis, Baldrici Burgulienſis, & aliorum.

Eodem anno obiit Berengarius Turonenſis toto orbe famoſiſſimus poſt multas in hæreſim relapſiones tandem verè conuerſus & pœnitens: nam vt habetur in veteribus membranis Lauriacenſibus, *ille Roma diſcedens, Turones venit: ibique in inſula quæ S. Coſmæ dicitur, ſeculi pompis abrenuncians fere per 28. annos aſſiduè Domi-*

no

no militauit aliique plures Canonici B. Martini, S. ſpiritu, nec non ſalutari eius admonitione inſtructi mutatis veſtibus ſeſe ad inſulam contulerunt. Hic error irrepſit in annorum numerum. Nam Concilium Romanum ſub Gregorio VII. habitum eſt an. 1079. aliquandiu manſit Romæ Berengarius: tum in Franciam reuerſus adfuit Concilio Burdigalenſi an. 1080. demum anno 1088. moritur, itaque octo tantum circiter annos in ea inſula delituit. Hanc autem eius pœnitentiam agnoſcit Mathæus Pariſienſis in Willielmo II. *Licet primum iuuentutis calorem aliquarum hæreſum defenſione infamauerit, quo tamen maturiore ita reſipuit, vt citra controuerſiam à quibuſdam ſanctus habeatur in multis operibus bonis, & maximè humilitate & eleemoſynarum largitionibus approbatus.* Et Vincentius Bellouacus. *Berengarius in fine ita reſipuit, vt ſine retractatione à quibuſdam Sanctus habeatur, eleemoſynis & humilitate, magnarum poſſeſſionum Dominus diſpertiendo, non famulus abſcondendo & adorando, nullam fœminam conſpectui ſuo patiebatur admitti.*

Nec prætereundum quod de illius morte habetur in Fragmento Bibliothecæ Floriacenſis. *Ipſe Berengarius poſtea reſipiſcens & pænitentiam agens cum die Epiphaniorum moreretur, recordatus quot miſeros quondam adoleſcens primo ſui erroris calore ſecta ſua infeciſſet, producto gemitu, Hodie inquit, die apparitionis meæ apparebit mihi Dominus Ieſus-Chriſtus propter pænitentiam vt ſpero ad gloriam, vel propter alios à me corruptos, vt timeo, ad pœnam.* Nam vt addit Malmeſburienſis l. 3. de Geſtis Anglorum. *Quamuis ipſe ſententiam correxerit, omnes quos ex totis terris deprauauerat, conuertere nequiuit. Adeo peſſimũ eſt alios exẽplo vel verbo à bono infirmare, quia fortaſſis peccatum te grauabit alienum, cum deletum fuerit tuum* Obiit autem die 6. Ian. prope nonagenarius; vnde liquet eum circa annum Chriſti 1000. aut an. 998. natum, Ad illius tumulum quotannis feria 3. Paſchæ Canonici S. Martini Turonenſis preces fundunt pro animæ pœnali ſolutione. Eius Corpus iacet in inſula S. Coſmæ: quanquam in Chronico Turonenſi legatur ſepultum in Clauſtro B. Martini: ſed fortaſſis illuc tranſlatum eſt. Eiuſque tumulo hoc inſcriptum eſt Epitaphium ab Hildeberto Cenomanenſi compoſitum.

Quem modo miratur, ſemper mirabitur orbis,
Ille Berengarius non obiturus obit.
Quem rectæ fidei veſtigia ſumma tenentem
Iani prima dies abſtulit, illa nefas.
Illa dies damnoſa dies & perfida mundo,
Qua decus & rerum forma ruina ruit.
Qua ſtatus & virtus, qua ſpes & gloria cleri,
Qua cultor iuris iure ruente ruit.
Quidquid Philoſophi, quidquid cecinêre Poetæ,
Ingenio ceßit eloquioque ſuo.
Cui veſtis textura rudis, cui non fuit vnquam
Ante ſitim potus, nec cibus ante famem.
Quem natura parens cum mundo contulit, inquit
Degenerant alij, naſcitur ille mihi.
Quaque vagabatur & pæne reliquerat orbem,
Incluſit ſacro pectore iuſtitiam.
Sanctior & maior ſapientia maius adorta
Impleuit ſacrum pectus & ora Deo.
Pectus eam voluit, vox protulit, actio prompſit:
Singula factori ſic ſtuduere ſuo.
Vir ſacer & ſapiens, cui nomen creſcit in horas:
Quo minor eſt quiſquis maximus eſt hominum.
Qui cenſus peperit, partos ſeruauit honores;
Cui potior pauper diuite, iuſque lucro.
Cui nec deſidiam, nec luxum res dedit ampla,
Nec tumidum fecit multus & altus honor.
Qui nec ad argentum nec ad aurum lumina flexit,
Sed doluit quoties cui daret hæc, oberant.
Qui non ceſſauit inopum fulcire ruinas,
Donec inops dando pauper & ipſe fuit.

Cuius cura ſequi naturam, legibus vti
Et mentem vitiis, ora negare dolis.
Virtutes opibus, verum præponere falſo;
Nil vacuum ſenſu dicere, nil facere.
Lædere nec quemquam, cunctis prodeſſe, fauorem
Et popularelucrum pellere mente, manu.
Quem pudor hoſpitium ſtatuit ſibi, quamque libido
Inceſtos ſuperat, tam ſuperauit eam.
Vir ſacer à puero, qui quantum præminet orbi
Famâ, tam fama præminet ipſe ſua.
Fama minor meritis, cum totum peruolat orbem
Cum ſemper creſcat, non erit æqua tamen.
Vir pius atque grauis, vir ſic in vtroque modeſtus,
Liuor vt in neutro rodere poſſit eum.
Liuor enim deflet, quem carpſerat antea, nec tam
Carpſit & odit eum, quam modo laudat, amat.
Quam prius ex vita, tam nunc ex morte gemiſcit,
Et queritur celeres huius abiſſe dies.
Vir, verè ſapiens & parte beatus ab omni,
Qui cælos anima, corpore ditat humum.
Poſt obitum viuam ſecum, ſecum requieſcam
Nec fiat melior ſors mea ſorte ſua.

Videas, inquit Willielmus Malmeſburienſis, *in his verſibus quod laudis exceſſit modum Epiſcopus.*

1089. Poſt elapſos ab obitu Berengarij menſes paucos, nimirum 24. Maij an. 1089. obit Lanfrancus Cantuarienſis Archiepiſcopus ita permittente Deo, vt qui in hoc mundo concordes eſſe non potuerant, æternam in altero pacem inituri ſimul demigrarent. Eius mores & præclara facta in Eccleſiæ regimine paucis deſcribit Mathæus Pariſienſis. Vt quod Baſilicam Cantuarienſem inſtaurarit, Officinas Monachorum fabricarit, Dignitates Eccleſiæ, quæ ſuorum Anteceſſorum incuria interciderant, reſtituerit, terras ſeu agros multos qui vſurpati fuerant & ablati, reuocarit, 25. Maneria eidem Monaſterio Cantuarienſi reuindicarit, Xenodochia duo extra ciuitatem conſtruxerit; quibus de ſuo ſufficientes reditus annuatim aſſignauit, Eccleſiam Roffenſem inſtaurarit & in ea Hernoſtum Becci Monachum Epiſcopum ordinarit, & decedente Hernoſto Guadulphum Beccenſem etiam Monachum. Abbatiam S. Albani Anglorum Protomartyris in priſtinum ſtatum reduxerit, Angliam Rege abſente cuſtodierit: lectioni aſſiduè vacarit, libros veteris & noui Teſtamenti ſcriptorum vitio corruptos corrigere ſtuduerit: cuius emendationis luce tam Anglorum quam Gallorum Eccleſia ſe gaudet illuſtrari. Eo verò defuncto Willelmus II. Rex Eccleſias & Monaſteria totius fere Angliæ Paſtoribus vacantia in manu ſua retinuit, graui omnia depopulatione vaſtans, *& inſtar firmarum*, inquit Mathæus, *Laicis commendabat.* Itaque non niſi quarto poſt eius obitum anno Cantuarienſi Eccleſiæ Præſulem conſtituit Anſelmum Beccenſem Abbatem.

Eodem anno Anſelmus Laudunenſis Decanus Eccleſiæ factus ſcholam Pariſienſem Guillelmo Campellenſi reliquit: & ipſe Lauduni celeberrimam in Dialectica & Theologia ſcholam inſtituit, Comprofeſſoremque adſciuit Arnulphum fratrem, virum quoque magnæ litteraturæ, & inter Nominales famoſiſſimum. Tunc quoque Pariſiis in Grammaticæ profeſſione ſupra cæteros excellebat Bernardus Carnotenſis, de cuius Conſuetudine in Synopſi huius ſeculi infra dicetur: quo tempore Wlgrinus Eccleſiæ Pariſienſis Cancellarius erat, & Roſcelinus Compendienſis à multis Comprofeſſoribus ob nouitatem doctrinæ & Nominalis ſectæ odium exagitabatur.

1090. Annus 1090. peſtilentiſſimus in Francia fuit; vbi multi ſacro igne interiora conſumente computreſcentes exeſis membris Carbonum inſtar nigreſcentibus aut miſerabiliter moriebantur, aut manibus & pedibus putrefactis truncati miſerabiliori vitæ reſeruabantur, vt legitur apud Chronicon Belgicum Magnum.

Hocce circiter temporè Robertus de Arbriſello, de quo diximus ad an. 1080. à Siluestro de Guetchia Epiſcopo Redonenſi in partem oneris aſſumptus eſt & ab eo Archipreſbyter factus in Diœceſis regimine: ut in eius vita ſcribit Baldricus Burgulienſis. *Vrbs interea Redonis ſuo deſtituta Patrono ad Deum reconuerſa præmiſſis precibus Silueſtrum quendam elegit in Epiſcopum, quem & morum ſinceritas ſuaque commendabat nobilitas: qui praut erat ſanguine generoſus*, generoſior erat & meritis, & licet non multum litteratus, litteraros tamen inhianter complexabatur. Spiritualis ſiquidem in eo erat Diſeiplina: vt quod ei ſanguis & caro non inſpirauetant, diuina ei luculenter diſtillaret doctrina. Cõuocabat igirur aliunde ſi quos poterat litteratos, quod hominum genus Britannia tunc habebat rariſſimum. Relatum eſt ſiſciranti de Roberto & de eius ſeueritate & ſtudio & dixerunt: De quo loquimur, Robertus nomine, tuus naturalis eſt, nam & Redonenſis eſt. Tuiſque inſtitutionibus ſatis accommodus: *liberalibus ſiquidem Diſciplinis apprimè eruditus eſt*, corpore vegetus & morum honeſtate compoſitus. Euectione præparata venerandus Pontifex *dirigit Pariſius* & accerſitum taliter alloquitur. Vides, inquit, frater Chariſſime, quomodo ſancta Redonenſis Eccleſiæ mater tua ſine regimine vacillat hoc præſertim tempore, cum me pœne laïcum ei contigerit præeſſe.

Eſto igitut quæſo, in Reſponſis Eccleſiaſticis noſter interpres: audiam te & loquêris in me. Poteris proculdubio Dei populo prodeſſe, ſi zelum Dei habens volueris nobiſeum aliquantulum militare. Annuit Robertus loquentis obſecrationibus & iam ſollicitè occupabatur Eccleſiaſticis occupationibus & neceſſitatibus: in omnibus agendis Deum anre oeulos habebat, in nullo deſidioſus erat, turpis lucri à ſe cupiditatem extricabar, & in ſingulis legalirer ſibimet imperabat, Epiſcopo ſuo per omnia fideliter patrocinabatur: nam & eius pattocinium Epiſeopus licet Patronus non dedignabatur. Quatuor igitur annis apud Epiſcopum ita demoratus Archipreſbyter pacem inter diſcordes reformando, Eccleſias ab infami Laicorum ancillatu liberando, inceſtas ſacerdotum & Laïcorum copulationes dirimendo Simoniã penitus abhorrebat, omnibuſq; vitiis viriliter reſiſtebat.

Eodem anno Iuo dictus Catnotenſis, vt ſcribit Radulphus de Diceto ſcriptor Anglus, Regularum exceptiones Eceleſiaſticarum in vnum Corpus adunauit huc vſque.

Anno 1091. Bernardus poſt futurus Abbas Clare-vallenſis naſcitur in Burgundia apud Caſtellum Fontanenſe iuxta Diuionem, Patre Tecellino Caſtillionæo, Matre Aletha Monbarrenſi. Eodem anno habita eſt ſynodus Epiſcoporũ Pariſiis, in qua confirmata ſunt à Rege Philippo priuilegia, quæ à prædeceſſoribus ſuis Eccleſiæ Regiæ Compẽdienſi fuerant conceſſa. Quam in rem extat inſtrumentum 2. Tomo Spicilegij Dacheriani, cui Gaufridus Epiſcopus Pariſienſis ſubſeripſit, vt Archicancellarius. Et in alio inſtrumenro eonfecto an. 1085. in ſynodo Compendienſi idem Philippus ſignum apponit ſuſcribente Gaufrido his verbis. *Actum Compendij Palatio...Goffrido Pariſiorum Epiſcopa Archicancellario noſtro.* Vnde paret tum Remenſem Archiepiſcopum Iure Archicancellariatus, quod ſuæ ſedi addictum putabat, excidiſſe. 1091.

Anno 1092. vt habetur in Chronico S. Petri Viui, Philippus Rex Franciæ dimiſit vxorem ſuam nobiliſſimam nomine Bertham, ex qua Ludouicum filium ſuſceperar: & Bertradam Fulconis Andegauenſium Comitis vxorem inuito marito accepit, quam ad annum vſque circiter 1106. retinuit. Quæ res multorum in Francia diſſidiorum cauſa fuit. Hoc vt intellexit Vrbanus, ſeueriſſimè per litteras obiurgauit Rainoldum Archiepiſcopum Remenſem & Suffraganeos, quod tale diuortium Eccleſiæ authoritate non prohibuiſſent. 1092.

Si ſacerdotale quod geritis officium, conſideratione debita penſaretis, tanti facinoris infamia ad aures noſtras ſaltem impunita non perueniſſet. Cum enim Domini Iſrael ſpeculatores à Deo dati impiis impietates ſuas annũciare, & pro domo Iſrael murum opponere deberetis, qualibet ratione vos pati potuiſſe miramur, vt tam inclyti Regni Rex humani pudoris oblitus, diuini tempotis immemor, contra ius, eontra fas, contra legum & Canonum ſanctiones, conrta totius Catholicæ Eccleſiæ conſuetudines & ſuam vxorem inordinarè relinqueret, & propinqui ſui coniugem amore ſibi nefatio copularet. Quod factum vtique & Regni totius confuſionem

& Eeclesiarum veſtarum diſſipationem portendit, & ad animam veſtram redundat infamia. Peccanti enim cùm poſſis non contradieete, conſentite eſt. Te autem Chariſſime Confrater Rainolde, noxa hæc maximè impetit, pro eo quod Siluanectenſis tibi ſubiectus Epiſcopus hoc publici adultetij ctimen ſuo, vt audiuimus, fitmauit aſſenſu, cùm mœchis illis benedictionis ſacerdotalis manum impoſuit. Quod & ſi licitè nuberent, bigamis tamen impendi ſecundum Canones non licèret. Nunc igitur vobis authoritate Apoſtolica præcipimus, vt his viſis apicibus, quod etiam non iubentibus nobis iam dudum feciſſe veſtram prudentiam decuiſſet, maturè conuenire curetis Regem & ex Dei & noſtra pariter & veſtra parte inſtanter commoneatis, arguatis, obſectetis, increpetis & à tanto tamque horrendo facinore deſiſtere compellatis.

Quod ſi contempſerit, & nobis & vobis neceſſitas imminebit, vt ad vlciſcendas Diuinæ legis iniurias pro noſtri officij debito accingamur, & Phinees gladio Madianitas adulteros perforemus. Eandē quoquè inſtantiam pro ereptione confratris noſtri Carnotenſis Epiſcopi adhibete. Quòd ſi monitis veſtris qui eum cœpit, obtemperare contempſerit, vos & ipſum excommunicationi ſubiicite, & caſtellis in quibuſcumque eum retinuerit, & terræ eius diuinum Officium interdicite, ne ſimilia deinceps in viris huius ordinis præſumantur. Vt ordinem veſtrum diligitis, ita hoc accelerare omnibus modis ſatagetis. Valete. Data 6. Kal. Nouemb. an. videlicet Dei Chriſti 1092.

Eodem anno Iuo decus & ornamentum Galliarum, Bellouaci natus, apud Canonicos Regulares S. Quintini Bellouacenſis Liberalibus Diſciplinis apprimè inſtitutus, eiuſdem deinde Cœnobii Præpoſitus & Abbas ad Carnotenſem ſedem promouetur, & conſecratur Capuæ 23. Nouemb. ab Vrbano Pontifice, vltro cedente Gaufredo, qui ſimoniacæ prauitatis reus factus ſub Gregorio, deinde ſub Vrbano crimen faſſus eſt, ſeque indignum reputans Epiſcopatum eiurauit. Qua de re ſic Vrbanus ad Clerum Carnotenſem.

Vrbanus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei dilectis in Chriſto filiis Clero & Populo Carnotenſi ſal. Apoſt. bened. *Nos quidem tum B. Mariæ ſemper Virginis deuotione & reuerentia, tum pro noſtri Officij debito Eccleſiæ veſtræ dilectionem, protectionem & curam ſpecialius intendentes*, eiuſque labores diuturnos quos à Gaufredo quondam Epiſcopo paſſa eſt, propenſiore animo perpendentes, rei veritate diutius atque diligentius pertractata, largiente Domino iuſtitiæ ſatisfecimus. Bonam itaque animi veſtri voluntatem præuenientes, ac ſubſequentes venerabilem virum Iuonem Presbyterum, quem Gaufredo per nos depoſito Catholicè atque Canonicè ſecundum noſtra monita elegiſtis, ne quod vlterius hac in re detrimentum veſtra Eccleſia pateretur, ſine moræ longioris obſtaculo conſecrauimus. Nunc eum ad vos remittentes tanquam B. Petri manibus conſecratum, B. Petri vice vos rogamus abſque obſecramus, quatenus eum benignè ſuſcipientes, debita vt veri Paſtoris obedientiâ honoretis, debita ſollicitudine, quæ vobis annunciauerit obſeruetis, & vt ipſe Deo placere & cum pro veſtris valeat exceſſibus dignè intercedendo placare, vos quoque placare Deo totis conaminibus, procurate. Si enim placere Deo ſtudueritis, Paſtorem procul dubio Deo placentem habebitis. Nos quoque in veſtris opportunitatibus ad exaudiendum paratos inuenietis. Porro de Gaufredo, qui ſine conditionē omni noſtris manibus Epiſcopatum reddidit, indignum ſe parenter agnoſcens, præcepimus & præcipimus ne quis ei vllo modo ad Epiſcopatum reinuadendum vel inueſtiendum aſſenſum accommodare præſumat, aliàs & ipſum ipſius fautores excommunicationi ſubiicere cenſemus. Obedientes verò monitis noſtris gratia Dei cuſtodiri. Datum Capuæ 8. Kal. Decemb.

Idem Pontifex eodem argumento dat litteras ad Richerium Archiepiſcopum Senonenſem: quibus inſinuat ſe in conſecratione Iuonis nihil velle ipſius iuribus derogatum, mandatque vt eum pro Epiſcopo Carnotenſi agnoſcat: at ille nullatenus eum ſe recepturum remandat, eo quod inuaſiſſet Gaufredi ſedem adhuc viuentis, & quod inobediens & ſuperbus eſſet. Iuo crimina iſta diluit Ep. 8. ad Richerium: ſed fruſtra. Richerius contra ipſum Stampis habet ſynodum, damnatque tanquam intruſum & Regiæ Maieſtatis reum: quodque ſpreto Metro-

politano Romæ conſecrationem obtinuiſſet. Ad hæc eadem, quæ Ep. 8. reſpondet Iuo, nec Epiſcopatum ambiuiſſe, nec Epiſcopalem benedictionem aut ab ipſo aut à quoquam petiiſſe; ſed ſe Clericorum Carnotenſium primò ingenio, poſtea violentia Regi præſentatum, indeque cum virga paſtorali à Rege ſibi intruſa ad Eccleſiam Carnotenſem adductum, cum ipſe Richerius Clericis iiſdem petentibus & pulſantibus nullum diem conſecrationi præfigere voluiſſet, non tamen eorum electioni aſſenſum præbuiſſe, donec certior fieret de Gaufridi depoſitione & ſummi Pontificis voluntate; eum itaque conueniſſe, & iuxta petitionem Cleri Carnotenſis in Epiſcopum ſe ab eo fuiſſe conſecratum.

Porro Iuo à decreto Stampenſi Pontificem appellat, mandatque quæ in Synodo facta fuiſſent. *De cætero*, inquit, *notum facio Beatitudini veſtræ, quod Senonenſis Archiepiſcopus conſilio Pariſienſis Epiſcopi* (Geffridi) *infatuatus, adhibito ſibi eodem Pariſienſi Epiſcopo & duobus aliis non diſſimilis vecordiæ, Meldenſi & Tricaſſino, hoc anno Stampis de Ordinatione quam à vobis acceperam, me inordinatè ſatis accuſauit dicens me in Maieſtatem Regiam offendere, quia à ſede Apoſtolica conſecrationem præſumpſeram accepiſſe. Cum itaque conarentur Gaufridum depoſitum contra Decretum veſtrum in ſtatum priſtinum reformare, & in me depoſitionis ſententiam proferre, ſedem Apoſtolicam appellaui.* Sed acquieuit tandem Richerius, & Iuo Epiſcopus remanſit.

1093. Synodus Sueſſion. contra Roſcelinum.

Anno 1093. habita eſt Synodus Sueſſionenſis à Rainaldo Archiepiſcopo Remenſi contra M. Roſcelinum Nominalium Antiſtitem, Compendienſis Eccleſiæ Canonicum, qui argutiis & ſubtilitatibus ingenij nimis fidens, plurimos errores docendo ſparſiſſe ferebatur. Imprimis enim affirmabat Tres perſonas ſacræ Triados rectè dici poſſe Tres res diſtinctas & ſeparatas, ſicut tres Angeli, tresve homines rectè dicuntur; cum hoc tamen diſcrimine, quod Perſonarum Diuinarum vna eſſet voluntas, vna eademque poteſtas: ſecus non poſſe explicari dicebat, quamobrem, ſi Tres perſonæ ſint vna res, filius dicatur potius incarnatus, quàm Pater aut Spiritus Sanctus. Atque hanc quoque Lanfranci fuiſſe & Anſelmi Beccenſis mentem eſſe affirmabat. Præterea negabat Sacerdotum filios ad ſacros ordines poſſe promoueri. Et quia periculum erat, ne doctrina illa inualeſceret, Rainaldus Archipræſul Remenſis Synodum habuit Sueſſione, tunc loci Epiſcopo Hugone de Petra-fonte: cui adfuit inter cæteros Fulco Beluacenſis Epiſcopus, ad quem Anſelmus tunc adhuc Abbas Beccenſis ſcripſit rogans, vti ſe apud ſynodum purgaret, mentemque ſuam de S. Triade omnibus Prælatis aperiret: verebatur enim ne Roſcelinus publicè aſſereret, quod in ſcriptis & in priuatis Conuentibus dictitare ſolebat, Lanfrancum & Anſelmum idem ſecum ſentire. Sic ergo ille ad Fulconem. Ep. 41. l. 2.

Domino & amico Chariſſimo, Reuerendo Epiſcopo Beluacenſi Fulconi Frater Anſelmus dictus Abbas Becci ſalutem. Audio, quod tamen abſque dubietate credere non poſſum, quia Roſcelinus Clericus dicit in Deo tres perſonas eſſe tres res ab inuicem ſeparatas, ſicut ſunt tres Angeli, ita tamen vt vna ſit voluntas & poteſtas, aut Patrem & Spiritum ſanctum eſſe incarnatum, & tres Deos verè dici poſſe, ſi vſus admitteret. In qua ſententia aſſerit venerabilis memoriæ Archiepiſcopum Lanfrancum fuiſſe & me eſſe. Quapropter dictum eſt Concilium à venerabili Remenſi Archiepiſcopo Rainaldo colligendum eſſe in proximo. Quoniam Ego puto Reuerentiam veſtram ibi præſentem futuram, volo vt inſtructa ſit, quid pro me reſpondere debeat, ſi ratio exegerit. Archiepiſcopum quidem Lanfrancum vita eius multis ex ſapientibus viris nota, quia de eo nunquam aliquid tale ſonuit ab hoc crimine ſatis & abſentia & mors eius omnem de eo nouã accuſationem recuſat. De me autem hanc veram omnes homines habere volo ſententiam. Sic teneo ea quæ continentur in Symbolo, cum dicimus *Credo in Deum Patrem omnipotentem Creatorem Cæli & terræ. Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem. Et quicumque vult ſaluus eſſe, ante omnia opus eſt vt teneat Catholicam fidem.* Et ea quæ ſequuntur. Hæc tria Chriſtianæ Religionis Principia, quæ hîc propoſui, ſic inquam hæc & corde credo & ore confiteor, vt certus ſim quia quicumque horum aliquid negare voluerit, & nominatim quicunque blaſphemiam quam ſupra poſui me audiſſe à Roſcelino dici pro veritate aſſeruerit, ſiue homo, ſiue Angelus, anathema ſit. Et confirmando dicam, quandiu in hac perſtiterit pertinacia, anathema ſit: omnino enim Chriſtianus non eſt, niſi reſipuerit. Inſi-

„ pientiſſimum enim & infinitum eſt propter vnumquemque non intelligentem
„ quod ſupra fitmam petram ſollidiſſimè fundatum eſt, in quæſtionum reuocare
„ dubietatem. Fides enim contra impios ratione defendẽda eſt, non contra eos qui
„ ſe Chriſtiani nominis honote gaudere fatentur. Ab his enim iuſtè exigendum
„ eſt, vt cautionem in baptiſmate factam inconcuſſè teneant. Illis vero rationabi-
„ liter oſtendendum eſt, quàm irrationabilirer nos contemnant. Nam Chriſtianus
„ per fidem debet ad intellectum proſpicere, non per intellectum ad fidem accede-
„ re: aut ſi intelligere non valet, à fide recedere; ſed cum ad intellectum valet per-
„ tingete, delectatur. Cum vero nequit, quod capere non poteſt veneratur. Has
„ autem noſtras litteras ad prædictum Concilium à veſtra ſanctitate portari, aut ſi
„ fortè non iueritis, per aliquem de veſtris Litteratum mitti depoſeo. Quæ, ſi ratio
„ nominis id exegerit, in totius Conuentus audientia legantur, ſin autem, non erit
„ opus vt legantur. Valete.

Habitum eſt autem Concilium, & in eo Roſcelinus interrogatus mentem explicauit erroremque faſſus abiurauit. Verum paulo poſt ſolutum Concilium, hæreticorum more dixit ſe non ob aliam rationem ſententiam ſuam damnaſſe, quàm quia timebat ab ignaro populo interfici & lapidibus obrui, ſeque ſemper in eadem quam coactus abiurarat, ſententia permanere. Quamobrem Anſelmus vt fidem purgaret, hominemque confunderet, Tractatum edidit de Incarnatione, quem Vrbano Pontifici dedicauit, ſtatimque initio Roſcelinum tanquam hæreticum & praua ſentientem condemnat, ſicque ſcribit tum Archiepiſcopus Cantuarienſis factus.

» *Cum adhuc in Becci Monaſterio eſſem Abbas, præſumpta eſt à quodam Clerico in Francia*
» *talis aſſertio. Si in Deo 3. perſonæ ſunt vna tantum res, & non ſunt tres res, vnaquaque per*
» *ſe ſeparatim, ſicut 3. Angeli aut 3. animæ, ita tamen vt potentia & voluntate omnino ſit idẽ;*
» *ergo Pater cum Spiritu S. & Filio eſt incarnatus.* Quod cum ad me perlatũ eſſet, ince-
» pi contra hunc errorem ſcribere quandam epiſtolã, quã par te quadã edita perfi-
» cere contempſi, credens non ea opus eſſe, quoniam & ille contra quem fiebat, in
» Concilio à venerabili Remenſi Archiepiſcopo Rainaldo collecto errorẽ abiura-
» uerat & nullus videbatur, qui eum errare ignoraret, partem tamen illam quam
» perfeceram, quidã fratres me neſciente tranſcripſerunt atque aliis legendam tra-
» diderunt. Quod idcirco dico, vt ſi in alicuius manus pars illa venerit, quanquam
» ibi nihil falſum ſit, tamen tanquam imperfecta & non exquiſita relinquatur. Poſt-
» quam autem in Anglia ad Epiſcopatum neſcio quâ Dei diſpoſitione captus &
» retentus ſum, audiui præfatæ nouitatis authorem in ſua perſeuerantem ſententia
» dicere ſe non ob aliud abiuraſſe quod dicebar, niſi quia à populo interfici ri-
» mebat. Hac igitur cauſa quidam fratres precibus ſuis me coegerunt, vt ſoluerem
» Quæſtionem, qua ipſe ſic irretitus, vt nullo modo ſe ab ea expediri poſſe crede-
» ret, niſi aut incarnatione Dei Patris & Spiritus S. aut Deorum multitudine ſe
» impediret. Quod rogo ne quis putet præſumpſiſſe me, quaſi fortitudinem fidei
» Chriſtianæ meæ exiſtimem indigere defenſionis auxilio.. Si quid ergo de firmita-
» re fidei noſtræ in Ep. diſputauero, non eſt ad confirmandam illam, ſed ad fratrum
» hoc exigentium precibus ſatisfaciendum. Sed ſi ille qui præfatam protulit ſen-
» tentiam, Deo corrigente ad veritatem rediit, nullatenus putet me in hac Ep. con-
» tra ſe loqui, quia iam non eſt quod fuit. Si enim *fuit aliquando tenebræ, nunc autem*
» *lux in Domino*, non ſunt arguendæ tenebræ quæ iam non ſunt, ſed lux approban-
» da quæ lucet. Veruntamen ſiue adhuc ad lucẽ redierit, ſiue non, quoniam ſentio
» laborare plures in ead. Quæſtione, etiam ſi fides in illis ſuperet rationem, quæ illis
» fidei videtur repugnare, non mihi videtur ſuperfluum repugnantiam iſtam diſ-
» ſoluere.

Porro ſynodi Sueſſionenſis decreto prædictus Roſcelinus in exilium amandatus eſt, quamobrem ille in Angliam traiecit; vbi cum Oxonienſibus Magiſtris & aliis Doctis frequentes diſputationes exercuit, Anſelmum Cantuarienſem exagitauit & plurimas turbas in Anglia excitauit adeo vt à Vvillielmo Rege cum infamia eiectus ſit, vt infra patebit.

Eodem ergo anno Anſelmus Abbas Beccenſis à Vvillielmo II. Anglorum Rege ad Cantuarienſem Archiepiſcopatum aſſumitur, quarto poſt Lanfranci obitum anno, cui aſſumptioni & electioni ægrè conſenſit, quia nouerat, Regem

bona Eccleſiaſtica ad profanos vſus iamdiu conuertere conſueuiſſe, ſeque idnon paſſurum fieri, ſi Præſul fieret, præuidebat. Itaque non niſi pridie non. Decemb. an. 1094. conſecratus eſt à Thoma Eboracenſi Archiepiſcopo. Extat inter eius Epiſtolas vna ad Gaufridum Epiſcopum Pariſienſem, qua eum rogat vt mitius agat cum Vvaleramo Cantore Pariſienſi, quem authoritate Epiſcopali cogebat è cœnobio S. Martini Campenſis, cui nomen dederat, reſumere dignitatem & munus Cantoris: quam quidem Epiſtolam ait ſe nullo ſigillo muniuiſſe, non Abbatis, quia non amplius Abbas erat, non Archiepiſcopi, quia nondum conſecratus. Extat quoque eiuſdem ad ipſum Vvaleramum Epiſtola 13. his verbis: *Domino & amico Chariſſimo Vvaleramo olim Cantori Pariſ. Eccleſiæ Anſelmus Epiſc. Audiui, amice Chariſſime, quia propoſitum S. conuerſationis relinquens Monaſterium S. Martini ſub Chariſſimo amico meo D. Priore Vrſone ingreſſus fueras, & valde de tanto bono lætatus ſum, ſed poſtea didici quia D.* noſter Epiſcopus tuus te inde retraxerit, & triſtis factus ſum. Eodem anno Paulus Abbas San-Albanenſis, decedit 3. id. Nouemb. eique poſt quinque annos ſucceſſit Richardus Normanus.

Eodem anno Manigaudus Lutembachius Academiæ Pariſienſis alumnus & Magiſter Marbacenſe Collegium inſtituit, ſeque Canonicis, quos ibi collocauit, adiunxit: ſic enim Bertholdus Conſtantienſis preſbyter in Appendice ad Hermanni Hiſtoriam: *Hoc tempore M. Manegoldus de Lutembach.* Monaſterium Canonicorum apud Marbach inſtituere cœpit, ſeque vnum eorundem Canonicorum communiter & regulariter viuentium eſſe voluit. *Et paulo poſt*, In Alſatia M. *Manegoldus de Lutembach*, mirabiliter Eccleſiaſticam Religionem iamdudum in illis partibus extinctam Deo miſerante reaccendit. Nam inoleſcente apud illos diuturna mortalitate omnes pene Maiores & Militares illius Prouinciæ ad ipſum cateruatim conuenere & de excõmunicatione per poteſtatem ipſi à D. Papa conceſſam abſoluti, & de eorum peccatis reliquis accepta pœnitentja per eum abſolui non ceſſauerunt. Hi omnes D. Papæ Vrbano deinceps fideliter obedire decreuerunt. Vnde & Officia Simoniacorum & Incontinentium Presbyterorum penitus recipere noluerunt. Huius autem obedientiæ D. Manegoldus maxima cauſa fuit. Vnde & magnam inuidiam ſibi apud perfidos excitauit, quam tamen pro minimo reputauit, quia pro Deo contemni etiam glorioſiſſimum eſſe non dubitauit. Scribit idem Author ad an. 1097, fuiſſe ab Henrico Imperatore incarceratum, quod Vrbani partes tueretur. Et ad an. 1100. fuiſſe à Monacho ſuo mirabiliter trucidatum.

Verum crudelis Imperator omnis pietatis oblitus Deo ita permittente plagam domeſticam ſenſit; cum enim concepto in Adeleidem coniugem immortali odio, eam omni genere contumeliarum affectam, carcerum fœtore propè enecatam, demum Nicolaitarum more multis eam ſtuprandam proſtrauiſſet, etiamque proprio filio Conrado, quem Germaniæ Regem deſtinarat, Conradus flagitiũ Patremque deteſtatus ab eo deſciſcit, ſeque ad Mathildem Comitiſſam verè Heroinam confert & ad Vrbanum, cuius authoritate Regnum in Lombardia ſuſcepit, & ſumma cum omnium gratia per 9. annos adminiſtrauit, patremque, quem tamen ſemper Regem Dominumque ſuum appellauit, ex Italia diſcedere coëgit. Hinc Vrbani partes meliorem nactæ ſunt fortunam: vnde ille deinceps totum ſe ad reformationem Eccleſiæ contulit, & ad Hieroſolymam, quæ iamdiu à Sarracenis tenebatur recuperandam. Quod eius deſiderium auxit Petrus Eremita Natione Gallus, patria Ambianenſis, tum fortè ex Oriente reuerſus cum litteris Simonis patriarchæ Hieroſolymitani, quibus auxilium poſtulabat contra Sarracenorum impietatem. Interim Philippus Rex inſtantiſſimè poſtulabat ab Epiſcopis Gallicanis ſuum cum Berthrada Comitis Andegauenſis vxore coniugium approbari, ſimulque diuortium, quod à Bertha fecerat, ob conſanguinitatem, vt prætexebat, ex qua tamen filium Ludouicum ſuſceperat: iamque multi fœdè adulantes & crimini conniuentes aſſentire videbantur. Sed quia inter Gallicanos proceres ſplendore doctrinæ & meritis maximè effulgebat Iuo Carnotenſis, eius præſertim poſtulatus eſt aſſenſus, inſtigantibus pleriſque, quo ſuam obtegerẽt ignauiam turpemque adulationem. Itaque à Rege cum aliis ad Colloquium inuitatus eſt. At ille negauit ſe nuptiarum celebrationi ſubſcripturum vllatenus

Digitized by Google

donec aut Summus pontifex, aut ſaltem Eccleſiæ Gallicanæ Synodus libero decreto eas approbaſſet. Et in haoc rem extat eius ad Rainaldum Archpræſulem Remenſem Epiſtola.

„ Rainaldo Reuerendo Remorum Archiepiſcopo, Iuo humilis Carnotenſium
„ Epiſcopus Conſolationis viſceribus abundare. Expertus quantum ſit periculum
„ Prælatorum iuxta quod in pſalmo legitur: *Qui deſcendunt mare in nauibus fa-*
„ *cientes operationem in aquis multis*: ipſi viderunt mirabilia in profundo; aſcen-
„ derunt ad cælos & deſcendunt vſque ad abyſſos. Anima eorum in malis tabe-
„ ſcebat, & moti ſunt ſicur ebrius, & omnis ſapientia eorum deuorata eſt. In quo
„ per me mious ſapio, veſtro cæterotumque conſilio prudentium informari, vel
„ confirmari deſidero. Nuper enim cum à Domino noſtro Rege fuiſſem inuitatus
„ ad colloquium, quorundam maliuolorum meorum ſuggeſtione obnixè me ro-
„ gauit, vt eſſem ei adiutor io celebrandis nuptiis, quas facere diſponebat cum Ber-
„ thrada dicta Coniuge Comitis Andegauenſis. Ad quod cum reſpondiſſem non
„ ita oportere fieri, quoniam nondum eſſet cauſa definita inter ipſum & vxorem
„ eius, teſtatus eſt pleniter definitam eſſe Apoſtolica authoritate io veſtra veſtro-
„ rumque Coepiſcoporum laudatione. Quo audito reſpondi me hoc ignorare,
„ nec huiuſmodi Nuptiis velle intereſſe, niſi vos earum eſſetis cooſecrator & au-
„ thor, & Coepiſcopi veſtri Aſſertores & Cooperatores: quoniam id competit
„ Iuri Eccleſiæ veſtræ ex Apoſtolica authoritate & antiqua conſuetudine. Quo-
„ niam igitur confido de Religione veſtra, nihil vos de re tam periculoſa & famæ
„ veſtræ & honeſtati totius Regni tam pernicioſa facturum dicturumve, quod non
„ authoritate vel ratione nitatur, ſtudioſiſſimè & deuotiſſimè obſecro Charitatem
„ veſtram, vt mihi fluctuantem veritatem huius rei, quam ſcitis, aperiatis, & ſanum
„ conſilium licet arduum & aſperum ſuper hoc præbeatis. *Malo enim perpetuo Offi-*
„ *cio & nomine Epiſcopi carere, quàm puſillum gregem Domini mei legis præuaricatione*
„ *ſcandalizare.* Sunt etiam latentes cauſæ quas interim tacere me coouenit, pro-
„ pter quas hoc matrimonium laudare non poſſum. Valete.

Hæc Epiſtola ſcripta eſt ante annum 1096, quo Rainaldus obiit, imò ante annum 1094. quo Bertha legitima Regis vxor defuncta eſt. Quid autem reſcripſerit Rainaldus, non habemus. At Rex oihilominus Nuptiarum celebrationi diem dixit, ad eaſque & Iuonem & alios complures Epiſcopos inuitauit. Iuo per Epiſtolam Regi cauſas ſignificauit, ob quas intereſſe non poſſet, eiuſque exemplar ad cæteros inuitatos tranſmiſit. Talis eſt ad Regem Epiſtola.

„ Domino ſuo Philippo Magnifico Francorum Regi, Iuo humilis Carnotenſium
„ Epiſcopus. Sic militare in Regno terreno, vt non priuetur æterno. Sicut Serenitati
„ veſtræ dixi præſens ante iuramentum veſtrum, ita nunc ſcribo abſens, quia huic
„ Nuptiarum ſolemnitati, ad quam me vocaris intereſſe non volo, nec valeo, niſi
„ prius Generalis Coocilii definitione decretum eſſe cognoſcam inter vos & vxo-
„ rem veſtram legitimum interueniſſe diuortium, & cum iſta quam ducere vul-
„ tis, legitimum inire poſſe matrimooium. *Si autem inuitatus fuiſſem ad huius rei diſ-*
„ *cuſſionem in eo loco, in quo cum Epiſcopis Canonicas ſecurè poſſem conferre ſententias,*
„ *vbi temerariam non timerem multitudinem, libentiſsimè que ad hoc venirem, quod lex &*
„ *iuſtitia dictaret, cum audientibus audirem, cũ dicentibus dicerẽ, cum facientibus facerem.*
„ Nunc verò quia abſoluté vocor, vt Pariſius cum vxore veſtra veniam, de qua
„ neſcio vtrum poſſit eſſe vxor, propter conſcientiam meam, quam coram Deo
„ conſeruare debeo, & propter famam quam Chriſti ſacerdotem booam habere
„ oportet apud eos qui foris ſunt, malo cum mola aſinaria in profundum mergi,
„ quàm per me mentibus infirmorum tanquam cæco offendiculum poni. Nec iſta
„ cootra fidelitatem veſtram, ſed pro ſumma fidelitate dicere me arbitror: cum
„ hoc & animæ veſtræ magnum credam fore detrimentum, & coronę Regni ve-
„ ſtri ſummum periculum. Mementote quia primum parentem, quem Dominus
„ vniuerſæ viſibili creaturæ præfecerat, mulier in paradiſo ſeduxit, & ita vterque
„ à paradiſo exulauit. Samſon quoque fortiſſimus per mulierem ſeductus fortitu-
„ dine amiſſa, qua hoſtes ſuperare ſolebat, ab hoſtibus eſt ſuperatus. Salomoo ſa-
„ pientiſſimus propter mulierum concupiſcentiam à Deo apoſtatauit, & ita ſapien-
„ tiam qua præcellebat, amiſit. Caueat ergo Sublimitas veſtra, ne in horum inci-
„ datis exemplum, & ita cum diminutione terreni Regnum amittatis æternum.

Conſulite

Conſulite ergo Angelum magni conſilij, vt accepto ab eo ſpiritu Conſilij inhoneſta & inutilia vitare, honeſta & vtilia in omnibus negociis veſtris valeatis perficere. Valete.

Similiter ad Archiepiſcopos & Epiſcopos inuitatos ſic breuiter ſcripſit Ep. 14. *Archiepiſcopis & Epiſcopis ad Regales nuptias inuitatis.* Iuo humilis Carnotenſis Eccleſiæ Miniſter cũ ſpiritu conſilij ſpiritum habere fortitudinis. Exemplar litterarum quas miſi Domino noſtro Regi, Charitati veſtræ tranſmitto, vt eandem cauſam me habere ſciatis, quam & vos habetis, cur nuptiis ad quas vocati eſtis, ſubtrahere vos debetis. *Vos igitur qui conueniſtis nolite fieri canes muti latrare non valentes, ſed ſicut boni ſpeculatores, Videntes gladium venientem ſuper terram, Buccinæ intimate*: vt cum feceritis quod debetis, veſtras animas & eorum qui ad vocem buccinæ ſe vobiſcum obſeruauerint, vobiſcum liberetis.

Rex ægre ferens ita ſe repulſam paſſum (nam cæteri Epiſcopi exceptis paucis cum nonnullis Theologis nuptias illas approbare recuſarunt), iniuriam ſibi factam vlciſcitur, & vnum pro multis Iuonem quaſi authorem peruicaciæ vexat, bonis Eccleſiaſticis ſpoliat, aut diripienda permittit, contumacem appellans, infidelem & in ſententia nimis obſtinatum, quandoquidem complures etiam docti viri nihil in ea re mali eſſe profitebantur. Denique mandat vt coram veniat peruicaciæ rationem redditurus. At ille ſe hac Epiſtola ſic excuſat.

Philippo Piiſſimo Francorum Regi Domino ſuo Iuo humilis Carnotenſium Epiſcopus *ſic gubernare temporale Regnum vt non amittat æternum.* Quoniam præcedente Diuina gratia de ſtercore pauper vſque ad ſolium Principum per manum veſtram eleuatus ſum, fateor me poſt Deum propoſſe meo cuncta vobis debere quæ veſtro congruũt honori & ſaluti. Sed quia exaſperatus propter ſalubres monitus quos Serenitati veſtræ ex ſumma fidelitate & charitate direxi, me diffiduciaſtis ac bona Epiſcopalis domus diripienda aduerſariis noſtris expoſuiſtis, grauia & grandia inde perpeſſus incommoda, Regali curiæ ad præſens nec ſecurè poſſum intereſſe nec honeſtè. Supplico itaque Maieſtati veſtræ, vt Regia interim me manſuetudine ſupportetis, donec poſſim aliquantulum reſpirare; & damna quæ mihi vſque ad penuriam panis inflicta ſunt, aliqua ex parte reparate. Exſpecto etiam per miſericordiam Dei cito futurum, vt verum eſſe cognoſcatis illud prouerbium Salomonis: *Meliora ſunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oſcula blandientis.* De cætero calumniatoribus meis, quibus me reſpondere iubetis, cum inſinuatum fuerit, qui ſint & quid expoſtulant, reſpondere non ſubterfugiam, vel in Eccleſia, ſi Eccleſiaſtica ſunt negotia, vel in curia, ſi ſunt Curialia. Bened. Valete.

Anno 1094. habitum eſt Auguſtoduni Æduorum Concilium 32. Epiſcoporum Præſide Hugone Lugdunenſi legato Apoſtolico, cui etiam interfuerunt Abbates quamplurimi & viri Religioſi, vt legitur in Chronico Virdunenſi: ibique tum primum decreta eſt expeditio Hieroſolymitana ad ſubſidium Chriſtianorum, qui in Oriente à Barbaris & infidelibus opprimebantur. 1094.

Eodem anno cum Roſcelinus exularet in Anglia, quæſtionem mouit de Preſbyterorum filiis, contendens ad ſacros ordines nullatenus debere promoueri. Theobaldus Stampenſis qui tunc Oxoniæ ſcholam Theologicam exercebat, contrariam ſententiam propugnauit, in eamque rem Epiſtolam ſcripſit ad Roſcelinum, quæ legitur in 3. tomo Spicilegij Dacheriani cum hac inſcriptione. *Ad Roſcelinum Compendienſem Clericum.* Epiſtola autem eſt eiuſmodi. *De Preſbyterorum Filiis.*

Roſcelino Compendienſi Magiſtro Theobaldus Stampenſis Magiſter Oxonefordiæ non plus ſapere quàm oportet, ſed ſapere ad ſobrietatem. Quoniam ſacerdotum filios & alios ex lapſu carnis generatos non ſatis prouida ratione calomniaris, & calumniando illos exleges eſſe nimis impudenter adſtruere conatis, quæ ſuper iis à Patribus ſanctis rationabiliter audiuimus, non quaſi præſumendo, ſed diligentiæ ſubſeruiendo, ad memoriam reuocare curauimus. In Decretis namque Callixti Papæ legendo inuenimus, inueniendo legimus, *Siquis prædicat ſacerdotem poſt Lapſum Carnis per pœnitentiam ad ſacerdotalem dignitatem redire non poſſe, fallitur, nec Catholicè ſentit.* Si verò ſacerdotibus poſt lapſum carnis licet ad ſacros ordines reuerti, multo magis innocentes illos, qui ex lapſu Carnis orti ſunt, ſacris licet ordinibus inſigniri. Errat enim, errat, & os impudens in

blaſphemiā acuit & armauit, qui eos appellat & iudicat exleges, quos à ſeruitute legis in libertatem gloriæ filiotum Dei gtatia liberauit: quia non eſt in feliciter natus qui ad vitam æternam feliciter eſt renatus. Inde Paulus ait de renatis. *Vnum Corpus ſumus in Chriſto*, & alibi *hæredes quidem Dei, cohæredes autē Chriſti. Inde etiam Petrus, in veritate comperi quòd non eſt perſonarum acceptor Deus, ſed in omni gente qui timet Deum & facit inſtitiam eius, acceptus eſt illi.* Et alibi de Renatis. *Genus electum Regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis.* Inde Hieronymus. Cum baptizatus quilibet de fonte aſcenderit, ſacro chriſmate vngitur in vertice, vt cognoſcat ſe promotum eſſe in Regium genus & ſacerdotale, id eſt à Chriſti conſortio Chriſtianus vocetur & æterni Regni cohæres fieti comprobetur. Tegitur etiam poſt ſacram vnctionem caput eius ſacro velamine, vt intelligat ſe exornari diademate, & ſacerdotali ſicut iam dictum eſt, dignitate. Et alibi. Quicunque baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis, ſic ergo. Cuiuſcunque generis ſit ille nouus homo, in vtero generatur, Eccleſiæ generatus vnitati Corporis Chriſti indubitanter aggregatur. Ioannes quoque in Apocalypſi *Qui lauit nos in ſanguine ſuo, & fecit nos Deo Regnum & ſacerdotes.* Qua igitur fronte quidam homunciones non palam, ſed è latibulis loquentes & totam Campaniam libidinoſa peregrinatione polluentes, indignos ſacerdorio iudicant, quos Petrus & Ioannes Regali ſacerdotio dignos eſſe confirmant? Chriſtus quoque in Euangelio docens orare Diſcipulos, primum inquit *Pater noſter*: vnde conſtat omnes renatos eſſe fratres. Et alibi, *Nolite vobis vocare Patrem ſuper terram: vnus eſt enim Pater veſter qui in cælis eſt*, ſi ergo ex eodem Patre, ex eodem S. Matris Eccleſiæ vtero ſumus omnes, nihil eſt quo alter alteri calumniam imponat, nihil ergo alter aduerſus alterum ſuperbire debeat. Et alibi. Dominus inquit; viuo equidem. non maneat *amplius hoc prouerbium in Iſraël, quia filius non portabit iniquitatem Patris. Vt enim anima Patris & ita anima filij mea eſt.* Ideoque Deus naſci voluit de progenie peccatricis, vt dicerent homines peccata parentum non obeſſe ſibi. Vnde in Genealogia Chriſti nulla ſanctarum nominatur, ſed Thamar & aliæ tres, quas diuina Pagina reprehendit, apponuntur, vt qui pro peccatoribus veniebat, de peccatoribus naſci dignaretur. Inde agnus in Paſcha immolandus iuſſus eſt aſſumi ex capreis & ouibus, quia ex iuſtis & peccatoribus verus erat agnus generandus. Plus itaque prodeſt bene vixiſſe, quam de iuſtis parentibus originem duxiſſe. Deus enim vitam hominis, non natiuitatem attendit.

Quod autem ipſi obiiciunt quia exleges legitimæ Eccleſiæ præferendi non ſunt, bona eſt quidem ſententia & certa, ſed indecenter aſſignata. Aſſignant etenim illam renatis illis quos Mater Eccleſia in curia Chriſti recepit, receptos lacte proprio nutriuit, nutritos pane ſuo ſolidauit, qui planè aduerſantur Hieronymo dicenti: *Abſit Domine, vt in tabernaculo tuo ſint diuites præ pauperibus, & nobiles præ ignobilibus.* Vnde Baſilius contra Iudæum quendam de lege ſibi data gloriantem. *Vera Charitas in Chriſti corpore non præfert indigenam alienigenæ, non nobilem ignobili, non pauperem diuiti, ſed potius omnes per adoptionem ſpiritus facit filios per eundem ſpiritum clamantes, Pater noſter dimitte nobis debita noſtra. Sic quoque in Chriſti Corpore, ille ſolus habetur ſublimior, qui fuerit in Dei amore potentior. Vnde Quidam ſapiens contra quendam de nobilitate ſua præſumentem loquitur dicens, ſi longè repetas longeque reuoluas, nomen* ab infami ducis aſylo.

Rurſus quid illi opponunt? quod quando homo baptizatur, non conditio mutatur, ſed peccata abluuntur.

Verum eſt, ſed nullus ambigit hoc eſſe dictum de mundanis conditionibus. Quod ſi quis ſeruus baptizatur, ſeruitus illa non mutatur. Vnde Apoſtolus, ſi ſeruus es, magis vtere, quia ſeruitus illa non eſt contraria coronæ. Vnde alibi.

Seruus ſis, generoſus eris ſi mens bona fiat:
Sis liber, turpis mens tua, ſeruus eris.

Amplius. quod prohibetur ne filij ſacerdotum ad ordines promoueantur, ſic eſt intelligendum ſecundum Auguſtinum, eos qui hanc prohibitionem audiunt ab huiuſmodi concupiſcentiis abſtinere debere. Si enim filius ſacerdotis honeſtè viuit, ordinandus eſt: ſi vero filius militis inhoneſtè viuit, repudiandus eſt: quia magis placet Deo vitæ perfectio & contra peccatum affectio, quàm ſuperba de parētibus gloriatio, filij namque ſacerdotum non ideo quod ſint exleges, refutan-

Digitized by Google

tur, ſicut imperiti homines arbitrantur, ſed vt ſacerdotes à concupiſcentiis carnis refrænentur. Quia nimirum quemlibet ſacro fonte renatum vel plenariè diuina mundat gratia, vel ſacri mundatio lauacri non eſt ſufficiens nec plenaria, quod contradicit fidei Catholicæ. Non enim ſunt exleges iudicandi, quorum Deus ipſe eſt Pater, & quos peperit Chriſti gratia omnium regeneratorum piiſſima mater, nec debemus illis delictum Patris, ſiue thorum matris improperare, ſed potius perfectionem diligenter attendere: quoniam Patris ſiue Matris perpetratum crimen non poteſt filiis paradiſi claudere limen. Vnde quidam ſapiens. *Quid meruere pati quocunque thoro generati?*

Quod autem filij ſacerdotum ab ordinibus reprobentur, ex rigore Iuſtitiæ factum eſt; ſed nullomòdo iuſtum eſt teſtante Auguſtino, quia non iuſtè pœnā portant qui culpam non commiſerunt. Sic itaque illi prolatores nouitatis noua præcepta dantes & quodammodo virtutem baptiſmatis euacuantes, qui rationibus ſupradictis oblatrant, dum de huiuſcemodi ſcrupuloſè & contentioſè diſputant, quaſi clauſo oſtio ad parietem pulſant. Vt autem maior honor & gloria filiis ſacerdotum accedat, Ioannes Baptiſta quo nullus maior inter natos mulierum ſurrexit, filius fuit Zachariæ ſacerdotis. Maria etenim Mater Domini & de ſacerdotali progenie deſcendit, cum dicatur cognata Elizabeth quæ de Aaron originem duxit. Si autem vellem enumerare omnes de lapſu carnis procedentes, qui principatum in ſancta Eccleſia tenuerunt, prius deficeret vita quàm exempla. Inde etiam Iacob omnes quos de liberis & ancillis genuit filios æquali honore hæredes conſtituit, nec apud illum præſertim qui ſecundùm carnem, nobilior videbatur, Quicunque fidem Domini promeretur, nullis maculis carnalis natiuitatis obfuſcatur. Hoc autem Iacob feciſſe legitur, vt oſtenderet quod non eſt diſcretio, Iudæus an Græcus, Barbarus an Scytha, ſeruus an liber ſit, quia per omnia in omnibus Chriſtus eſt. Propterea enim Saluator noſter & Dominus humanam figuram induit & pro libero & ſeruo ſeruiuit, vt omnibus in ſe credentibus pari honore & gloria cœleſti præmia largiretur. Salomon etiam qui feliciter, ſapienter, ſubtiliter regnauit, docuit, prophetauit, etſi de lapſu carnis ortus ſit, Deus ipſi tamen templum ſuum ædificare conceſſit; Quod Dauid Patri ſuo legitimo Ieſſe ne conſtrueret, prohibuit. In quo nobis Deus patenter innuit, quod magis approbat vitæ ſanctitatem, & morum honeſtatem, quàm legitimæ natiuitatis generoſitatem. Non igitur ſibi applaudat diues & nobilis, nec diffidat pauper & humilis, quia excelſus Dominus humilia reſpicit & alta à longè cognoſcit, humiles reſpicit vt attollat, altos id. ſuperbos longè cognoſcit vt deiiciat. Sicut enim Apoſtolus ait *Non coronabitur niſi qui legitimè certauerit.* Cum dicit *Nemo*, nullus excluditur, in quo ſuperba huius mundi ſtultitia confutatur quæ eum exlegem appellat & iudicat in terris, quem Deus ad dexteram ſuam collocat & coronat in cœlis.

Hanc controuerſiam diremit Vrbanus Pontifex in Concilio Claromontano anno ſequenti, vetās equidem ſacerdotum filios ad ſacros ordines promoueri abſque diſpenſatione Eccleſiaſtica, aut niſi cænobiis nomen dederint, eos tamen cum diſpenſatione S. ſedis admiſit. Verba Concilij & Vrbani refert Antoninus Parte 2. tit. 16. c. 1. *Presbyterorum filios à ſacris miniſteriis remouemus, niſi aut in Cænobiis, aut in Canonicis* ſcilicet Regularibus *fuerint religioſè conuerſati.* Similiter Pontifex ſcribens Archiepiſcopo Turonenſi. *Cenomanenſem electum, inquit, eo quod filius ſacerdotis dicitur, ſi cætera virtutes in eo conueniunt, non reiicimus, ſed ſuffragantibus meritis eum patienter ſuſcipimus, non tamen vt pro regula in poſterum hoc aſſumatur: ſed ad tempus Eccleſiæ periculo conſulitur.*

His poſtremis verbis innuit tunc temporis, cum vix paterentur Presbyteri ſuas 1095.
ſibi auferri vxores, Eccleſiæ viſum fuiſſe non prudenter factum iri, ſi eorum filij omnino à ſacris officiis & ordinibus arcerentur, vt volebat Roſcelinus: ſed eatenus tantum reiiciendos, donec cum iis ab Eccleſia diſpenſatum fuiſſet. Itaque mirum non eſt, ſi Roſcelinus in Anglia tam malè audiuit (vbi plurimi erant concubinarii & vxorati ſacerdotes,) vt iuſſu Vvillielmi Regis eū infamia electus fuerit. Verum neque regreſſus in Franciam, modeſtior fuit, ſed modò hos, modò illos aut mordacibus ſcriptis, aut verbis atrocioribus carpens, cæteris Magiſtris importunus & intolerabilis erat. Extat Epiſtola cuiuſdam M. Petri Theologiæ

Profeſſoris conquerentis apud Goisfridum ſeu Gaufridum Epiſcopum Pariſienſem, quod Roſcelinus plurimas contumelias & opprobria euomuiſſet in Opuſculum quoddam de S. Trinitate, aduerſus ipſius hæreſim in ſynodo Sueſſionenſi damnatam à ſe compoſitum, eaque videtur ſcripta circa an. 1095. poſt ipſius Roſcelini ex Anglia fugam. Talis autem eſt.

„ Gaufrido D. G. Pariſiacæ ſedis Epiſcopo vnaque venerabili eiuſdem Eccle-
„ ſiæ Clero Petrus debitæ reuerentiæ ſubiectionem ſempiternam. *Relatum eſt no-*
„ *bis à quibuſdam Diſcipulorum noſtrorum ſuperuenientibus, quod erectus ille & ſemper*
„ *inflatus Catholicæ fidei hoſtis antiquus, cuius hæreſis deteſtabilis tres Deos confiteri,*
„ *imò & prædicare Sueſſionenſi Concilio à Patribus conuicta eſt, atque inſuper exilio pu-*
„ *nita, multas in me contumelias & minas euomuerit viſo opuſculo quodam noſtro de fide*
„ *S. Trinitatis maximè aduerſus hæreſim præfatam, quâ ipſe infamis eſt, conſcripto.*
„ Nunciatum inſuper nobis eſt, à quodam Diſcipulo noſtro, cui ille locutus eſt,
„ quod vos tunc abſentem exſpectaret, vt vobis in illo Opuſculo quaſdam hære-
„ ſes me inſeruiſſe monſtraret, & vos quoque contra me, ſicut & omnes quos niti-
„ tur, commoueret. Quod ſi ita eſt, vt in hoc quoque nunc ille perſiſtat, precamur
„ vos Athletas Domini & fidei ſacræ defenſores, vt ſtatuto loco, tempore con-
„ uenienti me & illum conuocetis, & coram Catholicis & diſcretis viris,
„ quos vobiſcum prouideatis, quid ille aduerſum me abſentem muſſitet,
„ audiatur & debitæ correctioni ſubiaceat, vel ille de tanti criminis impoſitione,
„ vel ego de tantâ ſcribendi præſumptione. Interea autem Deo gratias refero,
„ quod ſummum Dei inimicum & fidei labefactorem in fide contrarium ſi perfero,
„ & pro fide quâ ſtamus, dimicare compellor, & quod de numero bonorum ho-
„ minum iam eſſe videor ex eius infeſtatione, quem ſolis bonis conſtat ſemper eſ-
„ ſe infeſtum: Cuius tam vita quàm Diſciplina omnibus eſt manifeſta. Hic con-
„ tra egregium illum præconem Chriſti Robertum Arbroſcello contumacem au-
„ ſus eſt Epiſtolam confingere, & contra magnificum illum Eccleſiæ Doctorem
„ Anſelmum Cantuarienſem Archiepiſcopum adeò per contumelias exarſit, vt ad
„ Regis Anglici imperium ab Anglia turpiter impudens eius contumacia ſit eie-
„ cta, & vix tum cum vita euaſerit. Vult eum infamiæ habere participem, vt per
„ infamiam bonorum ſuam conſoletur infamiam. Nec niſi bonum odit, qui bo-
„ nus eſſe non ſuſtinet, qui ob intemperantiam arrogantiæ ſuæ ab vtroque Re-
„ gno in quo conuerſatus eſt, tam Anglorum ſcilicet quàm Francorum, cum ſum-
„ mo dedecore expulſus eſt, & in ipſâ, cuius pudore Canonicus dicitur, B. Mar-
„ tini Eccleſia, nunquam, vt aiunt, à Canonicis verberatus morem ſolitum ſerua-
„ uerit. Nomine deſignare quis iſte ſit, ſuperuacaneum duxi, quem ſingularis in-
„ famia infidelitatis & vitæ eius ſingulariter notabilem fecit. Hic ſicut Pſeudo-
„ dialecticus, ita & Pſeudo-Chriſtianus; *cum in Dialectica ſua nullas rem partes habe-*
„ *re æſtimat; ita & Diuinam paginam impudenter peruertit, vt eo loco, quo dicitur Domi-*
„ *minus partem piſcis aſſi comediſſe, partem huius vocis, quæ eſt piſcis aſſi, non partem rei*
„ *intelligere cogitur.* Ne quid igitur miteris mihi, ſi is qui in Cœlum os ponere
„ conſueuit, in terris inſaniat, & qui Dominum perſequitur, membris eius dero-
„ get, & nemini parcat qui nec ſibi parcere poteſt. Valete.

„ Epiſtola iſta ab Andrea Ducheſnio & quibuſdam aliis, Petro Abaelardo malè tribuitur, cuius ſcilicet tempora cum Gaufridi Pariſienſis Epiſcopi temporibus non conueniunt. Gaufridus enim cognomento de Bolonia, Cathedram Pariſienſem tenuit ab an. 1060. ad annum circiter 1095. quo nondum Abaelardus Pariſios venerat, vixque quatuordenis erat. Deinde in eadem Ep. loquitur de tractatu S. Trinitatis quem in Roſcelinum conſcripſerat, & quo in lucem edito aut Diſcipulis in ſcriptis tradito Roſcelinus exarſerat, multaque dicebat ſe in eo notaſſe hæreſim ſapientia. At quo tempore Abaelardus tractatum ſuum de Trinitate edidit, iam Roſcelinus & Robertus Arbricellenſis & Anſelmus Cantuarienſis obierant. Crediderim itaque huiuſce Epiſtolæ authorem eſſe quendam Petrum Theologiæ iis temporibus profeſſorem, qui aduerſus hæreſim Roſcelini in concilio Sueſſionenſi damnatam ſcripſerat, eamque ab eo editam circa hunc an. 1095. paulo ante quàm Gaufridus moreretur, & quàm Anſelmus ex Anglia à Willielmo Rege propelleretur.

Verum vt vt ſit, conſtat Roſcelinum propter inquietum, contumax & mor-

dax ingenium fuiſſe plurimorum Magiſtrorum telis impetitum. Cum ergo ſe videret omnium calamis perſtringi, dentibus commorderi & tanquam hæreticum vndequaque expelli, ignarus quid faceret, confugit ad Iuonem Carnotenſem, rogat vt in tanto rerum ſuarum diſcrimine ſibi opem ferat, aſſeritque ſe toto animo errores ſuos deteſtari. Ad hæc reſponſum extat Iuonis Epiſtola 7. quæ talis eſt.

Iuo Dei gratia Carnotenſium humilis Epiſcopus Roſcelino non plus ſapere, quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem. *Si eſſes Ouis centeſima in deſerto perdita, ſed gregi iam reddita, ſicut exarſerat in te zelus meus, quandiu intellexi te auerſum & aduerſum, ſic requieſceret in te ſpiritus meus, ſi te cognoſcerem ad doctrinam ſanam conuerſum & reuerſum; ſed quia ſcio te Concilium Sueſſionenſe in auribus quorundam quos mecum bene noſti, priſtinam ſententiam tuam clandeſtinis diſputationibus ſtudioſiſsimè defendiſſe, & eandem quam abiuraueras, & alias non minus inſanas perſuadere voluiſſe, non poteſt intrare in Cor meum, quod adhuc fidem tuam correxeris, quod mores in melius commutaueris. Si ergo ex hac occaſione te afflixit & rebus tuis te nudauit quorundam violentorum rapax auaritia, non hoc ex ſe fecit iniuſta eorum violentia, ſed iuſta & correctioni tuæ competens Dei ſapientia*, faciens etiam per malos quamuis neſcientes, bona ſua, cuius veſtem ſcindere conabaris rationibus humanis armatâ, ſed tamen infœcundâ facundiâ. Cum vero multis exemplis Ethici Tractatoris veram conſtet eſſe ſententiam.

Quo ſemel eſt imbuta recens, ſeruabit odorem
Teſta diu.

Non tamen propter me, timerem vel horrerem præſentiam tuam de te ſperans meliora & ſaluti viciniora. Sed quidam Ciues noſtri ad cognoſcendam vitam alienam curioſi, quamuis ad corrigendam ſuam deſidioſi; te quidem odibilem, me verò propter te ſuſpectum haberent, & audito nomine tuo & priſtina conuerſatione tua more ſuo ſubitò ad lapides conuolarent & lapidum aggere obrutum perforarent. Interim igitur conſulo tibi; vt aſſumpta patientia B. Iob quamuis longè impar, cum eo tamen dicas, *Suſtinebo iram Dei, quoniam merui, donec iuſtificet cauſam meam.* Teſtificor enim tibi ſi conuerſus ingemueris & in ſimplicitate fidei degere volens à vanitate carnalis ſenſus tui detumueris, non deerunt ſibi vbera diuinæ conſolationis; & mater Eccleſia quæ deuium exaſperauit paterna ſeueritate, correctum aſſumet materna pietate. Reſtat igitur vt palinodiam ſcribas & recantatis opprobriis veſtem Domini tui, quam publicè ſcindebas, publicè reſarcias; quatenus ſicut multis erroris exemplum fuiſti, ſic de cætero fias exemplum correctionis, ſic enim bono odore præcedente & priſtinum fœtorem conſumente & à nobis & ab aliis diligi & colligi & beneficiis poteris ampliari.

His malis Roſcelinus ſerio ſe tandem ad Deum conuertiſſe videtur, & in Aquitania quò ſe contulerat, cum nec Pariſiis nec alibi in Francia ſecurus conſiſtere poſſet, ſanctam vitam egiſſe. Sic enim de eo habet Chronicon S. Maxentij ad an. 1103. *Eodem tempore florebat vita & conuerſatione ſancta Roſcelinus & Vitalis duo ſancti viri: vnus in Aquitania, qui conuiuia magna pauperibus tribuebat, alius in Normania & terra Anglorum, tertius quoque Monachus in Britannia & Turonia finibus florebat Rainaldus.* Tunc quoque temporis alia Quæſtio verſabatur in Scholis & inter Doctos agitabatur de Baptiſmo paruulorum: an ſcilicet eo priuati damnarentur, an Miſericordia diuina ſaluarentur, quaſi nihil meriti pœnæ nullo admiſſo crimine. Pharitius Abbas Abindonienſis non poſſe ſaluari contendebat, & Theobaldum Stampenſem quaſi contra ſentientem criminabatur. Itaque ille data ad eum Epiſtola fidem explicat, & aſſerit pueros ſacramento Baptiſmi non regeneratos æternam beatitudinem aſſequi non poſſe. Tunc enim Theobaldo Oxonienſis Academiæ Magiſtro, quia Gallus erat, Angli recenter Normanicæ dominationi ſubditi inuidebant, Normanoſque omnes & Gallos lethaliter oderant. Quia verò huiuſce temporis Hiſtoriam illuſtrant huiuſmodi contentiones, non pigebit his Annalibus attexere Epiſtolam Theobaldi quæ legitur in 3. tomo Spicilegij Dacheriani.

Pharitio venerando Habindonenſis Eccleſiæ Prælato Domino ſuo & indubitanter amico Theobaldus Magiſter Oxencfordiæ ſic ſuorum curam ſubditorum

getere, ne mors in olla dicatur eſſe. Quod mihi morum veſtrorum honeſtatem & filiorum non fictam Charitatem prædicanti calumniam de ſaluatione puerorum non baptizarorũ, ira ex abrupto, ita etiam digito diſcretionis remorò ſicut plures aiunt, nudius tertius impoſuiſtis, vehementer admitor; cum prius vt homo diſcretus debuiſſetis eſſe cognitor, quã vt ita dicã ſalua reuerentia veſtra, fictæ criminationis accuſator, & cum omnis Eccleſia ſic de eorundem perditione potius definiat, quod aliquem Catholicè ſentientem in ambiguum non relinquat. Omnes enim qui Catholicè ſentiunt, indubitanter aſſerunt & aſſerendo non temerè definiunt aliquem hoc tempore minimè membra Chriſti fieri poſſe, niſi ex aqua viſibili & ſpiritu inuiſibili regeneratum, vel quod alio tempore contingere potuit, aliquo alio genere Baptiſmatis purificatum. Vnde ab Cypriano inter Martyres reputantur, qui ſæuiente perſecutione cauſa Chriſti ſanguine ſuo baptizantur. Inde Auguſtinus de natura & origine animæ ad Victorem ſcribens ait, *Noli dicere, noli credere, noli docere ſacrificium Chriſtianorum pro eis qui non* baptizati de corpore exierint, offerendum, ſicut ſacrificiũ Iudæorum pro eis qui non circoncisi de corpore exierint legimus nullatenus, eſſe oblatum. Inde Hieronymu ſcõtra Iouinianum, pueri ſi ſtatim poſt baptiſma moriantur, per ſacramentum pœnitentiæ & fidei ſaluari dicuntur. Sacramentũ enim pœnitentiæ notatur vbi dicitur, ABRENVNTIO, Sacramentum vero fidei innuitur, vbi dicitur CREDO. Manifeſtum eſt, igitur quod conſequens eſt pueros hoc tẽpore non baptizatos proculdubio damnari: baptizatos vero ſi ſtatim hominẽ exuant, indubitanter ſaluari. Si quis autem veritatis inimicus, contra hanc ſententiam Catholicam, vellet delatrare, paratos eſſem eum ſacrilegum & canem improbum ſcripto & viua voce confutare. De natiuitate vero ſententiarum hoc ſolum vobis reſpondeo, quia multo magis gratulor imitari non errabunda priorum Doctorum vigilantium veſtigia, quàm modernorum dormitantium ſequi falſas opiniones & ſomnia. Quod enim veteres Doctores vix pertingere potuerunt vigilando, hoc quoque Iuniores docere præſumunt dormitando. Vigilantes autem Doctores dicuntur, qui ſanè referunt quod à ſanctis Patribus rationabiliter audierunt. Doctores vero dormitantes appellantur, qui ex parte ſua ſemper aliquid nouitatis afferre laborant. Vnde Hilarius Pictauienſis ait in libro quem de Trinitate compoſuit; Optimus quidem Lector eſt qui refert. Sciatis igitur me non de differentibus, ſed de referentibus eſſe; & quandiu vita comes fuerit, in hoc diligenter perſeuerare. Hanc autem excuſationẽ nolite iudicare inuectionem. Non enim iudicanda eſt Inuectio, ſed rationabilis potius excuſatio & facta bono zelo. Nolo enim facere mihi inimicum, quem veſtra bona moralitas nuper peperit amicum; nec mihi, nec vobis deſcribitur illud Prouerbium, *Occaſiones quærit qui vult recedere ab amico*. Valete, veſtrum venerabilem Conuentum vice noſtra ſalutare, principaliter autem veſtrum bonum Priorem amicum noſtrum interiorem.

Circa hæc tempora orto inter Vvillielmum Angliæ Regem & Anſelmum Cantuarienſem diſſidio, propterea quod Rex ſibi petierat numerari & dari mille libras argenti, aiens ſe promotioni eius gratis annuiſſe, Anſelmus vero nihil intereſſe dicebat an ante an poſt promotionem pecuniam daret, vtrobique enim ſimoniæ crimen incurri, eo tandem res deuenit, vt Anſelmus iram Regis veritus ex Anglia diſcedere Romamque ad Vrbanum Pontificem coactus fuerit. Sed demum exilium ſibi delegit in Gallia Lugdunenſi apud Hugonem Archiepiſcopum, vbi ad mortem vſque Vvillielmi fere ſemper reſedit. Ibi autem ille, vt ſcribit Edinerus, librum de Conceptu Virginali & peccato Originali compoſuit, in quo hæc habet præter cætera cap. 18. *Decens erat, vt ea puritate quâ maior ſub Deo nequit intelligi, virgo illa niteret.* Quo deinceps argumento veluti ſacro oraculo & axiomate vſi ſunt & nixi quicunque immaculatæ B. Virginis Conceptioni fuerunt patrocinati. Itaque Anſelmus primus Author fuit Eccleſiæ Lugdunenſi inſtituendi Feſti de Conceptione Virginis; quod quia fecit abſque authoritate ſedis Apoſtolicæ, à D. Bernardo vehementer increpita & reprehenſa eſt, vt ad ſequens ſeculum referemus.

Eodem anno Vrbanus minas potentiamque Imperatoris reformidans, ex Appulia more prædeceſſorum ſuorum ad Franciæ Præſidium confugit, & apud Clarummontem in Aruernia Concilium habet 310 Epiſcoporum, Abbatum 90.

pluriumque Magiſtrorum quos vndecunque acciuit. De cuius Concilii celebritate plurimi ſcripſerunt: at inter alios Guibertus Abbas Nouigentinus ad Liſiardum Sueſſionenſem Præſulem hæc habet. *Annus Incarnati Verbi 1095. properabat euolui, cum Papa valde frequens accelerauit euocare Concilium: cui tandem in vrbe Aruernica Scholaſticiſſimo omnium Præſulum Sidonio glorioſa dedit locum, cui tamen immutato Claromonti conſtat eſſe vocabulum. Quod fuit tantò alias celebrius, quantò excellentis & vſitata perſonæ ora cernere, verba audire erat deſiderabilius. Illic præter Epiſcoporum & Abbatum examina, quos circiter 400. per præminentes ferulas fuiſſe aliqui numerant, totius Franciæ, & Appendicium Comitatuum litteratura confluxit.* Ex his verbis manifeſtè intelligitur Magiſtros ſeu Profeſſores celeberrimos ad Concilium illud fuiſſe vocatos. In eo autem 4. præcipua Capita memorabilia videntur. Primum ad reformationem Diſciplinæ Eccleſiaſticæ pertinuit: tunc enim flagitiorum omnium conſuetudo inualuerat, lattocinia exercebantur impunè, ſimonia vigebat, Sacerdotes publicè vxores ducebant, nemo ad Eccleſiam, imo nec ad ſacros Ordines niſi numeratâ pecuniâ accedebat, & in hanc rem conditi ſunt 12. Canones, quos breui verborum ambitu complectitur Mathæus Pariſienſis. Secundum fuit de coniugio Philippi Regis, quod cum Berthrada Comitis Andini vxore cõtraxerat, & in eum lata eſt ſententia priuationis à Sacris, niſi quantocius eam dimitteret. 3. de Cruciada, ſeu Expeditione Hieroſolymitana ad educendos è captiuitate Turcica Chriſtianos. 4. de Epiſcopatu Atrebatenſi, qui iampridem propter vrbis ruinam vnitus fuerat Cametacenſi, nunc vero reſtitutus eſt, eique Lambertus vir doctus & egregius Præpoſitus, atque à Pontifice conſecratus; quod quidem reſtitutionis priuilegium iam an. 1093. Lambertus Romam cum Achardo Scholarum Atrebatenſium Magiſtro profectus obtinuerat: at hoc anno in prædicto Concilio confirmatum 4. Kal. Decemb. In eodem Concilio agitata eſt Quæſtio de Primatu Galliarum; & tandem vniuerſâ conſentiente Synodo Hugoni Archiepiſcopo Lugdunenſi & ſucceſſoribus ipſius adiudicatus eſt: quam in rem extat hæc Vrbani ad Hugonem Epiſtola.

De Primatu Lugdunenſi.

Vrbanus Epiſcopus Seruus Seruorum Dei. Venerabili Fratri Hugoni Lugdunenſi Archiepiſcopo eiuſque ſucceſſoribus Canonicè promouendis in perpetuum. Ex Apoſtolicæ Sedis debito & ſanctorum Canonum authoritate „
impellimur in omnibus vbique terrarum Eccleſiis prauè acta corrigere, rectè „
ſtatuta firmare. Vnde cum Nos in Galliarum partes venire ſupernæ diſpoſitio- „
nis dignatio conceſſiſſet, curæ nobis fuit apud Clarummontem Aruerniæ Ge- „
nerale Concilium conuocare. Ibi inter alia quę ad Synodalem audientiam „
diſcutienda prolata ſunt, Fraternitas tua de Primatu Sanctæ Lugdunenſis Ec- „
cleſiæ querelam expoſuit, multis iam ante Prouincialibus Conciliis agi- „
tatam. Lecta ſunt in eodem conſeſſu eundem Primatum aſtruentia Ro- „
manæ & Apoſtolicæ authoritatis priuilegia. Cum igitur Richerius Senonenſis „
Archiepiſcopus pro cauſa hac die altero reſpondere præceptus eſſet, nullamque „
excuſationis rationem legitimam reddidiſſet, placuit tamen Nobis ex Apoſto- „
licæ manſuetudinis abundantia ad deliberandum de ſubiectione hac in diem ter- „
tium inducias indulgere. Tertio itaque die cum ſe ille partim pro negotij graua- „
mine, partim pro ægritudinis occaſione, ſynodali Conuentui ſubtraxiſſet, per „
legatos requiſitus & obedire renuens adhuc deliberandi inducias flagitabat. De- „
finitionis etiam iam imminente ſententia rurſum ab Senonenſis Eccleſiæ Suffra- „
ganeis in diem alterum, vt eum familiarius conuenirent, induciæ impetratæ „
ſunt; ea nimirum pollicitatione præmiſsâ, vt etiam ille tunc pertinaciter reni- „
teretur, ipſi tamen definitioni Concilij obedirent. Porro die iam ſexto Concilij „
euoluto cum ille adhuc inducias expetendo reſiſteret, ex totius ſynodi fauore „
& iudicio ſancitum eſt, Senonenſem Archiepiſcopum Lugdunenſi tanquam Pri- „
mati ſubiectionem obedientiamque debere, quia & Catologorum authoritas & „
ſedis Apoſtolicæ idipſum conteſtabatur authoritas. Cui profectò ſententiæ ſe „
humiliter obedituros Senonenſis Eccleſiæ Suffraganei propriâ quiſque voce pro- „
feſſus eſt. Idipſum etiam de Rothomagenſi Eccleſia confirmatum eſt: de Turonen- „
ſi enim, quia iam à retroactis temporibus ſine teſtagatione obedierat, nulla „
iam Quæſtio mouebatur. Die verò Concilij octauo tua iterum fraternitas que- „
ſta eſt Senonenſem Archiepiſcopum à legatis tuis, Aganone ſcilicet Æduenſi & „
Lamberto Atrebatenſi Epiſcopis admonitum, nullam adhuc Lugdunenſi Ec- „

» cleſiæ pro primatu reuerentiam profiteri. Ea propter nos toto conſentiente Con-
» cilio Pallij vſum & Suffraganeorum obedientiam, donec ipſe obediret, Senonen-
» ſi Archiepiſcopo interdiximus. In Rothomagenſem quoque qui aberat, eandem
» ſententiam promulgamus, niſi intra tres menſes poſt ſententiam cognitam, ſi qui-
» dem viuâ voce non poſſet, ſubiectionem debitam ſcripto polliceretur. Ipſius ita-
» que Suffraganeis qui præſentes aderant ſententiam noſtram debitâ humilitate ſuſ-
» cipientibus ac obedientiam promittentibus, ſic tandem Lugdunenſis Eccleſiæ
» querela diuturna annuente Domino terminata eſt. Per præſentis igitur Priuile-
» gij Paginam Lugdunenſi Eccleſiæ tuæ Primatum ſuper 4. Prouincias confirma-
» mus, & per eam tibi tuiſque ſucceſſoribus, his tantum qui eo ordine eoque te-
» nore electi vel promoti fuerint, qui per ſanctæ memoriæ Gregorij VII. Priuile-
» gium prædeceſſori tuo Guibuino præfixus & præſcriptus eſt. Prouincias autem
» illas quas vobis confirmamus, dicimus Lugdunenſem, Rothomagenſem, Turo-
» nenſem & Senonenſem, vt hæ videlicet Prouinciæ condignam Lugdunenſi Ec-
» cleſiæ obedientiam ſoluant & honorem, quem Romani Pontifices reddendum
» eſſe ſcriptis propriis præfixerunt, deuotè humiliterque ſaluâ in omnibus ſedis
» Apoſtolicæ reuerentiâ & authoritate. Si qua ſanè in craſtinum Eccleſiaſtica ſecu-
» lariſue Perſona huius priuilegii paginam ſciens contra eam venire tentauerit,
» &c. Interfuerunt autem definitioni huic Archiepiſcopi diuerſarum Prouincia-
» rum numero 12. cum Epiſcopis 80. Abbatibus 90. & eo amplius. Datum apud
» Clarum-montem Aruerniæ per manum Ioannis S. Romæ Eccleſiæ Diaconi
» Cardinalis Kalend. Decemb. Indict. 3. an. Dominicæ Incarnat. 1095. Pontificatus
» autem Vrbani Papæ II. an. 8.

Eodem quoque anno in ſynodo Placentina editus eſt Canon aduerſus Berengarium teſte Bertholdo Conſtantienſi. *Hæreſis*, inquit, *Berengariana iterum damnata eſt, & ſententia Catholicæ fidei contra eandem firmata.* Item Bruno Treuirenſis Archiepiſcopus Berengarianos è ſua Prouincia eiecit circa an. 1106. quomodo verò erga eos ſe præſtiterit, ſcribit Auguſtinus Thuanus Ep. ad Henricum IV. his verbis. *Cum anno 1060.* (corrige & lege 1006. *Quidam ex Berengarij Archidiaconi ſectatoribus illius doctrinam in Eburonibus, Aduaticis & aliis Belgij populis diſſeminarent, Bruno Treuirorum Archiepiſcopus eos è Diœceſi ſua expellere ſatis habuit, cæterum cruore abſtinuit.* Eam hiſtoriam fuſius deſcribit Author Anonymus lib. de Geſtis Brunonis Treuirenſis Archiep. qui teſtatur ſe adfuiſſe Berengarianorum Examini.

1098. Anno 1098. obit Richerius Senonenſis: eique ſubſtituitur Daimbertus, ſed vetante Hugone Lugdunenſi non potuit conſecrari donec Romam adiit, & præſentibus Legatis ipſius Hugonis ſubiectionem illi promiſit tanquam Primati, ſicque ab ipſo Papa Vrbano conſecratus eſt. Extat in hanc rem Bulla data an. 1099. eſtque talis.

» Vrbanus Epiſ. Seruus Seruorum Dei venerabili fratri & Coëpiſcopo Hugoni
» Lugdunenſi Primati ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Pro querela quam
» aduerſus Senonenſem Eccleſiam & prædeceſſorum tuorum & tua hactenus
» fraternitas vehementer exercuit, quantis clamoribus & noſtro & Anteceſſorum
» noſtrorum tempore ſedes Apoſtolica interpellata ſit, non eſt neceſſarium me-
» morare: quoniam & Anteceſſornm noſtrorum ſcripta indicant, & Conciliorum
» quæ nos authore Deo in Gallia celebrauimus, communis memoria proteſtatur.
» Ea ſiquidem cauſa in plenario Aruernenſi Concilio tractata & definita eſt. Et
» cum Richerius Senonenſis Archiepiſcopus Synodali definitioni minimè acquie-
» uiſſet, in Turonenſi pariter ac Nemauſenſi Concilio per ruam eſt induſtriam re-
» petita, & ſupradictus quidem Richerius pro ſua pertinacia interdictus obiit, ſuf-
» fraganeis eius tibi tanquam Primati ex ſynodali iudicio obedientiam iam profeſ-
» ſis. Frater autem noſter Daimbertus, qui eidem nunc Eccleſiæ diſponente Do-
» mino præſidet, ſicut tibi noſtris ſignificatum eſt litteris, ſub ea querela per mini-
» ſterium meum gratiam conſecrationis accepit. Nuper cum ad Apoſtolorum li-
» mina tam pro eiuſdem cauſæ actione, quàm pro communi ſynodica vocatione
» rediiſſet præſentibus legatis tuis, Iſmeone Dienſi Epiſcopo, Girino Decano, &
» item Girino Capellano ſedis Apoſtolicæ cogente iudicio omni demum tergiuer-
» ſatione caſſatâ in manu noſtra profeſſus eſt, ſe & Lugdunenſis Eccleſiæ ſuper Se-
nonenſem

nonenſem Primatum agnoſcere & de cætero tibi tuiſque legitimis ſucceſſoribus tanquã Primatibus obedire. Similiter etiam pollicitus eſt ſtatuto à nobis tẽpore id. vſque ad proximam B. Dionyſij ſolennitatem ſe ad vos venturum, & in cõſpectu Lugdunẽſis Eccleſiæ idipſum ore proprio profeſſurum, niſi Canonicum impedimentum euenerit, quo tranſacto infra 30. dies idipſum implere curabit. Sic enim Vicariis veſtris, & per eos tibi ac Lugdunenſi Eccleſiæ in manu aſſignauimus præſentibus fratribus noſtris quorũ infra ſcripta ſunt nomina; Anſelmo videlicet Cantuarienſi, Leodegario Bituricenſi, Amaro Burdigalenſi Archiepiſcopis, Gualterio Albanenſi, Odone Oſtienſi, Guntardo Fundano, Leuraldo Siluanectenſi Epiſcopis, Numerio de titulo S. Clementis, Teuzone de titulo SS. Ioannis & Pauli, Ioanne de titulo ſanctæ Anaſtaſiæ noſtræ ſedis Apoſtolicæ Preſbyteris Cardinalibus. Petro Leonis Ioanne Fraiepane Romanis Proceribus. Tua ergo fraternitas quid Apoſtolicæ ſedi debeat propenſiore deinceps & amoris, & obſequij exhibitione perpendat. Romæ apud B. Petrum per manum Ioannis S. Rom. Eccleſiæ Diaconi Cardinalis indict. 7. 8. Kal. Maij anno Dom. incarnationis 1099. Pontificatus Dom. Vrbani II. Papæ XII.

Eodem anno idem Pontifex apud Nemauſum Concilium Prælatorum habuit, in quo nonnulla quæ in Aruernenſi Claromontano propoſita fuerant nec definita, decreta fuerunt, præſertim circa munus poteſtatemque Monachorum in Eccleſiaſticis negotiis. Quæ quidem Decreta leguntur in 4. tomo ſpicilegij Dacheriani & videntur hiſce annalibus inſerenda.

Concilium Nemauſenſe. In Aruernenſi Concilio queſtum eſt de Epiſcopis, qui Altaria Monaſteriis data frequenter redimi pecuniâ compellebant, qui quidem ſimoniacæ prauitatis ramus in Galliarum partibus iam diutius inualuit, vt Eccleſiæ vel decimæ, quæ vulgari vocabulo apud eos Altaria nuncupantur, Monaſteriis datæ ſepius ab Epiſcopis ſub palliata auaritia venundentur, mortuis nimirum Clericis, quos perſonas vocant. Nos authore Deo venalitatem omnem tam ex rebus, quam ex myſteriis Eccleſiaſticis propellentes, hoc vlterius fieri Apoſtolica authoritate prohibemus, ſicut & præbendas omnes venundandas interdicimus. Porro quæcumque altaria, vel decimas ab annis xxx. & ſupra, ſub huiuſmodi redemptione Monaſteria poſſediſſe noſcuntur, quietè deinceps, & ſine moleſtia qualibet eis poſſidenda firmamus, ſaluo vtique cenſu annuo quem ex eiſdem Altaribus habere ſoliti ſunt.

Sanè quia Monachorum quidam Epiſcopis ius ſuum auferre contendunt, ſtatuimus ne in Parochialibus Eccleſiis quas tenent abſque Epiſcoporum conſilio, Preſbyteros collocent, ſed Epiſcopi Parochiæ curam cum Abbatum conſenſu Sacerdoti committant; vt huiuſmodi ſacerdotes de plebis quidem cura Epiſcopo rationem reddant, Abbati verò pro rebus temporalibus ad Monaſterium pertinentibus debitam ſubiectionem exhibeant, & ſic cuique ſua iura ſeruentur.

Sunt nonnulli ſtulti dogmatis, magis zelo amaritudinis, quam dilectionis inflammati, aſſerentes Monachos qui mundo ſunt mortui, & Deo viuunt, Sacerdotali Officio indignos, neque pœnitentiam, neque Chriſtianitatem ſeu abſolutionem largiri poſſe per Sacerdotalis Officij iniunctam gratiam: ſed omnino falluntur. Nam ſi ex hac cauſa veteres æmuli vera prædicarent, Apoſtolicæ ſedis compar B. Gregorius Monachico habitu pollens ad ſummum apicem nullatenus conſcenderet, cui ſoluendi, ligandi que poteſtas conceſſa eſt. Auguſtinus quoque, eiuſdem Sanctiſſimi Gregorij diſcipulus, Anglorum Prædicator egregius; & Panonienſis Martinus aliique quam plurimi viri ſanctiſſimi pretioſorum Monachorum habitu fulgentes, nequaquam annulo Pontificali ſubarrarentur: neque enim Benedictus Monachorum Præceptor Sanctiſſimus huius rei aliquo modo interdictor fuit, ſed eos ſecularium negotiorum dixit expertes eſſe debere: quod quidem Apoſtolicis documentis, & Sanctorum inſtitutis, non ſolum Monachis, ſed etiam nec dum Canonicis ſummopere imperatur; vtriſque enim perſpicacibus Sanctorum Patrum exemplis vt mortui mundo ſint, præcipitur.

Credimus igitur à Sacerdotibus Monachis ligandi, ſoluendique gratiam dignè adminiſtrari, ſi tamen contigerit dignè eos hoc miniſterio ſublimari: quod euidenter affirmat quiſquis ſtatum Monachorum & habitum conſiderat. Ange-

lus enim Græcè, Latinè nuncius dicitur. Sacerdotes igitur Monachi atque Canonici, qui Dei præcepta annunciant, Angeli vocantur, ſed vnuſquiſque Angelicus ordo, quo vicinius Deum contemplatur, tanto ſublimius dignitate firmatur. Nunquid non enim vt Cherubim Monachi, ſex alis velantur; duæ in capitio quo caput tegitur, veris demonſtrantur aſſertionibus, illud vero quod brachiis extenditur, alas duas eſſe dicimus; & illud quo corpus tegitur alas duas: ſic ſex alarum numerus certiſſimè conficitur? Decertantes ergo contra Monachos in hac re Sacerdotalis potentiæ officio præcipimus arceri, vt ab huiuſcemodi inſandis auſibus in poſterum reprimantur: quod quanto quiſque excelſior, tanto & illis erit potentior.

Oportet eos qui ſæculum reliquerunt maiorem ſollicitudinem habere pro peccatis hominum orare; & plus valere eorum peccata ſoluere, quàm Presbyteros ſæculares, quoniam illi ſecundum Regulam Apoſtolorum viuunt, & eorum ſequentes veſtigia communem vitam ducunt, iuxta quod in Actibus eorum ſcriptum eſt, erat illis cor vnum & anima vna, & erant illis omnia communia, ideóque videtur nobis, vt iis qui ſua relinquunt pro Deo, dignius liceat baptizare, date communionem, Pœnitentias imponere, nec non peccata ſoluere. Vnde conſiderare nos oportet quantæ virtutis apud Deum ſint, qui ſeculum relinquentes Domini obediunt præcepto, dicentis: *Relinque omnia quæ habes, & veni ſequere me.* Vnde cenſemus eos qui Apoſtolorum figuram tenent, prædicare, baptizare communionem dare, ſuſcipere pœnitentes, peccata ſoluere.

Quicunque Epiſcopum, Abbatem vel Archidiaconum, vel Presbyterum capere præſumpſerit, publica primum dedecoratus infamia honoris ſui periculum incurrat, & tandiu excommunicetur, & terra ſua interdicatur, quandiu Eccleſiæ ſatisfacere diſtulerit. De cæteris vero Clericis, Canonica teneatur ſententia.

Quoties alicuius Eccleſiæ Antiſtes ex hac vita emigrauerit, duæ de melioribus perſonæ eligantur eiuſdem Eccleſiæ, qui res Epiſcopi defuncti, ſicut ipſe diſpoſuerat, tractent fideliter, & quæ ad Epiſcopatum pertinent, ſucceſſuro Paſtori conſeruent. Quod ſi aliquis Tyrannus res Epiſcopi interim inuaſerit, aut violauerit, excommunicationi ſubiaceat, & Eccleſia illa à diurno ceſſet officio, & minores Eccleſiæ tanquam matri comparientur, quouſque digna ſatisfactio ſubſequatur.

Laïcus qui oblationem Eccleſiæ, ſepulturam, decimam, aut terram ſanctuarij tenuerit, ab omni Fidelium communione ſeparetur.

Quicumque Eccleſias, vel earum bona hæreditaria ſucceſſione poſſident, tandiu Eccleſiaſtico careant beneficio, donec quas tenent Eccleſias; dimittant.

Clericus vel Monachus, qui Eccleſiaſticum de manu laïci ſuſceperit beneficium, quia non intrauit per oſtium, ſed aſcendit aliunde ſicut fur & latro, ab eodem ſeparetur officio.

Sacerdotes quando regendis præficiuntur Eccleſiis, de manu Epiſcopi curam animarum ſuſcipiant, vbi & in tota vita ſua Deo deſeruiant, niſi Canonico degradentur iudicio. Quod ſi ambitionis vel cupiditatis causâ ad aliam ditiorem migrauerint Eccleſiam, vtramque amittant.

Qui publicè conſanguineas, vel adulteras ducunt, quandiu eas tenuerint, excommunicentur.

Raptores qui in rapiendo mortui fuerint abſque Canonica pœnitentia, non ſepeliantur, nec pro eis Miſſa dicatur.

Presbyteri publicè fornicarij degradentur.

Puellulæ vſque ad duodecim annos non nubant.

Nullus habeat licentiam retrahere beneficium ad ſe, vel ab anteceſſoribus ſuis, Eccleſiis collatum, & nec Clericos, vel Monachos in Curiam ſuam ad ſeculare iudicium cogat venire, quoniam hoc rapina eſſet & ſacrilegium.

Nullus Epiſcopus alterius recipiat excommunicatum.

Monachi nullomodo recipiant ad ſepulturam, aut ad quodlibet officium diuinum excommunicatos, vel raptores, aut interdictos.

Annus autem 1096. in apparatu ad expeditionē Hieroſolymitanam pene totus conſumptus eſt : tam feruens enim omnibus inſedit deſiderium proficiſcendi, terramque ſanctam quam Dominus ſacris ſuis pedibus calcauit, à captiuitate Turcica liberandi, vt ſpretis rebus cæteris huic vni ſe omnino applicauerint. Imprimis verò plurimi proceres tam Eccleſiaſtici, quàm Laïci Sermone Pontificis excitati ſe ſuaque omnia in ipſo Concilio omnibus qui aderant teſtibus, ſacræ militiæ conſecrarunt & addixerunt, quorum primus fuit Aimerus Podienſis Epiſcopus, qui ſignaculo Crucis de Papæ manibus accepto Vvillielmum Auraſienſem Præſulem illico ſectatorem habuit, & alios deinde innumeros. E Proceribus verò Laïcis, Hugo Magnus Philippi Francorum Regis Frater, inquit Mathæus Pariſienſis, Godefridus Dux Lotharingiæ, Raimundus Comes Toloſanus, Robertus Dux Normanorum, Robertus Comes Flandrenſis, Stephanus Comes Carnotenſis, Godefridi fratres Balduinus & Euſtachius, aliique plurimi ſignaculum Crucis ſuſceperunt. Signum autem illud erat Crux è purpureo panno confecta, ſuper ſcapulam dextram veſtibus aſſuta, quàm primus è Pontificibus Vrbanus in ſignum ſalutaris expiationis indulſit. 1096.

Hanc expeditionem è ſacris ſuggeſtibus, vehementi feruore ſuaſerunt inter cæteros Robertus de Arbriſcellis Magiſter in Theologia, Vitalis & Robertus Pariſienſis, quorum virorum conſilio & opera in multis Vrbanus vtebatur. Imprimis verò M. Robertum Arbriſcellenſem magni tum nominis in Andegauenſi ditione (quò poſt mortē Silueſtri Redonenſis Epiſcopi ſe contulerat) e Conuentu B. M. de Rora, quem inſtituere incipiebat, euocauit, iuſſitque in ſolenni Eccleſiæ S. Nicolai Andegau. dedicatione 4. id. Feb. an. 1095. ſacram concionem habere: & quia vehementer omnibus placuit, iniunxit ei prædicationis miniſterium, & vt habet Baldricus in eius vita, *Secundum à ſe eum ſtatuit Dei ſeminiverbium.* Hinc tam felicem ſucceſſum habuit expeditio ſacra, vt certatim omnes ad eam concurrerent aut ſubituri militiæ labores, aut è ſuis opibus contributuri. Eam vero deſcripſerunt Fulcherius Carnotenſis Canonicus Comitis Flandrenſis Capellanus, & Petrus Tudebodus Picto, ambo teſtes oculati, quorum hiſtoria legitur in tomo 4. hiſtor. Gall. de Cruce-ſignatorum apparatu ſic habet Fulcherius. *O quàm dignum erat & amænum Nobis omnibus Cruces illas cernentibus vel ſericas, vel auro textas, aut quolibet genere pallij decoras, quas in Clamydibus ſuis aut byrris ſine tunicis peregrini iuſſu Papa prædicti poſt votum eundi ſuper humeros ſuos conſuebant, ſanè pugnatores Dei meritò victoriæ ſigno inſigniri & muniri debebant, qui ob honorem eius ad præliandum ſe præparabant.* Eandem deſcribit Guibertus Abbas Nouigentinus eamque Liſiardo Epiſcopo Sueſſionenſi qui an. 1127. obiit, dedicauit. Eandem verſibus deſcripſerunt Fulco libris 3. & Gilo Pariſienſis Poëtæ, Fulco initia, Gilo progreſſum & variæ diſcrimina ſortis. Fulco quidem poſtquam retulit verba Pontificis Vrbani ad Conuentum Claromontanum, ſubiungit quo ardore cuncti ad iter ſe ſe accinxerint.

His ducibus freta diuinitus agmina ſacra
Inſumunt contra cuncta aſpera, pectora digna,
Non vrbes, caſtra retinent, non prædia larga,
Non thalami, nati, non ſollicitudo paterna,
Quin pro laude Dei concorditer arma capeſſant,
Iuratiſque animis in cuncta pericula currant.
Ergo parant ſe ſe fidei ferrique nitore,
Stipantur paſſim pedites equitumque catervæ,
Quas Liger atque Elaber, Matrona & Sequana mittit.
Quas Arar & Rhodanus, Durentia & Iſara promit.
Axona & Eſia quos agit magnuſque Garumna,
Quas Scaldus, Moſa, Rhenus, pariterque Moſella,
Quas Atheſis pulcher præterfluit, Eridanuſque,
Quas Tiberis, Macra, Vulturnus, Cruſtumiumque.
Concurrunt Itali, Galli pariterque Alemanni,
Noricj, Sueui, tum Saxones atque Boemi.
Piſani ac Veneti propulſant æquora remis.
Oceanus flauis diſtendit vela Britannis.

Dum feruet opus eiuſmodi, Prælati quibus à Pontifice demandatum erat, vt coniugium Regis cum Berthrada diſſoluerent, aut vtrumque cenſuris illigarent, ſancti propoſiti occaſionem arripientes, Regem quibus poſſunt rationibus permouere conantur, vt eam à ſe dimittat, ne mali, ſi quod forte contigerit, cauſa eſſe arguatur. Vnus inter omnes Iuo Carnotenſis, vt coniugium illud ante improbauerat, ita ſe Papæ mandatum executurum minatus eſt, niſi Rex ad ſanius conſilium rediret. Qua de re ſic ſcribit ad Guidonem Dapiferum.

„ Iuo Dei gratia humilis Carnotenſium Epiſcopus widoni D. Regis Dapifero „ Salutem. Cariſſime, quia ſcis te velle laborare de componenda pace inter me & „ Dominũ meum Regem, multas gratias tibi reddo, ſed quia hæc pax nõ poſſet eſſe „ ſtabilis, quandiu voluerit in incepto ſuo durare, conſilium meum eſt adhuc ex„ ſpectare, ſi forte Deus daret ei mentem bonam, vt vellet conſilium ſuum in me„ lius commutare. Quod ſi facere vellet, ſcias omnia eſſe parata quæ neceſſaria ſunt „ ad faciendum diuortium inter eum & nouam coniugem ſuam. Vidi enim litte„ ras quas miſit D. Vrbanus Apoſtolicus ad omnes Archiepiſcopos & Epiſcopos „ Regni ſui, vt eum ad rationem mittant: & niſi reſipuerit, Eccleſiaſtica eum diſ„ ciplina ad emendationem venire conſtringant. Hæ quidem litteræ iam publi„ catæ eſſent, ſed pro amore eius feci eas adhuc detineri, quia nolo Regnum eius „ quantum in me eſt, aduerſus eum aliqua ratione commoueri. Hæc omnia volo, „ vt dicas Domino nõſtro Regi, & ſecundum hoc quod apud eum inueneris, mi„ hi facias remandari. Vale.

Similiter ad Regem ipſum reſcribit reſpondens ad litteras, quas ab ipſo acceperat, vt adeſſet apud Pontiſaram vel Caluum-montem Colloquio quod habiturus erat cum Rege Anglorum Vvillielmo & Roberto Duce Normanorum, cupitque ſe excuſarum, propterea quod abſque offenſa ſummi Pontificis communicare cum ipſo non poterat, donec à Berthrada diuortiſſet.

„ PhilippoD. G. Magnifico Francorum Regi Iuo humilis ſublimitatis ſuæ Cle„ ricus ſic ſe regere, vt Regi Regum valeat complacere. Excellentiæ veſtræ litte„ ras nuper accepimus; quibus ſubmonebat vt apud Pontoeſiam vel Caluum mon„ tẽ cum manu militum vobis die quam ſtatueraris, occurrerem iturus vobiſcum „ ad placitum quod futurum eſt inter Regem Anglorum & Comitem Normano„ rum: quod facere ad præſens magnæ & multæ cauſæ me prohibent. Prima quod „ Domnus Papa Vrbanus interdicit vobis authoritate Apoſtolica thorum mulie„ ris quam pro vxore habetis, quia ſacramentum de ſecuritate Concilij quod vo„ bis mandauerat, fieri vetuiſtis. A cuius commixtione ſi amodo non ceſſatis, ſe„ parat vos eadem authoritas à participatione Corporis & ſanguinis Dominici. In„ terdicit etiam omnibus Epiſcopis, ne capiti illius mulieris coronam imponant, „ quam vt vbique pene terrarum dicitur, lateri veſtro illicitè copulaſtis. Parens „ igitur Maieſtati veſtræ diſſimulo veſtram adire præſentiam, ne ſedis apoſtolicæ „ iuſſione compulſus, cui vice Chriſti parere me oportet, quod nunc dico in aure, „ cogar in veſtris & multorum auribus publicare. Ego autem nolo vos ſcandaliſa„ re, vel Regiam Maieſtatem minuere, quandiu poſſum aliqua honeſta ra„ tione diſſimulare. Præterea Caſati Eccleſiæ & reliqui Milites pene omnes vel „ abſunt, vel pro pace violata excommunicati ſunt, quos ſine ſatisfactione recon„ ciliare non valeo, & excommunicatos in hoſtem mittere non debeo. Poſtremo „ nouit veſtra ſerenitas, quia non eſt mihi in curia veſtra plena ſecuritas; in qua „ ille ſexus mihi eſt ſuſpectus & infeſtus, qui etiam amicis aliquando non eſt ſatis „ fidus. Exſpecto igitur vt aliquando cor veſtrum illuſtrante Diuina clementia con„ tra ſibilum ſerpentis auditum obruretis, & moniris ſalutis aures cordis aperia„ tis. Hoc deſidero. Hinc ante Deum quotidie preces effundo. Valete.

Verum omnium Fidelium monitis, conſiliis & precibus ſurdum ſe præbens Philippus anathemate feritur. Vnde in furorem verſus iugum authoritatis Apoſtolicæ ſe comminatur excuſſurum, atque ab obedientia Vrbani ſe Regnumque ſuum ſubſtracturum & Guiberto ſeu Clementi adhæſurum. Quam in rem Legatos ad Vrbanum mittit doctos & eloquentes viros, Conuentumque Procerum Eccleſiaſticorum indicit interim Trecis. Iuo re cognita Vrbanum admonet, vt firmus ſit in propoſito, neve minis vllis terreatur, aut promiſſis flecti ſe patiatur, ſi Diſciplinam Eccleſiaſticam ſaluam eſſe velit.

Vrbano ſummo Pontifici Iuo ſanctitatis ſuæ filius fidelium orationum munus. Venturi ſunt ad vos in proximo Nuncij ex parte Regis Francorum per quorum os locuturus eſt ſpiritus mendax, qui infatuati adeptione vel promiſſione honorum Eccleſiaſticorum infatuare molientur ſedem Iuſtitiæ. Contra quorum calliditatem à paruitate mea vigilantiam veſtram volo eſſe præmonitam & præmunitam, quatenus rigorem veſtrum promiſſiones eorum non amolliant, comminatione non exterreant. Quidquid enim dicunt, iam ſecuris ad radicem arboris poſita eſt, niſi aut arcum remittatis aut gladium ſuſpendatis. Qui ergo venturi ſunt, confidentes in calliditate ingenioli ſui & venuſtate linguæ ſuæ prædictis de cauſis impunitatem flagitij ſe impetraturos Regi à ſede Apoſtolica promiſerunt, hac ratione ex parte vſuri, Regem cum Regno ab obedientia veſtra diſceſſurum, niſi coronam reſtituatis, niſi Regem ab anathemate abſoluatis. Si autem impœnitenti venia concedatur, quanta ſpes impune peccantibus de cætero relinquetur, non eſt meum inſtruere veſtram prudentiam, cuius potiſſimum intereſt delinquentium errata non fouere, ſed ferire. Si autem aliqui ſubdoli euidenter ab vnitate Matris ſuæ diſcedunt, qui iampridem mente diſceſſerunt, conſoletur ſanctitatem veſtram diuinum reſponſum, Reliqui mihi ſeptem illud vitorum *& illud Apoſtoli.* Oportet hæreſes eſſe, vt ſi qui probati ſunt, manifeſti fiant. *De cætero volo ſciat vigilantia veſtra, quia ex præcepto Regis Remenſis & Senonenſis & Turonenſis Archiepiſcopi inuitauerunt Suffraganeos Epiſcopos, vt poſt Reſponſa apud Trecas prima Dominica poſt feſtiuitatem omnium Sanctorum an. 1096. conueniant. Quo inuitatus ire diſſimulo, niſi veſtro conſilio munitus, timens ne qua contra iuſtitiam & ſedem Apoſtolicam moliatur ille Conuentus. De his itaque & de his quæ circa vos ſunt, quæ libuerit, reſcribat mihi veſtra paternitas* vt in aduerſis compati & in lætis valeam congratulari. *Valete.*

Cæterum Rex eo tandem adductus eſt, vt polliceretur vxorem illam, ſeu verius pellicem ſe dimiſſurum, ſi modo liceret adhuc ſibi aliquandiu cum ea conuerſari & habitare. Multi Principis infirmitati indulgendum putauerunt: Iuo huicce quoque pollicitationi aduerſatus eſt, vt ſcribit ad Guidonem Dapiferum aſſerens neminem poſſe à peccatis abſolui, niſi qui peccatum dimiſerit. Atque ita per plures annos Rex anathemati ſubiectus remanſit, donec tandem pellice dimiſsâ à Paſchale Pontifice an. 1104. abſolutus eſt, vt ſuo loco docebimus.

Eodem anno Hildebertus Lauardenſis inſignis ſcholarum Magiſter apud Cenomanenſes, Berengarij vt aiunt, olim diſcipulus poſt mortem Hoëli factus eſt, & quodammodo raptus à Clero & populo Antiſtes Cenomanenſis: quam promotionem nonnulli ægrè ferentes, propterea quod ex humili genere ortiundus erat, ſiniſtram de ipſo famam euulgarunt, quod nempe muliercularum contubernio vteretur, qua de re Iuo, qui doctrinam eius nouerat & meritorum multitudinem, eum per litteras admonuit, & quantæ caſtitatis eum eſſe oporteret, qui paſtorale munus gereret. Sic ergo ille Ep. 277. *Dicunt quidam de Maioribus Cenomanenſis Eccleſiæ, qui anteactam vitam tuam ſe noſſe teſtantur, quod vltra modum laxaueris frena pudicitiæ in tantum, vt poſt acceptum Archidiaconatum accubante lateribus tuis plebe muliercularum, multam genueris plebem puerorum & puellarum. Tu autem noſti quod probatæ debeat eſſe caſtitatis, qui ſublimatur ad faſtigium curæ paſtoralis.*

Extant huius viri nonnulla Opuſcula & Epiſtolæ, quæ olim in Schola pueris prælegebantur, præſertim verò Carmina ipſis etiam Magiſtris Romanis admiranda videbantur. De eo ſic ſcribit Ordericus Vitalis ad an. 1098. *Hic manſuetus fuit ac religioſus, & tam Diuinarum quàm ſecularium eruditione literarum ſtudioſus, temporibus noſtris incomparabilis verſificator floruit, & multa Carmina priſcis poematibus æqualia vel eminentia condidit, quæ feruidus calor Philoſophorum ſubtiliter rimari appetit, ac ſuper aurum ac topazion ſibi conſiſcere diligenter ſatagit. Eleganter enim & ſapienter loquitur de Chriſto, de Eccleſia, de Corpore & anima, de Geſtis Sanctorum & virtutibus eorum, de laude virtutum & vituperatione vitiorum. A Romanis Cardinalibus qui frequenter Galliarum plagas adeunt, quia manſuetos illic & obedientes ſe reperiunt, plurima Hildeberti Carmina Romam transferuntur, quæ Dicacium ſcholis & Didaſcalis Quiritum admiranda cenſentur. Hic ſacer Heros fere 35. annis præſulatus officium exercuit, ſtudiiſque bonis in docendo ſpecialiter inſtitit.*

Eodem anno 27. Decemb. obiit Richerius Senonenſis Archiepiſcopus peractis in Archiepiſcopatu annis fere 35. ſucceſſit Daimbertus ipſius Eccleſiæ Vice-

dominus. Tunc autem Pariſienſis præſul erat Guillielmus de Montfort frater Berthradæ, electus an. 1094. ille an. 1097. Canonicis & Capitulo Pariſienſi ædem B. Chriſtophori in inſula Pariſiorum ſitam conceſſit: cuius donationis Charta extat in magno paſtorali, cui ſubſcripſerunt ipſe Willielmus, Fulco Decanus, Gualeranus Præcentor, Vulgrinus Archidiaconus, Stephanus & Rainaldus Archidiaconi, Robertus ſacerdos & Amelinus Cancellarius eiuſdem chartæ conſcriptor. Pone illam ædem S. Chriſtophori e regione Noſocomij extructum eſt Collegium Octodecimanum, de quo infra dicetur.

Ad hunc annum notant Hiſtorici mirabilem exercitum Chriſtianorum in terra ſancta progreſſum, expugnatas vrbes, Solymanum captum. Eodem anno Hugo Flauiniacenſis author Chronici Virdunenſis quod Labbei opera prodiit in lucem, fit Abbas Flauiniacenſis, anno à deceſſu Rainaldi vltimi Abbatis ſeptimo, ætatis 32. miſſuſque eſt ab Hugone Lugdunenſi Archiepiſcopo legato Apoſtolico ad Haganonem Æduenſem Epiſcopum conſecrandus, cum hiſce litteris, ex quibus quantus vir fuerit, intelligimus.

» Venerabili in Chriſto Fratri Haganoni Æduenſi Epiſcopo Hugo Lugdunen-
» ſis Eccleſiæ Seruus ſalutem. Quoties humilitatem noſtram dilectio veſtra adierit,
» quotiens nos pro reſtauratione Flauiniacenſis Eccleſiæ rogarit, benignitas ve-
» ſtra ſatis recolit. Quæſiſtis à nobis multa ſedulitate & inſtantia chariſſimum fra-
» trem noſtrum Diuionenſis Eccleſiæ Monachum Hugonem quem nobis aſ-
» ſumpſeramus, cuius nos ſedulitati credebamus, imo cuius lingua vox noſtra erat,
» & quod quæſiſtis, ab inuito & nolente quaſi extorſiſtis. Electionem igitur eius à
» nobis factam Apoſtolica authoritate confirmantes, conſecrationem ipſius pro de-
» bito veſtro vobis imponimus. Certũ habentes, quia etſi corpore abſentes ſumus,
» ſpiritu præſentes ad honorem Dei per Chriſtum in ſpiritu S. conſecrationi eidem
» intererimus & fideles vobis cooperatores erimus. Nunc igitur prædictum fratrem
» & filium noſtrum, quem tanto ſubiicimus oneri, veſtræ ſpecialiter tuitioni contra-
» dentes committimus eum fidei veſtræ. Quem quidem ſemper penes nos volue-
» ramus retinere, ſed ceſſimus inſtantiæ veſtræ. Noſtis quo eum teneamus affe-
» ctu, hoc ipſo vobiſcum committimus. Ei autem conſilium & auxilium noſtrum
» non deerit, qui non ſolum Flauiniacenſi Eccleſiæ, verum quotquot ſunt in Diœ-
» ceſi veſtra pro eius amore parati ſumus pro debito ſubuenire. Ita ergo agite, vt
» idem frater pro adiutorio & conſolatione ſibi impenſa, gratias, nobis habeat re-
ferre, vnde habeatis gratiam ſuper gratiam.

1098. *Ciſtercienſis Ordo.* Ad annum 1098. referuntur vulgò primordia Ciſtercienſis Ordinis eiuſque inſtitutio & fundatio per Robertum Moliſmenſem Abbatem: quam in rem extat hoc diſtichon.

Anno centeno milleno bis minus vno
Sub Patre Roberto crevit Ciſtercius Ordo.

Huicce fundationi dotationem tribuit Odo I. Burgundionum Dux, conſenſum & approbationem Hugo Lugdunenſis Archipræſul & legatus Apoſtolicus. Gualterus verò Cabillonenſis Robertum Cœnobiarcham conſecrauit. De huius Ordinis primordiis ſic ſcribit Cæſarius Heiſterbacenſis lib. 1. Miracul. c. 1. *In Epiſcopatu Lingonenſi ſitum eſt Cœnobium nomine Moliſmus, fama celeberrimum, religione perſpicuum, viris Illuſtribus nobilitatum, poſſeſſionibus amplum, virtutibus clarum. Et quia Diuitiis virtutibuſque diuturna non poteſt eſſe ſocietas, viri nimirum ſapientes & virtutum amatores altius intelligentes licet honeſtè in præfato Cœnobio viuerẽt, minus tamen ipſam quam profeſſi fuerant Regulam, qualiter obſeruarent, conſiderantes, habito inter ſe communi conſilio, viginti & vnus Monachi vnà cum Patre ſuo Roberto vnanimi aſſenſu, eodem ſpiritu venerunt in locum horroris & vaſtæ ſolitudinis nomine Ciſtercium, ibi viuere cupientes de opere manuum ſuarum ſecundum Regulæ præceptum. Anno igitur Dominicæ Incarnationis 1098. Venerabilis Hugonis Lugdunenſis Eccleſiæ Epiſcopi & tunc ſedis Apoſtolicæ legati atque Religioſi viri Walteri Cabillonenſis Antiſtitis, nec non & clariſſimi Principis Odonis Ducis Burgundiæ conſilio & authoritate roborati in prædicto loco Abbatiam conſtruere cœperunt. Et quia Cœnobium de quo exierunt, conſtructum fuerat in honore B. Dei Genitricis Mariæ, tam ipſi quàm eorum ſucceſſores de eodem nouo Monaſterio propagati omnes ſuas Eccleſias in honore eiuſdem glorioſæ Virginis cenſuerunt eſſe dedicandas.* Ad hunc Ordinem complures e noſtris Aca-

demicis omni tempore tanquam ad portum ſalutis confugerunt: quem Radulphus de Diceto ſcriptor Anglus inſtitutum ait an. 1099. eumque vocat *principium Ordinis dealbati.*

At Ordericus Vitalis ad an. 1094. mutationem iſtam veſtium Religioſarum quæ ſolebant olim eſſe nigræ, deſcribit aiens creſcentibus ex vna parte vitiis, creuiſſe quoque ex alia virtutes, & plurimos Doctores Apoſtolicos vitam religioſam fuiſſe amplexos. *Verè diuina pietas*, inquit, *Eccleſiã ſuã crebro viſitat & inuiſibili actu dulcedinis ſuæ conſolatur ne in via deficiat, quotidieque miſſis ad eã fortibus Agonothetis ad luctã corroborat. Hinc ait propheta, pro Patribus tuis nati ſunt tibi filij, Apoſtolis enim aſtra tranſuolantibus Apoſtolici Doctores ſucceſſerunt, qui verbis & operibus in atriis Hieruſalem ſtantes fulſerunt, Deoque ſuorum fructus laborum huc vſque acceptabiles offerunt. Ex abundante iniquitate in mundo vberius creſcit fidelium in religione deuotio, & multiplicata ſeges in agro ſurgit Dominico. In ſaltibus & campeſtribus paſſim conſtruuntur Cœnobia, nouiſque ritibus, variiſque ſchematibus trabeata peragrant orbem Cucullatorum agmina. Albedine in habitu ſuo præcipuè vtuntur, quâ ſingulares ab aliis nobileſque videantur. Nigredo in pleriſque locis S. Scripturæ humilitatem deſignat: quem idcirco colorem Religioſorum feruor hactenus gratanter geſtat. Nunc autem nigredinem quâ priſci Patres tam Regulares Clerici in cappis, quam Monachi in cucullis ob humilitatis ſpecimen vſi ſunt. Moderni tanquam ob maioris Iuſtitiæ oſtentationem, abiiciunt. Inſimulata quoque pannorum ſectione ſuorum ab aliis diſcrepare appetunt.* 1099.

Anno 1099. capta & expugnata eſt Ciuitas Hieroſolymitana à Godefrido & aliis Ducibus Chriſtianorum, omniumque conſenſu Regimen ipſi Godefrido delatum eſt. Patriarcha creatus Arnulphus quidam Sacerdotis vt aiunt, filius: quo ſtatim mortuo Daibertus vir valde eruditus & in rebus Eccleſiaſticis à puero enutritus ſuffectus fuit. Huicce expugnationi e noſtris interfuerunt Tudebodus & Fulcherius Carnotenſis, quorum iſte hos verſus in hanc rem edidit.

Iulius efferuens ter quinâ luce calebat,
Vndecies centum numero ſi dempſeris vnum,
Dicebant annos Domini tunc eſſe peractos,
Cum nos Hieruſalem Gens Gallia, cæpimus vrbem.
Terquinâ Iulius ſplendebat luce micanti,
Vrbem cum Franci capiunt virtute potenti.
Anno milleno centeno quominus vno
Virginis à partu, genuit qua cuncta regentem.

Hiſtoriam iſtam Baldricus Burgulienſis Abbas & alij luculento ac veraci ſenſu deſcripſerunt, ait Gaufridus Prior Voſienſis, & his addit Gregorium cognomento Bechadam de Caſtro de Turribus, profeſſione militem, ſubtiliſſimi ingenij virum, aliquantulũ imbutum litteris, qui ad horum geſta præliorum maternâ linguâ, & rythmo vulgari, vt populus pleniter intelligeret, ingens volumen decenter compoſuit, & vt vera & facta verba proferret, 12. annorum ſpatio ſuper hoc opus operam dedit. Ne verò vileſcant propter verbum vulgare, non ſine præcepto Epiſcopi Euſtorgij, & conſilio Gauberti Normani hoc opus aggreſſus eſt. Hæc ille.

Rebus ita feliciter geſtis multi e noſtris in Franciam redierunt, cum quibus Tudebodus; neque enim vltra id tempus illic remanſiſſe videtur, cum hiſtoriam ſuam vrbis expugnatione terminet. Godefridus autem ſtabiliendo Regno deinceps animum adiecit, legeſque Francica lingua edidit, quarum exemplar Renatus Choppinus refert lib. 2. de Sacra Politia: quarumque fragmentum Nos quoque huicce Hiſtoriæ non pigebit ad commendationem venerandæ antiquitatis attexere. *Deux Chiefs Seignors y a ou Reyaume de Hieruſalem li Spirituel, Patriarche, li temporel, Roy. Li Patriarche a cinq Archeueſques ſuffragans. L'Archeueſque de Sur, l'Archeueſque de Ceſaire, l'Archeueſque de Bethlem, qui eſt dit de Nazaret, l'Archeueſque de Bethſerèt; l'Archeueſque dou Babet qu'on appelle Philadelphe, qui au temps le Roy Amaury fut tranſlaté au Croc, eſt appellé Archeueſque de la Pierre dou deſert, a trois Eueſques Suffragans.*

Ad hocce tempus rectè referre poſſumus Collegij Octodecimani vulgo *Des Dixhuict* fundationem aut certè dotationem, pone D. Chriſtophori ædem ſiti & è regione Noſocomij ſeu Domus-Dei, in vſum ſcilicet 18. Pauperum Scholarium *Collegium Octodecimanum.*

quibus alendis 25. libras annui reditus addixerunt duo Nobiles l a r drenſes ſalui & incolumes ex illa Expeditione Hieroſolymitana reuerſi. Qua de re ſic legitur in Antiquitatibus Pariſienſibus.

Deuant la Porte de l'Hoſtel-Dieu de Paris proche le Paruis Noſtre-Dame il y a vne grande maiſon, où ſouloient eſtre logez, nourris, entretenus & inſtruits aux Lettres Dix-huict Pauures Eſcholiers, qui pour cela eſt encore appellée la MAISON DES DIX-HVIT, & ſi a laiſſé le meſme nom à la Ruelle proche qui tend de la grand' Ruë neuue à S. Chriſtophle. Iceux pauures ieunes Enfans quand ils ſortoient de l'Eſchole auoient de couſtume d'aller ietter de l'eau beniſte, & dire quelque brefue oraiſon ſur les corps des Treſpaſſez qui ſe preſentoient à la porte de l'Hoſtel-Dieu. Ce qu'vne fois voyans deux Flamans recentement venus de Ieruſalem meus de compaſſion ils donnerent auſdits pauures Eſcholiers vingt-cinq liures de rente, qu'ils ont ſur le Domaine du Roy. Depuis leſdits Eſcholiers ont eſté tranſlatez au deſſus de la ruë de Sorbonne deuant le College de Cluny d'vn coſté, & de l'autre, deuant le College de Calwy, au lieu nommé le College des DIX-HVIT DE NOSTRE-DAME.

Ex his intelligimus ætate Ægidii Corrozeti, à quo quæ ſupra relata ſunt, Brolius accepit, Collegium illud vetus vocari adhuc conſueuiſſe DOMVM OCTODECIM, viculumque per quem tenditur ad D. Chriſtophori, idem nomen habuiſſe. Quamobrem verò ibi Collegium fundatum fuerit in gratiam, vſum & habitationem pauperum Scholarium, ratio in promptu eſt, quia nempe tunc temporis in ſcholis Atrienſibus & Clauſtralibus vigebat exercitium literarum; ibique tum magnâ nominis famâ & celebritate docebat M. Guillelmus de Campellis: quanquam & in Monte quoque San-Genoueſiano cum ſplendore & dignitate eadem Artium & omnis generis diſciplinarum profeſſio floreret.

Eodem anno 4. Kal. Auguſti mortem oppetiit Vrbanus Papa, & poſt quindecim circiter dies Rainerius Monachus Preſbyter Cardinalis inuitus ſubſtituitur, nomenque Paſchalis II. aſſumit. Eodem quoque Vvillelmus Rufus Rex Anglorum ſiniſtro quodam fato interficitur à Vvaltero Tirello milite, dum ſagittam in ceruum intendit. Regnum Frater eius Henricus natu minimus occupat, abſente Roberto Normaniæ Comite, & in Bello ſacro iam quinque annos detento. Tirellum tamen ab hac calumnia vindicat Sugerius his verbis. *Imponebatur à quibuſdam cuidam Nobiliſſimo viro Galterio Tirello, quod eum* (Regem) *ſagittâ perfoderat. Quem cum nec timeret, nec ſperaret, iureiurando ſæpius audiuimus & quaſi ſacroſanctum aſſerere, quod ea die nec in eam partem ſilua, in qua Rex venabatur venerit, nec eum in ſilua omnino viderit.* Nobiliſſimum vocat virum, nempe filium Fulconis Decani Ebroicenſis, & fratrem Fulconis de Guarlemvilla. Fulco verò Decanus, vt refert Ordericus, ex paterna hæreditate Feudum militis poſſidebat. Is Fulberti Diſcipulus fuerat, & pro more illius temporis vxorem duxerat nobilem virginem Orieldem, ex qua octo filios genuerat, & filias duas: hos quidem filios, Guarinum, Chriſtianum, Radulphum, Guillielmum, Fulconem, Frotmundum, Hubertum & Galterium cognomento Tirellum; filias vero Alwiſam & Adelidem. *Tunc quippe*, inquit, *in Neuſtria poſt aduentum Normanorum in tantum diſſoluta erat caſtitas Clericorum, vt non ſolum Presbyteri, ſed etiam Præſules liberè vterentur thoris Concubinarum, & palam ſuperbirent multiplici propagine filiorum & filiarum.*

Sed vt ad Vvillielmum redeamus, communis tunc opinio fuit, occiſum à Comite loco Cerui incautè & inopinato. Teſtantur eius Elogia, quæ leguntur inter Carmina hiſtorica Baldrici Burgulienſis loco Epitaphij: & talia ſunt.

Nobilitas, Regnum, prudentia, copia rerum
Tollere Vvillielmo non potuere mori.
Belligerando Pater Normanos vicit & Anglos,
Ambos pacificè filius obtinuit.
Heu fortuna grauis, dum ceruos inſequeretur,
Intercepit eum iacta ſagitta feris.

Aliud de eodem.

Qui Regum magnus fuit admirabilis orbi,
Qui probitate ſua Rexque Comeſque fuit.

Conſul

Conſul Normanis, Rex Angliæ, filius eius
Anglos Normano milite qui domuit.
Dum Ceruos agitat, ſocij ſtridente ſagittâ
Willielmus cecidit, Rex fuit, ecce cinis.

Aliud.

Qui legis hunc titulum, ſubtus agnoſce ſepultum
Anglorum Regem, nunc modicum cinerem.
Hic Vvillielme iaces Vvillielmi filius, Anglos
Qui ferus enſe fero belliger edomuit.
Dum ſequeris ceruos, alter quoque deſtinat ictum.
Ceruo directam paſſus es ipſe necem.

Aliud.

Sub cuius nutu tremuit Normanus & Anglus,
Qui locuplete manu ſæpe pluebat opes,
A patre Vvillielmo neque re neque nomine diſtans,
Qui Conſul, qui Rex inclytus extiterat.
Morte noua Ceruis intenſum pertulit arcum.
Hac quoque magnus homo ſubcineratur humo.

In cadem Silua Richardus filius Roberti Comitis Normanorum, dum venabatur, ſimiliter paulo ante à Milite ſagitta percuſſus occubuerat. Idque ſingulari Dei vltione contigiſſe creditum eſt, quia Willielmus Conqueſtor fugatis habitatoribus, deſtructis domibus & ædificiis, dirutis quoque templis Deo ſacratis, in quibus boni Edwardi temporibus ſacra fiebant, locum illum feris repleuerat & ſiluam nouam vocarat.

SYNOPSIS TERTII SECVLI
DE FORTVNA ET STATV VNIVERSITATIS PARISIENSIS.

FOrtunam Vniuerſitatis in 3. ponimus, in ſubſidio Eccleſiæ ab ea præſtito, in fauore Principum & Priuilegiis. Imprimis non videtur poſſe dubitari, quin Reges Franciæ Academicis ſuis vſi ſint in hæreſibus ſuo tempore & in ſuo Regno ortis confutandis. Prima autem fuit Aurelianenſis; neque enim Leutherici Senonenſis Dubia & Quæſtiones de Euchariſtia Hæreſeon numero accenſere decet, qui & nihil affirmando contra fidem docuit, & à Rege increpitus ſtatim quærere & dubitare deſtitit. Inde tamen Manichæi Aurelianenſes non dubitando, ſed aſſerendo videntur docuiſſe ſacramentum altaris nihil eſſe, nec prodeſſe ad ſalutem.

Hos Robertus collecta ſynodo Epiſcoporum & virorum Doctorum auditos & erroris conuictos, at obſtinatos & impœnitentes flammis damnauit. Quorum Diſcipuli iam magno numero ſparſi variis in locis pari ſupplicio affecti ſunt. Porro ex huiuſce hæreſeos, de qua ad annum 1017. diximus, infauſtis cineribus ſurrexerunt ſequente ſeculo Petrobruſiani, Henriciani, Valdenſes & Albigenſes, vt ſuo loco referemus.

2. Hæreſis, Catachriſticωs tamen & abuſiuè hæreſis dicenda eſt, de S. Martialis Apoſtolatu fuit. Nam Monachi S. Martialis Lemouicenſis contra veterem conſuetudinem in Litaniis communibus Sanctorum Martialem Confeſſorem loco & ordine mouentes Apoſtolis accenſuerunt authore Hugone Abbate; cæteroſque qui maiorum veſtigiis & receptæ conſuetudini inſiſti volebant, Hebionitas appellabant, quaſi hoc duntaxat nixi fuiſſent fundamento, quod nullus ſanctorum Apoſtolis acceſſendus eſſet qui non eſſet de numero duodecim. In hâc rem quinque ſynodi habitæ fuerunt, Pictauienſis, Pariſienſis an. 1024. Bituricenſis & duplex Lemouicenſis. Ad Pariſienſem verò præter Epiſcopos patet ex hiſtoria aduocatos fuiſſe à Roberto Magiſtros ſeu Doctores in rerum iſtarum hiſtoria peritos. Quæ quidem Quæſtio octauo circiter anno poſtquam moueri cœpit, authoritate Ioannis Papæ definita eſt, vt ad an. 1031. dictum eſt. Vnde Iſambertus Pictauienſis Epiſcopus ſententiam de quæſtione propoſita rogatus dixit non eſſe vltra quærendum nec dubitandum poſtquam Papa Martialem feciſſet Apoſtolum. *Multa*, inquit, *Chariſſimi, ante hos annos hac de re facta eſt inquiſitio, quo vſque hac altercatio ad aures Apoſtolicæ S. Romanæ ſedis perueniret. Super quo D. Ioannes Papa exemplar Epiſtolæ nobis eſt dignatus deſtinare, magnopere teſtificans Apoſtolatus eius gloriam & redarguens omnes qui eum contradicunt eſſe Apoſtolum: quæ Epiſtola ſacra conſeruata in promptu habetur, in qua facilè claret teſtimonium verum Romanæ ſedis.*

Similiter Aymo Bituricenſis Atchiepiſcopus ſubiungens dixit. *Textum Epiſtolæ Ioannis omnibus Galliarum Epiſcopis directa ante hos 15. dies in Concilio Bituricenſi, vbi plures Epiſcopi diſceptationem ſub magna diſcretione examinantes inuenerunt ſanum eſſe, quod Ioannes Papa in Romana ſede & nos in hac quæ prima omnium Eccleſiarum Galliæ eſt, Spiritu S. afflante de hac iuſtiſſima re inſtituiſtis.*

3. Hæreſis fuit Berengariana, ad quam extinguendam multiplices habitæ ſunt ſynodi. In Normania quidem Brionenſis an. 1051. cuj complures viri docti Normani, quibus tum Prouincia illa abundabat, interfuerunt, de quorum ſententia à Vuillielmo Duce ſilentium Berengario impoſitum eſt. Secuta eſt Pariſienſis, eo anno, quam habuit Henricus paternæ virtutis, vt & odij hæres & ſucceſſor in hæreticos. Cui quidem Synodo nemo ſanus dubitauerit, quin interfuerint cum Epiſcopis Magiſtri Pariſienſes. De cæteris Synodis, ſatis ſuperque dictum eſt in hiſtoria.

Cæterum hæc hæreſis, omnium quotquot olim fuerunt, funeſtiſſima & diuturniſſima (quippe quæ viget adhuc noſtris temporibus & Eccleſiam Chriſti impiiſſimè lacerat) Patriarcham habuit Ioannem Erigenam, vt fatetur Berengarius, cui, quod eſſe crederetur ingenij acutiſſimi & in Philoſophicis altercationibus verſatiſſimi, mandatum fuerat à Carolo Caluo & iniunctum de duobus altiſſimis myſteriis ſcribere, de prædeſtinatione ſcilicet & de myſterio Euchariſtiæ. Quanquam alij exiſtimant Ioannem de prædeſtinatione ſolummodo ſcripſiſſe, Ratramnum vero ſeu Bertramum Preſbyterum ab eodem Carolo ſimiliter iuſſum, de ſacramento altaris tractaſſe. Aduerſus Ioannem ſcripſerunt Eccleſia Lugdunenſis, Florus eiuſdem Eccleſiæ Diaconus, & Prudentius Epiſcopus Trecenſis. 19. eius capitula refutauit, quæ Synodus Valentina damnauerat his verbis.

Sed & alia nouemdecim ſyllogiſmis ineptiſſimè concluſa, & licet iactetur, nulla ſeculari litteratura nitentia, in quibus commentum Diaboli potius quàm argumentum aliquod fidei deprehenditur, à pio auditu fidelium penitus explodimus...... Ineptas autem quæſtiunculas & aniles planè fabulas, Scotorumque pultes puritati fidei nauſeam inferentes, quæ periculoſiſſimis & grauiſſimis temporibus ad cumulum laborum noſtrorum, vſque ad ſciſſionem Charitatis miſerabiliter & lachrymabiliter ſuccreuerunt, ne mentes Chriſtianæ inde corrumpantur & excidant à ſimplicitate fidei quæ eſt in Chriſto Ieſu, penitus reſpuimus, & vt fraterna charitas cauendo à talibus auditum caſtiget, Chriſti amore monemus.

Ille autem excogitandis terminorum Philoſophicorum ſubtilitatibus ita animum addixerat, vt iactitaret ſe quamcunque quæſtionem, etiam Theologicam ſoluere poſſe Philoſophiæ theorematis & Principiis. Vnde primo capiti ſui operis præfixerat hunc titulum *Quadriuio Regularum totius Philoſophiæ quatuor omnem quæſtionem ſolui poſſe.* Hoc eſt quaternis Philoſophiæ regulis, quarum hanc primam adſtruebat, *Philoſophiam & Religionem vnum & idem eſſe*, & 4. his Philoſophiæ partibus diuiſiua, definitiuâ demonſtratiua & reſolutiua, Prædeſtinationis myſteriũ rectè poſsè inueniri. Idem ex 4. elementis Paradiſum & Inferos componebat, aiebatque Dæmones ante peccatum in aere conſtitutos: itaque domicilium ſedemque Beatorum eſſe ſphæram ignis, damnatorum vero, ſphæram, aeris. Beatos reſurgentes aſſumpturos Corpus ignis, vt in igne in æternum viuere poſſint, damnatos Corpus aëreum, vt ab igne torqueantur. Hæc & alia multa ſomniabat Ariſtotelicæ lectioni nimis addictus. Vnde multos habuit ſuo tempore aduerſarios viros graues doctoſque Theologos.

Quod ad librum de Euchariſtia attinet, non alium eius agnouit Berengarius authorem, quàm prædictum Ioannem: ex quo patet nondum adhuc eius tempore editum opus de ſacramento altaris ſub nomine Bertrami ſeu Ratramni, alioquin profecto eius meminiſſent aut ipſe Berengarius, aut Lanfrancus eorumve ſectatores. Vnde exiſtimat Marcanus Archiepiſcopus Toloſanus huius operis verum germanũq; authorem eſſe Ioannem Scotũ. Alij Bertramũ à Scoto diſtinguunt, eiuſque opus in tenebris latuiſſe putant, nec adhuc viſum Berengarianis temporibus. Vix autẽ quiſquã dicere poteſt, quæ fuerit Bertrami ea de re ſententia, adeo Catholica cum hæreticis miſcet, & quæ fidei ſunt cum, iis quæ ratione excogi-

Digitized by Google

tantur. Sic tamen nonnulli qui doctrinam eius accuratius examinarunt exiſtimant, Authorem iſtum partim Eccleſiæ ſenſa, partim ſua exprimere: in illis orthodoxè loqui, in his errare, dum nempè altitudinem myſterij ad humanos ſenſus deprimere conatur.

Id ſimiliter accidit Berengarianis rationem ducem ſequentibus non fidem; vnde factũ eſt, vt in exponendo iſto myſterio alij alia via proceſſerint. De quibus ſic habet Guitmundus l.1. de veritate Euchar. *Non omnes qui de iſtis ſacramentis errant, vna incedunt via erroris. Nam Berengariani omnes quidem in hoc conueniunt, quia panis & vinum eſſentialiter non mutantur, ſed vt extorquere à quibuſdam potui, multum in hoc differunt, quod alij nihil omnino de Corpore & Sanguine Domini ſacramentis iſtis ineſſe, ſed tantummodo vmbras hac & figuras eſſe dicunt. Alij verò rectis Eccleſia rationibus cedentes, nec tamen à ſtultitia recedẽtes, vt quaſi aliquo modo nobiſcum eſſe videantur, dicunt ibi Corpus & ſanguinem Domini reuera ſed latenter contineri, & vt ſumi paſſint quodammodo, vt ita dixerim, impanari. Et hanc ipſius Berengarij ſubtiliorem eſſe ſententiam aiunt. Alij vero non quidem iam Berengariani, ſed acerrimè Berengario repugnantes argumentis tamen eius & quibuſdam verbis Domini pauliſper offenſi, quod ſuo loco dicemus vberius, ſolebant olim putare, quod panis & vinum ex parte mutentur, & ex parte remaneant. Aliis vero irrationabilem iſtorum ſenſum longè horrentibus eadem verba Domini quibus iſti mouentur, non ſatis aptè intelligentibus videbatur panem & vinum ex toto quidem mutari, ſed cum indigni accedant ad communicandam carnem Domini & ſanguinem, iterum in panem & vinum reuerti.* Sed de his ſatis.

4. hæreſis fuit Roſcelini & nonnullorum aliorum Nominalium aientium tres perſonas Diuinas rectè dici poſſe tres res diſtinctas & ſeparatas; & illa quidem in ſynodo Sueſſionenſi an. 1093 habita compreſſa eſt Habuit nonnullos ſectatores Roſcelinus contra quos ſcripſit Petrus Abaelardus, vt legere, eſt in l. 2. introduct. ad Theolog. c.5. & ſeq. vbi tres præſertim Magiſtros erroris circa Diuinas perſonas ſuppreſſo nomine refert, quorum vnus docebat, ſeu vt ait, Cathedram peſtilentiæ tenebat in Francia, alter in Burgundia, tertius in pago Andegauenſi. Hæc ſcribebat Abaelardus circa an. 1116 vnde non crediderim, licet aliqui ſecus exiſtiment, vllo pacto loqui de Roſcelino: ſiquid m iſte in Aquitaniam ſeceſſerat, vbi vita & conuerſatione ſancta florebat an. 1003. vt refert Chronicon Malleacenſe.

Fauor Principum. Hoc autem potiſſimum ſeculo cœperunt Pontifices Romani in promotionem Academicorum Pariſienſium & Gallorum noſtrorum ſtudioſius & accuratius intendere. Nam à temporibus Caroli Magni & Calui rarum fuit inter eos & litteratos commercium. Gerbertus Aquitanus factus Silueſter II. Gallus ipſe Gallis addictiſſimus fuit, & quos potuit, libenter & gratioſè promouit. Verum poſtquam ſecuti Pontifices iugum excuſſerunt Imperatoriæ ſeruitutis ad Francorum Reges & ad viros doctos longè magis animum conuerterunt, vt & præſidium in armis haberent aduerſus Cæſaris Germanici vires, & opem in peritia ſcripturarum & canonum contra Pſeudo-Pontifices. Hinc illi Cardinalium ordinem inſtituerunt, tum vt ab iis electio deinceps penderet ſummorum Pontificum, tum vt haberent homines ſibi addictos propoſito huiuſce dignitatis prœmio, atque in ſacrum Conſilium adlegérent. Id Leoni IX. inſtitutum vulgò refertur.

Secuti Pontifices Alexander II. & Gregorius VII. ad tollendam Beneficiorum nundinationem & Simoniam quam Principes publicè & impune exercebant, indictis cenſurarum Eccleſiaſticarum pœnis vetuerunt ne vllus ab vllo Laïco cuiuſcunque dignitatis eſſet, Beneficium Eccleſiaſticum accipere auderet. Hinc in Imperatorem Henricum III. parere recuſantem lata anathematis ſententia. Et tandem pluribus gradibus eo aſcendit Gregorius, vt Imperium Auguſto abrogarit, ſubditoſque ipſius ſacramenti religione abſoluerit. Auguſtus quo ſe à fulminibus Vaticanis tueretur, Pſeudo-Pontificem creauit. Vnde deteſtandum ſchiſma in Eccleſiam Dei inuectum, ipſam plures annos miſerrimè dilacerauit. Vrbanus II. Paſchalis & alij deceſſorum ſuorum veſtigiis inſiſtentes excuſſo iugo, quod priores ſub Imperatoribus paſſi fuerant, ipſorum Imperatorum ſeſe Dominos præſtiterunt, legibuſque ſuis eos ſubmiſerunt: ne enim ipſi Cæſarianis viribus ſuccumberent, neve repugnando impares eſſent, alios Principes & Monarchas variis modis ad ſe traduxerunt. Viros verò Doctos

& præſertim Academicos Patiſienſes, vt contra Antipapas adiutotes haberent, propoſiris dignitatibus Eccleſiaſticis, quarum deinceps ſe diſpenſatotes effecetun t, ſibi addixerunt, de quibus anre, cum præmia non haberent quæ impertiri poſſent, non cogitabant.

Ex hac igitur origine prodierunt poſtea reſeruationes beneficiorum, Gratiæ exſpectatiuæ, nominationes, indulta & alia ejuſmodi, quæ Romanam curiam antea raro adiri ſolitam frequentari & celebrari fecerunt. Prodierunt & promotiones ad Cardinalatũ, ad Epiſcoparus & Abbatias, quæ munera & præmia Pontifices ante non niſi raro impertiebantur, & niſi forte ad eos prouocarum fuiſſet. Leo igitut IX. Catdinalitij ordinis inſtitutor Humbertũ Siluæ-candidæ Gallum Tullenſem, ſeu Burgundum, virum eximiæ doctrinæ & facundiæ, cuius opera in confutando Betengario vſus eſt, vnum è primis Cardinilibus creat: item & Frideticum Gozelonem Lotharingum, qui poſtea Stephanus IX. dictus eſt. Alexander II. Petrum Guillielmum. Gregorius VII. Guitmundum Normanum Vticenſis Cœnobij Monachum, virum eloquentiſſimum & in rebus Theologicis peritiſſimum ad Archiepiſcopatum Auerſanum promouet: Othonem Caſtillionæum Remenſem ad Cardinalatum. Ipſe Otho Papa cteatus ſub Vrbani II. nomine ad plurimas ſynodos quas in Gallia habuit, plurimos viros doctos aduocat, plurimoſque ad varias dignitates prouehit: Roberti Arbricellenſis inſignis in Theologia Magiſtri opera vtitur in Cruciadæ negotio, Brunonem Colonienſem Magiſtrum quoque in Theologia Carthuſienſium Patriarcham ad curiam acceſſit, eiuſque conſiliis vtitur.

Ad annum 1085. retulimus quanta inter eum & Baldricum Burgulienſem neceſſitudo intercederet, quantumque commercium litterarum & verſuum. Iuuat hic eiuſdem Baldrici elegos ad eum datos teferre, ex quibus intelligitur quanto amore doctos viros proſequeretur doctus ipſe, facundus & eloquens.

Odonem ſaluere meum ſine fine peropto
Odo mi ſalue, Papa futurus aue.
Quod te dico meum, præſumptio dicere cogit.
Tantum tantillus Pontificem Monachus.
Quem nunquam vidi, quem ſolis auribus hauſi,
Dicere præ nimio cogor amore meum.
Viſceribus totum te noſtris inſinuauit,
Te ſiquidem noui carmina diligere.
Et laudas vates, & præmia vatibus offers,
Iocundus, prudens, felle columba carens.
Compatiens miſeris, peregrinis auxiliator,
Morum præ cunctis aſperitate cares.
Maximus Orator, Vatum ſpecialis amator,
Inuitas noſtros ad ſtudium calamos.
Talem te cupio, mihi te deſidero talem,
Qualis es & qualem te volo, promereor.
Quæſo mihi debe, quod debet amicus amico,
Quos indiſcuſſus conſolidauit amor.
Inter quos vnquam non eſt alterna voluntas,
Qui ſapiunt, viuunt & moriuntur idem.
Ecce tibi talem, me ſi dignare, paciſcor,
O vtinam votis faueris Odo meis!
Si mihi te dederis, ſi te dignabere noſtrum,
Inter cantores Orpheus alter ero.
Iam quoque de veſtro nimium confiſus amore,
Audeo pro charis inſinuare meis.
Burchardum commendo meum, quem diligo multum,
Tutelaque tua conſilioque tuo.
Vrit Guidonis penuria multa penates,
Odo, roriferas cui plue diuitias.

Digitized by Google

Paſchalis II. inter præcipuos quoque conſiliarios M. Robertum Pariſienſem habuit, Galonem Epiſcopum Leonenſem, Giraldum Engoliſmenſem, & alios doctos viros, quorum nomina hiſtoria paſſim ſuppeditabit.

Quod ad fauorem Regum attinet & ad priuilegia ab iis Academiæ Pariſienſi conceſſa, quicumque de re noſtra accuratius ſcripſerunt, fatentur omnes Robertum impenſiſſimé fuiſſe viris doctis addictum, vt erat ipſe litteris addictiſſimus. Vnde Belforeſtius & Seruinus nullatenus dubitant, quin ſcholæ Regiæ priuilegia indulſerit, etſi qualia fuerint, nemo hodie dicere poſſit, iniuriâ quippe temporum etiam beneficiorum memoriam obliterante. Accedit Peyratius lib. 1. Antiquitatum Capellæ Regiæ c. 68. aiens ſicut inſtitutio Vniuerſitatis Carolo M. debetur, ita eiuſdem authoritatem, dignitatem & amplificationem honoris Roberto deberi. Cuius Principis nobile ſtudium imitati Henricus filius & Philippus nepos effecerunt, vt ex omnibus ſcholis ad Pariſienſem tanquam ad omnium Artium Officinam aduolarent innumeri Diſcipuli & Magiſtri: quod vt liqueat, de ſtatu illius nunc agendum.

Status Vniuerſitatis. Imprimis qualis fuerit eius celebritas, vel vnus ſatis ſignificat Abaelardus Armoricus Nannetenſis, qui peragratis pluribus Prouinciis luſtratiſque Magiſtrorū Prouincialium ſcholis, tandem ſub finem huius ſeculi, vel certè ſub initium ſequentis ad Pariſienſes venit, quæ Philoſophiæ præſertim laude iamdiu commendabantur: ſic enim habet initio Ep. 1. calamitatum ſuarum vbi exponit, quo pacto dimiſſis bellorum ſtudiis ad litterarum exercitium totum ſe contulerit. *Ego quanto amplius & facilius in ſtudio litterarum profeci, tanto ardentius in eis inhæſi & in tanto earum amore illectus ſum, vt militaris gloria pompam cum hæreditate & prærogatiua primogenitorum meorum fratribus derelinquens Martis Curiæ penitus abdicarem, vt Mineruæ gremio educarer. Et quoniam Dialecticarum rationum armaturam omnibus Philoſophiæ documētis prætuli, his armis alia commutaui & trophæis bellorum conflictus prætuli diſputationum. Proinde diuerſas diſputando perambulans Prouincias vbicumque huius artis vigere ſtudium audieram, Peripateticorum æmulator* al. ambulator, *factus ſum. Perueni tandem Pariſius, vbi iam maximè Diſciplina hæc florere conſueuerat, ad Guillelmum ſcilicet Campellenſem præceptorem meum in hoc tunc Magiſterio re & famâ præcipuum.*

Ecce indicat Abaelardus euidenter Academiæ Pariſienſis celebritatem famamque fuiſſe magnam, non eo tantum tempore quo ad eam venit, ſed & iamdiu conſueuiſſe eſſe magnam. Præſertim verò propter Dialecticas concertationes, quibus ille maximè delectabatur. Faceſſant igitur hinc, qui dicunt eam à Philippo Auguſto fuiſſe inſtitutam, qui anno tantum circiter 1180. regnare cœpit. Nam quæ ſcribit Abaelardus, omnino conſentiunt cum iis quæ ſcribit Baldricus Aurelianenſis de M. Roberto Arbricellenſi qui *vrbem Pariſius* aduenit, ibique *litterarum diſciplinam quàm vnicè ſibi poſtulauerat pro voto commodam reperit, illiſque aſsiduus Lector inſidere cœpit.* Conſentiunt cum hiſtoria Helgaldi de Roberto Rege, aientis ſcilicet *innumerabilem Clericorum* id. Scholarium *multitudinem* illius exequias fuiſſe proſecutam. Conſentiunt & cum iis quæ ſcribunt Ademarus Engoliſmenſis & Odolricus Abbas S. Martialis Lemouicenſis *multos Doctores & Sapientes* Pariſienſi Synodo an. 1024. de Apoſtolatu S. Martialis habitæ interfuiſſe. Conſentiunt quoque cum iis quæ de Huboldo Leodienſi, qui in San-Genoueſiano monte Scholas erexit ante annum 1000. ſuo loco retulimus: item cum iis quæ de Abbone Floriacenſi ſcribit Aimoinus eius Diſcipulus, eum ſcilicet relictis Scholis Floriacenſibus, quæ tum celebres erant, ad Pariſienſem tanquam ad Maius & Nobilius ſtudium circa an. 1060. veniſſe: vt nihil dicamus de Gerberto Aquitanico, Olberto & aliis qui ſimiliter luſtratis prouincialibus ſcholis & aliis minoribus, ad Pariſienſem tanquam ad ſupremū ſcientiarum tribunal conuolarunt. Conſentiunt denique cum iis; quæ ſcripſit Vniuerſitas ipſa in litteris Encyclicis ſeu Circularibus an. 1253. contra Mendicantes, aiens Gymnaſium Pariſienſe olim & à multis retroactis temporibus à Magiſtris animo quidem Religioſis, habitu verò ſecularibus fuiſſe gubernatum, Mendicantes verò, qui an. 1218. Pariſiis ſedem habere cœperant, nouiſſimé & diebus ſuis veniſſe. *Qui Magiſtri proceſſu temporis, creſcente numero Auditorum ampliati, vt liberiùs & tranquilliùs vacare poſſent ſtudio litterali, ſi quodam eſ-*

Digitized by Google

ſent iuris ſpecialis vinculo colligati & ſociati, Corpvs Collegii sive Vniversitatis *cum multis priuilegijs & indultis ab vtroque Principe fuerant adepti*. Ex quibus verbis intelligitur multiplicandorũ Magiſtrorum, ineundæ Societatis & Vniuerſitatis componendæ cauſam fuiſſe Scholarium multitudinem & frequentiam; vnde prouenit Scholæ Pariſienſis celebritas: proindeque recurrendum eſſe neceſſariò ad initia celebritatis & frequentiæ eiuſmodi: regreſſu autem facto ab his temporibus ad vſque Carolina, patet manifeſtiſſimè ex authoribus ſynchronis ſemper fuiſſe celebrem Vniuerſitatem Pariſienſem; atque idcirco non potuiſſe ita florere & tantæ famæ eſſe ſine legibus & ſtatutis, ſine Scholæ Rectoribus & Diſciplinæ Moderatoribus. Quod enim, proh Deum immortalem! certius eſſe poteſt perpetui ſtudii Pariſienſis argumentum, quàm non aliud aſſignari poſſe eius initium, quàm quod ab ipſo fundatore & inſtitutore Carolo M. accepit? Et quod certius eſt fidei noſtræ & apoſtolicæ traditionis fundamentum, quàm a poſtremis temporibus ad antiqua & primæ replicando, perpetuis ſeculis eandem ſemper inuenire ad vſque Apoſtolos & Chriſtum inſtitutorem? Et quæ denique clarior eſt, euidentior & manifeſtior argumentatio contra Hæreticos ineffabile Tranſſubſtantiationis myſterium negantes, quàm in omnibus ſeculis ad prima vſque recurrendo demonſtrare talem ſemper fuiſſe Eccleſiæ fidem?

Eſto igitur Academia noſtra celebrior fuerit Philippi Auguſti æuo, an idcirco fatendum erit fuiſſe ab eo inſtitutam? celebris quoque fuit ſub eius parente Ludouico VII. celebris pariter ſub Ludouico VI. qui Craſſus ſeu Groſſus cognominatus eſt. Celebris & ſub Philippo I. vt ſcribit Abaelardus. Celebris ſub Henrico, Roberto & Hugone Capeto, vt exemplis probatum eſt. Conſtat verò fuiſſe celebrem ſub Carolo Caluo; nec certius poteſt ipſius celebritatis afferri teſtimonium quàm Henrici Antiſſiodorenſis Epiſtola dedicatoria, quâ docet eum omnes pœne aliarum Gentium ſcholas, vt ſuam amplificaret & nobilitaret, ſuſtuliſſe. Neque denique dubitari poteſt, quin Regnante Carolo M. Palatinæ ſcholæ floruerint, non ſolum Regnicolarum ſtudiis, ſed & ex omni parte, Regno & natione Magiſtrorum aduentu. Et audebit iam aliquis dicere Academiam Pariſienſem fuiſſe à Philippo Auguſto inſtitutam!

Neque Vniuerſitas celebris tantum fuit hoc ſeculo tertio, Philoſophiæ cæterarumque Artium profeſſione, ſed & Theologiæ quoque exercitio. Cætera verò duo Diſciplinarum genera, Iuris ſcilicet Canonici & Medicinæ, aut nondum exercebantur Pariſiis, aut diſtinctas non habebant, vt nunc habent, à Theologia & à Philoſophia ſcholas. Licet enim Burchardus Vvormacienſis, deinde Alexander Lucenſis, & poſtea Iuo Carnotenſis Canonum volumina digeſſiſſent & edidiſſent, non tamen ſuos habuit hæc diſciplina profeſſores hoc ſeculo, ſed tantum ſequenti. Neque Medicinæ profeſſio legitur tum fuiſſe Pariſiis: ſed quicumque in ea arte excellere aut eam exercere cupiebant, Salernum aut Montem-peſſulanum ſe conferebant, vt infra docebitur. Hinc Rodulfus Normanus cognomento Mala-corona *Phyſica ſcientiam tam copioſè habuit*, inquit, Ordericus Vitalis ad an. 1059. *vt in vrbe Salernitana vbi maximæ Medicorum ſcholæ ab antiquo tempore habebantur, neminem in Medicinali arte præter quandam ſapientem Matronam ſibi parem inuenerit.*

METHODVS DOCENDI.

Porro ex altercationibus Berengarianis & Nominalium Realiumque diſputationibus praua quædam in ſcholas Artium & Theologiæ auditoria irrepſit docendi ratio & conſuetudo, à veteri tramite omnino deflectens. In iis enim tunc nihil niſi clamores audiebantur, altercationes, nouarum ſubtilitatum inuentiones: iſque cæteris præminere & præcellere putabatur, qui aliquid ingenioſius & ſubtilius, etiam cum veritatis diſpendio comminiſcebatur. Quem morem valde improbat Ioannes Sareſberienſis, qui ſequente ſeculo flo-

ruit. *Sufficiebat*, inquit lib. 1. Metal. c. 3. *ad victoriam verboſus clamor, & qui vndecumque aliquid inferebat, ad propoſiti veniebat metam. Poëtæ, Hiſtoriographi habebantur infames: & ſi quis incumbebat laboribus antiquorum, notabatur. Et non modo Aſello Arcadico tardior, ſed obtuſior plumbo omnibus erat in riſum: ſuis enim aut Magiſtri ſui quiſque incumbebat inuentis.* Vnde diſcimus obmuteſcere coactas fuiſſe liberales artes, quibus non licebat auditi tot inter altetcantium ſtrepirus & clamores. Adde quod Philoſophi illi palam & publicè prædicabant non eſſe ſtudendum præceptis eloquentiæ, vt pote vanis & inutilibus, ſed ſtatim vel leuiter imbutis Grammaticâ accedendum eſſe ad Dialecticam.

Itaque hæc agendi tatio, hæc ſubtilitatum & diſtinctionum fabricatio tantæ laudi dari cœpit, vt præ ea cætera negligerenrut. Nihil enim putabāt poſſe quenquam de ingenio præſumere, qui difficultatum propoſitarum nodos non enodaret, qui nòn ſubtiliter & acutè diſputaret, nouos terminos, nouas diſtinctionum formulas non excogitaret, quique ſe omnibus quæſtionibus & interrogatis reſponſurum non promitteret. Itaque quotquot eo prurito laborabant, Lutetiā veniebant interrogaturi aut reſponſuri. Vnde Petrus Bleſenſis qui florebat circa an. 1160. Lutetiam cum Abela comparat. *Qui interrogant*, inquir, *interrogent in Abela: qui interrogant, interrogent Pariſius, vbi difficilium quæſtionum nodi intricatiſſimi reſoluuntur.* Itaque iam ante Bleſenſem conſuetudo inualuerat quidlibet commentandi, imò ſæpè vanas & ridiculas quæſtiones proponendi nullius vſus, & ingeniis hominum prorſus indignas. *Inſolubilis in illa*, inquit Sareſberienſis lib. 1. Met. c. 3. *Philoſophantium ſcholâ tunc temporis habebatur quæſtio, an porcus qui ad venalitium agitur, ab homine, an à funiculo teneatur. Item an Capucium emerit, qui cappam integram comparauit.* Videant Hodierni Philoſophi, inquit aliquis, an non iis verbis iugulentur, habeantque præ oculis illud CVI BONO CASSIANVM, dum multas tractant in Logica futiles friuolaſque quæſtiones illius doctrinæ. Demum audiant quid de ſimilibus dicat Magnus Verulanus Angliæ Cancellarius homines eiuſmodi cum arachnis comparans. *Quia non ex magno materiæ ſtamine, ſed maximâ ſpiritus quaſi radij agitatione operoſiſſimas illas telas quæ in libris eorum extant, confecerunt. Etenim mens humana ſi agat in materiam, naturam rerum & opera contemplando pro modo materiæ operatur, atque ab eadem determinatur: ſin ipſa in ſe vertatur tanquam aranea texens telam, tum demum interminata eſt, & parit certè telas quaſdam doctrinæ tenuitate fili operiſque admirabilis, ſed quoad vſum friuolas & inanes.*

Ex hac methodo ſeu potius peruerſitate docendi prodiit in Academiam barbaries quædam Latiniratis, inſcitiaque Grammaticæ & Eloquentiæ. Nā cum omnes ad Dialecticam & Theologiam illam altercatricem ſtatim ſe conferrent, vt ingenij ſubtilitatem proderent, quæ minus patebat in profeſſione cæterarum artium, elegantiores artes in quibus ſeueriori meditatione opus eſt, negligebant & quaſi inutiles reiiciebant Donec tandem ſequente ſeculo Bernardus Carnotenſis Theodoricus, Vvillielmus de Conchis & alij inſignes viri præclaras artes quaſi poſtliminio reuocarunt, ſummumque eis ſplendorem & gloriam reſtituerunt: quanquam nec deſierunt Philoſophi illi nugatores litterarum rudes & imperiti barbariem ſuam præferre & litteratis viris inſultare: vt pote qui malè edocti malè quoque Diſcipulos edocerent: quos inter Comificium quendam exagitat Sareſberienſis, quem delirum & inſulſum ſenem appellat; quippe qui nihil ſcire ſuos doceret, vt nihil ipſe ſcire didicerat.

Præterea cum præcepta tradebant Grammaticæ, non regulas, non litteras, ſed ſenſum aliquem myſticum & allegoricum quærebant: puta cum dicitur Hylas ab Hercule adamatus, illi interpretabantur *validum argumentum à forti & robuſto argumentatore prolatum.* Quinque Vocalium poteſtatem aiebant quinque eſſe Iura Regnorum: *& in hunc modum* inquit Sareſberienſis, *docere omnia ſtudium: illius ætatis erat.* Pergit lib. 1. Metalog. c. 3. ſcribebat autem circa an. 1158. & Cornificium qui ab eiuſmodi Magiſtris huius ſeculi inſtitutus fuerat, vituperat.

Inutiles Quæſtiones & barbaries in schola Viduata.

» Inſolubilis in illa philoſophantium ſchola tunc temporis Quæſtio habebatur
» an porcus qui ad Vænalitium agitur, ab homine an à funiculo teneatur. Item an
» Capucium emerit, qui cappam integram comparauit. Inconueniens prorſus
» erat oratio, in qua hæc verba CONVENIENS ET INCONVENIENS argumentum

gumentum & ratio non perſtrepebat multiplicatis particulis negatiuis & traiectis per eſſe & non eſſe; ita vt calculo opus eſſet quoties fuerat diſputandum, alioquin vis affirmationis & negationis erat incognita. Nam plerunque affirmationis vim habet geminata negatio: itemque vis negatoria ab impare numero conualeſcit. Siquidem negario plerunque iterata ſeipſam perimit & contradictioni ſicut regularitet prædictum eſt, coæquatur. Vt ergo pari loco an impari verſetur, deprehendi queat, ad diſceptationes collectam Fabam & Piſam deferre quæ conueniebatur, conſilio prudenti conſueuerat: ita quidem ſi intellectui rerum quæ videbantur in quæſtione verſari, operam dabat, ſufficiebat ad victoriam verboſus clamor; & qui vndecunque aliquid inferebat, ad oppoſiti perueniebat metam. Poetæ, Hiſtoriographi habebantur infames, & ſi quis incumbebat laboribus antiquorum, notabatur, & non modo Aſello Arcadiæ tardior, ſed obtuſior plumbo vel lapide omnibus erat in riſum. Suis enim aut Magiſtri ſui incumbebat inuentis. Nec hoc tamen diu licitum, cum ipſi auditores in breui coerrantium impetu vrgerentur, vt & ipſi ſpretis his quæ à Doctoribus ſuis audierant, crederent & conderent nouas ſectas. Fiebant ergo ſummi repente Philoſophi: nam qui illiteratus acceſſerat, ferè non morabatur vlterius in ſcholis, quàm eo curriculo temporis quo auium pulli plumeſcunt. Itaque recentes Magiſtri è ſcholis & pulli volucrum e nidis ſicut pari tempore morabantur, ſic pariter auolabant. Sed quid docebant noui Doctores, & qui plus ſomniorum quàm vigiliarum in ſcrutinio Philoſophiæ conſumpſerant, & facilius inſtituti quàm illi iuxta narrationes fabuloſas, qui ſomniantes in Parnaſſo repente vates egrediebantur, aut citius quàm ij qui de Caſtalio fonte Muſarum munus hauriebant Poëticum, aut quàm illi qui viſo Phœbo Muſarum nedum Muſicorum meruerunt adſcribi conſortio? nunquid rude aliquid aut incultum, nunquid aliquid vetuſtũ aut obſoletum? Ecce noua fiebant omnia, innouabatur Grammatica, immutabatur Dialectica, contemnebatur Rhetorica, & nouas totius Quadriuij vias euacuatis Priorum regulis, de ipſis Philoſophiæ adytis proferebant: ſolam conuenientiam ſine ratione loquebantur: argumentum ſonabat in ore omnium & aſinum nominare vel hominem aut aliquid operũ naturæ inſtar criminis erat, aut ineptum nimis aut rude & à Philoſopho alienum. Impoſſibile credebatur conuenienter ad rationis normam quicquam dicere aut facere, niſi Conuenientis & Rationis mentio expreſſim eſſet inſerta. Sed nec argumentum fieri licitum, niſi præmiſſo nomine argumenti. Ex arte & de arte agere idem erat. Docebunt hi forte quod Poëta verſificè nihil dicit, niſi cognominet verſum, quod faber Lignarius ſcamnum facere nequeat, niſi ſcamnum aut lignum voluat in ore. Inde ergo hæc ſartago loquendi, in quâ ſenex inſulſus (Cornificius) exultat, inſultans eis qui Artium venerantur Authores, eo quod nihil vtilitatis in eis reperit, cum ſe eis dare operam ſimularet.

Quid vero poſt contemptas hoc modo optimas artes ſecutum ſit, idem Author docet cap. ſequenti. Nimirum vbi tandem agnouerunt horumce hominum Diſcipuli ſe nihil didiciſſe & totam illam docendi & diſcendi rationem prorſus vanam & inanem eſſe, ne ſuum pudorem & dedecus manifeſtare cogerentur, quatuor quodammodo emerſiſſe Profeſſorum genera: alios enim præ confuſione ſe ſe ad Monaſticam vitam aut Sacerdotalem contuliſſe, alios ad Medicinæ exercitationem, quoſdam ad Regum & Principum Curias ſpecie lucri confugiſſe: reliquos in puluere remanſiſſe & in exercitio artis quam didicerant. Totum iſtud caput, quia multa complectitur ſcitu digna, non pigebit attexere.

Monae

Cæterum, inquit, huius ſectæ poſt damnum temporis rerumque iacturam & ſpes deceptas & propoſiti ſui ſolatio deſtitutas multiplex vſus emerſit. Alij namque Monachorum aut Clericorum Clauſtrum ingreſſi ſunt & plerique ſuum correxerunt errorem, deprehendentes in ſe & aliis, quia quidquid didicerant, vanitas vanitatum & ſuper omnia vanitas. Plerique inquam, eo quod Quidam in ſua perdurantes inſaniâ tumidi vetuſta peruerſitate malebant deſipere & ab humilibus quibus Deus dat gratiam fideliter erudiri: erubeſcebant enim formam Diſcipuli, qui Magiſterij præſumpſerant faſtum. Si mihi non credis, clauſtra ingredere, ſcrutare mores fratrum, & inuenies ibi ſuperbiam Moab, & eam intenſam valde, vt arrogantia abſorbeat fortitudinem eius. Miratur Benedictus & queritur

Digitized by Google

» quod ſe quodammodo authote latet lupus in pellibus agninis. Vtique tonſu-
» tam & pullam veſtem à ſupetcilio diſtate cauſatur. Et vt rectius dixerim, ſuper-
» cilium arguit, eo quod tonſuræ veſtibuſque non conſonat. Ritus obſeruatio-
» num contemnitut, & ſub imagine philoſophantis ſpititus fallacis elarionis obre-
» pit. Nora ſunt hæc in omni veſte ac profeſſione vulgata.

» Alij autem ſuum in Philoſophia inruentes defectum, Salernum vel ad Mon-
» tem Peſſulanum profecti facti ſunt Clientuli Medicotum, & tepente quales
» fuerant Philoſophi, rales in momento Medici eruperunt. Fallacibus enim referti
» experimentis in breui redeunt, ſedulo exetcentes quod didicerunt. Hippocra-
» tem oſtentant aut Galenum, verba proferunt inaudita, ad omnia ſuos loquun-
» tur aphoriſmos & mentes humanas velut afflatas tonitruis, ſic percellunt nomi-
» nibus inauditis, & cteduntur omnia poſſe quia omnia iactitant, omnia pollicen-
» tut. Duo tamen deprehendi eos fideliori tenuiſſe memoria & frequentius in eo-
» rum operatione verſari. Alterum quidē Hippocratis eſt, ſed ibi vergit ad alium
» intellectum. Vbi, inquit, *indigentia non oportet laborare*: & reuera inoppor-
» tunum & inofficioſum opinantes dant operam Indigentibus, & eis qui nolunt
» aut nequeunt vel ſolis verbis, eorum plenè gratiam referre mercedis. Alterum
» profecto eſt, non quod meminerim, Hippocratis, ſed diligentium adiectio Medi-
» corum, DVM DOLES, ACCIPE! occaſio ſiquidem exigendi maximè opportuna
» eſt cum dolot cruciat ægrotantem, ſibique cooperantur languentis exulceratio
» & auaritia medentis. Si conualeſcit æger, operam danti Medico adſcribatur. Si
» deficit, eius inualeſcat authoritas, qui hoc ante ſuis familiaribus reuelauit. Si-
» quidem impoſſibile eſt non euenire, quod de induſtria præuaticatus eſt, cum
» huic ſoſpitatem, iſti ſiniſtrum exitum pronuntiauit ægrotantis. Si euaſurus eſt
» æger, curatur facile; niſi quatenus incolumitatem eius Medicus præpedit impe-
» ritus. Sin autem non, vt Sollius Sidonius ait, *occiditur officioſiſſimè*. Quidni?
» nunquid enim naturæ ſecretos latenteſque cuniculos deptehendit homo totius
» Philoſophiæ ignarus? Et qui nec rectè loqui nouit, nec rectè intelligere, quæ
» ſcripta ſunt, aut quæ dicuntur, cûm fere quot diſciplinæ ſint, tot ſint linguæ, &
» in ipſis plerumque authoribus non ſit maior in corpotali compoſitione diuerſitas
» facierū quàm in vſu varietas linguarum? Homo enim homini aſſimilatur, ſed nec
» Gemelli inuicem ſe vſquequaque exprimunt. Vox voci conformatur interdum:
» ſed nec ſonorum, & ſi vis nec Muſarum eadem etiam vocis agilitas. Conſonant
» enim voces, ſed diſpares, ipſaque diſparitas ſuis exæquata proportionibus eſt
» apta concentui, & quodammodo gratior quàm ſi identitatem pareret ſimilitu-
» do. Habent itaque linguæ Idiomata ſua & ſinguli ſuū loquendi modum, quem
» qui ignorat, tum non magis commodè philoſophabitur quàm ſi picam humana
» conantem verba velit homini coæquare.

Aulici. » Alij profecto ſimiles mei ſe Nugis Curialibus mancipauerunt, vt magnorum
» virorum patrocinio freti poſſent ad diuitias aſpirare, quibus ſe videbant & iu-
» dicio conſcientiæ quidquid linguæ diſſimulet, farebantur indignos, &c.

» Alii autem Cornificio ſimiles ad vulgi profeſſiones eaſque profanas relapſi
Profeſſores Philoſophi. » ſunt: parum curantes quid Philoſophia doceat, quid appetendum fugiendum-
» ue denunciet, dummodo rem faciant ſi poſſunt rectè, ſi non, quocunque modo.
» Exercent fœnebrem pecuniam alternis vicibus inæqualia rotundantes & adie-
» ctione multiplici quod rotundauerint, abæquantes. Nihil enim ſordidum
» putant, nihil ſtultum niſi paupertatis anguſtias, & ſolas opes ducunt eſſe fructum
» ſapientiæ. Siquidem celebre eſt in Corde eorum quod ait Ethicus, etſi hoc eum
» quia contemnitur, dixiſſe non nouerim.

» *Et genus & formam Regina Pecunia donat;*
» *Et bene nummatum decorat Suadela Genuſque.*

» Hoc autem quaſi Quadriuio ſibi vtique neceſſario euadebant illi repentini Phi-
» loſophi & cum Cornificio non modo Triuii noſtri, ſed totius Quadriuii contem-
» ptores. Nam vt dictum eſt, aut ſub prætextu Religionis mergebantur in Clau-
» ſtris; aut ſub imagine philoſophandi & vtilitaris publicæ confugiebant ad Phy-
» ſicam, aut ſub honeſtatis velamine quo ſplenderent & ſublimarentur, ſe præcla-
» ris domibus ingerebant, aut ſub obtentu neceſſitatis exercendique officii, dum
» lucrum ſitiebant, multiplicis auaritiæ voragine abſorbebantur: adeo quidem

vt ſic proficientium Philoſophorum, aut vt veriùs dixerim deficientium collatione, quiuis in turba profanæ multitudinis rudis ad flagitia videretur.

De probata Methodo docendi.

Commendat vero idem Sareſberienſis M. Bernardum Carnotenſem exundantiſſimum fontem literarum in Gallia, illuſtremque Grammaticum, quod vſum legendi & prælegendi quem docet Quintilianus, imitatus in authorum lectione quid ſimplex eſſet & ad imaginem regulæ poſitum, oſtendere ſoleret, figuras Grammaticæ, colores Rhetoricos, cauillationes ſophiſmatum, aliaque eiuſmodi pro auditorum capacitate explanaret. De eo ergo ſic ſcribit l. 1. Metal. c. 24. poſt hunc titulum. *De vſu legendi & prælegendi; & conſuetudine Bernardi Carnotenſis & ſequacium eius.*

Qui ad Philoſophiam adſpirat, apprehendat lectionem, doctrinam & meditationem cum exercitio boni operis, ne quando iraſcatur Dominus & quod videbatur habere, auferatur ab eo. Sed quia legendi verbum æquiuocum eſt, tam ad docentis & diſcentis exercitium, quàm ad occupationem per ſe ſcrutantis ſcripturas, alterum id eſt quod inter Doctorem & Diſcipulum communicatur, vt verbo vtamur Quintiliani, dicatur *Prolectio*, alterum quod ad ſcrutinium meditantis accedit, *lectio* ſimpliciter appelletur. Ergo ab authoritate eiuſdem Quintiliani, in prælegendo Grammaticus & illa quidem minora præſtare debebit, vt partes orationis reddi ſibi ſoluto verſu deſideret, & pedum proprietates quæ debent in carminibus notæ eſſe, deprehendat quæ barbara, quæ impropria, aut alias contra legem loquendi ſunt poſita. Non tamen vt Poetas improbet, quibus ob metri neceſſitatem adeo ignoſcitur, vt vitia ipſa in carmine virtutum nomine cenſeantur. *Laudem enim virtutis plerunque occupat neceſſitatis improbitas, cui ſine diſpendio negari non poteſt aſſenſus* Metaplaſmum, ſchematiſmumque & oratorios tropos, multiplicitatem dictionum cum affuerint, & diuerſas ſic vel ſic dicendi methodos oſtendat & crebris, commonitionibus agat in memoriam auditorum. Authores excutiat & ſine intuentium riſu eos plumis ſpoliet, quas ad modum Corniculæ ex variis Diſciplinis, vt color ſit aptior, ſuis operibus indiderunt.

Quantum pluribus Diſciplinis & abundantius quiſque imbutus fuerit, tanto elegantiam Authorum plenius intuebitur; planiuſque docebit. Illi enim per *Diacriſin*, quam nos *Illuſtrationem* ſiue *Picturationem* poſſumus appellare, cum rudem materiam hiſtoriæ aut argumenti aut fabulæ, aliamve quamlibet ſuſcepiſſent, eam tantâ Diſciplinarum copiâ & tantâ cõpoſitionis & condimenti gratiâ excolebant, vt opus conſummatum omnium artium quodammodo videretur imago: ſiquidem Grammatica Poëticaque ſe totas infundunt, & eius quod exponitur, totam ſuperficiem occupant. Huic vt dici ſolet, campo LOGICA probandi colores afferente ſuas immittit rationes in fulgore auri. Et Rhetorica in locis perſuaſionum & nitore eloquij candorem argenteum æmulatur. MATHEMATICA Quadriuij ſui rotis vertitur, aliarumque veſtigiis inſiſtens colores & venuſtates ſuas multiplici varietate contexit. PHYSICA exploratis naturæ conſiliis de promptuario ſuo affert multiplicem colorum venuſtatem. Illa autem quæ cæteris Philoſophiæ partibus præeminet, ETHICAM dico, ſine qua nec Philoſophi ſubſiſtit nomen, collati decoris gratia omnes alias antecedit. Excute Virgilium aut Lucanum, & ibi cuiuſcunque Philoſophiæ profeſſor ſis, eiuſdem inuenies condituram. Ergo pro capacitate docentis aut diſcentis induſtria & diligentia conſtat fructus prælectionis authorum.

Sequebatur hunc morem Bernardus Carnotenſis *exundantiſſimus modernis temporibus fons litterarum* in Gallia: & in Authorum lectione quid ſimplex eſſet & ad imaginem regulæ poſitum, oſtendebat. Figuras Grammaticæ, colores Rhetoricos, cauillationes ſophiſmatum & quâ parte ſui propoſitæ lectionis articulus reſpiciebat, alias Diſciplinas proponebat in medio; ita tamen vt non in ſingulis vniuerſa edoceret, ſed pro capacitate audientium diſpenſaret eis in tempore doctrinæ menſuram. Et quia ſplendor orationis aut à proprietate eſt, id eſt cum adiectiuum aut verbum ſubſtantiuo eleganter adiungitur, aut à tranſlatione, id eſt vbi ſermo ex cauſa probabili ad alienam traducitur ſignificationem, Hæc ſumpta occaſione inculcabat mentibus auditorum.

Et quoniam memoria exercitio firmatur ingeniumque acuitur, ad imitandum ea quæ audiebant, alios admonitionibus, alios flagellis & pœnis vrgebat. Coge-

» bantur exſoluere ſinguli die ſequenti aliquid rerum, quæ præcedenti audierant:
» alij plus, alij minus. *Erat enim apud eos præcedentis Diſcipulus ſemper diei, Veſpertinum*
» *exercitium quod Declinatio* dicebatur, tanta copioſitate Grammaticæ refertum erat,
» vt ſi quis in eo per annum integrum verſaretur, rationem loquendi & ſcribendi,
» ſi non eſſet hebetior haberet ad manum, & ſignificationem ſermonum, qui in
» communi vſu verſantur, ignorare non poſſet. Sed quia nec ſcholam, nec diem
» aliquem decet eſſe religionis expertem, ea proponebatur materia quæ fidem ædi-
» ficaret & mores, & vnde qui conuenerant quaſi collatione quadam animaren-
» tur ad bonum. Nouiſſimus autem huius *Declinationis* imò *Philoſophicæ collationis*
» articulus pietatis veſtigia præferebat, & animas defunctorum commendabat de-
» uota oblatione Pſalmi, qui in pœnitentialibus ſextus eſt, & in oratione Domini-
» ca, Redemptori ſuo.
» Quibus autem indicebantur *Præexercitamina* puerorũ, in proſis aut poëmatibus
» imitandis Poëtas aut Oratores proponebat & eorum iubebat veſtigia imitari
» oſtẽdens iuncturas dictionum & elegantes ſermonum clauſulas. Si quis autem ad
» ſplendorem ſui operis alienum pannum aſſuerat, deprehenſum redarguebat fur-
» tum, ſed pœnam ſæpiſſime non infligebat. Sic vero redargutum, ſi hoc tamen
» meruerat inepta poſitio ad exprimendam authorum imaginem modeſta indul-
» gentia conſcendere iubebat, faciebatque vt qui maiores imitabatur,, fieret po-
» ſteris imitandus. Id quoque inter prima rudimenta docebat & infigebat animis,
» quæ in œconomia virtus, quæ in decore rerum, quæ in verbis laudanda ſunt, vbi
» tenuitas & quaſi macies ſermonis, vbi copia probabilis, vbi excedens, vbi om-
» nium modus. Hiſtorias, poëmata percurrenda monebat diligenter quidem, &
» qui velut nullis calcaribus vrgebatur ad fugam, & ex ſingulis aliquid reconditum
» in memoria diurnum debitum diligenti inſtantia exigebat. Superflua tamen fu-
» gienda dicebat, & ea ſufficere quæ à claris authoribus ſcripta ſunt. *Siquidem per-*
» *ſequi quid quis vnquam contemptiſſimorum hominum dixerit aut nimiæ miſeriæ, aut ina-*
» *nis iactantiæ eſt, & detinet atque obruit ingenia melius aliis vacatura.* Quod autem me-
» lius tollit, eo vſque non prodeſt, quod nec boni cenſetur nomine. Communes
» enim ſchedas excutere & voluere ſcripturas etiam lectione indignas non ma-
» gis ad rem pertinet, quàm anilibus fabulis operam dare. Vt enim ait Auguſtinus
» in lib. de ordine. *Quis ferat imperitum videri hominem qui volaſſe Dædalum non au-*
» *dierit?* Vnde *inter virtutes Grammatici merito reputatum eſt ab antiquis aliqua igno-*
» *rare.*
» Et quia in toto præexercitamine erudiendorum nihil vtilius eſt, quàm ei quod
» fieri ex arte oportet, aſſueſcere, proſas & poëmata quotidie ſcriptitabant, & ſe
» mutuis exercebant collationibus: quo quidem exercitio nihil vtilius ad eloquen-
» tiam, nihil expeditius ad ſcientiam & plurimum confert ad vitam. Si tamen
» hanc ſedulitatem regit Charitas, ſi in profectu litterarum ſeruetur humilitas:
» *non eſt enim eiuſdem hominis litteris & carnalibus vitiis inſeruire.*
» Ad huius Magiſtri formam Præceptores mei in Grammatica Guillelmus de
» Conchis & Richardus cognomento Epiſcopus, officio nunc Archidiaconus Con-
» ſtantienſis vita & conuerſatione vir bonus ſuos Diſcipulos aliquandiu informa-
» uerunt. Sed poſtmodum ex quo opinio veritati præiudicium fecit, & homines
» videri quam eſſe Philoſophi maluerunt, Profeſſoreſque artium ſe totam Philo-
» ſophiam breuius quam triennio aut biennio transfuſuros auditoribus pollice-
» bantur, impetu multitudinis imperitæ victi ceſſerunt. *Exinde autem minus temporis*
» *& diligentiæ in Grammaticæ ſtudio impenſum eſt.*

En igitur qualis fuit methodus & ratio tradendæ Diſciplinæ in Vniuerſitate Pariſienſi hoc & ſequentis ſeculi initio. Dubitari enim non poteſt, quin Bernardus Carnotenſis ſub finem huius ſeculi ſcholam habuerit: quem deinde in methodo imitati ſunt Guillielmus de Conchis & Richardus Epiſcopus, quos Ioannes Saresberienſis audiuit in Grammaticis ante annum 1140. vt ſuo loco dicetur. Verum illi torrente abrepti compendioſam vt alij Magiſtri, viam ſequi coacti ſunt: quo pacto plurimum retardatus eſt profectus diſcipulorum.

Quæret Curioſus quiſpiam quomodo Regulæ traderentur, ſoluta ne an ſtricta oratione, & qui Authores prælegerentur? vt non controuerſa à controuerſis ſecernamus, conſentiunt in hoc omnes cõpendioſius & melius tradi regulas pue-

Digitized by Google

ris ediſcendas metricè quàm proſaïcè: facilius enim verſus ediſcimus quàm proſam, peniriuſque memoriæ inſident, vt quotidiana experientia demonſtrat. Quare, cum de memoria diſputat Quintilianus, vult poëtica prius illi committi quàm oratoria, quoniam ea faciliora ſunt. An vero veteres metro Regulas Grammatices complexi ſint, & pueris ediſcendas præſcripſerint, non ſatis paret. Exiſtimo tamen non vſos metro: nam ex illis quotquot vidi, omnes vno excepto Terentiano Mauro, proſa nō metro tradunt, vt videre eſt apud Caſſiodorum lib. de Orthograph. is enim Grammaticam compoſuit & orthographiam ex nobiliſſimorum quorumque Grammaticorum commentariis & regulis, quorum nulla verſibus comprehenditur: ſunt autem hi, quos in præfatione commemorat, Cn. Cornutus, Velius Longus, Curtius Valerianus, Papyrianus, Adamantius Martyrius, Eutices, Cæſanius, L. Cæcilius Vindex, Priſcianus & Donatus, quorum duos poſtremos cæteris anteponit, maximè vero Donatum, *quòd pueris ſpecialiter*, inquit, *aptus eſſet & tironibus probaretur accommodus*. Eorum autem virorum præcepta, quæ ad Grammaticam pertinent, omnia ſoluta tradunt oratione.

Primus, quod ſciam, Terentianus Maurus, olim Niliacæ Syenes Præſes, cuius meminit Martialis lib. 1. Epig. 87. Seruius in Georg. Priſcianus ſœpe, D. Auguſtinus lib. 6. de Ciuitate Dei & alii, ſcripſit de litteris, ſyllabis, pedibus, & metris, omniaque verſibus complexus eſt, non quidem, quod is eſſet tum mos in Scholis, aut vt Magiſtris Regulas illas traderet, ſed vt in otio animum eo pacto relaxaret, vt ipſe ſcribit in libello de Litteris.

Vnde igitur mos inualuit in Scholis metricarum Regularum & quando inualeſcere cœpit? Vtrumque dubium. Non exiſtimo tamen factum id vno eodemque tempore, ſed primùm redactas in ordinem fuiſſe regulas; deinde contractam earum immenſitatem, poſtremo verſibus fuiſſe conſcriptas. Teſtatur apud Caſſiodorum Phocas quidam Grammaticus in præfatione ſuæ Grammaticæ contractas ſaltem à ſe fuiſſe regulas. Sic enim ad Artem ſuam loquitur.

Ars mea multorum es, quos ſecula priſca tulerunt:
Sed noua te breuitas aſſerit eſſe meam.
Omnia cum veterum ſint explorata libellis,
Multa loqui breuiter ſit nouitatis opus.
Te relegat Iuuenis, quem garrula regula terret,
Aut ſi quem paucis ſeria noſſe iuuat.
Te longinqua petens comitem ſibi ferre viator
Ne dubitet, paruo pondere multa vehens.

An autem illam artem verſibus ſcripſerit, non inuenio. Certè in Academia Pariſienſi plurimus olim vſus fuit Priſciani, vt apparet ex Bulla Cardinalis S. Stephani an. 1215. in qua continentur hæc verba inter cætera. *Et quidem libros Ariſtotelis de Dialectica tam vetere, quàm noua in Scholis ordinariè, & duos Priſcianos, vel vnum ad minus legant.* Quæ verba clarius poſtea in Comitiis à Magiſtris Artium explicata ſunt an. 1254. cùm, qui Authores prælegendi eſſent, præſcripſerunt. *Statuimus & ordinamus quod omnes & ſinguli Magiſtri noſtræ Facultatis in poſterum libros quos in Feſto S. Remigij incipient temporibus inferius annotatis, veterem Logicam, videlicet librum Porphyrij, Prædicamentorum, Periermenias, Demonſtrationum & Topicorum Boëtij, Priſcianum maiorem & minorem, Topica & Elenchos, Priora & Poſteriora. Ethicorum libros quinque, tres paruos libros, videlicet principia Barbariſmi, Priſciani de Accentibus, qui ſimul legantur, Philoſophica Ariſtotelis.* Ex quibus intelligimus non alium in Scholis Minoribus legi ſolitum quàm Priſcianum ex ſtatuto Academico, minorem quidem in infimis, maiorem in altioribus. Nam Priſcianus opus ſuum de Grammatica in duo volumina diſtinxit: quorum Minus vocabatur Alphabetum, quia continebat prima rudimenta: Maius verò Declinationes, Coniugationes, Syntaxim, Quantitates ſyllabarum, &c.

Credibile eſt igitur nondum ad ea vſque fere tempora in vſu fuiſſe Regulas metro conſcriptas, niſi forte alicubi nugas cuiuſdam Maximiani verſificatoris Grammatici inualuiſſe putamus. Veruntamen circa an. 1240. cœpit in Scholis minoribus vigere Doctrinale Alexandri de Villa Dei, Patria Dolenſis & Ordinis Minorum, vt aliqui volunt.

Ioannes Diſpautetius, de quo infra, Epiſtola præliminari Artis verſifieatoriæ ait eum vixiſſe an. 1200. ac proinde antequam vllus adhue Minorita prodiſſet in mundum. Is autem primus, quantum ego augurор, genera, deelinationes, heteroelita, verborum eoniugationes, ſyntaxim & quantitates figuraſque verſibus complexus eſt, & in ſeholis legi eæpit, authore Trithemio, qui ait eum floruiſſe ſub Friderieo II. eirea an. 1240. Sie verò ſuum Doctrinale orditur.

Scribere Clericulis paro Doctrinale nouellis,
Pluraque Doctorum ſociabo ſcripta meorum:
Iamque legent Pueri pro nugis Maximiani,
Quæ veteres ſociis nolebant pandere charis.

Poſtquam vero feeit operis diuiſionem, doeet quandonam legi pueris debeat, nimirum poſt Priſeianum minorem, quem Alphabetum voeat, & ſimul eum maiore, ex quo tamen opus ſuum deſumpſit. Vnde eertè patet non alium ante ipſum tale opus aggreſſum fuiſſe.

Poſt Alphabetum minus hæc Doctrina legetur,
Inde leget maius mea qui documenta ſequetur,
Iſte fere totus liber eſt extractus ab illo.

De hoc opere ſie ſentit Trithemius. *Volumen metro Leonino ſcriptum de Grammatica, cuius hodie in ſcholis Puerorum vſus eſt aſſiduus, neſcio ſi tam vtilis propter imbecillioris ætatis defectum & ignauiam Præceptorum.* Et Robertus Gouletus ſuum de authoribus Grammatiees prælegendis puerili ætati Iudieium fetens, ſie ſeribit. *Sum inter docendum expertus pro Grammatica verè tenenda nihil eſſe vtilius Donati principiorum, declinationum, nominum, coniugationum, verborum, paruarumque interrogationum cognitione: & quidquid Præceptores Neoterici, hoc eſt recentiores dixerint, Alexandri Doctrinale emendatum ſemel prælegi poſſet, cum carmen ſit ſatis facile & ordinatim documenta tradat. Poterit tamen videri Perottus, Auguſtinus datus, Sulpicius qui pro adultis cenſetur eſſe optimus.*

Extant in prædictum Doctrinale Alexandri Commentaria Ioannis Sinthemij veteris Grammatiei & Aſeenſii typis Andreæ Bocardi exeuſa an. 1500. Ipſe autem Aſeenſius ſuam quoque Grammatieam immiſcuit, verſibus item deſeriptam. Vno verbo Alexander ille 300. eireiter annos viguit in Academia Pariſienſi, donee tandem Ioannes Deſpauterius opus de rudimentis Grammatiees dedit emendatius, ſumpta tamen ex Alexandro methodo, vt vel ex hae Primæ Declinationis Regula eonſtat, quæ eſt Alexandri.

Rectis AS, ES, A dat declinatio prima.
Atque per AM propria quadam potiuntur Hebræa,
Dans Æ Diphtongum Genitiuis atque Datiuis
AM ſeruat Quartus, tamen AN aut EN reperimus.

Igitur Deſpauterium Alexandri loco Patres in ſynodo Mechlinienſi an. 1514. pueris prælegi præeeperunt, & hodie etiamnum eius regulæ metro comprehenſæ ediſcuntur & retinentur in ſeholis publieis, lieet priuatarum nonnullæ eas ablegarint. At quomodo ſenſim Alexander vt minus commodus, è Seholis Aeademiæ & aliis aliarum Nationum exularit, doeet ipſe Deſpauterius initio ſuæ Grammatieæ. *Poſt linguæ Latinæ*, inquit, *à Gottis reliquiſque Barbaris miſerabiliter laniatæ ac propemodum extinctæ per Neotericos inſtaurationem à Diuino Numine præſtitã, Alexandri Doctrinale viſum eſt doctiſſimo cuique Puerorum lectione indignum, vt potenimis tenebroſum, citra vtilitatem prælongum, plerunque etiam barbarum in ſufficiens & falſum. Quo circa vt Alexander vndique exularet, cœperunt plerique Grammaticam Latiniorem verioremque ſcribere. In Italia quidem Nicolaus Perotus, Ioannes Sulpicius, Anton. Mancinelus, Aldus Manutius. In Gallia Guill. Tardiuus, Robertus Gaguinus, Iodocus Badius. In Hiſpania doctiſſimus Hiſpanorum Antoninus Nebriſſenſis: in Germania Henricus Babelius.*

Hæc de regulis Grammatices : at quinam authores prælegebantur? Duplicis generis, Veteres & Recentiores. Veteres, iidem fere qui hodie, pro captu nempe Diſcipulorum, alij aliis in ſcholis, Ouidius, Virgilius, Horatius, Tibullus, Propertius, M. Tullius in omnibus humaniorum Diſciplinarum Claſſibus : in Rhetorica varij eiuſdem Tractatus, Quintilianus, Victorinus & cæteri probati authores quorum exemplaria magno pretio conquirebantur. Gerbertus Ep. 130. ad Rainaudum Monachum. *Noſti quanto ſtudio librorum exemplaria vndique conquiram, noſti quot ſcriptores in vrbibus aut in agris Italiæ paſſim habeantur. Age ergo & te ſolo conſcio ex tuis ſumptibus, fac vt mihi ſcribantur M. Manilius de Aſtrologia, Victorinus de Rhetorica, Demoſthenes Ophtalmicus.* Item Ep. 87. ad Conſtantinum Scholaſticum Floriacenſem. *Comitentur iter tuum Tulliana opuſcula & de Rep. & in Verrem, & quæ pro defenſione multorum plurima Romanæ Eloquentiæ parens conſcripſit.*

Video quoque Marcianum in Artibus Liberalibus & S. Auguſtini Dialecticam lectitari conſueuiſſe: quam in rem extat locus in vita Odonis Cluniacenſis Abbatis, *Odo vir Beatiſſimus ex Francorum proſapia extitit oriundus, ſed intra domum Willielmi Robuſtiſſimi Ducis Aquitaniæ eſt alitus. 19. ætatis ſuæ anno apud B. Martinum Turonis eſt tonſus, ibique Grammatica laribus eſt educatus. Deinde apud Pariſium Dialectica, Muſicaque à Remigio doctiſſimo viro eſt inſtructus.... Odo his diebus adiit Pariſium, ibique Dialecticam S. Auguſtini Deodato filio ſuo miſſam perlegit, & Marcianum in liberalibus artibus frequenter lectitauit. Præceptorem quippe in his omnibus habuit Remigium.*

Igitur iis temporibus Auguſtini Dialectica potius tradebatur, quam Peripatetica: quanquam paulo ante Ioannes Erigena Ariſtotelis lectioni impensè addictus omnem quæſtionem eius fundamentis & theorematis enodare ſe poſſe iactitaſſet, & Diſcipulos ſuos iis informaſſet. Sed quia in rebus fidei errare compertus eſt, ſequenti ſeculo videtur minus lectitatus fuiſſe Ariſtoteles. Berengarius eum in ſcholas reuocauit, Nominales & Reales eundem ciuitate Pariſienſi donarunt: adeo vt ſupremum tandem ſibi tribunal vindicarit. At an. 1215. Robertus Cardinalis Legatus eius quidem Dialecticam legi permiſit, Metaphyſicam vero & Phyſicam prohibuit. *Legent libros Ariſtotelis de Dialectica tam de veteri quam de noua in ſcholis ordinariè & ad curſum... Non legantur libri Ariſtotelis de Methaphyſica & de naturali Philoſophia, nec ſumma de iiſdem.*

Neque veteres modò authores, ſed & recentiores quoque, qui opus aliquod edidiſſent eximium, in ſcholis prælegebantur. Imprimis id certum de Rhetoribus, qui vt & hodie ad maiorem explanationem artis, compoſitos ingenio & marte ſuo de illa arte tractatus tradebant. Id de ſe fatetur Gerbertus Ep. 92. ad Bernardum Monachum. *Interdum nobiliſſimis Scholaſticis diſciplinarum liberalium ſuaues fructus ad veſcendum offero : quorum ob amorem & iam exacto Autumno quandam figuram edidi artis Rhethoricæ depoſitam in ſex & viginti membranis ſibi inuicem connexis & concatenatis : opus ſane expertibus mirabile, ſtudioſis vtile, ad res Rhetorum fugaces & caliginoſiſſimas comprehendendas atque in animo collocandas.*

Hildeberti Cenomanenſis Epiſtolæ & Poemata ita placuerunt, vt non in Gallia modo, ſed in ipſo quoque Gymnaſio Romano prælegi meruerint. Alexandreis M. Gualteri de Inſulis & Aurora M. Petri de Riga de quibus circa finem ſeculi ſequentis, in ſcholis ſimiliter viguerunt. Vnde iſte in fine operis Magiſtros Pariſienſes & Aurelianenſes rogat, vti ſuam Auroram ſcholaribus ſuis prælegant.

Quæ tibi dat Tellus metra Vindocinenſis alumna,
Prælege Pariſius, Aurelianis habe.

Quantum ad Theologos attinet, antè Petrum Lombardum qui ab anno circiter 1145. ad annum vſque 1164. in Academia Pariſienſi floruit, non video certos fuiſſe authores, qui ſcholaribus prælegerentur. Vnuſquiſque enim Magiſter tractatum ſeligebat puta de Trinitate, de Sacramentis, aut aliam Theologi operis partem, dictabatque Diſcipulis & Patrum authoritate diuiniſque ſcripturis roborabat : quemadmodum cernimus feciſſe Abaelardum, Hugonem de S. Vi-

ctore, & alios Theologos primorum temporum, quorum extant nonnulli tractatus & opuſcula. At Petrus Lombardus imitatus Iuonem Carnotenſem & Gratianum aliosque Iuris Canonici Compilatores, Sententias Patrum in Summam redegit, quæ omnibus Theologis tam commoda viſa eſt, vt eandem methodum deinceps ſecuti fuerint, multipliceſque commentarios in eam ediderint, vt ex hiſtoria conſtabit.

DE SCHOLIS PROVINCIALIBVS.

PRouincialium ſcholarum nomine intelligimus Cœnobiticas, Epiſcopales, & Oppidanas ſeu Vicanas, quæ ſcilicet in Cœnobiis, Epiſcopiis & Oppidis viciſque extra Lutetiam habebantur. Earum aliquæ ſplendoris habuerunt nonnihil hoc ſeculo, prout nactæ ſunt viros induſtrios, laborioſos & in aliqua arte excellentes; Epiſcopales quidem plus cæteris, Cœnobiticæ paulò minus, Oppidanæ omnium infimæ fuerunt, in quibus ſcilicet raro reperiebantur Magiſtri alicuius nominis. De his prius agendum.

Oppidanæ. Certum quidem eſt fuiſſe in Oppidis & Vicis ſcholas priuatas & ſingulares, Abecedarias & primorum rudimentorum Grammatices. Nam Philoſophos & Rhetoras in iis docuiſſe non legitur: imo nonniſi fere Gregarij & Triuiales Grammatici illic conſiſtebant, quorum ſæpe tam tenuis erat ſcientia, vt ipſos plus doceri quàm docere oportuiſſet. Queritur hac de re Guibertus Abbas Nouigentinus c. 4. de vita ſua. *Erat*, inquit, *paulo ante id temporis & adhuc partim ſub meo tempore tanta Grammaticorum caritas* (credo legendum *raritas*) *vt in oppidis pene nullus, in vrbibus vix aliquis reperiri potuiſſet, & quos inueniri contigerat, eorum ſcientia tenuis erat. nec etiam moderni temporis Clericulis vagantibus comparari poterat. Is itaque, cui mei operam mater mandare decreuerat, addiſcere Grammaticam grandæuus inceperat, tantoque circa eandem artem magis rudis extitit, quanto eam à tenero minus ebiberat: tanta vero modeſtia fuerat, vt quod deficiebat in litteris, ſuppleret honeſto.*

Duo diſtinguit tempora Guibertus, illud nempe quo natus eſt aut circiter, & illud quo ſcribebat. Natus eſt vero cica an. 1050. & anno 1104. factus eſt Abbas Nouigentinus in Diœceſi Laudunenſi aſſumpto Gaudefrido Abbate ad Epiſcopatum Ambianenſem, & ab eo tempore ad an. vſque 1124. quo obiit, ſcripſiſſe videtur, quo tempore etiam minimi Clericuli vagantes & Circunforanei doctiores erant Oppidanis Magiſtris pueritiæ ſuæ. Nec ſine fundamento id ſcribit Guibertus: nam vt ex dictis conſtat, ab an. circiter 1050. longè magis cœperunt coli Muſæ, quàm antea cultæ fuiſſent.

Cœnobiticæ. Cœnobiticæ ſcholæ duplicis generis diſtingui poſſunt. Aliæ ſolis Monachis inſtruendis addictæ erant, aliæ etiam externis Auditoribus patuerunt. Priores in omnibus paſſim Cœnobiis erant, aliæ aliis celebriores: vt fuerunt iſtæ, Gemblacenſis, Lobienſis, Gemmeticenſis, Vticenſis: poſteriores, raræ fuerunt; & haud ſcio an præter Beccenſem vlla alia poſſit recenſeri. Floriacenſis quidem, quæ ſuperiore ſeculo tantopere floruerat, ſublato Abbone & Gauzleno Abbatibus emarcuit, nec poſt an. circiter 1020. de ea auditum eſt quidquam. Sola Beccenſis famam publicam habuit ab anno circiter 1045. ad an. 1094. ſub Abbatibus & Magiſtris Lanfranco & Anſelmo, externiſque etiam patuit, vt multorum exemplis confirmare facile eſt qui eam frequentarunt. Anſelmus quidem adhuc laicus Lanfrancum adiit eumque audiuit. Ille vt narrat Radulfus de Diceto, erat genere Longobardus, Auguſtæ ciuitatis indigena, Patrem Gundulfum, Matrem habuit Hermerbergam, Alpiumque iuga tranſcendens inuigilauit per triennium liberalibus Diſciplinis in Gallia: deinde in Normaniam tranſiens Lanfranco adhæſit Priori Beccenſi, *Scholas Publicas Abbatis Herlewini permiſſu vel iuſſu regenti tunc temporis.*

Sed nemo meliùs ſcholæ Beccenſis famam prædicat, quàm Vvillielmus Gemmeticenſis lib. 6. hiſtor Norm. *Fama*, inquit, *viri Lanfranci præclariſſima Beccum & abſentem Herluinum breui per orbem terrarum extulit. Accurrunt Clerici, Ducum*

filij

filij, nominatiſſimi Scholarum Latinitatis Magiſtri, Laici potentes, alta nobilitate viri. Cæterum hæc ſchola poſt Lanfrancum & Anſelmum conticuit : adeo diſſimiles illis fuerunt qui eis ſucceſſerunt.

Ad Epiſcopales veniamus, quarum hæ plus nominis cæteris habuiſſe mihi videntur, Remenſis, Leodienſis, Aurelianenſis, Turonenſis, Andegauenſis, Engoliſmenſis, Carnotenſis, Laudunenſis.

Remenſis quidē ex quo fuit à Fulcone circa an. 890. ſeu inſtituta ſeu inſtaurata ad annum circiter 1100. floruit, & præſtantiſſimos habuit Magiſtros & Diſcipulos, Remigiū Antiſſiodorenſem & Hucbaldum Caluum primos reparatores, Gerbertum Aquitanum, Richardum, Conſtantium, Arnulfum Viridem, Brunonem Colonienſem Ordinis Carthuſiani deinde inſtitutorem, Bartholomæum Laudunenſem Manaſſis primi Archiepiſcopi Remenſis nepotem. Itaque hæc ſchola quemadmodum Pariſienſis inter maiores ſcientiarum Officinas maiora ſapientiæ arcana continentes meritò reponitur ab Aimoino Monacho Floriacenſi in vita Abbonis : quanquam à Stephano Tornacenſi qui ſequente ſeculo floruit, Eccleſia Remenſis ob id præſertim laudatur, quia Diſciplinæ Eccleſiaſticæ retinentiſſima ſemper fuit & tenaciſſima, vt Pariſienſis ſemper ſcientiarum multiplicitate abundantiſſima.

Leodienſis inter illuſtres quoque iure recenſeri debet : ex ea quippe innumeri viri Docti & celebres prodierunt, vt ex hiſtoria clarum eſt. Franco temporibus Caroli Calui, Stephanus Salinenſis, vir teſte Sigeberto *ſanctitate & ſcientia clarus* circa an. 900. Norgerus Epiſcopus, de quo diximus ad an. 970. Huboldus ille quem è ſcholis Pariſienſibus ad Leodienſem reuocauit Norgerus: Durandus Henrici primi Cancellarius, Franco Scholaſticus ſeu Magiſter ſcholæ ſub Richardo circa an. 1036. Vaſo etiam Magiſter Scholæ S. Lamberti, qui & Epiſcopus factus fuit, Anſelmus Canonicus qui vitas Epiſcoporum Leodienſium conſcripſit circa an. 1040. Sed ſub finem huiuſce ſeculi rara legitur huiuſce ſcholæ mentio.

Aurelianenſis à temporibus ipſis Caroli M. ad hæc vſque floruit. Theodulfus quidem ſingularem eius curam habuit, vt ad 1. ſeculum retulimus. Regnante Roberto Rege plurimum habebat famæ & celebritatis, vt ex iis patet, quæ ad an. 1017. de Areſaſto commemorauimus : & quamuis nonnulli eius Magiſtri in hæreſim lapſi ſint & flammis damnati, non tamen illa ſchola omnino contabuit : quinimo perpetuum ſeruauit litterarum exercitium. Ex ea prodiit Odelirius Pater Orderici Vitalis, vir ingenio & facundia, litterarumque eruditione præpollens, Goisfredus Aurelianenſis deinde Croilandenſis Abbas in Anglia, qui ſcholas ibi inſtituens, eas ſecundum formam Aurelianenſis ſtudij diſpoſuit, vt dicemus ad an. 1109. Baldricus Abbas Burgulienſis & Archiepiſcopus Dolenſis, qui ſub Philippo & Ludouico Craſſo eius filio floruit. Geraldus Aurelianenſis quem vocat Baldricus *egregium Doctorem magnumque Sophiſtam.* Hubertus ipſius Baldrici Magiſter & Compatriota, nempe Magduni ad Ligerim natus, quem idem vocat *Doctorum ſpeculum.* Prætereo cæteros.

Turonenſis ab Alcuino ad Berengarium & ad huius vſque finem ſeculi perpetuo ſaltem Grammatices exercitio prædicabilis extitit. Ibi plurimos habuit Alcuinus auditores in multiplici Artium genere, omnia quodammodo omnibus factus, vt ipſe dicit Ep. ad Carolum Regem. *Ego Flaccus veſter ſecundum exhortationem & bonam voluntatem veſtram aliis per tecta S. Martini ſanctarum mella ſcripturarum miniſtrare ſatago. Alios vetere Antiquarum Diſciplinarum mero inebriare ſtudeo. Alios Grammaticæ ſubtilitatis enutrire pomis incipio. Quoſdam ſtellarum ordine, ceu picto cuiuſlibet magnæ domus culmine, illuminare geſtio, plurima plurimis factus, vt plurimos ad profectum S. Dei Eccleſiæ & ad decorem Imperialis Regni veſtri erudiam. Ne ſit vana Dei omnipotentis in me gratia, nec veſtra bonitatis largitio inanis. Sed ex parte deſunt mihi ſeruulo veſtro exquiſitiores eruditionis Scholaſticæ libelli, quos habui in Patria per bonam & deuotiſſimam Magiſtri mei induſtriam, vel etiam mei ipſius qualemcunque ſudorem. Ideo hæc veſtræ Excellentiæ dico, vt veſtro forte placeat totius ſapientiæ deſiderantiſſimo Conſilio, vt aliquos ex pueris noſtris remittam, qui excipiant inde nobis neceſſaria quæque & reuehant in FRANCIAM flores Britanniæ, vt non ſit tantummodo in Euborica hortus concluſus, ſed in Turonica emiſſiones Paradiſi cum pomorum fru-*

ctibus, vt veniens Auſter perfl ire hortos Ligeriſluminis & fluant aromata illius, &c

„ Idem Ep. 7. ad eundem Carolum. Sed & de hoc quod mihi improperare vo-
„ luiſtis *me fumo ſordentia Turonorum tecta auratis Romanorum arcibus præponere*, ſcio
„ veſtram legiſſe prudentiam Salomonicum illud Elogium, *melius* inquit, *ſedere*
„ *in angulo domatis, quàm cum muliere litigioſa in domo communi.* Et vt cum pace di-
„ cam, magis ferrum nocet oculis quàm fumus. Turonis enim fumoſis tectis con-
„ tenta Deo donante per veſtræ bonitatis prouidentiam in pace permanet; Roma
„ verò quæ fraterna diſcordiâ initiata eſt, inſitum diſſenſionis venenum huc vſque
„ tenere non ceſſat: veſtræque dignitatis potentiam ad huius peſtis compeſcen-
„ dam perniciem *è dulcibus Germania ſedibus feſtinare compellit.* Idem Ep. 6. com-
„ parat Iuuentutem Turonicam quam inſtruere conabatur, cum ea quam in Pala-
„ tinis ſcholis curabat Carolus erudiri. *Ego licet parum proficiens cum Turonica quo-*
„ *tidie pugno ruſticitate. Veſtra vero authoritas Palatinos erudiat pueros, vt elegantiſſi-*
„ *mè proferant quidquid veſtri ſenſus lucidiſſima dictauerit eloquentia; vt vbique regu-*
„ *lis nominis charta decurrens regalis ſapientiæ nobilitatem oſtendat.*

In eadem ſchola Odo nobilis & Regiæ proſapiæ adoleſcens, poſtea Cluniacenſis Abbas educatus fuit & in Grammaticis inſtitutus, vnde ad Remigium Antiſſiodorenſem, qui in Dialecticæ profeſſione apud Pariſios excellebat, ſe contulit circa an. 900. In eadem ante eum inſtitutus fuerat Willebertus ſeu Guilbertus Regiorum ſtipendiorum olim Deſcriptor & Præpoſitus Vedaſtinus, Catalaunenſis demum Epiſcopus factus anno 868. qui antequam ordinaretur, interrogatus vbinam ſtuduiſſet, reſpondit *In ſchola Turonica liberalibus diſciplinis erudiendus traditus ſum.* In eadem ſchola Berengarius primoribus diſciplinis inſtitutus eſt antequam ad Fulbertum Carnotenſem ſe conferret, poſtea eiuſdem præpoſituram obtinuit, *ſancti enim Martini Turonenſis Scholaſteriam tenuit, ac ſtatim nomen eius celeberrimum eſſe cœpit vel etiam inter Diuinæ Philoſophiæ ſectatores.* Verba ſunt veteris cuiuſdam fragmenti quod refert Ducheſnius tom. 4. Hiſtor. Franc. p. 87.

Andegauenſem quoque ſcholam idem Berengarius celebrem reddidit hoc ſeculo, ſub Euſebio Brunone Epiſcopo, & poſt eum Marbodus eiuſdem Eccleſiæ primò Canonicus, deinde Scholaſticus, tum Archidiaconus, & ex Archidiacono an. 1096. factus Redonenſis Epiſcopus, vir facundiſſimus & Oratorum ſui temporis Coriphæus, vt legitur in veteri Chartulario S. Albini Andegauenſis, his verbis. *Denunciamus vobis obitum Domini Marbodi venerabilis Epiſcopi, ſemper cum laude memorandi, lingua facundi, religione præcipui, morum honeſtate præclari, litterarum eruditione doctiſſimi: cuius ſermo ſemper ſale conditus erat, & ex ore illius melle dulcior fluebat oratio: & quamuis eodem tempore variis ſtudiis tota Gallia reſonaret, ipſe tamen* ORATORVM REX GALLICANÆ ELOQVENTIÆ ARCEM OBTINEBAT. Idem habetur in Epitaphio quod ei conſcripſit Vlgerius in Scholaſtico munere ſucceſſor.

Omnes facundos ſibi vidimus eſſe ſecundos,
Nullus par ingenio, nullus in eloquio.
Ceſſit ei Cicero, ceſſit Maro iunctus Homero,
Vt dicam breuiter, vicit eos pariter.

In eadem ſchola docuit Robertus Arbricellenſis poſt mortem Siluestri Epiſcopi Redonenſis, quò ſe contulerat, vt inuidiæ cederet malignantium, quorum Simoniam abhorrebat, quorumq; vitiis viriliter reſiſtebat. De eo ſic ſcribit Baldricus Aurelianenſis, Abbas Burgulienſis in agro Andegauenſi. *Venit igitur Andegauum ibique Scholaribus incubuit Studiis, nec propterea tepebat à religione: ſiquidem Diuinæ poſt lectionem aſſiſtebat Philoſophiæ; vitabat otioſus eſſe, nunc orationi, nunc verò lectioni deditus.*

De Engoliſmenſis Scholæ inſtitutione nihil habeo quod aſſeram. Huius ſedis Epiſcopus fuit olim Helias Scotigena Academiæ Pariſienſis Magiſter: nec dubito quin ibi ſcholam aut inſtituerit, ſi non erat, aut exerceri curarit: vt vt ſit, hoc ſeculo videtur non fuiſſe inter infimas: ſiquidem ex ſynodo Lemouicenſi habita an. 1031. intelligitur in ea & litteratos & eruditos fuiſſe Clericos. Vnus enim eorum qui cum Rohone Epiſcopo ſuo ad Concilium venerat, narrauit quomodo Græcum hominem qui Engoliſmam venerat, interrogaſſet de Martiale,

& quid ab eo didiciſſet. In actis Concillj ita legitur. *Ex Clericis Engoliſmenſibus, qui tamen minus eruditus erat*, Quidam ſe oppoſuit dicens, *Si nomen Martialis inueniretur in Actibus Apoſtolorum, nobis ſufficeret.* Cui mox quidam eruditus ex ipſis Engoliſmenſibus Clericis, qui tune ab Engoliſma cum Epiſcopo Rohone ad Concilium venerat, obuiauit reſpondens...... Ego quendam Græcum peritum Inrerrogans didici ab eo Matbiam Armeniæ minori prædicaſſe & ibi in pace migraſſe. Sed libenter me audiat ſacer Patrum Conuentus. Ante hos annos plures quidam ex fratribus de monte Sinai in hanc partem aduenerunt occiduam, Dei diſponente nutu moribus graues, Doctrinâ Catholicæ fidei profluentes, vita per omnia honeſti, vtriuſque linguæ periti. Qui cum diu nobiſcum Engoliſmæ fuiſſent exſpectantes Principem ciuitaris, & litteris Græcis ac Latinis eos videremus ad vnguem imbutos, ſuper hac re interrogare curauimus eos. Eo tempore hæc regula de Apoſtoli memoria in hac vrbe frequentabatur, recuperata potius quàm primò inchoata viuentibus Rege Roberto & Gauzleno Biruricenſi Archiepiſcopo. Ego autem Engoliſmæ poſitus, vbi etiam ab ineunte ætate educatus ſum, dũ inter alios quaſi ſciolus viderer, ante omnes & ſuper omnes huic ſanæ regulæ repugnabam putans eſſe vanũ & falſum, ſiue ex elatione deſcendiſſe, quia Martialem audiebam in hac vrbe Lemouicenſi prædicari eſſe Apoſtolum, & incautus Ruſticorum opinioni meam accomodabam intelligentiam putans neminem eſſe Apoſtolum præter 12. Itaque illos conueni Græcos ſciſcitans vtrum Orientales Martialem noſſent. Qui alter Simeon, alter nomine Coſmas conſono ore reſponderunt dicentes, vtique Martialem nouimus Apoſtolum, vnum de ſeptuaginta duobus, &c.

Sed vt ad propiora tempora veniamus, eiuſdem ſcholæ Magiſter fuit Girardus Baiocenſis, inde factus Epiſcopus Engoliſmenſis: de quo ſic legitur in hiſtoria Pontificum & Comitum Engoliſmenſium. *Cum in Ciuitate Engoliſma & Petragorico & in quibuſdam Caſtellis circumadiacentibus regimina ſcholarum habuiſſet defuncto Ademaro Engoliſmenſi Epiſcopo ob inſignem ipſius ſcientiam & honeſtam vitam in Engoliſmenſem Epiſcopum promotus eſt petitione populi, electione Cleri, honoratorum conſenſu.* Eius in Gallia fuit Diſcipulus Fridericus Colonienſis Archiepiſcopus, à quo cum ad Imperatorem Henricũ legatus Pontificius eſſet, honorificè exceptus eſt, vt habetur loco cirato. *Colonienſis Archiepiſcopus qui eum ſolemniter in hoſpitio ſuo ſuſceperat: in Galliis namque Diſcipulus Giraldi fuerat, de vita illius dubitans dixit, Magiſter maximum ſcandalum generaſti in curia noſtra.*

Carnotenſis ſchola plurimum quoque famæ & celebritatis habuit ſub Fulberto ab an. circiter 990. ad annum vſque 1028. quo ex humanis exceſſit: nec dubium quin ab extraneis quoque & alienigenis frequentata fuerit. Sed poſt eius mortem quanquam non caruit viris doctis & Epiſcopis quoque litteratis, concidit tamen, ſiue ob propinquitatem ſtudij Pariſienſis, quod omnes Alienigenas attrahebat, ſeu quia non habuit viros qui cæteris aliarum vrbium Magiſtris præcellerent.

Laudunenſis ſimiliter longè lateque famam ſuam ſparſit, quandiu eam Anſelmus & Radulphus fratres rexerunt, iis vero de vita ſublatis contabuit. Ita plures quoque aliorum nonnullorũ virorum exiſtimatione fultæ aliquandiu floruerunt, vt Auguſtodunenſis ſub Honorio ſcholaſtico, Antiſſiodorenſis ſub Ioanne & Leutherico, Pictauienſis ſub Anſelmo vetere, item ſub Willielmo Scholarum Magiſtro, & poſtea Gilleberto Porretano, qui muneris neceſſitate Eccleſiis illis adſtringebantur: ſed quia rarò præter eos quibus ex officio ſcholas illas regere incumbebat, reperiebantur Magiſtri præſtantes qui in Prouinciis docere vellent, (vnde fit vt teſte Guiberto caritas eorum eſſet maxima) raro quoque ab extraneis frequentabantur.

Vna Pariſienſis erat huiuſmodi, vt omnes omnium Gentium alumnos exciperet, eorumque deſiderio & multiplicitate artium & numero Profeſſorum in ſingulis excellentium abunde ſatisfaceret, ſemper & quocumque tempore, quia eorum multitudine & frequentia ſemper abundabat. Vnde fiebat, vt quibuſcunque nobilis ille ſciendi impetus animo inſidebat, ſœpe peracto humaniorum litterarũ in Prouincialibus ſcholis curriculo, Pariſios ad Philoſophiã, Theologiã aliaſque ſublimiores & reconditiores diſciplinas conuolarent, aut illis luſtratis ad

Pariſienſes tanquam ad perfectionis in re litteratoria cumulum venirent: ſeque tum demum eum aſſecuros putarent, cum Magiſterii Gradum obtinuiſſent: quod nomen tanti faciebant, vt illud omnibus aliis etiam Magiſtratuum Eccleſiaſticorum & Cardinalatus nominibus præponerent: vt in quarto ſeculo planius conſtabit.

Et certè quæ alia Schola tandiu, tam conſtanter, tam vnanimiter emouit è ſuis ſedibus, Regnis & Gentibus alienigenas, quàm Pariſienſis? Sub initia ſuæ fundationis, vt nihil dicam de Francigenis, complexa eſt Anglos, Scotos, Hibernos, Germanos, Saxonas, Italos, Hiſpanos etiam & Græcos. Odo Nobilis Aquitanus relict à Aquitaniâ, relictâ etiam Turonenſi Scholâ ad Remigium Antiſſiodorenſem inſignem Philoſophiæ profeſſorem, Hubaldus è Leodienſi, Abbo è Floriacenſi, Otbertus è Cœnobiali, Gerbertus poſt luſtratam Hiſpaniam, Lutetiam quoque ad nobilius litterarum emporium venit. Et quæ alia Schola Lanfrancum & Anſelmum ex Italia, Haimonem ex Anglia, Brunonem ex vrbe Colonienſi, Manigaudum Lutenbacchium, Vvillerammum, Vvetzilonem e Germania, Robertum Arbricellenſem e Britannia, Bernardum e Pontiuenſi agro, Abaelardum e Nannetenſi, Goſwioum e Flandria excitauit? Eſto enim alias quoque ſingulares nimirum & priuatas in variis prouinciis adierint; Francica tamen Academia ſeu Pariſienſis, ſcopus erat quò tendebant: quem ſi aſſequerentur & plus famæ luciſque habituros, & plus lucri comparaturos ſe putabant. Teſtis de Roberto Arbricellenſi, vt cæteros omittam, Baldricus in eius vita ſic ſcribens. *Fugientes litteras per orbem perſequi videbatur, quoniam ab annis infantilibus litterarum ſtudys, quas aſſequi non poterat, deputatus. Perambulabat regiones & prouincias irrequietus, & in litterarum ſtudys non potera non eſſe ſollicitus. Et quoniam Francia tum florebat* IN SCHOLARIBVS EMOLVMENTIS COPIOSIOR, *fines paternos tanquam exul & fugitiuus exiuit, Franciam adyt, & vrbem quæ Pariſius dicitur, intrauit, litterarum diſciplinam, quam vnicè ſibi poſtulauerat, pro voto commodam reperit, ibique aſſiduus Lector inſidere cœpit.* Hinc intelligitur quamobrem in prouinciis magna eſſet Magiſtrorum alicuius nominis & pretii raritas, Pariſienſis verò Academia iis abundaret, quia nempe copioſior & abundantior erat Pariſiis, laboris ſeu Regentiæ merces, quàm in prouinciis.

DE MERCEDE SEV HONORARIO Regentium.

ADMONET Nos hic locus inquirere de Mercede ſeu Honorario Magiſtrorum, quos vulgò Regentes appellamus: qua de re licet nos iam egerimus fol. 72. & 73. non erit tamen fruſtraneum & inutile hanc materiam hîc ex profeſſo retractare. Atque ne actum agere videamur, duplex hic nobis agitanda eſt Quæſtio. 1. an Profeſſores Academici mercede docerent: altera, quæ fuerit in ea re veterum conſuetudo. De prima ſic ſtatuendum imprimis videtur, neceſſe eſſe mercedem dare Doctoribus, vt habeant vnde viuant, & duri exercitij labores intolerabiles mitigent & ſolentur: quis enim, vt ait Iuuenalis, Virtutem amplectitur, ipſam præmia ſi tollas? Itaque licet honorabile ſit, nec ad quæſtum inſtitutum alios docere quod didicimus, non poteſt tamen turpe reputari inde victum veſtitumque comparare, vbi laborem impendimus, ipſa atteſtante ſacra Scriptura, *nolite claudere os boui trituranti.* Et *qui altari ſeruit, de altari viuat*: quod de omnibus paſſim operibus & honeſtis exercitiis dicere licet: vbi enim labor, inde merces qualiſcunque ſit, proueniat neceſſe eſt. Neque omnes gratis docere poſſunt; imo non expedit, ſicut nec Oratoribus & Patronis cauſarum olim turpe aut indecorum viſum Honorarium à Clientibus accipere.

Quam in rem extat locus Taciti lib 11. Annal. ab hoc negotio non abludens: agitata enim eſt in Senatu hæc Quæſtio, an Cauſidicis eſſet inhibendum, ex eo tempore quod in agendis cauſis ponerent, aliquid mercedis percipere; an per-

mittendum. C. Silius Conſul deſignatus antiquam legem Ciniam flagitabat, quâ cauebatur antiquitus, ne quis ob cauſam orandam pecuniam donumve acciperet, veterumque Oratorum exempla retulit, *Qui famam in poſteros præmia Eloquentiæ cogitaſſent pulcherrima: alioquin & bonarum Artium principem ſordidis miniſteriis fœdari: nec fidem integram manere, vbi magnitudo quæſtuum ſpectetur: quod ſi in nullius mercedem negotia tueantur, pauciora fore: nunc inimicitias, accuſationes, odia & iniurias foueri, vt quomodo vis morborum pretia medentibus, ſic fori tabes pecuniam Aduocatis ferat. Meminiſſent Patres T. Galbæ, C. Aſinij, & Meſſalæ ac recentiorum Arruntij & Eſernini ad ſumma prouectorum incorrupta vita & facundia.*

Hæc dicebantur aduerſus Suilium & Coſſutianum alioſque Cauſidicos; iamque parabatur ſententia, qua lege repetundarum tenerentur: cum illi à Claudio Imperatore poſtulant ſe audiri & licere cauſam ſuam agere; quo annuente incipiunt, *Quem illum tanta ſuperbia eſſe vt æternitatem famæ ſpe præſumat? vſui & rebus ſubſidium præparari, ne quis inopia Aduocatorum potentioribus obnoxius ſit: neque tamen eloquentiam gratuito contingere, omitti curas familiares, vt quis ſe alienis negotiis intendat. Multos militia, quoſdam exercendo agros tolerare vitam. Nihil à quoquam expeti, niſi cuius fructus ante prouiderit. Facile Aſinium & Meſſalam inter Antonium & Auguſtum bellorum præmijs refertos, aut ditium familiarum hæredes Æſerninos & Aruntios magnum animum induiſſe: prompta ſibi exempla quantis mercedibus P. Clodius aut C. Curio concionari ſoliti ſint: ſe modicos Senatores, qui à Repub, nulla niſi pacis emolumenta peterent: cogitare plebem qua toga eniteſceret:* SVBLATIS STVDIORVM PRETIIS ETIAM STVDIA PERITVRA VT MINVS DECORA. Exitus tandem hic fuit: Princeps capiendis pecuniis poſuit modum vſque ad dena ſeſtertia, quæ egreſſi repetundarum tenerentur.

Eandem quæſtionem agitat ex profeſſo Quintilianus lib. 12. Inſtitut. Orator. cap. 7. *Gratiſne Patrono ſemper agendum ſit, tractari poteſt, quod ex prima ſtatim fronte dijudicare imprudentium eſt. Nam quis ignorat quin id longè ſit honeſtiſſimum & liberalibus Diſciplinis, & illo quem exegimus animo digniſſimum, non vendere operam, nec eleuare facti beneficij authoritatem?* cum pleraque hoc ipſo poſsint videri vilia, quod pretium habent. Coecis hoc vt aiunt ſatis clarum eſt: nec quiſquam qui ſufficientia ſibi (modica autem hæc ſunt) poſſidebit, hunc quæſtum ſine crimine ſordium fecerit. Atſi res familiaris amplius aliquid ad vſus neceſſarios exiget, ſecundum omnes ſapientium leges patietur ſibi gratiam referri: cum & Socrati collatum ſit ad victum; & Zeno, Cleanthes, Chryſippus mercedes à Diſcipulis acceptauerint. *Neque enim video quæ iuſtior acquirendi ratio, quàm ex honeſtiſſimo labore & ab ijs de quibus optimè meruerint, quique ſi nihil inuicem præſtent, indigni fuerint defenſione. Quod quidem non iuſtum modò, ſed neceſſarium etiam eſt, cum hæc ipſa opera, tempuſque omne alienis negotijs datum facultatem aliter acquirendi recidant.*

Sed vt ad rem noſtram atque ad conſuetudinem Vniuerſitatis Pariſienſis veniamus, cum duplex ſit genus Mercedis ſeu Honorarij, vnum fortuitum & incertum, quod ex liberalitate Scholaſticorum & parentum pendet; alterum certum quod à Principe ſeu fundatore & aſſignatore ſtipendij, primi Doctores ſeu Magiſtri Pariſienſes Caroli M. Academiæ inſtitutoris liberalitate & beneficentia contenti fuiſſe videntur. Ex hiſtoria enim intelligitur illum ex iis qui vænalem ſcientiam clamitabant quæſiſſe, quid pro ea peterent, reſpondentibus verò ſe loca tantum petere opportuna ad docendum, ingenioſos adoleſcentes quorum ingenia excolere poſſent, & victum veſtitumque ſine quibus humana mortalitas conſiſtere nequit, hæc omnia fideliter & æquo animo compleuiſſe. *Qui cum inquiſiſſet ab illis, quid pro ipſa ſcientia peterent* inquit, San-Gallenſis, *reſponderunt loca tantum opportuna & animas ingenioſas, & ſine quibus iſta peregrinatio tranſigi non poteſt, alimenta & quibus tegamur... at prout neceſſarium habuerunt victualia miniſtrari præcepit habitaculis opportunis ad habitandum deputatis.*

Atque id initio ita ſtatuere maximè conſentaneum fuit: tum ad commendandam longè latèque liberalis & magnifici Principis famam: tum ne Parentes impenſis & ſolutione mercedis grauarentur. Nec dubium, quin mediocres & infimæ ſortis pueros, quos Carolus Cleméti commendauit, eadem de cauſa propriis ſumptibus in ſtudio ſuſtentarit. Nec dubium quoque videtur eſſe, quin Ludoui-

Sſſ iij

cus pius quantum licuit, & Carolus Caluus alter Academiæ fundator idem præſtiterint, quorum in ea re liberalitas ab hiſtoricis coætaneis prædicatur.

At expulſis quodammodo ex vrbe ſua Primaria Regibus & ſublatis quæ præbebantur ex fiſco ſtipendiis, neceſſe fuit ad perpetuitatem ſtudij vt Magiſtri ex liberalitate parentum mercedem perciperent: neque ſeculares modo noſtri Academici Magiſtri, ſed ipſi quoque Monachi, qui in cœnobiis ſuis ſcholas publicas & exteriores habuerunt, honoraria eiuſmodi accepiſſe comperiuntur. Nam vt nihil dicamus de Floriacenſibus, quibus Scholaſtici loco mercedis bina librorum exemplaria concinnè ſcripta & compacta offerebant, Lanfrancus in Beccenſi Monaſterio Scholis apertis ex mercede diſcipulorum Cœnobij paupertatem temperauit: vt legitur in Chronico Beccenſi & apud I. Brompton Abbatẽ Iornalenſem ſic ea de re ſcribentem in hiſtoria Willielmi I. *Iſte Lanfrancus liberalibus ſtudiis iuuentutem attriuerat, Sacris ſcripturis æuum maturauerat, quibus edoctus mundanos animos & ampullata gentilium eloquia paruipendere cœpit. Hic tamen ex omnibus Monaſteriis Normaniæ Beccum praelegit paupertate & religione loci captus, vbi ipſum Herlwinum Abbatem loci primum ad coquendos panes ſuccinctum & manus fimo conſpicatus eſt. Piger eſſet Monachatus homo qui neſciret agreſti opere victum quærere,* PVBLICAS SCHOLAS DE DIALECTICA *profeſſus eſt, vt ſic egeſtatem loci* SCHOLARVM LIBERALITATE *temperaret. Vnde gloria laudis eius apud improbos viros per inuidiam tantum conflauit, vt à vicinis Cappellanis Comes Normaniæ Willielmus turbatus ediceret Lanfrancum pro ſua importunitate de Normania repellendum.*

Similiter in libello de Geſtis Abbatum Gemblacenſium de Sigeberto Chronographo Cœnobij Gemblacenſis, qui diu profeſſionem litterarum exercuerat, ſic legitur. *Poſt multum temporis vix impetrata licentia rediens ad Cœnobium Gemblacenſe contulit ad vſum & ornamentum Eccleſiæ, quæ acquiſierat voluntaria eorum quos inſtruxerat liberalitate.* Sed nullus vnquam tantum in iſto profeſſionis genere lucratus eſt, quantum Abaelardus Monachus factus: ex mercedibus enim Scholaſticis condidit, fundauit & ditauit Cœnobium Paracletenſe, vt ipſe de ſe teſtatur Ep. 1. *Ad ſcholarum regimen intolerabilis me compulit paupertas, cum fodere non valerem & mendicare erubeſcerem. Ad artem itaque quam noueram recurrens, pro labore manuũ ad officium lingua compulſus ſum. Scholares autem vltro mihi qualibet neceſſaria præparabant tam in victu ſcilicet quàm in veſtitu vel cultura agrorum, ſeu in expenſis ædificiorum, vt nulla me ſcilicet à ſtudio cura domeſtica retardaret.* Ipſa quoque Heloiſſa Paracleri Abbatiſſa Ep. 2. ad Petrum Abaelardum *Clerici ſiue ſcholares huc certatim ad diſciplinam tuam confluentes omnia miniſtrabant neceſſaria, qui de beneficiis viuebant Eccleſiaſticis, nec oblationes facere nouerant ſed ſuſcipere, & qui manus ad ſuſcipiendum non ad dandum habuerant; hi in oblationibus faciendis prodigi atque importuni fiebant.*

Hoc Monachi: quanto vero plura ſeculares Magiſtri? Planum eſt ex vita M. Roberti Arbricellenſis longè maiorem quæſtum ex profeſſione literaria Pariſiis percipi ſolitũ, quàm in Prouinciis: ſiquidem ille peragratis multis Prouinciis venit tandẽ Pariſios, vbi maior erat & copioſior emolumentorũ copia, ibique aliquandiu docuit. Sic enim de eo ſcribit Baldricus. *Et quoniam Francia tum florebat in Scholaribus emolumentis copioſior, fines paternos tanquam exul & fugitiuus exiuit, Franciam adit, & vrbem quæ Pariſius dicitur, intrauit, litterarum Diſciplinam quam vnicè ſibi poſtulauerat, pro voto commodam reperit, ibique aſſiduus Lector inſidere cœpit.* Nec refert quod Lanfrancus ſpe maioris quæſtus Lutetia relicta ad vltimos Normaniæ fines penetraſſe dicatur: ideo enim id ab eo factum, quia forte non potuit habere locum commodè Pariſiis vbi docere poſſet, vel quia ob multitudinem profeſſorum, paucos ſinguli tunc habebant Diſcipulos, vnde ſperauit ſe plus facturum lucri, ſi ſolus eſſet alicubi qui litteras profiteretur, quàm in loco celebri, vbi multi eximiæ famæ & magni nominis ad ſe omnes diſcipulos alliciebant.

Idque exemplo Petri Abaelardi confirmare licet, qui poſt ſuum è Laudunenſi ſchola reditum, vbi Pariſiis aggreſſus eſt Dialecticam docere & Theologiam, pæne Scholas vacuas fecit, earumque ad ſe Scholaſticos tranſtulit: imo ante etiam, Magiſtrum ſuum Guillelmum Campellenſem quem mutare coegerat ſententiam de Vniuerſalibus, in tantum contemptum adduxerat, *vt ad dialecticæ lectionem vix admitteretur.*

Quantum autem iſte breui tempore docendo lucratus ſit, ex liberalitate Diſcipulorum ſuorum, ſatis indicat Ep. 1. ad amicum, ſic ſcribens. *Vtriuſque lectionis ſtudio ſchola noſtra vehementer multiplicata, quanta mihi de pecunia lucra, quantam gloriam compararent, ex fama te quoque latere non potuit.*

Talis ergo conſuetudo ab antiquis temporibus ad hæc vſque, quibus ſcribimus in Academia Pariſienſi obſeruatur.

Sed quanta merces, inquiet aliquis, dabatur Magiſtris? varia pro varietate Profeſſionum quas exercebant: nam id ſemper & apud veteres & apud nos obſeruatum, vt ſuperiorum Artium Magiſtris puta Rhetoribus, Philoſophis, Theologis plus daretur quam Grammaticis: neque exiſtimauerim ea de re conditam vllam legem ante vltimam reformationem an. 1598. qua ſublatis Candelis, Indicto & aliis eiuſmodi variorum nominum ſolutionibus certa ſumma Magiſtris eſt deputata & aſſignata: id enim antiquitus, hoc eſt pretij quantitas pependiſſe videtur ex liberalitate parentum & ex conſuetudine, non ex lege ſcripta.

Apud veteres Græcos & Romanos eadem prope ratio mercedis pro varietate Profeſſionum, cuius quantitas pendebat vel ex ſtipulatione Parentum, vel ex conſuetudine Magiſtrorum plus minuſve lucrantium. Qui plurimum famæ & exiſtimationis in docendo ſibi compararant, aut ſe comparaturos putabant, nonniſi grandi pretio docebant. Teſtis Auguſtin. l. 4. de Doctr. Chriſt. c. 7. *Hæc omnia quando à Magiſtris docentur, pro magno habentur, magno pretio emuntur magna iactatione venduntur.* Teſtis quoque Auſonius Burdigalenſis de Exuperio Toloſano Rhetore ſic loquens.

——Pueros grandi mercede docendi
Formaſti Rhetor.

Atque vt hodie vulgo fit, Particij & opulentiores plus dabant, mediocres & pauperiores, minus: vt videtur docere Philoſtratus in Polo Agrigentino, quem ait à Gorgia magna vi pecuniæ inſtitutum in declamatione. Et in Scopeliano, *Declamationes*, inquit, *quæſtu agitauit: alius autem aliam mercedem pro cuiuſque familiæ ratione dependit.* ὁ δὲ μισθὸς ἦν ἄλλος ἄλλῳ, καὶ ὡς ἕκαστος οἴκου εἶχε. Addo maiorẽ mercedem à ſingulis petere ſolitos, quo plura docerent. Erant enim qui declamare tantùm docebant, dicebanturque propriè Sophiſtæ. Erant & qui ſimul eloquentiæ præcepta docebant. Hi autem plus quàm illi lucrabantur: vt in Sophiſta Lolliano patet.

Quia igitur pendebat quantitas ſummæ vel ex ſtipulatione, vel ex liberalitate Parentum aut Diſcipulorum, vel ex fama & exiſtimatione Magiſtrorum, incerta omnino fuit. Video Minerual ampliſſimum fuiſſe decem mille drachmarum, ſeu centum Minarum Atticarum: qua ſummâ Quintilianus ait Euathlum Artem didiciſſe à Protagora. Et de eodem Laertius ait, πρῶτος μισθὸν εἰσεπράξατο, μνᾶς ἑκατόν. Eandem ſummam petebat Gorgias à Diſcipulis teſte Diodoro: eandemque Pythodorus & Callias Zenoni Præceptori ſuo dediſſe dicuntur.

Imminutum poſtea Minerual eiuſmodi ad decimam partem. Nam Iſocratem ait Plutarchus decem minarum Atticarum mercede, ſeu mille drachmis docuiſſe: idque commune fuiſſe docentium pretium ex eodem patet in vita Lycurgi Oratoris, quem cum argueret quiſpiam quod mercedem Sophiſtis penderet, reſpondit ſe non mille drachmas tantùm, ſed dimidiam bonorum partem daturum ei, qui filios meliores redderet. Aliqui vt plures lucrarentur & captarent Diſcipulos, minori pretio ſe docturos pollicebantur, vt ait Iſocrates contra Sophiſtas, ſcilicet 4. aut 5. minas pro mercede τέτταρας ἢ πέντε μνᾶς ὑπὲρ τούτων αἰτοῦντες. Alij vnâ minâ, ſeu drachmis 100. contenti erant, vt Proclus Naucratites Philoſtrati præceptor, cui ſi quis 100. drachmas ſemel ſoluiſſet, ſemper audire poterat, teſte ipſomet Philoſtrato l. 2. de Sophiſt.

Apud Latinos certum eſt quoque non omnes profeſſores æquam tuliſſe mercedem; ſed maiorem Rhetoras, quàm Grammaticos, hos verò quàm Litteratores & Calculatores. De Rhetoribus & Grammaticis liquet ex Iuuenal. Satyr. 7.

Quis gremio Enceladi doctique Palæmonis affert,
Quantum Grammaticus meruit labor? & tamen ex hoc
Quodcumque eſt, minus eſt autem quàm Rhetoris æra,

Diſcipuli Cuſtos præmordet Acœnitus ipſe,
Et qui diſpenſat, frangit ſibi.

De minoribus verò Profeſſoribus puta Calculatoribus vetus interpres ait dari tantum ſolere pro mercede octo æris nummos. De iiſdem Iuuenalis Saty. 11.

Eloquium ac famam Demoſthenis aut Ciceronis
Incipit optare, & totis Quinquatribus optat
Quiſquis adhuc vno partam colit aſſe Mineruam.

Id. qui minimâ adhuc mercede prima Elementa diſcit.

Neque omittendum non fuiſſe mercedis loco numeratas Calendarias ſtrenas, & Saturnalitias ſportulas, itemque munera Minerualia, quæ ſupra honotarium conſuetum & legitimum ſolebant offerre & dare præceptoribus Diſcipuli. Teſtis Hieronymus in Ep. ad Epheſios. *Pecuniam in Calendariam ſtrenam & Saturnalitiam ſportulam & Mineruale munus Grammaticus & Orator accipit.* De Calendariis ſtrenis, quæ ſcilicet Calendis Ianuarij dabantur ſic Libanius in Calendarum deſcriptione, *Funditur aliis aurum vndequaque; quando hi quidem patrones imitantur: alij verò ſimul & ſemel largiuntur: e quorum etiam numero ſunt, qui ſapientiæ ſtudio dant operam: ſiquidem ſtatuunt tunc temporis mercedem huiuſmodi inſeſti gratiam.*

Quo verò tempore mineruał pendebatur? Litteratoribus & Calculatoribus videtur pendi ſolitum ſingulis menſibus; vt ex hoc verſu Horatij euincitur.

Ibant Octonis referentes idibus æra.

Id. pueri pro mercedulâ menſtruâ ſingulis menſibus penſitabant ſuis præceptoribus præſertim Calculatoribus, vt ab iis Artem numerandi diſcerent, octo aſſes. Sicque vocat Horatius octonas Idus per hypallagen, pro *octo æra* ſingulis Idibus.

Cæteris Profeſſoribus annua fere pendebatur, ſeu ſub finem anni ſcholaſtici: idque videtur innuere Iuuenalis explicans eorum miſeriam, qui poſtquam totum ſuum tempus in formandis puerorum ingeniis conſumpſerant, minimam à parentibus mercedem finito anno accipiebant.

—— Cum ſe verterit annus,
Accipe victori populus quod poſtulat aurum.

Quæ verba omnes interpretes accipiunt de fine anni ſcholaſtici. Sed quo tempore finiebatur? antiquitus menſe Martio. Docet Macrobius l. 1. Saturnal. c. 12. de illo ſic loquens. *Hoc menſe mercedes exſoluebantur Magiſtris, quas completus annus deberi fecit.* Poſtea id mutatum, poſtquam ſcilicet initia lectionum ab Idibus Octobris duci cœperunt; menſe enim Iulio propter immodicos calores terminabantur. Vnde Martialis lib. 10. Epig. 62.

Albæ leone flammeo calent luces
Totamque feruens Iulius coquit meſſem;
Scuticaque loris horridis Scythæ pellis
Qua vapulauit Marſyas Celenæus,
Ferulaque triſtes ſceptra Pædagogorum
Ceſſent, & Idus dormiant in Octobres:
Æſtate pueri ſi valent, ſatis diſcunt.

Apud Græcos diſcedentes à Præceptore Scholaſtici ſoluto Mineruali orationem Euchariſticam habere tenebantur. Quò videtur alludere Plato in Cratylo his verbis. *Ab his qui ſciunt, hæc perquire, oblatis pecuniis & Gratiis inſuper actis. Hi vero Sophiſtæ ſunt, quibus frater tuus Callias multis erogatis pecuniis ſapiens euaſiſſe videtur.* Gratiarum actiones eiuſmodi vocabant ἐξιτηρίους λόγους, προπεμπτίους, ſermones dimiſſorios. Item ἀπαλλακτικοὺς οἰμωγάς. Tales habuit Baſilius Magnus teſte Gregorio Nazianzeno. Item Gregorius Neocæſareæ antiſtes cum Origeni vale dixit,

dixit, elegantem habuit orationem in qua inter cætera maximas Deo gratias egit quod tam excellentem nactus fuiſſet præceptorem.

Porro in prædictæ mercedis ſolutione ſæpe peccabatur turpiter & à Parentibus atque Diſcipulis & à Magiſtris. A parentibus quidem, qui vt ſe à ſoluendo eximerent, aliud & aliud cauſabantur, vt ſi nihil didiciſſent filij, ſi non declamaſſent ſæpe, ſi ſtupidi redirent, &c. quod malum in præceptoris incuriam, non in filiorum nequitiam aut ſtupiditatem reiiciebant. Qua de re Iuuenalis Satyr. 7.

Scire volunt omnes, mercedem ſoluere nemo.
Mercedem appellas! quid enim ſcio? Culpa docentis
Scilicet arguitur, quod læua in parte mamillæ
Nil ſalit Arcadico iuueni.

Itaque ſæpe ob denegatam mercedem, miſerrimis Magiſtris in foro cum Parentibus decertandum erat. Teſtis Auguſtinus l. 1. Confeſſ. c. 16. *Magna res agitur publicè in foro in conſpectu legum ſuper mercedem Salaria decernentium.* Et Iuuenalis ibidem.

Rara quidem merces, quæ cognitione Tribuni
Non egeat.

Hæc iniquitas parentum. Ecce aliam à Cuſtodibus ſeu Pædagogis & Oeconomis ſeu Diſpenſatoribus, qui de ſumma quam parentes dabant, decerpebant ſibi adeo vt minimula pars ad miſerrimos præceptores perueniret: cumque iis veluti cum aliquo inſtitore & propola lodicis aut culcitræ, de imminutione pretij paciſcebantur: vt deſcribit Iuuenalis ibidem.

—— Et tamen ex hoc
Quocunque eſt, minus eſt autem quam Rhetoris æra,
Diſcipuli cuſtos præmordet Acœnitus ipſe,
Et qui diſpenſat frangit ſibi. Cede Palæmon,
Et patere inde aliquid decreſcere: non aliter quam
Inſtitor hybernæ tegetis niueique cadruci,
Dummodo ne pereat mediæ quod noctis ab horâ
Sediſti, quâ nemo faber, quâ nemo ſedebat,
Qui docet obliquo lanam deducere ferro.
Dummodo non pereat totidem olfeciſſe lucernas,
Quot ſtabant pueri, cum totus decolor eſſet
Flaccus, & hæreret nigro fuligo Maroni.

Aliud malum à Scholaſticis ipſis ingratis deſcribit Auguſt. l. 5. Conf. c. 12. qui tranſeuntes à Magiſtris ad Magiſtros cõſpirabant inter ſe ne quid illis darent, ſicque ſingulos deludebant. Id ſibi contigiſſe ait: nam cũ Carthaginenſem ſcholam reliquiſſet ob proteruitatem ſcholaſticorum, Romamque conceſſiſſet vbi audierat tractabiliora eſſe eorum ingenia, aliud in illis vitium deprehendit, ſcilicet conſpirationem illam & mutationem frequentem Magiſtrorum, vt eos defraudarent. *Sedulò ergo*, inquit, *agere cœperam propter quod veneram vt docerem Romæ artem Rhetoricam & prius domi congregare aliquos, quibus & per quos innoteſcere cœperam; & ecce cognoſco alia Romæ fieri quæ non patiebar in Africa. Nam reuera illas euerſiones à perditis adoleſcentibus ibi non fieri manifeſtatum eſt mihi, ſed ſubitò ne mercedem Magiſtro reddant, conſpirant multi adoleſcentes, & transferunt ſe ad alium, deſertores fidei, & quibus præ pecunia charitate Iuſtitia vilis eſt.*

Verum à Magiſtris in hac Mineruali exactione multa quoque committebantur indigniſſimè præſertim à Græcis. 1. quia non contenti cum parentibus paciſci, ſyngraphas conficiebant in cautionem, ne mercedulâ defraudarẽtur. 2. Si qui ſoluendo non eſſent, aut pactam mercedem ſoluere detrectarẽt, eos rapiebant in ius, verberabant & pugnis concidebant. Teſtis Lucianus in Hermot. vbi de Philoſopho agens qui Dionem Diſcipulum ſuum indigniſſimè habuerat, *ἐπεὶ τὸν μισθὸν μὴ ἀπεδίδου κατὰ καιρὸν, quia non reddiderat illi mercedem in tempore, ad*

Prætorem paulò ante rapuit miſerum, pallio eius collo iniecto vociferans & excandeſcens admodum: & niſi è familiaribus Quidam e manibus furioſi adoleſcentem eripuiſſent, periculum erat, ne nares miſero mordicus auelliſſet ſenex, adeo impotenter debacchabatur incenſus iracundia. Et in Conuiuio Cleodemus ita cum Antiſophiſta contendit. *Neque drachmis quaternis fænero, neque præſtrictâ gulâ Diſcipulos meos præfoco niſi in tempore mercedem ſoluerint* ἢ δὲ ἄγχω τοὺς μαθητὰς οἳ μὴ κατὰ καιρὸν ἀποδῶσι τοὺς μισθούς. Themiſtius eoſdem Magiſtros longè truculentiores facit, qui nempe ſolerent pueros ob non ſolutam pecuniam μειράκια ἀποτυμπανίζειν *quaſi in equuleo extendere.* Item & palis alligare παιδάρια δυστυχῆ προσπατταλεύειν τῶν πενίας καὶ ὀρφανίας ἐξαπορούμενα τοῦ μισθοῦ. qui ob inopiam & orbitatem ſoluere nequibant mercedem. Adde rigorem in ponderandis nummis: quâ in re quoque turpiter ſe præſtabant difficiles, ſæpius vertendo ſtateres & explorando eſſent ne nummi adulterini aut iniuſti ponderis, vt narrat idem Themiſtius in Orat. 1.

Id quia indignum tandem & infame viſum eſt, in remedium paupertatis & ingratitudinis aut auaritiæ parentum conſtituerunt Principes & Legiſlatores ſtipendiorum genus certum ex fiſco ſeu ærario publico, ne pueri inſtitutione carerent, aut Magiſtri debita mercede fraudarentur, néue de victu ſolliciti eſſe cogerentur, qui ſe totos vtilitati publicæ conſecrarent. Apud Perſas Archimagus Præfectus ſeu Rector Collegij Magorum in ſingulos menſes libras auri 4. ex ærario percipiebat, vt authoritatem dignitatemque ſuam grauius & ſplendidius ſuſtineret: cæteris verò Magiſtris annui reditus largè prouidebantur, vt & iis quos e Græcia euocare conabantur. Vt teſtatur Artaxerxes Magnus hac Ep. apud Volaterranum lib. 16. Antropol. de Hippocrate.

Rex Regum Artaxerxes Hyſtano Helleſponti Præfecto *S. Hippocratis Medici Æſculapio prognati Artis fama ad me peruenit. Da igitur operam, vt aurum illi tribuas quantum vult, aliaque quorum indiget, & eum ad me mitte. Erit enim par honore ſummis in Perſia viris. Et ſi quis in Europa fuerit vir clarus, hunc amicum Domui noſtræ redde, minimè parcentes pecuniæ. Viri enim quanquam potentes haud facile inueniunt, quod honeſtè cupiunt.* Vale.

Ptolomæus Ægyptiorum Rex inſtituit Alexandriæ Muſæum, in quo Sacerdotes Artium ſeu Profeſſores publicis ſumptibus ali voluit: vt alibi dictum eſt. Apud Thurios & vniuerſam fere Græciam præficiebantur Adoleſcentibus impenſâ publicâ Magiſtri docti ætate & vſu teſte Diodoro l. 12. vbi de legibus Charondæ Legiſlatoris Thuriorum. Tulit præterea legem, *inquit*, longe ſuperiore potiorem, quæ à prioribus quoque legum-latoribus fuerat omiſſa, Liberos Ciuium
" in ipſo ludo & primis litterarum rudimentis inſtituendos tradi conductis ad id
" mercede & ære publico Præceptoribus lege iuſſit. Proſpexerat nempe multis
" iam exemplis admonitus pleroſque vel optimo natos ingenio fore, qui rei fami-
" liaris anguſtiâ preſſi dum priuatæ mercedis præceptoribus tribuendæ inopiâ de-
" ſiſterent, ob eam ſingulari & tam opportunâ priuarentur inſtitutione.
" Certa quoque ſtipendia Romani Profeſſoribus Liberalium Artium attribuerunt, ita tamen vt, quod ex liberalitate Parentes erogare vellent, non ſuſtulerint; at ne ab iis penderent Magiſtri, de fiſco quotannis geminia penſione certa ſumma ſoluebatur. Quam in rem præter multa alia authorum veterum teſtimonia, retulimus pag. 72. locum ex Epiſtola Athalarici Italiæ Regis ad Senatum, deſumptum. Hìc placet integram eius Epiſtolam ad commendationem Artium liberalium & Profeſſorum compoſitam reponere; vt legitur apud Caſſiodorum l. 9. Ep. 21. ſub hoc Lemmare.

SENATVI VRBIS ROMÆ ATHALARICVS REX.

Filiorum cauſas iure ad Patrum cognoſcimus remiſiſſe perſonas, vt ipſi de illorum prouectu debeant cogitare, quorum intereſt ſtudia Romana proficere. Neque enim credendum eſt vos inde poſſe minus eſſe ſollicitos, vnde & generi veſtro creſcit ornatus & Cœtui prouenit aſſiduâ lectione Conſilium: Nuper ſiquidem, vt eſt de vobis cura noſtra ſollicita, *quorumdam ſuſurratione cognouimus Doctores Eloquentiæ Romanæ laboris ſui conſtituta præmia non habere, & aliquorum*

nundinatione fieri, vt ſcholarum Magiſtris deputata ſumma videatur imminui. Qua- «
propter CVM MANIFESTVM *ſit præmium artes nutrire*, NEFAS IVDICA- «
VIMVS DOCTORIBVS ADOLESCENTVM ALIQVID SVBTRAHI, «
QVI SVNT POTIVS AD GLORIOSA STVDIA PER COMMODORVM «
AVGMENTA PROVOCANDI. *Prima enim Grammaticorum ſchola eſt funda-* «
mentum pulcherrimum litterarum, mater glorioſa facundiæ, quæ cogitare nouit «
ad laudem loqui ſine vitio, hoc in curſu orationis ſic errorem cognoſcit abſonum, «
quemadmodum boni mores crimen deteſtantur externum. Nam ſicut Muſicus «
conſonantibus choris efficit dulciſſimum melos, ita diſpoſitis congruenter accen- «
tibus metrum nouit decantare Grammaticus. *Eſt Grammatica Magiſtra verborum,* «
ornatrix humani generis, quæ per exercitationem pulcherrimæ lectionis Antiquo- «
rum nos cognoſcitur iuuare conſiliis. Hac non vtuntur Barbari Reges, apud Le- «
gales Dominos manere cognoſcitur ſingularis. Arma enim & reliquæ gentes ha- «
bent, ſola reperitur Eloquentia quæ Romanorum Dominis obſecundat. Hinc «
Oratorũ pugna Ciuilis Iuris claſſicum canit. Hinc cunctos Proceres nobiliſſima «
diſertitudo commendat, & vt reliqua taceamus, hoc quod loquimur, inde eſt. «
Qua de re P.C. hanc nobis curam, hanc authoritatẽ propi ia diuinitate largimur, «
vt ſucceſſor ſcholæ liberalium litterarum tam Grammaticus quam Orator, nec- «
non & Iuris expoſitor commoda ſui deceſſoris ab eis quorum intereſt, ſine ali- «
qua imminutione percipiat & ſemel Primi Ordinis veſtri ac reliqui Senatus am- «
pliſſimi authoritate firmatus, donec ſuſcepti operis idoneus reperitur, neque de «
transferendis, neque de imminuendis annonis à quolibet patiatur improbam «
quæſtionem, ſed vobis ordinantibus atque cuſtodientibus emolumentorum «
ſuorum ſecuritate poriatur. Præfecto vrbis nihilominus conſtituta ſeruante. «
Et ne aliquid pro voluntate præbentium relinquatur incertum, mox vt ſex menſes «
exempti fuerint, ſtatutæ ſummæ conſequantur prædicti Magiſtri mediam portionem. «
Reſidua vero anni tempora cum annonarum debita redhibitione claudantur, ne cogan- «
tur de alieno pendere faſtidio, cui piaculum eſt vel horarum aliquot vacaſſe mo- «
mento. In tantum enim quæ ſunt decreta, volumus firmiſſimè cuſtodiri, vt «
ſi quis cuius intereſt, differendam putauerit hanc quaſi debitam functio- «
nem procurato more vſurarum diſpendia ipſe patiatur, quia iuſta commoda «
laudabiliter laborantibus plectenda cupiditate ſubſtraxit. *Nam ſi opes noſtras ſca-* «
nicis pro populi oblectatione largimur, quanto magis illis ſine dilatione præbenda ſunt, per «
quos & honeſti mores proueniunt, & Palatio noſtro facunda nutriuntur ingenia. Hac au- «
tem præſentibus litterarum Magiſtris venerando Cœtui veſtro præcipimus intimari. Vt «
ſicut nos agnoſcunt de ſuis commodis eſſe ſollicitos, ita à ſe prouectus adoleſcentum «
enixius nouerint per nos exigendos. Ceſſet nunc illa Satyris Doctoribus que- «
rulis vſurpata ſententia, quia duabus curis ingenium non debet occupari. Ecce «
iam habere tolerabile probantur hoſpitium. Vnde nunc merito vni ſollicitudini «
iugiter inhærentes, toto vigore animi ad Liberalium artium ſtudia transferantur. «

Sic veteres litterariæ profeſſionis perpetuitati conſulrum voluerunt, ne profeſſores ſpe præmij & honorarij legitimi per auaritiam parentum fruſtrati, animum in docendo curaſque remitterent. Quod inſtitutum habuerunt certè præ oculis Principes noſtri Academiæ Pariſienſis fundatores: vt & habuit immortalis memoriæ Ludouicus XIII. qui an. 1641. perpetuo edicto ſanciuit, vt qui prouentus & reditus ex omni Nunciatuum Academicorum genere perciperentur, ij omnes abſque vlla deminutione, alienatione & auocatione in eorum, qui in Gymnaſiis *Liberalium artium* militant, profeſſorum ſtipendia cederent. Qui ſi tandem aliquando ex Harpyarum gutturibus & à ſacrilego Negotiatorum commercio eripi poſſint, iis ex parte ſuſtentandis abunde ſufficient, nec cogentur illi amplius de alieno pendere faſtidio, aut apud Iudicem cum parentibus agere de mercede, ſed quod ab iis deinceps accipient, liberalitatis pignus erit, non Iuſtitiæ. Quod optandum maximè vt cito eueniat: duplici enim præmio & vtroque honorabili excitati profeſſores excitabunt ipſi omnes animi corporiſque vires ad officium ritè exequendum, cum ſe certi ſtipendij ſecuros meminerint & à liberalibus parentibus nihilominus honorariũ aliquod percepturos ſperabũt, non quantum neceſſe erit, ſed quantũ volent erogare, prout ipſi plus operæ & diligentiæ ad liberorum educationem iuſtructionemque contulerint. Duplex præmium dico,

neque enim operæ pretium eſſe exiſtimatem ita locuples amplumque Profeſſoribus aſſignare ſtipendium, vt nihil à parentibus acciperent: experientia enim conſtat eorum pleroſque, quibus pingues Cathedræ boniſque reditibus fundatæ obtigerunt, remiſſiores eſſe in exequendo munere (quippe ſecuros ſtipendij ſiue de mane ſiue de multo die ſtudeant, ſeu ſerius ſeu ocius, frequentius aut infrequentius ſcholam ſuam ſubeant) quàm qui à Parentibus & Diſcipulis honorarium ſperant & quoddam præmij incrementum. Pinguioris enim paulo ſortis ſpe illecti laborem ſuſcipiunt libentius magiſque aſſiduâ operâ ſolent in commiſſotum ſibi Diſcipulorum inſtitutionem & profectum incumbere.

DE MORIBVS HVIVS SECVLI.

QVales fuerint initio huius ſeculi mores, docuimus ex Glabro Rodulpho: quales uero ſub finem, exponit his verbis Ordericus Vitalis ad an. 1089. vbi de Comite Andegauenſi verba facit.

„ Hic, *inquit*, in multis reprehenſibilis & infamis erat, multiſque vitiorum peſtibus obſecundabat. Ipſe nimirum quia pedes habebat deformes, inſtituit ſibi fieri longos & in ſummitate acutiſſimos ſubtolares: ita vt operiret pedes, & eorum celaret rubera quæ vulgo vocantur vniones. Inſolitus inde mos in occiduum orbem proceſſit, leuibuſque & nouitatum amatoribus vehementer placuit; vnde ſutores in calceamentis quaſi caudas ſcorpionum, quas vulgò Pigacias appellant, faciunt. Idque genus calceamenti penè cuncti diuites, & egeni nimium expetunt. Nam antea omni tempore rotundi ſubtolares ad formam pedum agebantur, eiſque ſummi, & mediocres, Clerici & Laici competenter vtebantur: at modo ſeculares peruerſis moribus competens ſchema ſuperbè cupiunt & quod olim honorabiles viri turpiſſimum iudicarunt & omnino quaſi ſtercus refutauerunt, hoc moderni quaſi mel dulce æſtimant, & veluti ſpeciale decus amplectentes geſtant.

„ Robertus quidem nebulo in Curia Ruffi Regis prolixas Pigacias primus cœpit implere ſtupis, & hinc inde contorquere inſtar arietis cornu: ob hoc ipſe Cornardus cognominatus eſt; cuius friuolam adinuentionem magna pars nobilium, ceu quoddam inſigne probitatis & virtutis opus mox ſequuta eſt. Tunc effœminati paſſim in orbe dominabantur, indiſciplinati debacchabantur, Sodomitici eiſq; ſpurcitiis fœdi catamitæ flammis vrendi turpiter abutebantur. Ritus heroum abiiciebant, hortamenta Sacerdotum deridebant, Barbaricum morem in habitu, & vita tenebant: nam capillos à vertice in frontem diſcriminabant, longos crines veluti mulieres nutriebant, & ſummopere curabant, prolixiſque nimium ſtrictis camiſiis indui tunicíſque gaudebant: omne tempus quidam vſurpabant & contra legem Dei moremque patrum pro libitu ſuo ducebant: nocte commeſſationibus, & potationibus, vaniſque confabulationibus, aleis & teſſeris aliiſque ludicris vacabant, die vero dormiebant. Sic poſt obitum Gregorij Papæ, Guillelmi Nothi aliorumque Principum Religioſorum, in occiduis partibus pene totus abolitus eſt honeſtus Patrum mos antiquorum: illi enim modeſtis veſtiebantur indumentis, optimèque coaptatis ad ſui menſuram corporis, & erant habiles ad equitandum & currendum, ad omne opus quod ratio ſuggerebat agendum; eſt in diebus iſtis veterum ritus pene totus nouis adinuentionibus commutatus eſt, fœmineam mollitiem petulans iuuentus amplectitur, fœminiſque viti curiales in omni laſciuia ſummopere adulantur: pedum articulis vbi finis eſt corporis colubrinatum ſimilitudinem caudarum imponunt, quas velut Scorpiones præ oculis ſuis proſpiciunt, humum quoque pulueruleniam, interularum & palliorum ſuperfluo ſcirmate verrunt: longis latiſque manicis ad omnia facienda manus operiunt, & his ſuperfluitatibus onuſti celeriter ambulare, vel aliquid vtiliter operari vix poſſunt. Sincipite ſcalciati ſunt vt fures, occipite autem prolixas nutriunt comas, vt meretrices. Olim pœnitentes & capti, & peregrini vſualiter intonſi erant longaſque barbas geſtabant iudicioque tali pœni-

tentiam, ſeu captionem vel peregrinationem ſpectantibus prætendebant: Nunc verò pene vniuerſi populares eeriti ſunt & barbatuli palam manifeſtantres ſpecimine tali quod ſordibus libidinis gaudent vt fœtentes hirci, criſpant crines calamiſtro, caput velant vita ſine pilleo: vix aliquis militarium procedit in publicum capite diſcooperto legtimèque ſecundum Apoſtoli præceptum tonſo. Exterius itaque habitu geſtuque monſtrant quales interius conſcientias habeant, & qualiter per arctum cultum ad Deum percurrant.

Altiſſimus igitur iudex, & ſublimi reſidens ſolio, quod nimium flagitiis inhæret humana intentio, populum ineruditum plebemque indiſciplinatam multiplici percuſſit flagello: morbis enim macerari, & bellis inquietari terrigenas permittit. Hypocriticiſque Præſidibus ſubiicit quos ſibi contrarios ſuæque legis ſpontaneos præuaricatores perſpicit. Eiecti autem qui zelo Phinees inflammantur inter reprobos crebro tranſeunt, vt ad Dominum cum propheta conquerantur. *Vidi præuaricantes, & tabeſcebam quia eloquia tua non cuſtodierunt.* Vnde à bonis Doctoribus arguuntur, obſecrantur, increpantur in omni patientia & doctrina. Sed his omnibus pertinaciter obſtat maliuoli cordis obduratio nefaria, quæ ſolet omnium fouere ac defendere ſcelerum contagia. Si Perſius ac Plautus aliique mordaces Satyrici nunc adeſſent, & curioſè indagarent qualiter noſtrates clam palamque libitus ſuos perpetrent, immenſam reprehendendi materiam, & ſubſannandi in propatulo reperirent. (*Quibuſdam interiectis.*) Quo tempore eis Alpes cœpit ineptia pigaciarum, & ſuperflua prolixitas capillorum atque veſtium terræ ſordes fruſtra ſcopantium.

Huiuſce vitæ laſciuioris & diſſolutioris cauſam coniicit in Guillielmi II. ſeu Rufi Anglorum Regis mores omnino perditos: indeque in Neuſtriam & in Franciam eadem peruerſitas influxit, vt ſunt mores Gallorum mutabiles, & nouitatis amantes. Qualis autem fuerit ille Rufus breuiter deſcribit Ioannes Brompton Abbas Iornalenſis ad an. 1100. vbi de eius morte inopinata loquens. *Quarto non. Aug.* inquit, feria 5. venatum iuit, vbi quidam Miles Francus Walterus cognomine Tyrel ſagittam ceruo incautè dirigens, Regem caſu infortuito non voluntariè ad mortem percuſſit, qui corruens nullum edidit inde verbum & ſic inuiſus ille Rex, nequiſſimus & in omnibus viis ſuis inconſtans, Deo indeuotus, Eccleſiæ & populo ſuo grauis, nuptiarum conſortia ſpernens & paſſim laſciuiens, opes Regni ſitiens & fortunas ſubditorum corrodens immaniſſimæ ſuperbiæ turgidus & doctrinæ Euangelicæ quaſi deriſor effectus, qui Gentem Anglorum nullo contradicente tributis & exactionibus peſſimis vexabat, Epiſcopatus & Abbatias aut vendebat, aut in manu ſua retinens ad firmam tradebat vitam crudelem fine miſerrimo terminauit. Hæc & plura de Willielmo Ioannes Brompton.

Ex aduerſo, hoc idem tempus protulit plurimos viros pietate & religione illuſtres: imprimis verò æterna laude prædicabilis eſt Vniuerſitas Pariſienſis, quod *Viri Religioſi & Cœnobia.* quatuor aut quinque viros Ordinum Religioſorum Authores ſub finem huius ſeculi e ſinu ſuo profuderit. Nam vt nihil dicam de Roberto Abbate Moliſmenſi Ciſtercienſium Patriarcha, de quo minus certum eſt, an fuerit alumnus Pariſienſis, Bruno Colonienſis de quo ad an. 1082. diximus, Carthuſienſes inſtituit, Robertus Arbricellenſis Canonicorum S. Mariæ de Rota in agro Andegauenſi, deinde Fontebraldenſis Ordinis Author fuit & primus Magiſter, Bernardus Pontiuenſis vulgò de Abbatiſvilla Tironenſe Monaſterium in agro Carnotenſi fundauit. Radulphus de Fuſteia Roberti Socius Sanctimoniales S. Sulpicii in agro Redonenſi, & Vitalis Sauiniacum Cœnobium in agro Abrincenſi: de quibus 4. viris Religioſarum Congregationum Authoribus extat apud Claudium Menardum Andegauenſem ex veteri monimento hic locus lib. 3. cap. 18. *His tribus igitur Religioſiſſimis viris & excellentiſſimis tunc temporis & ſuper cæteros Eremitas Principibus & Magiſtris Roberto de Arbrexello, Vitali qui Capellanus fuerat Comitis Moritonij, Radulpho de Fuſtaya hunc quartum Bernardum videlicet Deus appoſuit, vt fieret firma quadratura multos ad Religionem informandos (quaſi deo fabricanda ædificia) corporaliter & ſpiritualiter portatura & diuerſi generis hominibus viris ac mulieribus profutura, poſtea namque fuerunt ſingulorum ſinguli fundatores Monaſteriorum, Robertus & Radulphus Sanctarum Fœminarum, Bernardus & Vitalis Religioſorum & Monachorum.*

„ De eiſdem quatuor multa leguntur non contemnenda in Manuſcripto „ Andreæ Quercetani. *Manebat non longè* à Monaſterio S. Sauini (in agro Pictauienſi) vir quidam venerabilis ac Religioſus Eremita Petrus cognomine de Stellis, qui illius poſtea Monaſterii fundator extitit, quod Fonſ-Gumbaudi dicitur, „ ad quem Bernardus diuertit fugiens à Monachis S. Sauini, qui eum in Abbatem „ ſuum volebant eligere, exæſtuans deſiderio ſeuerioris diſciplinæ, paupertatis & „ ſolitudinis, & eum rogauit, vt latenter remotiùs ſubduceret: atque ad ignotas „ remotiſſimæ regionis ſolitudines perduceret. Petrus itaque factus ductor itineris, quod poſtulabat compleuit . . . . Erant autem in confinio Cenomanicæ „ Britannicæque regionis vaſtæ ſolitudines, quæ tunc temporis quaſi alta Ægyptus, florebant multitudine Eremitarum per diuerſas Cellulas habitantium, vi„ totum Sanctorum atque propter excellentiam Religionis famoſorum: inter „ quos erant Principes & Magiſtri Robertus de Arbreſello atque Vitalis de Mauritonio, Radulfus quoque de Fuſteia: qui poſtea fundatores extiterunt multa„ tum atque magnatum Congregationum: quibus diuina diſpoſitio per Petrum, „ qui eos antea nouerat, hunc quartum adiungere curauit: vt illis tribus quarto ad„ iuncto firma fieret quadratura, quæ poſtmodum magna atque lata ædificia erat „ poſitura. Petrus verò de Stellis multorum dierum itinere confecto peruenit ad „ D. Vitalem vnum ex ſupradictis quos Principes & Magiſtros Eremitarum fuiſſe „ iam diximus. Qui & Bernardum commendabilem laudabilemque prius ſuffi„ cienter facundæ orationis adminiculo faciens, rogat vt ſecum habitare permitte„ ret nomen illius & tranſacti prioratus officium penitus retinens, non Bernardum „ eum nominans, ſed Guillelmum. Petrus itaque illo commendato ad Aquita„ niam remeat. Dominus autem Vitalis Anachoretas Concilii more conuocat in „ vnum, Guillelmique deſiderium profert in medium. Eremitæ vero hominis „ comperto voto ex affectu charitatis aſſentiunt, conſortio applaudunt, cellulas „ ſuas certatim offerunt.

Idem Cœnobiticæ vitæ deſiderium inceſſit animos Normanorum: mirumque dictu eſt quàm fuerit Gens iſta hoc ſeculo dedita Religioni, quæ tot annos Religionem oppreſſerat & bellis importunis vexauerat. Ordericus Vitalis Scriptor Normanus qui hoc & ſequente ſeculo vixit & floruit, plurimorū Illuſtrium Doctorumque virorum exempla paſſim cōmemorat, qui relictis ſcholis & mundi deliciis ad cœnobia ſe contulerunt, præter eos qui in fundo ſuo Monaſteria extruxerunt, aut inſtaurarunt à Roberti I. Ducis Normaniæ temporibus. *Cuius regiminis tempore*, inquit, *Lanfrancus & Anſelmus aliique profundi Sophiſtæ illuc ad Scholas Chriſti perrexerunt; ibique Vvilielmus Geroy filius & Hugo Comes Mellenti aliique præclari Milites Militiam Chriſti aſſumpſerunt.*

Ad annum 1050. de Theodorico Gemmeticenſi Abbate Vticenſi verba faciens. „ Imprimis, *inquit*, Gunfridum & Rainaldum & Fulconem filium Fulconis De„ cani, aliosque nonnullos Grammaticæ Artis peritos in ſchola Chriſti emenda„ tionem vitæ humiliter docuit. Riculfum quoque ſecum & Rogerium Ruſticos „ Preſbyteros, & Durandum Hortolanum & Goisfridum atque Olricum aliosque „ ſimplices Diſcipulos benigniter tractauit. Ipſe etiam Herbertum & Beringa„ rium, Goſcelinum & Rodulphum, Gillebertum & Bernardum, Richardum & „ Vvillelmum aliosque plures bonæ indolis pueros diligenter inſtruxit in domo „ Domini ad bene legendum, ad canendum & ad ſcribendum & ad alia bona „ ſtudia, quæ ſeruis Dei veram theoriam quærentibus competunt, vigilanter exer„ cenda.

Ad annum 1076. narrat quanta cura & ſollicitudine Goiſbertus Medicus peritiſſimus plurimos quos morbis affectos curabat, ad contribuendum de bo„ nis ſuis Vticenſi cœnobio induceret. Dum Goiſbertus Medicus Compatrio„ tas ſuos & amicos in Galliis viſitaſſet & officium Artis ſuæ indigentibus atque „ petentibus impendiſſet, plures amicorum & familiarium ſuorum, quibus antea „ fideliter arte ſua ſeruierat, adiit, & de ſuis ſuperfluitatibus eleemoſynas facere „ pro æterna ſalute benigniter incitauit, maximèque de iis rebus, quæ ad laïci per„ ſonam non pertinent, Monachis S. Ebrulfi dare eos admonuit. Ad Petrum „ Maulienſem filium Anſoldi diuitis Pariſienſis diuertit, & inter reliqua familia-

ritatis ex amicitia colloquia illum conuertit, ipſumque vt Eccleſias de Maulia Monachis Vticenſibus donaret, obſecrauit.

Et ad an. 1081. ait quoſdam amore Dei feruentes ſeculum reliquiſſe & res ſuas iuxta regulæ ſtatutum Monaſteriis tradidiſſe, & amicos ac parentes ſuos ad ſimile propoſitum compuliſſe. Ex his, *inquit*, fuerunt Rogerius de Sappo & Odo frater eius, Serlo de Orgeriis & Razſo Ilberti filius, Odo Dolenſis, Goisfredus Aurelianenſis & Ioannes Remenſis, aliique plures litterarum peritia inſtructi & deitatis ad cultum idonei. Nonnulli generoſitate pollebant & exterioribus curis in rebus Eccleſiaſticis vigebant: nam Drogo filius Goisfredi de Nouo Mercato, & Rogerius Erneiſi de Coluncis filius nepos Guillelmi de Garenna & Ernaldus Vmfredi de Telliolo filius, nepos ex ſorore Hugonis de Grantemeſnilio & Goiſbertus Medicus Curiales erant & pro curatione ſua terras & Eccleſias decimaſque fratribus ſuis acquirebant.

Et ad an. 1083. Goiſbertus Ciuis Carnotenſis ad conuerſionem venit, optimamque domum quam in vico habuerat, 30. libris Carnotenſium vendidit, totumque pretium Vticenſibus contulit. Hic erat ſtatura procerus & exilis, moribus benignus & tractabilis, magnanimus & dapſilis. Et quia Medicinæ Artis erat peritiſſimus, multis erat notus & neceſſarius ac familiaris amicus: per ipſum itaque Fulcherius Carnotenſis & Petrus de Maulia aliique plures notitiam Vticenſium amplexati ſunt, & honeſtatem eorum cum religione venerantes, eis de rebus ſuis portionem idoneam contulerunt. Præfatus quippe Fulcherius nobilitate clarebat, ex patrimonio ſuo magnam poſſeſſionem habebat, litteris affatim imbutus S. Dei Genitricis Canonicus erat.

Innumera ſunt exempla eiuſmodi, ex quibus intelligitur pari ardore virtutum & Religionis exercitia plurimos amplexatos fuiſſe, quo ab aliis vitia exercebantur. Præterea Gaucherium Melletenſis oppidi indigenam in Diœceſi Rothomagenſi M. Humberti Lemouicenſis Eccleſiæ Canonici & in Academia Pariſienſi profeſſoris diſcipulũ, qui adoleſcens 18. annorum factus ſcholis mundoq; relictis ſuaſu Magiſtri ſui in agrum Lemouicenſem ſe contulit, ibique Aurelienſis Cœnobii Canonicorum Regularium primus Prior ac Fundator fuit, imitatuſque M. Robertum de Arbricellis Sanctimonialium quoque Monaſterium ædificauit, qui dẽnique plenus miraculis obiit an. 1140. Hunc virum cum multi eius ſanctitate excitati, conuenirent, adiſſe quoque dicitur Stephanus Lemouicenſis, qui non longè ab eius cella ſuam habens in loco qui Muretum dicebatur, fuerat aliquandiu ante nimirum circa an. 1080. Grandimontenſium Inſtitutor. Præterea & multns alios, qui hoc ſeculo & initio ſequentis ſimile vitæ genus amplexi fuerunt & poſt mortem in numero Cœlitum habiti ſunt.

In eodem agro Lemouicenſi M. Aubertus etiam Canonicus Lemouicenſis, Magiſter Vniuerſitatis Pariſienſis circa an. 1023. inſtituerat aliud Collegiũ Canonicorum Regularium in Parochia, quàm vocabant Segundelas, qui locus poſtea Beneuentũ appellatus eſt, quia ex vrbe Italiæ Beneuento reliquias B. Bartholomæi nonnulli peregrini attulerant. Hac de re ſic ſcribebat circa an. 1320. Bernardus Guidonis Dominicanus in Opuſculis Hiſtoricis. Domnus Aubertus quieſcit in Eccleſia ſeu Monaſterio Beneuenti, vbi ſunt Canonici Regulares, ad cuius tumulum multi febricitantes ſœpe curantur. Hic cum eſſet MAGISTER PARISIVS & Canonicus Lemouicenſis, tandem ſoli Deo vacare deſiderans, cum licentia & aſſenſu Capituli Lemouicenſis in Manſo quodam Parochiæ de Salaniaco nomine Segundelas, Eccleſiam in honore Sanctæ Mariæ Magdalenæ ædificauit: ſed poſtea per Epiſcopum Lemouicenſem Iordanum in Manſo qui dicebatur Segundeletas tranſlatus eſt, ad quem locum allatis reliquiis Beati Bartholomæi de Beneuento Ciuitate Italiæ, quo tunc temporis corpus Beati Apoſtoli allatum fuit de Lipari Inſula, D. Apoſtolus Eccleſiam in ipſius honore fundauit, & locum Beneuentum deinceps appellari mandauit. Dederunt autem Canonici S. Stephani Lemouicenſis Domno Auberto & ſociis ſuis ſub Regula Chriſto Domino perpetuò ſeruituris quinque Manſos. Attulerunt autem illas Reliquias quidam magni viri de terra qui ſancti Apoſtoli Limina viſitauerunt, & diuino curſu eodem die & ipſa hora quâ Epiſcopus prædicabat, eas Epiſcopo obtulerunt. Ideo dixit Beneuentum id. BENSIVEN appelletur hic locus.

Iudicia Publica.

Ad mores huius ſeculi pertinent Iudicia, quæ de criminibus occultis exercebantur. Non erit ergo forraſſe ſupervacaneum commemorare hiſce temporibus & ſequenti adhuc ſeculo vſurpatam fuiſſe quandam criminum purgationem, cum aliqui ſtupri aut alius grauis criminis ſine certo teſte inſimularentur. quæ quidem purgario *Ordalium* Saxonicè dicebatur. Erat aurem Duplex, vna per ferrum candens, altera per aquam. *Ferrum candens* Reus aut manibus ad nouem pedes longum geſtabat, aut nudis pedibus in pauimento Eccleſiæ ſtratum ad 9. pedes latum pertranſibat. In aquam vero aut feruentem & bullientem manus, aut in frigidam totum Corpus Rei mittebant. Ita autem perſuaſum erat omnibus, vt & ſœpe euentus comprobauit, Noxios inſigni aliqua clade nobilitandos: inſontes vero illæſos & immunes abituros.

Antequam autem Reus experiretur, ſeu ſe purgationi exponeret, triduo ieiunabat, ab omnibuſque aliis eſculentis præterquam à pane, ſale, aqua & herbis ſibi temperabat. Tum celebrabatur Miſſa, cui Reus intererat & interim ferrum accendebatur, multiſq; ceremoniis & orationibus vtebatur ſacerdos quibus à Deo precabatur, vti rei occultæ veritatem patefaceret. Illis peractis Reus ad locum purgationis ducebatur præſente Rege aut aliis ab eo conſtitutis, qui obſeruarent an hæc omnia debito more iureque fierent.

Extat in hanc rem Lex Adelſtani Anglorum Regis in hæc verba. *Si quis Iudicium ferri vel aqua vadiauerit, accedat ante 3, noctibus ad Presbyterum qui ſanctificare debet eum, & paſcat ſe pane & ſale & aqua & herbis, & cuſtodiat miſſas ſingulorum ipſorum 3. dierum, & offerat & eat ad ſacroſanctam communionem ipſa die, qua Ordalium examinari debebit & iuret quod iure publico ſit innocens illius accuſationis, antequam ad Ordalium veniat. Et ſi iudicium Aqua Frigidæ ſit, tunc mergatur vnâ vlnâ & dimidiâ in fune. Si ferrum callidum ſit, tres noctes tranſeat, antequam inquiratur & videatur manus eius. Et perſequatur omnis homo compellationem ſuam præ iuramento, ſicut dictum eſt, & ſint vtrique ieiuni ex Pracepto Dei & Archiepiſcopi, & non ſint in alterutra parte amplius quam in alia, & hoc ſit vtrobique 12. homines. Si autem accuſatus homo maiorem defenſionem habeat quam 12. hominum, ſit ipſum Ordalium factum in eo, niſi recedere velint ab illo.*

Hanc legem cum multis aliis tulit anno Regni ſui 15. de conſilio wolphelmi Archiepiſcopi. Deinde alias tulit cum *Sapientibus Oxonienſibus*, turſumque de Ordalio ſic agit. *De Ordalio præcipimus in Nomine Dei & præcepto Archiepiſcopi & omnium Epiſcoporum, ne aliquis intret Eccleſiam poſtquam ignis infertur. Vnde iudicium calefacere debet, præter presbyterum & eum qui ad iudicium iturus eſt. Et ſint menſurati 9. pedes à ſtaca vſque ad Maream ad menſuram pedum eius, qui ad Iudicium ire debet. Et ſi aqua indicium ſit, caleſiat donec excitetur ad bullitum & ſit* Alfetum id. Calefactorium, *ferreum vel æreum vel plumbeum vel de argilla. Et ſi* Anfeldryhde *ſit* (Gloſſarium corrigit. Et ſi Anſeald tihle, rectius tyhtla id. ſi ſimplex accuſatio fuerit) *immergatur manus poſt lapidem vel examen vſque ad* Voriſte (id. Carpum) *Et ſi triplex accuſatio ſit, vſque ad cubitum. Et quando iudicium paratum erit ingrediantur, ex vtraq; parte duo homines, & certi ſint vt ita calidum ſit ſicut prædiximus. Introeant totidem ex vtraque parte & det eis oſculari textum ſancti Euangelij & ſignum S. Crucis; & nemo faciat ignem diutius quam benedictio incipiat, ſed iaceat ferrum ſuper carbones vſque ad vltimam Collectam: poſtea mittatur ſuper ſtaphas; & non ſit illic alia locutio, quàm vt precentur ſedulò Deum Patrem, vt veritatem ſuam in eo, manifeſtare dignetur Et bibat accuſatus aquam benedictam, & inde conſpergatur manus eius qua iudicium portare debet & ſic adeat. Nouem pedes menſurati diſtinguantur inter terminos. In primo ſigno ſecus ſtacam teneat pedem ſuum dextrum: in ſecundo ſiniſtrum pedem: in tertium ſignum quando ferrum proiiciet & ſanctum altare feſtinet, inſigilletur manus eius & inquiratur tertia ſi Mulaminum ſit* (id. ſi munda ſit vel immunda) *intra conſigillationem.*

Huic Regi qui ſine liberis deceſſit, ſucceſſit Edmundus frater, cuius Regni an. 4. Willielmus Longa-ſpata Dux Normanorum per proditionem Ludouici filij Caroli Regis Franciæ occiſus eſt, inquit Ioannes Brompton: vnde Proceres Normani commoti ipſum Regum Ludouicum Rothomagi captiuum detinuerunt, donec promitteret ſe Normaniam Richardo Vuillielmi filio redditurum.

Hoc

Hoc Iudicii Genus experta eſt hoc ſeculo Emma Eduardi II. mater, quæ à Roberto Regis Cancellario poſtea Cantuarienſi Archiepiſcopo atrocium quorundam criminum accuſabatur: imprimis quod necem Aluredo ex liberis vni intuliſſet, alteri & etiam ipſi Eduardo venenum propinaſſet: denique quod ſtuprum cum Aleuino Vvintonienſi Epiſcopo ſolens & frequens committeret. Eamque ob accuſationem illa carcere damnata apud Cœnobium Vvatuellenſe, Aleuinus apud Vuintoniam & bonis omnibus ſpoliatus. Tandem ſtata die purgationis Rex, Aulici & infinita hominum vtriuſque ſexus multitudo Vuintoniam aduenerunt, quò Emma adducitur, rectaque ad Templum D. Suithini: cuius ad tumulum in ieiunio, vigiliis & orationibus conſumit diem noctemque integram, enixè Deum ſanctumque Suithinum ad opem inuocat.

Poſtridie, inquit Harpsfeldius, ſtatis ceremoniis peractis, à duobus Epiſcopis flentibus & utrumque eius latus claudentibus, plebeia veſte contecta, pedibus & tibiis ad genu ipſum nudis per nouem illos ardentes vomeres in Eccleſia D. Suithini poſitos populo ſpectante ducitur: quos illa erectis in cœlum ſemper oculis, neque deorſum in pauimentum deflexis, orationique tota intenta, ſuamque Deo cauſam vt olim Suſanna committens, illis ductantibus poſt nouem paſſus per tranſiuit. Interim templum eiulantis populi vocibus perſonabat, Deum inuocantis & rogantis vt rei veritatem palam faceret. Tandem prius vomeres pertranſiit illa illæſa & immunis, quàm ſe pertranſire animaduertit. Tunc ad Deum ab omni turba mittuntur gratiarum actiones, & Rex vt audiuit ita rem peractam, matrem ad ſe eo habitu, quo erat induta, venientem amiciſſimè complexus, ignoſci ſibi poſtulauit, quod tam facilem obtrectatoribus aurem præbuiſſet. Robertus verò ſibi conſcius in Cantiam ſe ſubducit, veritus ne aut Regis irâ, aut populi furore periret. Aiunt verò 9. illos vomeres in Clauſtro Wintonienſis Cœnobii humo obtectos fuiſſe & ſeruatos.

Mirabile quoque eſt exemplum, quod refert Goblinus citatus in Chronico Belgico Magno ad an. 1000. qui erat 17. Imperii Othonis III. & Pontificatus Syluestri an. 2. in hæc verba. *Otho Imperator, vt in quibuſdam Chronicis legitur, ad inſtigationem vxoris ſuæ quendam Comitem indictâ causâ fecit eo nomine decollari, quod Imperatrix inferre ſibi ſtuprum voluiſſe diceret. Comes verò moriens rogauit vxorem ſuam vt poſt mortem ſuam iudicio ferri candentis ſe expurgaret, quod ipſa promiſit ſe facturam. Cum igitur die quadam Imperator ſederet ad ius viduis & orphanis dicendum, relicta vxor Comitis venit portans caput viri ſui in manibus quærens ab Imperatore, quâ pœnâ dignus eſſet, qui alium iniuſtè occidiſſet. Et cum Imperator pœna capitis puniendum eſſe dixiſſet, mulier intulit, Et tu es qui maritum meum occidiſti iniuſtè: & ſtatim adhibito ferro candente manibus innocentiam viri oſtendit. Vnde Imperator perterritus ſe ipſum dedit in manus mulieris puniendum: ſed interuentu Pontificum recipit primò inducias dierum 10, à Muliere. 2. Inducias. 8. dierum. 3. Inducias. 7. dierum. 4. Inducias ſex dierum. Deinde Imperator causâ examinatâ Imperatricem fecit viuam igne cremari: & vidua pro redemptione ſui dedit quatuor Caſtra quæ deinde ab induciis dierum, decennium, octauum, ſeptimum, & ſextum dicta ſunt. Illa Caſtra conſiſtunt in Tuſcia Epiſcopatu Lucenſi.* Hæc Goblinus.

His autem ſuplicamentis candens ferrum & aqua feruens conſecrabantur à Sacerdotibus vt legitur in antiquis Sacrificiorum libris. Et primum hæc erat conſuetudo conſecrandæ aquæ calidæ ex Auentin. lib. 9.

Deus Iudex Iuſtus fortis & patiens, qui es author & amator Iuſticiæ, qui iudicas æquitatem, iudica Domine quod iuſtum eſt, quia recta tua iudicia ſunt, qui reſpicis ſuper terram & eam facis tremere. Tu Domine Omnipotens qui per aduentum Filii tui Domini Noſtri I. C. Mundum ſaluaſti, & per eius paſſionem genus humanum redemiſti, tu hanc aquam per ignem feruentem ſanctifica, qui 3. pueros id. Sidrach, Miſach, Abdenago iuſſione Regis Babylonis miſſos in caminum ignis ſeruaſti. Tu Clementiſſime præſta, vt ſi quis innocens in hanc aquam feruentem, manum mittat, ſicut 3. pueros ſupradictos de camino ignis eripuiſti & Suſannam de falſo crimine liberaſti: ita Domine manum illius ſaluã & illæſam perducas. At ſi quis culpabilis vel incraſſante Diabolo cor induratum præſumpſerit manum mittere, tua iuſtiſſima pietas hoc declarare dignetur,

„ vt in eius corpore tua virtus manifeſtetur, & anima illius, pet pœnitentiam ſal-
„ uetur. Similiter hæc erat Conſecratio ferri.

Conſecratio ferri.

Deus Iudex Iuſtus qui authot pacis & iudicas æquitatẽ, te ſuppliciter rogamus
„ vt hoc ferrũ ordinarum ad iuſtam examinarionẽ cuiuſlibet dubietatis faciendã,
„ benedicere & ſanctificare digneris. Ira ſi innocens (de prænominara cauſa, vnde
„ purgatio quærẽda eſt) hoc ignirũ in manus acceperit illæſus appareat & ſi culpa-
„ bilis arq; reus, iuſtiſſima ſit ad hoc virtus tua in eo cũ virtute declarandũ quatenus
„ iuſtitiæ non dominetur iniquitas, ſubdatur falſitas æquitati. Per D N. I.C. &c.

„ Hanc conſuetudinem in laicis rolerauit Eccleſia, in Sacerdotibus verò im-
probauit: vt docet Iuo Carnotenſis Epiſcopus ad Hildebertum Cenomanenſem,
à quo interrogatus fuerat, an licerer ſibi ſubire iudicium aquę aut ferri, vt pro-
baret innocenriam ſeque abeſſe à crimine proditionis vrbis Cenomanicæ quod
Rex Angliæ obiiciebat. Sic ergo reſpondet Iuo. Quantum ex tenore litte-
„ rarum tuarum perpendi, ad ſuggeſtionem æmulorum tuorum de proditione Ce-
„ nomanicæ vrbis nuper factâ inſimulare molitur Regis Anglorum metuenda ſe-
„ ueritas, nulla aduerſum te legitimâ accuſarione prolatâ, ſed prauorum delatio-
„ ne coniecturarum diuinationibus palliata : & cum paratus ſis ad perficien-
„ dam purgationem legitimam, non aliter vulr te huius proditionis immunem
„ credere, niſi igniti ferri examinatione demonſtres innocentiam tuam. Con-
„ ſulis itaque humilitatem meam, vtrum tibi bene conſcius pro conſeruanda inte-
„ gritate fumæ tuæ, & recuperanda Regis gratia debeas voluntati eius acquieſ-
„ cere, an quælibet aduerſa pati, vt non recedas ab ordine. Breuiter itaque tibi reſ-
„ pondeo conſulens vt non rranſgrediaris terminos antiquos, terminos quos non
„ poſuerunt patres tui. Aliter namque innocentiam defendere, eſt innocentiam
„ perdere. Monomachiam enim & ferri calidi examinationem nec conſuerudo
„ Eccleſiaſtica in diſcutiendis cauſis Eccleſiaſticis recipit, nec Canouica authori-
„ tas inſtituit. Vnde Nicolaus in cauſa Regis Lotharii & Thebergæ de falſis cri-
„ minibus impetitæ Monomachiam, inquir, in legem non aſſumimus, quam præ-
„ ceptam eſſe non repetimus cum hæc & huiuſmodi ſectantes Deum ſolummodo
„ tentare videantur. Dicit autem Auguſtinus in lib. Quæſtionum ſuper Geneſim.
„ Quando habet homo quod faciat, non debet tentare Deum ſuum. Inde etiam
„ ita ſcripſit Alexander II. Papa Rainaldo Cumano Epiſcopo. Super cauſa Giſlan-
„ di Preſbyteri tui de morte Epiſcopi ſui prædeceſſoris tui infamati in medium
„ conſuluimus. Iraque circumaſtantium omnium frattum aſſenſu vnanimi tuæ
„ dilectioni reſcribimus præfarum Giſlandum ante te præſentandum; vbi ſi certi
„ accuſatores defuerint, tunc dictante Iuſtitia, ſine omni controuerſiâ Preſbytet
„ quæcunque ob hoc iniuſtè amiſir, ac ſacerdotium & integra accipiat beneficia.
„ Purgarionem tamen anrea duobus ſibi ſacerdoribus iunctis vbi accuſator ceſſa-
„ uerit, eundem ex ſe præbere tuo committimus arbirrio. Vulgarem denique le-
„ gem ac nulla Canonicâ ſanctione fultam, feruenris ſcilicer ſiue frigidæ aquæ,
„ ignirique ferri contactum, aut cuiuſlibet popularis inuentionis (quia fabri-
„ cante hæc ſunt omnino ficta inuidia (nec ipſum exhibere, nec aliquo modo te
„ volumus poſtulare : imò Apoſtolica auctorirare prohibemus firmiſſimè. Inde
„ etiam Stephanus V Papa dicir Lamberto Epiſcopo Magontino, ferri candentis
„ vel aquæ feruentis examinatione confeſſionem exrorqueri à quolibet ſacri non
„ cenſuerunr Canones. Et quod SS. Patrum documenro ſancitum non eſt, ſuper-
„ ſtirioſa adinuentione non eſt præſumendum. Spontanea enim confeſſione vel
„ teſtium approbatione publicata delicta habito præ oculis Dei timore, commiſ-
„ ſa ſunt regimini iudicare : occulta vero & incognira illius ſunt iudicio relin-
„ quenda, qui ſolus nouit corda filiorum hominum. Plura tibi perſcripſiſſem ſuper
„ his ſi licuiſſet. Tu itaque his & aliis authoritatibus Patrum vndique munirus
„ viriliter age, & ne de re aliis præbeas exemplum fururis & præſenribus nociru-
„ rum. Si enim aliquid contra Iuſtiriam pateris, de rribulatione purgaberis & pro-
„ baberis, arque probatione miſericordiam conſequêris.

Genus aliud probarionis video eriam fuiſſe, ſacræ Euchariſtiæ ſumptionem :
cuius exemplum profert Glaber Rodulphus l. 5. c. 1. his verbis *Denique*, in-
quit, extitit quidam in noſtro rempore in Clericali habitu dum iure culparetut
quodam crimine, conrigit vt ſumeret audacter Iudicio Examinationis do-

num Euchariſtiæ, Calicis videlicet ſanguinis Chriſti. Cui protinus per medium vmbilici egredi viſa eſt pars candidiſſima, quam ſumpſerat eiuſdem ſacrificii, dans procul dubio euidens Indicium reatus ſe indignè percipientis. Illico verò pœnitens quod prius negauerat, pœnituit.

Leguntur aliæ formulæ conſecrandæ aquæ calidæ ſeu frigidæ in veteri Codice S. Ben. Diuinion. quas Pater Fronto Canonicus Regularis San-Genoueſianus, euulgauit & typis mandari curauit. Talis eſt igitur Benedictio ſeu Exorciſmus aquæ calidæ.

Exorcizo te Creatura aqua in nomine Dei Patris Omnipotentis, & in nomine I. C. Filii eius Domini noſtri, vt fias aqua exorcizata ad effugandam omnem poteſtatem inimici & omne fantaſma Diaboli, vt ſi hic homo manum ſuam in te miſſurus eſt innocens vnde reputatur, pietas Dei Omnipotentis liberet eum: & ſi quod abſit, culpabilis eſt, & præſumptuosè in te manum mittere auſus fuerit, eiuſdem Omnipotentis virtus ſuper eum hoc declarare dignetur, vt omnis homo timeat & contremiſcat nomen ſanctum gloriæ Domini noſtri, qui viuit & regnat Deus per omnia ſecula &c.

Domine I. C. qui es Index iuſtus, fortis & patiens & multum miſericors, per quem facta ſunt omnia, Deus Deorum & Dominus Dominantium, qui propter nos homines & propter noſtram ſalutem de ſinu Partis deſcendiſti & ex Virgine Maria carnem aſſumere dignatus es, & per Paſſionem tuam Mundum in cruce redemiſti, & ad Inferos deſcendiſti & Diabolum in tenebris exterioribus colligaſti, & omnes Iuſtos qui originali peccato ibidem detinebantur, magnâ potentiâ exinde liberaſti. Tu Domine quæſumus mittere digneris Spiritum tuum ſanctum ex ſummâ Cæli arce ſuper hanc Creaturam aquæ, quæ ab igne ferueſcere atque caleſcere videtur, quæ rectum per eam Iudicium ſuper hunc hominem nomine illo comprobet ac manifeſtet. Te Domine Deus ſupplices deprecamur, qui in Cana Galileæ ſigno admirabili tua virtute ex aqua vinum feciſti & tres pueros Sydrac Miſaach & Abdenago de lumine ignis ardentis illæſos eduxiſti, & Suſannam de falſo crimine liberaſti, cœco nato oculos aperuiſti, Lazarum quatriduanum à monumento ſuſcitaſti, & Petro mergenti manum porrexiſti; Ne reſpicias peccata noſtra in hac oratione, ſed tuum verum & ſanctum Iudicium coram hominibus in hoc manifeſtare digneris: vt ſi hic homo præ hac reputationis cauſa, furto videlicet vel homicidio, aut adulterio vel luxuria, aut pro qualibet cauſa culpæ modò ad præſens manum ſuam in hanc aquam igne ferventem miſerit, & culpabilis ex hac cauſa non eſt, hoc ei præſtare digneris vt nulla læſio vel macula in eadem manu appareat, per quam ſine culpa calumniam incurrat.

Iterum Te Deus Omnipotens Nos indigni & Peccatores famuli tui ſuppliciter exoramus, vt ſanctum verum & rectum Iudicium nobis in hoc etiam manifeſtare digneris, quatenus hic homo ex hac reputatus cauſa, ſi per aliquod maleficium Diabolo inſtigante aut cupiditate vel ſuperbiâ culpabilis eſt, in factu vel conſenſu, & hoc comprobationis Iudicium ſubuertere aut violari volens malo confiſus ingenio manum ſuam in hanc aquam præſumptuosè mittere auſus fuerit, tua pietas taliter hoc declarare dignetur, vt in eius manu dignoſci queat, quod iniuſtè egit, vt & ipſe deinceps per veram confeſſionem pœnitentiam agens ad emendationem perueniat, & Iudicium tuum ſanctum & verum in omnibus declaretur gentibus per te Redemptor mundi qui venturus es, &c.

Sequitur inſtructio ſeu ceremonia qua Iudicium aquæ frigidæ experiebantur.

Cum homines vis mittere ad Iudicium aquæ frigidæ ob comprobationem ita facere debes. *Inſtructio.* Accipe illos homines quos vis mittere in aquam, & deduc eos in Eccleſiam, & coram illis omnibus cantet Preſbyter Miſſam, & fac eos ad ipſam Miſſam offerre. Cum autem ad Communionem venerint, antequam communicent, interroget eos Sacerdos adiuratione & dicat: *Adiuro vos Homines per Patrem & Filium & Spiritum S.* & per veſtram Chriſtianitatem, quam ſuſcepiſtis & per vnigenitum Dei Filium, & per S. Trinitatem, & per S. Euangelium, & per iſtas Sanctas Reliquias quæ in iſta Eccleſia ſunt; vt non præſumatis vllo modo communicare neque accedere ad Altare, ſi hoc feciſtis aut conſenſiſtis aut ſcitis qui hoc egerit. Si autem omnes tacuerint, & vnus confeſſus fuerit, accedat Sacer-

dos ad Altare & communicat ſeparatis illis qui examinandi ſunt:poſtea veto communicet illos quos vult in aquam mittere. Cum autem communicant, dicat Sacerdos per ſingulos ante Altate. *Corpus Hoc & Sanguis Domini N:.I.C. ſit tibi ad probationem hodie, ad laudem & gloriam nominis ſui & ad Eccleſia ſua vtil statem*

Expletà Miſſa faciat Sacerdos aquam benedictam & deferat eam ad locum examinis: cùm autem venerit ad ipſum locum, Letaniam faciens, omnibus pro eadem cauſa Dominum deprecantibus, de examinandis bibere de aqua illa benedicta. Cum autem dederit vnicuique, dicat, *Hac aqua Domini fiat tibi ad probotionem hodie per Dominum N. I. C. qui eſt verus Iudex & Iuſtus.* Deinde coniuret aquam in quam mittendi ſunt. Poſt Coniurationem autem aquæ exuat illos veſtimentis ſuis & faciat illos per ſingulos oſculari ſanctum Euangelium & Ctucem Chriſti. Et poſt hæc de ipſa aqua benedicta aſpergat ſupet vnumquemque bominem & proiiciat eos ſtatim per ſingulos in aqua. Hæc autem omnia facere debet ieiunus, neq; illi antea comedant, qui ipſos mittunt in aqua.

Sequitur Aquæ Coniuratio. *Adiuro te Aqua in nomine Dei Patris Omnipotentis, qui te in principio creouit, quique te ſegregauit ab aquis ſuperioribus & iuſſit deſeruire humanis neceſſitatibus.* Adiuro te etiam per inuiſibile & ineffabile nomen Chriſti Ieſu Fili Dei viui Omnipotentis, ſub cuius pedibus te calcabilem præbuiſti, qui etiam in te baptizari dignatus eſt & ſuo baptiſmate conſecrauit. Adiuro etiam te per Spiritum Sanctum, qui ſuper Dominum in te baptizatum deſcendit, qui te inuiſibili ſanctificatione ſacratam ad animarum purgationem inenatrabile conſtituit Sacramentum: per quam olim & populus Iſraeliticus ſiccis pedibus tranſiuit & ex aqua ferrum quod caſu ceciderat, Heliſæus Diuina virtute contra naturam natans in ſuo manubrio redire fecit: vt nullo modo ſuſcipias hunc hominẽ, ſi in aliquo culpabilis eſt ex hoc quod illi obiicitur, ſcilicet aut operè aut conſenſu, ſeu conſcientia vel quolibet ingenio, ſed per virtutem Domini noſtri I. C. reiice ex te & fac illum natare ſupet te, quatenus cognoſcant fideles Chriſti nullum maleficium, nullum præſtigium Diuinę virtuti poſſe reſiſtere, quod non detectum fiat & omnibus manifeſtum. Adiuro etiam te per virtutem eiuſdem Domini N. I. C. vt ad laudem illius cui omnis Creatura ſeruit, & cui Cæleſtis exercitus famulatur clamans, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus exercituum, vt nobis adiurantibus & eius miſericordiam obſecrantibus obedias qui regnat & dominatur per infinita ſecula ſeculorum. Amen.

Sequitur hominis Coniuratio in hunc modum. *Adiuro te homo & conteſtor per Patrem & Filium & Spiritum S. & per ſanctam & indiuiduam Trinitatem, & per omnes Angelos & Archangelos, & per omnes Principatus & Poteſtates, Dominotiones quoque & Virtutes, & per Dei ſedilia, Cherubin & Seraphin, & per diem tremendum iudicij Dei, nec non & 24. Seniores qui quotidie laudant Deum, & per 4. Euangeliſtas, & per SS. quoque Apoſtolos, Martyres & Confeſſores, nec non & per S. Genitricem Dei Mariam, omneſque Virgines, & per cunctum Populum ſanctum Dei, vel per S Baptiſmum in quo renatus es, ſi tu hoc malum feciſti, ex quo culparis, vel aſſenſum prabuiſti, aut baiulaſti, aut in domum tuam recepiſti, aut inde conſcius, aut conſentaneus extitiſti coram omnibus dicito. Quod ſi Diabolo ſuadente celare diſpoſueris & culpabilis exinde es, euaneſcat Cor tuum incraſſatum & indurotum & non ſuſcipiat te aqua incredulum & ſeductum, vt dicat populus quia Deus noſter Iudex eſt, cuius poteſtas in ſecula ſeculorum Amen.*

Poſt Coniurationem aquæ exuat illos veſtimentis eorum, & oſculari S. Euangelium & S. Crucem faciat, & ſanctificatis omnibus Aqua benedicta cum timore & reuerentia Dei Filius de eius Clementia eiiciat in aquam. Hoc Iudicium autem petente D. Ludouico Imperatore conſtituit B. Eugenius præcipiens vt Omnes Epiſcopi, Comites, Abbates, omniſque populus Chriſtianus qui intra eius Imperium eſt, hoc iudicium defendat Innocentes, & examinentur nocentes, neque periuri ſuper reliquias Sanctorum perdant ſuas animas in malum conſentientes. Hactenus vetus illud exemplar.

Erant & alia purgationis Capitalis genera, nimirum per iudicium legale, & per duellum De vtroque genere extat conſtitutio Willielmi, Anglorum Regis, vulgo Conquæſtoris in hæc verba apud Ioannem Bromptonem in Chronico.

Willelmus D. G. Rex Anglorum Omnibus ad quos ſcriptum hoc peruenier, ſalutem & amicitiam. Mando & præcipio per totam Angliæ Nationem cuſtodiri. *Si Anglicus* homo compellat aliquem *Francigenam* per bellum de furto vel homicidio vel aliqua re, pro qua bellum fieri debeat vel ludicium inter duos homines, habeat plenam licentiam hæc faciendi. Et ſi *Anglicus* bellum noluerit, *Francigena* compellatur adlegiare ſe iuramento contra eum per teſtes ſuos ſecundum legem Normaniæ. Item ſi Francigena compellat Anglicum per bellum de eiſdem rebus, Anglicus plena licentia defendat ſe per bellum vel per iudicium ſi magis ei placeat. Et ſi vterque ſit inualidus & nolit bellum, vel non poſſit, quærat ſibi legalem defenſorem. Si Francigena victus fuerit, perſoluat Regi 60. S. & ſi Anglicus nolit defendere ſe per bellum vel per teſtimonium, adlegier ſe per Dei iudicium. De omnibus *vtlagaria* rebus Rex inſtituit, vt Anglicus ſe purget ad iudicium. Et ſi Anglicus appellat Francigenam de *vtlagaria* & hoc ſuper eum in veritate velit, defendat ſe Francigena per bellum. Et ſi Anglicus non audeat eum probare per bellum, defendat ſe Francigena pleno iuramento, non in verborum obſeruantiis. *Adlegiare* dicebant, quod nos communiter *Alleguer*, Leguleij dicunt *Verificare* vel *Iuſtificare*, vt legitur in Gloſſario, *Vtlagaria* Saxonicum vocabulum eſt, id. delictum authorem reddens exlegem. Hinc *Vtlagium*, & *Vtlagij* opus facere, eſt tale maleficium pepetrare, cuius cauſa author omnis legis patrocinio ſit excluſus.

CATALOGVS ILLVSTRIVM ACADEMICORVM.

ABBO S. Germani Pariſienſis, vulgò Pratenſis Monachus, patria Neuſtrius, vt ipſe ait, hoc eſt vt aliqui explicant, Pariſinus, Poëticæ artis ſtudioſus, belli Normanici & obſidionis Pariſiacæ an. 886. teſtis oculatus, quam duobus libris complexus eſt, vt ait in Præfatione: quod opus fratri Goſlino nuncupat, eiuſque ſe mandato & precibus inductum fatetur ſuſcepiſſe & contexuiſſe. Quamobrem autem eum Fratrem vocet, non eſt in promptu dicere. An quia reuera frater eius erat germanus, vt videntur indicare verba illa præfationis, *tuæ admodum mihimet acceptiſſima germanitatis affectio ſibimet dudum deſtinari popoſcit?* An quia frater erat in Chriſto, quomodo ſunt omnes Chriſtiani fratres? An denique quia Goſlinus ſeu Gauſlenus tunc Epiſcopus Pariſienſis, ante fuerat Abbas S. Germani Pratenſis, quam Abbatiam an. 885. factus Epiſcopus Nepoti ſui Ebolo reſignauit? Certè in eadem præfatione ait ſe *fraterni* non eſſe immemorem *flagri*: quæ verba in Abbatem cadere non poſſunt, quem Monachi non *fratrem*, ſed *patrem* appellant; quod & ipſummet verbum indicat: Abbas enim patrem ſonat. Verius ergo & commodius in fratrem germanum cadunt: tum propter verbum *germanitatis* quo vtitur in præfatione; tum quia Goſlinum illum tanquam Magiſtrum Artis poeticæ gnarum & peritum compellans in fine ſic ait. *Verum quod haud apud Magiſtrum ſaltem mereantur* (verſiculi noſtri) *nanciſci penes Germanum*. Tum denique quia illum, cui præfatur, compellat vt viuentem, vt pote cui duos dedicat obſidionis libellos: at Goſlenus Epiſcopus Pariſienſis ante obiit quàm eſſet obſidio ſoluta, quamque eam Abbo verſibus deſcripſiſſet. Itaque crediderim Goſlinum illum fuiſſe Magiſtrum ſeu Profeſſorem Academiæ Pariſienſis, quo præceptore fuerat vſus Abbo, qui tum primum exercuiſſe videtur, quod in arte Poetica didicerat, atque idcirco fratri primum voluiſſe dedicare, à quo didicerat. Cæterum non parum contulit Abbo ad ſplendorem Academiæ Pariſienſis & ad Scholarum eius multiplicitatem: quò enim aliò tendunt hæc verba præfationis, *nunquam otio reficiendi ob Scholarum pluralitatem, cuius commoditati vbique locorum vacauerim?* Deinde duas ſuſcepti operis cauſas afferens, nimirum & ad exercitandum ingenium, & vt aliis vrbium defenſoribus exemplum in Odone Pariſienſium Comite præberet virtutis & fortitudinis, ſubdit. *Siquidem prima fuerit cauſa exercitationis: tunc etenim adhuc litteratoriæ tirunculus diſciplinæ Naſonis proſcindebam Eclogas; altera verò manſuri aliarum tutoribus vrbium exempli.* Poſtremo ait ſe tertium librum nihil ad hiſtoriam obſidionis pertinentem conſcripſiſſe in gratiam Scholaſticorum *Scholaſticis ambientibus gloſſas ſuis in commentis obnixè complacet.* Librum verò primum incipit à deſcriptione, ſitu & laude vrbis Pariſiacæ.

In medio Sequana recubans, culti quoque Regni
Francigenum ſemet ſtatuit precelſa, canendo
Sum Polis, vt Regina micans omnes ſuper vrbes.

Quæ ſtatione nites cunctis venerabiliori ,
Quique cupiſcit opes Francorum, te veneratur.

Scribebat adhuc de rebus præclarè geſtis Odonis Comitis an. 892.

Abbo Antiſſiodotenſis ex Monacho & Abbate S. Germani factus eſt poſt fratrem Heribaldum eiuſdẽ Eccleſiæ Epiſcop. Qui duo fratres viri ſtrenui fuerunt atque ſanctiſſimi, & tam in Diuinis ſcripturis quã in liberalibus artibus nobiliter eruditi. De Abbone ſic habet ſcriptor Anonymus in Hiſtoria Epiſcoporũ Antiſſiodorenſiũ. *Abbo vir ſtrenuus, omnimodâ eloquentiâ præclarus, atque tam in Diuinis ſcripturis quàm in ſecularibus principaliter eruditus. Fuit autem Abbas Cœnobii S. Germani poſt fratris deceſſum iuxta Caroli Regis* (nempe Calui) *electus Pontificatui ſubſtitutus eſt.* Interfuit ſynodo Metenſi an. 859. & Tullenſi apud Saponarias eodem anno. Ambo verò fratres in Eccleſia S. Germani cum multa ſunt honorificentia tumulati; inquit Author Chronici Antiſſiodorenſis.

Abbo Patria Aurelianenſis, Lœti & Ermengardis filius, profeſſione Monachus & Abbas Floriacenſis, vir fuit, teſte Trithemio, in Diuinis ſcripturis vigili lectione & ſtudio exercitatus & in ſecularibus diſciplinis egregiè doctus, vita quoque & conuerſatione inſignis. Lutetiam ad capeſſendas bonas artes adoleſcentulus ſe contulit, vt narrat in Apologetico, circa annum 960. non an. 988. vt aliqui ſcribunt: tunc enim factus eſt Abbas Floriacenſis. Primos pueritiæ annos apud exteriores Floriaci Scholas exegit: tum inibi factus Monachus aliquandiu publicè docuit: deinde ad Nobilius Emporium Illuſtrioremque Litterarum Officinam, Luteriam ſe contulit à Richardo Abbate miſſus, vt ait ipſe in Apologetico ad Hugonem & Robertum Reges. Remenſes quoque Scholas inuiſit: reuerſus verò Floriacum, altiorumque diſciplinarum publicam profeſſionem aggreſſus magnum ſibi nomen comparauit, adeo vt totius Galliæ famoſiſſimus Magiſter haberetur: vt teſtatur Aimoinus Floriacenſis in eius vita. Idemque confirmat Odolricus in Concilio Lemouicenſi an. 1031. habito, vbi de S. Martiale mentio facta. *Quando iam longo olim* apud Monaſterium S. Benedicti *per plures annos artibus imbuerer liberalibus, annoſam Monaſterij legem reperi, Martialem in Letanijs cum aliis pronunciari Apoſtolis. Pater illius loci Abbo florentiſſimus Philoſophus, quem multi veſtrum nouerunt, & omni diuinâ & ſeculari authoritate totius Franciæ Magiſter famoſiſſimus, & poſtmodum gladio perſecutoris martyrio coronatus apud Waſconiam quid de Martiale ſcripſerit, quod de eo teſtimonium perhibuerit, huius vrbis Clero notum eſt.* Ad tanti viri Scholam non modò Monachi, ſed & ſeculares plurimi, non tantum Galli, ſed Angli, Scoti & Hiberni confluebant; e Gallis noſtris inter alios Diſcipulos, Bernardum habuit Bellilocenſium deinde Abbatem, ad quem extant aliquæ eius Epiſtolæ. Ex Anglis Clarotonum, Brirferthum & alios plurimos. De hocce litterarum exercitio ſic Aimoïnus. *Poſt Orationum vota, poſt ieiuniorum virilia certamina multum prodeſſe cenſebat litterarum ſtudia, maximeque dictandi exercitia, quarum ipſe perſtudioſus exiſtens nullum pene intermittebat tempus quin legeret, ſcriberet, dictaretve. Extant multa Scriptorum eius inſignia, quæ proprio indigeant volumine. Nos interim aliqua futuris profutura ſeculis ſuccinctim noſtris inſerimus Chartis: nempe poſt elucidatos, vt prælibauimus, Dialecticos ſyllogiſmos, poſt exaratas Compoti calculationes, poſt Solis ac Lunæ viarum declaratas dimenſiones, in Diuinas quoque animum intendit Scripturas: aſſumptiſque ex plurimorum Patrum authoritatibus ſententiis velut prudentiſſima Apis, variis fauos componens floribus, mellitum defflorauit opus. Quod licet ad præſens non reperiatur, partim Noſtrorum negligentiâ, partim extraneorum ſubſtractum cupiditate, certum tamen eſt idcirco eum excerpſiſſe, quò haberet ad manum defenſiones contra Pontificem Eccleſiæ Aurelianenſis non recta quædam ab eo exigentem.* Hoc loco nota, Lector, Aimoinũ loqui de duplici genere Scholarium, qui ad Abbonem cõueniebant, nempe de Monachis & Extraneis ſeu ſecularibus, quos ille publicè inſtruxit per plures annos Richardo & Amalberto Abbatibus. Ab Oiolbodo vero Abbate qui Amalberto ſucceſſit, miſſus eſt in Angliã ad docendũ & ad dirigendas Scholas Rameſienſes ita poſtulante Oſwaldo qui, vt legitur in Chronico Ioannis Bromptonis, *litteratos homines in patriam aduocauit, ne patriam illo bono fraudaret, ſine quo cætera pene inania mihi videntur, de quibus litteratis fuit vnus Abbo Floriacenſis Monachus, qui præter multam ſcientiæ frugem quam Angliæ in-*

uexit, vitam S. Edmundi Regis & Martyris S. Dunſtano rogante deſcripſit. Poſt biennium autem ex Anglia reuerſus eſt Floriacum. Oiolbodo autem paulo poſt defuncto ſubſtituitur Abbo communi Monachorum ſuffragio, & de conſenſu Hugonis Capeti recenter Regis inaugurati. Aimoinus. *Poſtea factum eſt* inquit, *vt venerabili Abbate Oiolbodo humanis rebus exempto communis Floriacenſium electio fratrum vſque perferretur, hunc* (nempe Abbonem) *ſibi patrem poſtulantium. Præerat per idem tempus Regiæ Francorum Aulæ, Princeps Hugo nomine, qui conſenſum præbere non diſtulit.* Anno 991. in Synodo Remenſi Arnulfi Archiepiſcopi cauſam defendit, vt legitur in hiſtoriâ eius Depoſitionis, his verbis. *Sed aderant acerrimi defenſores ſcientia & eloquentia inſignes Ioannes Scholaſticus Antiſſiodorenſis, Romulfus Abbas Senonenſis, Abbo Rector Cœnobii Floriacenſis.*

Bis Romam profectus eſt, ſemel Ioanne XVI. adhuc ſedente, cuius vitâ & moribus offenſus ſtatim rediit: iterum vero ſedente Gregorio V. circa an. 995. qui minatus eſt ſe Regnum interdicto ſubmiſſurum, niſi Arnulfus in ſedem ſuam reſtitueretur. Itaque rogatu Roberti Regis reuertitur & peractis ibi negotiis ſuis refert ad Regem hoc poſtulare ſummum Pontificum, vt Arnulfus è carcere liber ad ſedem rediret.

Ab eodem Gregorio priuilegium Abbatiæ ſuæ impetrauit, ne Epiſcopus Aurelianenſis niſi inuitatus Floriacum ingrederetur: nec vllus vnquam Pontificum eidem Monaſterio interdicere poſſet Diuino Officio, neue, etiamſi tota Gallia anathemate feriretur, illi ſubiaceret. Tandem in Vaſconiam profectus ad Monaſterium quoddam Squirs nomine eiuſdem Ordinis, vbi minus rectè S. Benedicti Regula obſeruabatur, aſſumptis his comitibus, Remigio, Aimoino & Guillelmo Monachis Floriacenſibus, dum increpat Monachos licentiorem vitam degentes, præſertim verò totius mali Authorem quendam nomine Anezan gente ac vocabulo barbarum, ortâ rixâ inter Francos & Vaſcones, dum eam ſedare cupit, ab aduerſæ partis ſatellite lanceâ in læuo lacerto tam grauiter vulneratur, vt interiora coſtarum adactum penetrarit ferrum, pauloque poſt animam exhalarit 13. Nouemb. an. 1004. Rexit Abbatiam 16. annos continuos, ſcilicet ab an. 988. vſque ad mortem. Nomen dedit Floriacenſi Cœnobio ſub Wlfaro Abbate; quo ad Epiſcopatum Carnotenſem aſſumpto, hos deinde habuit Abbates, Richardum, à quo miſſus eſt ad Pariſienſes Scholas, Amalbertum, Oyolbodum, cui poſtremo ſucceſſit. Scripſit ſuper Calculo Victorij, lib. 1. Additiones in eundem l. 1. & quędam alia teſte Trithemio. Claruit ſub tribus Othonibus Imperatoribus, I. II. III. & ſub his Franciæ Regibus, Lothario, Ludouico, Hugone Capeto & Roberto. Poſt mortem pro Sancto habitus, & in morte Miraculis inclaruit. De eo ſic Ademarus Cabanenſis: *Summus Philoſophus, Abbas & S. Benedicti Floriacenſis ſuper Ligerim, iter Vaſconiam faciens Abbo per Engoliſmam tranſiens menſe Nouembri in Monaſterio S. Eparchij hoſpitatus eſt, veniensque ad S. Petrum Regulatenſis Eccleſia, quæ eſt poſſeſſio S. Benedicti Floriacenſis Cœnobij, vbi tumultu Vaſconum occiſus eſt, & ibi ſepultus miraculis clareſcere cœpit. Bernardus Vaſconum Dux necem tanti viri de Interfectoribus puniuit, alios ſuſpendio, alios flammis tradens, & omnem illam poſſeſſionem Regulatenſem, quæ ante in lite inuadentium erat, ſine lite Monachis Francis S. Benedicti parauit vindicandam.*

Abbo Sueſſionenſis Epiſcopus interfuit Synodo Remenſi an. 923. pro indicenda ijs pœnitentia, qui bello Sueſſionico in quo Robertus Rex interfectus eſt, interfuerant. Eodemque anno Regem Rodulfum conſecrauit, & poſt mortem Seulfi Archiepiſcopi Remenſis, cum Hugo puerulus ſucceſſor electus eſt, donec adoleſceret, Epiſcopale munus geſſit: qua de re ſic legitur apud Flodoardum l. 4. c. 20. *Rodulphus Rex electione comperta præfatorum Epiſcoporum conſilio Remenſem Epiſcopatum committit Herberto, qui etiam Legatos Eccleſiæ cum Abbone præſule Romam mittere ſatagit, huius Electionis decretum ſecum ferentes, & aſſenſum Papæ ſuper ea petentes. Ioannes itaque Papa interueniente Abbone præſule petitioni eorum conſenſum præbens, Epiſcopium Remenſe Abboni Epiſcopo delegat, quæ ſunt Epiſcopalis miniſterii ab ipſo in eodem Epiſcopo tractanda ac finienda decernens.*

Adalbero Ardennenſis Godefridi Comitis filius, Franciæ Cancellarius, poſtea beneficio Lotharij ad Archiepiſcopatum Remenſem promotus, in ſcholis Pariſienſibus ſine dubio educatus, Remenſes deinde longè amplificauit & celebres

lebres

lebres reddidit euocatis aliunde inſignibus Magiſtris, & inter alios Gerberto Aqnitano, quos ſingulari amore complectebatur, beneficiiſque ditabat. Singularis quoque ei cura fuit comparandorum librorum, vt videtur innuere Gerbertus Ep. 8. *Mantua quid egerim ſuper negotiis veſtris, præſens melius explicabo verbis, quàm abſens ſcriptis, Claues librorum quas mitterem ignoraui, propter communem vſum ſimilium ferrarum. Hiſtoriam Iulii Cæſaris à D. Azone Abbate Deruenſi ad reſcribendum nobis acquirite, vt vos, penes quos Nos habemus, habeatis, quod repetimus ſperetis, id eſt octo volumina Boetij de Aſtrologia, præclariſſima quoque figurarum Geometriæ, aliaque non minus admiranda.* Cum eo Gerbertus ad mortem vſque manſit, eiuſque nomine varias ad varios epiſtolas ſcripſit, quæ leguntur inter Gerbertinas. Othonis partibus fauit contra Lotharium, quia Lotharius Godefridum fratrem bello inſectabatur. Hugoni Capeto addictus fuit, ipſumque poſt mortem Ludouici Iunioris in Regem inunxit Remis 3. Iul. an. 987. Migrauit è viuis Lauduni quò relegatus fuerat vt aliqui ſcribunt à Carolo Lotharingo Lotharii fratre. Alii tamen Remis obiiſſe ferunt, an. 989. & verius, vt in hiſtoria docuimus. Iacet in Baſilica maiore Deiparæ Virginis ſub Altari S. Crucis cum hoc epitaphio quod legitur in Appendice ad Flodoardum.

Contulerat natura parens quæ ſumma putauit,
Ad meriti cumulum tibi Præſul Adalbero, cum te
Præſtantem cunctis mortalibus abſtulit Orbi
Quinta dies fundentis aquas cum pondere rerum.

Adalbero Virdunenſis Gothofredi Virdunenſis Comitis filius & nepos Adalberonis Remenſis, Othonis Imperatoris beneficio contraque Lotharii Francorum Regis voluntatem Virdunenſis Epiſcopus factus eſt an. 984. vt in hiſtoria notauimus; vnde in patruum grauis exarſit ira Lotharij. Extant quædam Gerberti ad eum ſcriptæ Epiſtolæ. In 47. eum hortatur ad fortiter & generosè reſiſtendum copiaſque colligendas, vt Gothofredum patrem à Lothario captum liberet. *Felices, quibus paterna virtus exemplum ſit imitabile. Veſter Genitor hoc petit. Repentinus caſus ne vos deterreat; filio Cæſaris fidem quam promiſiſtis, inuiolatam ſeruate, omnia Caſtra ab hoſtibus tuemini; denique nec Scarponum, nec Haidonis Caſtellū nec quidlibet eorum quæ vobis deliquit, Francis reliqueritis, illecti aut vana ſpe ſuæ liberationis, aut terrore ſui cruciatus aut Filii Friderici. Hæc præcepta magnanimus pater generoſis filiis dedit. Sentiant in vobis hoſtes ſe non totum cepiſſe Gothofredum auxilia vndique comparate, liberatores patriæ, vos ſimiles patri in omnibus repræſentate.* Is Salernum profectus curationis gratia, in Italia obiit 14. Kal. Maii. Corpus verò relatum, Virduni ſepultum eſt; eique ſucceſſit Heymo an. 988. vt legitur in Chronico Virdunenſi.

Adalbero qui & Aſcelinus dictus, natione Lotharingus, Lotharii fauore & gratia factus poſt Roriconē Laudunenſis Epiſc. an. 977. valde adhuc iuuenis, vir doctus, eloquentiæ & arti poëticæ deditus. Poſt mortem Lotharii Carolus frater eum diu in vinclis habuit, vt & Emam Reginam in carcere detinuit. Quo facto omnium incurrit odium. At ſolutum tandem eum à ſecretis habuit intimumq; conſiliarium. Verum acceptæ memor iniuriæ, fictéque reconciliatus Laudunum, Carolum ipſum & coniugem Hugoni Capeto obſidenti prodidit & tradidit, ſicque Hugonem Regem Francorum ſublato competitore conſtituit. Mirum & Roberto Regi Hugonis filio voluiſſe fidem violare, ob idque publicī criminis inſimulatus à Gerberto facto Pontifice Silueſtro, iuſſus ire Romam ad dicendum cauſam. At Principis recuperatâ gratiâ imminens ſibi periculum declinauit. Extat Carmen ipſius ad Robertum, quod nuper, hoc eſt an. 1663. prodiit in lucem opera Hadriani Valeſii cum Notis. Quo tempore verò illi poema ſuum dedicarit, incertum; certè aut an. 998. quo Robertus Rex ſolus remanſit, aut paulò poſt, tumque iam ſenex: ait enim initio

——Regi Roberto ſic præſul Abalbero ſcribo
Præſulis in ſenio, fratrum Laudunicus Ordo
Flos iuuenum fructusque ſenum te mente ſalutat.

Inter amicos præcipuum habuit Fulbertum Carnotenſium Epiſcopum, ab eoque præclaris nominibus laudatur & vocatur Epiſc. 45. *Clarus Laudunenſium præ-*

XXx

ſul. *Magnus pater*, cui Deus bene ſuadendi copiam incompatabilem dederit.
Rogatur verò, vti quoſdam maleficos à Rodulpho Siluanectenſium epiſcopo
ſummiſſos in necem Subdecani Eccleſiæ ſuæ excommunicet. *Quod Ego te facere*
deprecor, magne Pater, cui Deus bene ſuadendi copiam incomparabilem dedit, ſimul-
que vt ipſe mecum prædictos maleficos citra legitimam ſatisfactionem excommunices.
Magnas certè virtutes poſſedit, ſed quas proditione fœdaſſe dicitur à Guiberto
Nouigentino Abbate lib. 3 de vita ſua *Aſcelinus, qui etiam Adalbero vocatur, ex*
Lotaringia oriundus, diues opum, poſſeſſionum locuples cum diſtractis omnibus, pretia in-
gentia ad ſedem cui præerat, tranſtuliſſet, Eccleſiam ſuam præcipuis quidem ornatibus in-
ſigniuit, Clero ac Pontificio plura auxit, ſed cuncta illa beneficia quadam præſtantiſſi-
mâ iniquitate fœdauit: Dominum ſuum Regem, innocentem puerum, cui Sacramentum fi-
delitatis præbuerat, prodidit. A Nangio vocatur *vetulus traditor*, ab aliis *falſus* Epiſ-
copus. Quo autem anno obierit, non conſtat. Aliqui ſcribunt obiiſſe an. 1000.
ſed malè: nam Dudo S. Quintini Decanus tres libros de Geſtis Normano-
rum poſt mortem Richardi Normaniæ Ducis an. 1002. ei dedicauit. Et Fulber-
tus iam Epiſcopus Carnotenſis factus eius opem contra Siluanectenſis Epiſcopi
Miniſtros implorauit, vt patet ex eius Ep. 45. poſt an. 1017. ſcripta. Sepultus eſt in
B. Vincentii Baſilica, eiuſque tumulo lapideo ſequentes verſus ſunt inſcripti.

Sic aui plenus deceſſit Adalbero Præſul,
Huius multa loci qui viuens condidit olim.
Hic decus Altaris ſtruxit, decus hic Crucifixi,
Et loca Sanctorum nitidauit. Hic quoque Templum
Prorſus honeſtauit, atque omne vetus reparauit.
Ad dextram turrim, nec non æraria ſiſtit,
Ornamenta dedit, quæ præcellentia fecit.,
Pontificalem habitum ſtruxit mira arte peractum,
Treſque dedit Cappas, dorſalia plura, tapetas
Ad decus hoc templi, ſimul his & multa patrauit
Qui & Pontificium donauit fratribus aurum,
Sanctorum lapſis altaria contulit ipſis.
Hoc ſcripto firmans ne quis diſſolueret vnquam.
Hinc donetur ei memoria digna quotannis,
Cui Dominus requiem tribuat parcendo perennem.

Adalbertus filius fuit Sigulfi veteris, auditor Alcuini in Schola Turonenſi, Aldrici Senonenſis condiſcipulus: verum relictis Muſis ad Martem ſe contulit & ſub Carolo M. Hunico Saxonicoque bello interfuit. Ab eo iam valde ſeniore didicit Monachus Sangallenſis res bellicas eiuſdem Principis, vt ipſe ait in Præfatione lib. 2. *Et cum iam valde ſenior paruulum me nutriret renitentem & ſæpius effugientem, at tandem coactum de his inſtruere ſolebat.* Eundem in principio libri ait fuiſſe ſecularem hominem & in ſcripturis minus eruditum. Fuit autem Pater Werenberti Sacerdotis & Monachi apud S. Gallum, à quo etiam ait Sangallenſis ſcriptor ſe didiciſſe quæcunque ſcripſit de Religione Caroli Magni.

Adalbertus nobilis Scholaſticus celebratur à Gerberto Aquitanico, videturque ille Remis Præfectus fuiſſe ſcholarum aut certè diſcipulus fuiſſe Gerberti, cuius Epitaphium ſic Magiſter condidit

Edite Nobilibus, ſtudium rationis adepte.
Dicit Adalbertum te Belgica flore Iuuentus,
Stare diu non paſſa tulit fortuna, recurſus
Bis ſenos Februi cum produxiſſet Apollo.

Adalgardus vir doctus, Lupo Ferrarienſi familiaris & commercio communique ſtudio litterarum eidem coniunctiſſimus: ad quem extat eius epiſt. 8. qua gratias agit ob libros ſibi ab eo communicatos. *Habeo tibi plurimas gratias, quod in Macrobio corrigendo fraternum adhibuiſti laborem. Quanquam librum cuius mihi folium direxiſti, præoptarem videre. Eſt enim reuera venerabilis & exactiſ-*

ſimæ diligentiæ. Nec minus tibi gratulor pro commento Boetii, neſcio tamen adhuc an totum hîc contineatur; aut ſi tuum ſit, aut ſi cum alio id contuleris. Hinc autem recaſtigatum in perpetuum velim, vt nihil mihi vnquam aut ſcribas aut dicas ambiguum, quod tamen ipſe compertum habeas, & in morem oraculorum Apollinis ſententiam tuam aliqua obliquitate confundas. Hinc patet quanti eum æſtimaret Lupus.

Adalardus Regali ex proſapia oriundus, Pipini Magni nepos, Caroli Auguſti conſobrinus, vt legitur in eius vita per Paſchaſium Ratbertum ſcripta. *Inter Palatii tirocinia omni mundi prudentia eruditus vnà cum Terrarum Principe (Carolo M.) Magiſtris adhibitus elegit magis Iuſtitiæ fore & veritatis amicus quàm in illicita conſentire etiam multis oblectatus blandiciis.* Maior erat quinque fratrum, inter quos trium conſilio familiari vſus eſt Imperator, *iſte maturior conſilio, eximior omnibus ſanctitate*, relictis mundi negotiis factus Abbas Corbeienſis in Picardia ex Comite ſacri Palatii, & anno 809. Romam à Carolo miſſus eſt ad Romanum Pontificẽ Leonem cum Bernario Epiſcopo Cormaricenſi. Scribunt nonnulli tum Romæ fuiſſe cum Caroli triſtem audiuit interitum; & cum à Principe rebus Italiæ præfectus fuiſſet, nonnullorum inuidiâ à Ludouico Pio hac dignitate & adminiſtratione priuatum in Abbatiam ſuam ſe recepiſſe: indeque paulo poſt exulem factum ab anno ſcilicet 815. ad an. 822. Scripſit librum de *Ordine Palatii*, in quo Palatii curam regimenque in duas partes diuiſit; ſcilicet in eam quæ pertinebat ad ipſiuſmet Palatii negotia, & eam quæ ad Regni ſtatum. Hanc Comes Palatii habebat: illam Apocriſiarius ſeu Archicapellanus, quem hodie vocamus Magnum Eleemoſynarium. Hunc librum ait Hincmarus Caroli Calui Archiminiſter ſe deſcripſiſſe: ſic enim habet c. 12. de Ordine & Officiis Palatii. *Adhalardum ſenem & ſapientem Domini Caroli M. Imperatoris propinquum & Monaſterij Corbeiæ Abbatem inter primos Conſiliarios primum in adoleſcentia mea vidi. Cuius libellum de Ordine Palatii legi & ſcripſi, in quo inter cætera continetur duabus principaliter diuiſionibus totius Regni ſtatum conſtare antepoſito ſemper & vbique omnipotentis Dei iudicio.*

Sub eo S. Patre Paſchaſius Radbertus Abbatiæ nomen dedit, qui an. 818. librum de Corpore & Sanguine Chriſti edidit. Reuerſus ab exilio an. 822. menſe Ian. ſtatuta quædam duobus libellis contenta Monachis tradidit, quæ opera D. Lucæ Dacherii prodierunt in lucem, leguntúrque in tomo 4. Spicilegij. Sepultus eſt tandem in Baſilica B. Petri cum hoc Epitaphio.

Hic iacet eximius meritis Venerabilis Abba,
Noſter Adalhardus dignus honore ſenex.
Regia proſapies, Paradiſi iure colonus,
Vir charitate probus, moribus atque fide.
Quem dum ſub tumulo recolis tu quiſque viator
Cerne quid eſt, quid eris, mors quia cuncta rapit.
Nam poſt octauas Domini hic Carne ſolutus
Succedente die aſtra petiuit ouans.

Adelbodus Henrici Imperatoris ab intimis ſecretis, vir nobilis, ſapiens & ſummæ virtutis, tamque in diuinis ſcripturis eruditus, quam in ſecularibus, nec minus armis quam eruditione proſtrauit infideles. Nonnulla opuſcula edidit. Vitam Henrici II. Imperatorris. Lib. 1 de Laudibus S. Crucis. Item de laude B. Mariæ, aliaque tam metro quàm proſa. Vltimo Archiepiſcopus Vltraiectinus obiit an. 1029. huiuſce inſignis viri plurimi ſcriptores meminerunt.

Adelmanus Clericus Leodienſis in Franciam miſſus circa ann. 1022. vt litteris operam daret: deinde Carnutum profectus Fulbertum Epiſcopum virum ſingularem & magni tum nominis Theologum in expoſitione diuinarum ſcripturarum audiuit. Ibi habuit condiſcipulum, imò contubernalem Berengarium Turonenſem tunc adoleſcentem ætate ipſe prouectior. Carnuto reuerſus in Patriam Scholas ipſe Leodii habuit, ſub Reginaldo Epiſcopo: deinde ad Brixienſem Epiſcopatum promotus ſcholarum Leodienſium præfecturam Franconi reliquit. Cum autem audiuiſſet ille Berengarium poſt mortem Fulberti Magiſtri multa docere hæretica, ad eum ſcripſit in memoriam reuocans præcepta, quæ ab illo Venerabili ſene audiuerant, ne ſcilicet vnquam ad vanas &

inutiles futileſque Philoſophiæ nugas abirent, ſed ſolido Eccleſiæ fundamento inſiſterent. Eius Epiſtolam in Chronologia retulimus. *Vir fuit* teſte Trithemio, in diuinis Scripturis, *ſtudioſus, Philoſophus & Dialecticus ſuo tempore famoſus, metro excellens & proſa. Scripſit vtroque ſtylo quædam commendanda Opuſcula, de quibus ad lectionis noſtræ notitiam pauca peruenerunt*. Claruit ſub Henrico III. Imperatore circa an. 1040.

Ademarus Cabanenſis Raimondi Cabanenſis & Hildegardis filius Monachum induit apud S. Eparchium Engoliſmenſem. Scripſit Chronicon à primis Monarchiæ Francicæ temporibus ad ſuam ætatem. Floruit ſub Roberto Rege, ad annum vſque 1028. Meminit Alcuini, Theodulfi, Smaragdi, Heliæ aliorumque Magiſtrorum, qui Pariſienſem Academiam litterarum Profeſſione primi commendarunt & illuſtrarunt.

Æneas Diuini verbi Concionator egregius & in ſcholis Palatinis ſub Carolo Caluo Profeſſor clariſſimus fuit. Quis enim, vt aiunt Guenilo Senonenſium Archiepiſcopus & Suffraganei apud Lupum Ferrarienſem Ep. 99. *vel leuiter tetigit Palatium, cui labor Æneæ non innotuit & feruor in Diuinis rebus non apparuit?* quamobrem poſt mortem Ercanradi Epiſcopi Pariſienſis à toto Clero Matris Eccleſiæ Pariſiorum & à Monaſteriis illi ſubiectis in ſucceſſorem expetitus eſt, vt diximus ad an. 853. Summæ fuit apud Caluum authoritatis, eique ſæpe Rex grauia negotia grauiumque rerum iudicia commiſit. Extat Lupi ad eum Ep. 119. qua rogat vt Regem admoneat de præmio ſibi ab eo promiſſo, ſi ſcholarum profeſſionem reperteret. Fuiſſe autem inter eos affinitatem colligitur ex eadem Epiſtola, qua illi neptis ſuæ & Hildegarij filium commendat. *Me Monaſterium ingredientem triſtis excepit nuncius oſtendens Hildegarium veſtrum qui Neptem meam habebat in Coniugium, deceſſiſſe. Vnde proprio affectu & propinquorum vtriuſque lineæ impulſu aſſerentium me apud vos plurimum poſſe, ſanctitati veſtræ has lineas deſtinaui, ſupplicans vt filio ipſius, ſuper quo poſtulauit, concedere dignemini beneficium. Tutorem verò qui & moribus veſtris congruat & militare obſequium exigat, laudabili prudentia ſtatuatis. relicta memorati viri eiuſque propinqui decenter vos, ſi obtinuero, venerari ſtudebunt*. Leguntur duæ ipſius Epiſtolæ ad Hincmarum Remenſem. Hincmarus quoque Rothadi Sueſſionenſis Epiſcopi cauſam illi commendauit, quam illi Rex & Immoni Nouiomenſi diſcutiendam commiſerat, vt legitur apud Flodoardum. Scripſit librum de Erroribus Græcorum iuſſu Nicolai. I. qui in membranis apud quaſdam Bibliothecas reperiri dicitur. Synodis plurimis interfuit. Apud Saponarias an. 859. Tuſciacenſi an. 860. Sueſsionenſi III. an. 866. Trecenſi an. 867. Eidem Caluus pontem Pariſienſem donauit diplomate dato Compendij pridie id. Iulij ann. 867. Obiit circa an. 875.

Agius Aurelianenſis Epiſcopus Ionæ ſucceſsit an. 843. conſecratuſque fuit à Guenilone ſeu Vvenilone Archiepiſcopo Senonenſi. Capellanus erat Caroli Calui, vir eximiæ pietatis & doctrinæ. Pluribus Synodis interfuit: Beluacenſi an. 845. Pariſienſi an. 846. Turonenſi IV. an. 849. Sueſsionenſi II. an. 853. vbi agitata eſt cauſa Burchardi in Carnotenſem Epiſcopum electi, vnuſque ex iis fuit, qui eum ſeorſim admonere iuſsi ſunt, vt ſi ſe Epiſcopatu dignum agnoſceret, fateretur ingenuè & probaret; ſi indignum tali miniſterio, Epiſcopatum eiuraret. At ille faſſus quidem eſt ſe tanto munere indignum eſſe, paratum tamen eſſe ſe, ad obiecta crimina reſpondere. Cum verò nemo ſe accuſatorem auderet profiteri, remanſit Epiſcopus. Eius tempore extructa eſt Capella S. Aniani: & quandiu ſedem tenuit, bis capta eſt Aurelia à Normanis teſte Adreualdo Floriacenſi. Videtur autem ſediſſe vſque ad an. 868.

Aimoinus ſeu Monachus Cœnobij San-Germano-Pratenſis, ſeu profeſſor ſecularis Academiæ Pariſienſis florebat adbuc an. 890. fuit Magiſter Abbonis Monachi S. Germani, videturque eo etiamnum tempore docuiſſe, quo Pariſiacam ille deſcripſit obſidionem, nempe an. circiter 892. quippe eum compellans ait continuo ſerere, fodere & putare vineam, ex qua ipſi botros virides quidem adhuc offerebat, ab eo ad maturitatem perducendos.

O Pædagoge ſacer meritis
Aimoine piis radians,

Digitized by Google

Digneque ſidereo decore.
Perrogitat Mathites liniens
Ore pedes digitoſque tuos
Cernuus Abbo tuus iugiter.
Sume botros, tibi quos tua fert
Vitis adhuc virides: rubeant
Imbre tuo radiiſque tuis.
Continuo ſeris atque fodis
Tu celebrande putas & eam.
Nuncque cupis niteat pluuiis
Alterius, iubare alterius,
Dulce cui tribuas rogo mel.
Nam tibi palmes & vua manet.
Floruit has mihi Pariſius
Nobilis Vrbs, veneranda nimis
Bella precans ſua ferre tibi.
Agnita cuius vt Orbe vago
Sepiat æthera palma volans,
Doxaque regnet vbique micans
Ore tuo gradiente ſemper.

Aimoinus patria Petricorius, Monachus Floriacenſis, vir literarum humaniorum non ignarus, vt patet ex eius ſcriptis; nec dubito quin exemplo Abbonis eas Lutetiæ ſi non incepit, ſaltem earum curſum compleuerit. Inter Floriacenſes nomen dedit Amalberto Abbati, ab eoque tonſus eſt circa an. 986. Scripſit hiſtoriam Francicam quæ hodie extat, quam malè tribuunt aliqui Aimoïno Sangermanopratenſi. Scripſit quoque de Miraculis S. Benedicti an. 1005. & vitam Abbonis Abbatis ſui rogatu Heruæi Theſaurarii Turonenſis, cuius morti & exequiis in Vaſconia interfuerat. Eum Trithemius inter Eccleſiaſticos Scriptores reponit. *Aimoinus Monachus Floriacenſis*, inquit, *Ordinis S. Benedicti, natione Gallicus: vir in Diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus, atque in ſecularium litterarum diſciplinis ſufficienter inſtructus. Fertur tam metro quàm proſa nonnulla compoſuiſſe opuſcula: ſed ad manus noſtras minime venerunt. Scripſit poſt Adreualdum Monachum volumen vnum de Miraculis S. Benedicti. Claruit ſub Othone Imperatore III. an. 990.*

Albericus Diaconus Cœnobij Caſſinenſis, vir diſertiſsimus & eloquentiſsimus, quem hic quidem commemoramus, non quod ex Academicis Pariſienſibus fuerit, ſed quia in Synodo Romana contra Berengarium diſputauit, cum quo nemo congredi audebat: acceptis vnius tantum hebdomadæ induciis librum aduerſus eundem, edidit de Corpore Domini Noſtri I. Chriſti Sanctorum Patrum teſtimoniis roboratum, in quo omnes aſſertiones eius deſtruxit, æternaque obliuione deleuit. Ita ſcribit Author Chronici Caſsinenſis.

Alcuinus in Eboracenſi Prouincia apud Anglos natus, Flacci prænomen in baptiſmatis regeneratione accepit: & ab aliis Albinus, ab aliis Alboinus, Alchoinus & Alchwinus appellatur ſecundum variarum. Gentium varia idiomata variaſque pronunciationes. Egberti Eboracenſis Archiep. primum diſcipulus fuit, à quo relictus hæres ſapientiæ factuſque Eboracenſis Eccleſiæ Scholaſticus multos diſcipulos eruditione ac pietate percelebres habuit, interque cæteros Eambaldum, qui fuit deinde Eboracenſis Archiepiſcop. & Luggerum qui Monaſterienſis Antiſtes. Hinc cognitus Regi & Eccleſiæ Proceribus ac Principibus multas legationes obiuit tum ad Papam, tum ad Carolum M. ab Offa Merciorum Rege miſſus. Quod vero in Eccleſia Eboracenſi enutritus & inſtructus fuerit, docet ipſe Ep ad Eambaldum, *In Eccleſia vbi Ego nutritus & educatus fueram & præeſſem theſauris ſapientiæ, in quibus me Magiſter meus dilectus Egbertus Archiepiſcopus hæredem reliquit.* Et in Ep. ad Carolum M. *Date mihi exquiſitiores eruditionis Scholaſticæ libellos, quales in Patria habui per bonam & deuotiſſimam Magiſtri mei Egberti Archiepiſcopi induſtriam.* An vero Venerabilis Bedæ diſcipulus etiam fuerit, vt vulgus hiſtoricorum aſſerit, dubitatur. Dicunt aliqui fuiſſe quendam Albinum ſeu Alwinum Bedæ Diſcipulum, non eum qui Pariſios venit, ſed eum Albi-

num ſed qui factus in Mercia Lichefeldienſis Epiſcopus obiit an. 737 Alcuinum enim, Pariſienſis Academiæ Inſtitutorē nullatenus audire potuiſſe Bedam, quod Beda teſte Polidoro Vergilio obierit an. 731. vel ſecundum alios an. 735. ipſe verò Alcuinus an. 804. qui ſi Diſcipulus fuit Bedæ, nonagenarius & prope centenarius obierit neceſſe eſt. Contra alii, Alcuinum noſtrum vidiſſe & audiuiſſe Bedam putant. Nam lib. 1. de Geſtis Regum Anglic. eum ipſe vocat Magiſtrum. *Recogitate nobiliſſimum noſtri temporis Magiſtrum Bedam Presbyterum, quale habuit in Iuuentute diſcendi ſtudium, qualem nunc habet inter homines laudem & multò maiorem apud Deum remunerationem*. Addunt ad confirmationem huius ſententiæ Bedam non an. 731. aut 735. obiiſſe, ſed anno tantum 762. die 26. Maii, ætatis 90. Profeſſionis Monaſticæ 83. idque ex eius Epitaphio quod in Ciuitate Dunelmenſi etiamnum hodie legi aſſerit Poſſeuinus, conſtare.

Verum communior, & vt opinor, verior Hiſtoricorum opinio eſt obiiſſe Bedam an. 735. Certum verò eſt fuiſſe tempore Bedæ quendam Albinum Abbatem Monaſterij S. Auguſtini Cantuarienſis virum doctum, cuius hortatu & adiutorio Beda hiſtoriam de Geſtis Anglorum compoſuit, vt ipſe refert in prologo. Iſte Albinus, vt legitur in Chronico Willielmi Thorni qui ſcripſit vſque ad an. fere 1400. *in diuinarum Scripturarum ſtudiis ita erat à B. Adriano* (prædeceſſore Abbate) *inſtitutus, vt Græcam linguam ſimul & Latinam non minus quàm maternam quæ ſibi naturalis erat, æquè nouerit*. Ille autem, vt ibidem habetur, obiit an. 732. vnde conſtat alium ab eo eſſe Albinum ſeu Alcuinum, noſtrum.

Certum eſt 2. Egbertum Eboracenſem Archiepiſcopum, quo Magiſtro Alcuinus ait vſum ſe fuiſſe, ab an. circiter 736. ad an. 766. præfatæ Eccleſiæ præfuiſſe, ſucceſſoremque habuiſſe Albertum, & poſt annos 14. nimirum an. 780. Embaldum II. vt legitur apud Thomam Stobœum in Actibus Pontificum Eboracenſium. Hinc colligitur quod cum Alcuinus valde ſenex obierit an. 804. aut Bedæ diſcipulus eſſe, aut eum certè videre potuerit, ſi ſaltem octogenarius deceſſit. Viuente, adhuc Egberto adoleſcens Romam perrexit, ibique quoſdam Magiſtros docentes audiuit, vt ait Ep. 2. Imo ibidem eum docuiſſe vult Meginfredus apud Trithemium, & inter alios Diſcipulum habuiſſe Rabanum per ſex annos. Verum vt obiter dicam, id cum neutrius ætate ſtare poteſt: ſiquidem Rabanus vix eum Pariſiis audiuit, tantum abeſt vt Romæ ipſum tunc adhuc adoleſcentem audiuerit. Adde quod ipſe tria præſertim loca, in quibus publicè docuit, commemorat, Eboracum, Palatium Caroli & Turonicam Ciuitatem, nuſquam verò Romæ meminit.

Primùm igitur Eboraci docuit factuſque eſt poſt Egbertum, id eſt poſt annum 766. Scholaſticus ſeu Scholæ Præfectus. *Mane*, inquit Ep. ad Carolum *Florentibus per ætatem ſtudiis ſeminaui in Britannia, nunc verò frigeſcente ſanguine in Francia ſeminare non ceſſo*. Ibi S. Ludgerum diſcipulum habuit, vt teſtatur vetus Author Friſius in vita Ludgeri. *Eo tempore in Eboraïca Ciuitate famoſus meritò Magiſter Alchwinus Scholam tenebat vndecunque ad ſe confluentibus de ſcientia ſua communicans*. Cum autem ille magnum doctrinæ & prudentiæ experimentum dediſſet, ab Offa qui Merciorum victor tandem euaſit ad Carolum M. Legatus miſſus. Hinc innoteſcens Carolo peracto Legationis officio ex Anglia in Franciam poſtea euocatus eſt, eum ipſe in Rhetorica, Dialectica & Mathematicis diſciplinis habuit præceptorem. Tum filiorum ſuorum Ludouici & Pipini, item & filiarum, poſtremo & quoruncunque Diſcipulorum inſtructioni præfecit. Ita Schola publica in Palatio inſtituta: aliique in eodem in variarum profeſſione diſciplinarum collocari Magiſtri, ſuis quiſque Scholis Claſſibuſque addicti, ne quis aut de penuria Magiſtrorum, aut de inordinatione diſciplinarum quereretur. Itaque illuc breui confluxerunt vndequaque Scholares innumeri, Galli, Germani, Saxones, Angli, Scoti, Hiberni, Hiſpani annitente maxime Carolo & præmiis ac priuilegiis inuitante, vt in hiſtoria demōſtratum eſt. Demum accepto ab Imperatore Abbatiæ S. Martini Turonenſis regimine, rixarumque impatiens quę frequentes tam inter Magiſtros quàm inter ſcholares interueniebāt, vnde ſcholas Palatinas ipſe vocat *Caſtra pugnantia* Turonas ſeceſſit, ibique Scholam inſtituit, quę continuò plurimis quoque diſcipulis redundauit, quorum nonnullos enumerat vetus author vitæ ipſius hoc modo. *Diſcipulorum eius nobiliſſimus erat Sigulfus vetulus, ma-*

nimus Withſo; Poſt hos Fregediſus & eius ſocii. At tempore iam vltimo herebant ei aſſiduo Ragnuardus, Waldramnus, qui adhuc ſuperſunt; Adhelbertus quoque B. memoriæ quantum poterat, Sigulfi tunc filius. Poſt autem venerandus Pater, & multi alii. Ex omnibus iſtis Fridegiſus illi in Abbatiæ regimine ſucceſſit, cuius mentionem facit Eginhartus in vita Caroli M. Deceſſit autem Alcuinus plenus dierum 14. Kal. Iunii ſeu die 19. Maii an. 804. vt ſcribit idem author, Sigulfi diſcipulus. Vnde conuincitur erroris Pithæus aiens obiſſe circa an. 790. Offa apud Mercios regnante. Nam eiuſdem Alcuini ad Leonem Pontificem extant litteræ, qui Adriano ſucceſſit an. 796. & ad Carolum iam Auguſtum, qui an. tantùm 800. aut 801. Romæ inauguratus eſt Imperator. Sepultus eſt in S. Martini Baſilica, & ſuper eius tumulum, Epitaphium quod ſibi viuens fecerat, in ęrea tabula parieti infixa tale legitur.

Hîc rogo pauxillum veniens ſubſiſte viator,
Et mea ſcrutator pectore dicta tuo.
Vt tua deque meis agnoſcas facta figuris,
Vertitur in ſpecies vt mea, ſicque tua.
Quod nunc es, fueram famoſus in orbe viator;
Et quod nunc Ego ſum, tuque futurus eris.
Delicias Mundi caſſo ſectabar amore,
Nunc cinis & puluis, vermibus atque cibus.
Quapropter potius animam curare memento,
Quàm carnem, quoniam hac perit, illa manet.
Cur tibi rura paras? quem paruo cernis in antro
Me tenet hic requies, ſic tua parua fiet.
Cur Tyrio corpus inhias veſtirier oſtro,
Quod mox eſuriens puluere vermis edet?
Vt flores pereunt vento veniente minaci,
Sic tua namque caro, gloria tota perit.
Tu mihi redde vicem, Lector rogo carminis huius,
Et dic da veniam, Chriſte, tuo famulo.
Obſecro nulla manus violet pia iura ſepulchri,
Perſonet Angelica donec ab arce tua.
Qui iaces in tumulo terra de puluere ſurge,
Magnus adeſt iudex millibus innumeris.
Alchvvin nomen erat, ſophiam mihi ſemper amanti,
Pro quo funde preces mente, legens titulum.

Hic requieſcit beatæ memoriæ Alchvvinus Abbas, qui obiit in pace 14. Kal. Iunias. Quando legeritis ô vos omnes, orate pro eo & dicite Requiem æternam donet ei Dominus. Extat aliud eius Epitaphium apud Brouuerum l. 1. Antiquitatum Fuldenſium c. 10. legiturque in capite eius Operum ab Andrea Ducheſnio in lucem editorum.

Inuentum eſt & aliud à me nuper in Archiuo ſeu Tabulario Collegii Regii Nauarrici, ſed incertæ ætatis: eſt autem huiuſmodi.

Prateriens ſi forte rogas, quicunque viator
Cuius Reliquias hac tegat effigies.
Hîc ſitus Alcuinus, doctrina & moribus ingens,
Præceptor quondam, Carole Magne, tuus.
Diſcipulus Bedæ; is quem primum Pariſienſe
Gymnaſium veteres inſtituiſſe ferunt.
Sit licet in cinerem iam corpus inane redactum:
Docta tamen nullo eſt mens peritura die.

Non eſt autem hîc neceſſe repetere, quod fusè probatum eſt in Hiſtoria, malè Alcuinum à maxima ſcriptorum turba inter Monachos numerari, cum certiſſimum ſit inter Seculares Clericos gradu Leuitam ſeu Diaconum obiiſſe. Cuius rei teſtes ſunt veteres Auctores, quorum plerique Monachi fuerunt, non Alcui-

num inter ſuos vſquam repoſuerunt, Eginhartus, Monachus Sangallenſis, Lupus Ferrarienſis, Odo Cluniacenſis, Sigebertus Gemblacenſis, & alii innumeri. Extat eius vita fusè deſcripta à Monacho quodam S. Remigii Remenſis paulo poſt eius obitum, & quæ ſcribit, ait ſe à Sigulpbo Magiſtro ſuo eiuſdem Alcuini diſcipulo accepiſſe. Nuſquam verò eum inter Monachos numerat, imo diſertè Leuitam ſeu Diaconum vocat, eumque miniſterio Leuitarum ſecum habentium Protomartyrem Stephanum & Laurentium Archidiaconum ad Chriſtum perductum fuiſſe.

Idem Auctor hæc eiuſdem Alcuini opera commemorat, *Poſtulante.* inquit, *Imperatore Karolo ſcripſit librum de S. Trinitate vtiliſſimum, nec non de Rhetorica, Dialectica & Muſica. Scripſit ad Gundradam de Anima ratione. Poſtulantibus fœminis Giſla & Richthrude honeſtiſſimè, ſuper Euangeliumcanones partim de ſuo, partim de S. Auguſtino mirabile Opus compoſuit. Scripſit & in 4. Epiſt. Pauli, ad Epheſios ſcilicet, ad Titum, ad Philemonem & ad Hebraos: ad Fredegiſum in Pſal. ad Vvidonem Comitem Homelias de principalibus vitiis & virtutibus. Ad Sigulphum ſuum Quaſtiones in Geneſim perutiles. In Prouerbiis Salomonis & Eccleſiaſte, in Canticiſque Canticorum luculenta ſub breuitate ineffabiliter. Sub nominibus Franci & Saxonis de Grammatica cum interogatione & reſponſione facundiſſimum libellum compoſuit. Collegit multis de Patrumoperibus Homeliarum duo volumina. Scripſit de Orthographia. In centeſimo quoque decimo octauo Pſalmo ſtylo vſus eſt aureo. Sicut in Epiſtolis ad multos directis.*

Aldricus ex Nobili genere Vaſtinenſium oriundus diſcipulus fuit Alcuini, ab eoque Monachalis diſciplinæ ſuſcepit inſignia, vt ſcribit author Anonymus in eius vita: deinde ordinatus ab Hieremia Archiepiſcopo Senonenſi Preſbyter: hinc in aulam vocatus, Magiſter fit Palatii, tum Ferrarienſis Abbas, poſtremo ad Senonenſes infulas Ludouici Pii fauore promouetur an. 830. de qua promotione ſcripſit ad Frotharium Tullenſem Epiſcopum virum eximium ſibique dilectiſſimum; cuius Epiſtola legitur inter Frotharianas 13. De eadem promotione ſic Lupus ad Vvenilonem Ep. 29. *Deceſſor veſter Beatæ memoria Aldricus præfati Cæſaris* (Ludouici) *iuſſu & mirabili bonorum anniſu Nobis cum eſſet Abbas, ablatus & Eccleſia Senonica pontifex factus ad nos immutabiliter propoſuerat regredi Epiſcopali curâ omiſſâ, quando hanc vitam, vt credimus, feliciore mutauit.* In eadem Epiſtola notat Lupus exemplum memorabile Sigulfi quondam etiam Magiſtri Aldrici, qui cum vſque ad ſenium Abbas fuiſſet ſecularis, ſponte Monachicum habitum ſub Aldrico Abbate ſumpſit *Certè*, inquit, *Ferrarienſis Monaſterii, cui indignus deſeruio quondam nobis Abbas & Presbyter Sigulfus, qui vſque ad ſenium Canonico habitu laudabiliter vixerat, ſponte ſe poteſtate exuit, & noſtram hoc eſt Monachicam Religionem aſſumpſit, atque donec diem obiret, ſuo paſſus eſt ſubiici Diſcipulo, quem ipſius voluntate ac fratrum conſenſu Imperator Ludouicus memorato loco Abbatem præfecerat.* Fuit autem Aldricus & litterarum amantiſſimus, & ab eo Lupus magnis impenſis miſſus eſt ad ſcholas Grammaticorum. Quà de re ſic ille Ep. ad Eginhartum. *Mihi ſatis apparet propter ſe ipſam appetenda ſapientia. Cui indagandæ à S. Metropolitano Epiſcopo Aldrico delegatus Doctorem Grammatica ſortitus ſum. Præceptaque ab eo Artis accepi: quoniam à Grammatica ad Rhetoricam, & deinceps ordine ad cateras liberales diſciplinas tranſire, hoc tempore fabula tantum eſt.* Poſtea ad Rabanum miſſus vt ſub eo Diuinarum Scripturarum intelligentiam perciperet. *Nam à Præfato Epiſcopo ad Venerabilem Rabanum directus ſum, vti ab eo ingreſſum caperem diuinarum Scripturarum.* Hinc eſt quod eum Epiſtola 41. Nutritorem ſuum appellat. Obiit autem Aldricus Ferrariis VI. Id. Octob. an. 840.

Aldricus Cenomanenſis Epiſcopus ex primicerio Metenſi à Landrano Archiepiſcopo conſecratus 11. Kal. Ian. an. 832. ſatagente Ludouico Pio, An. 836. Synodi Aquiſgranenſis nomine legatur cum Ercanrado Pariſienſi Epiſcopo ad Pipinum Aquitaniæ Regem. Idem Epiſtolæ ad Nomenoium Britanniæ Minoris Principem miſſæ cum aliis Epiſcopis ſubſcripſit. Synodo Sueſſionenſi ſub Caluo habitæ an. 853 contra Ebonem olim Remorum Archiepiſcopum intereſſe non potuit, quia paralyſi diſſolutus in lecto detinebatur: itaque ad Synodum direxit Epiſtolam abſentiæ ſuæ cauſas inſinuans. Synodus verò eâ acceptâ iniunxit Amalrico Metropolitano, vt ad Aldricum ſe conferret, quæque illi Eccleſiæ neceſſaria eſſe viderentur, exequeretur. Sic enim habetur in Can. 4. huius Synodi.

nodi. Præterea *Cenomanicæ vrbis Aldricus Epiſc. paralyſi diſſolutus Epiſtolam direxit, cauſam ſua abſentia inſinuans, petenſque vt maximè ſibi adhuc viuenti & quandocunque defuncto ſacris precibus opitularentur. Quod exuberantes caritate ſe facturos promiſerunt, & Metropolitano illius, Turonica vrbis venerabili Epiſcopo Amalrico, vt ad eandem vrbem accederet, iniunxerunt, & quacunque eſſent eidem Eccleſiæ proficua, vt ſtrenuè exequeretur, vnanimiter praceperunt.* Obiit 7. Ian. ſepultuſque eſt in æde S. Vincentii ſecus Francones Epiſcopos deceſſores ſuos.

Alfredus cognomento Magnus, natiooe Anglus, Ethelulfi Regis ex quatuor filiis vltimus, & poſt ipſum Angliæ Rex, à natura ad bonas omnes artes capeſſendas formatus, inter noſtros Academicos numerari dignus, non quod Lutetiæ ſtuduerit, ſed quia e noſtris Magiſtris Palatinis duos, Grimbaldum & Ioannem Erigenam in præceptores ſuos & in Academiæ Oxonienſis inſtitutores euocauit & aſſumſit: quâ de re pluribus egimus in Chrooologia. Hic verò de Alfredi moribus, diſciplinis & inſtitutis agendum. *Iam duodennis*, inquit Malmeſburienſis, *omnis litteratura expers fuit: Tunc verò Ludo benignæ matris inuitatus, vt pro munere libellum quem in manibus tenebat, acciperet, ſi cito addiſceret, ioco litteras ingreſſus auiditate ſiticuloſâ combibit.* Denique plurimam partem Bibliothecæ Romanæ Anglorum auribus dedit, opimam prædam peregrinarum mercium Ciuium vſibus conuectans: cuius præcipui ſunt libri Oroſius, Paſtorale Gregorii, Geſta Anglorum Bedæ, Boetius de conſolatione Philoſophiæ, liber proprius quem patria lingua Huodboc, id eſt Maoualem librum appellauit. Quin & Prouincialibus graodem amorem ſtudiorum infudit, hos præmiis, illos iniuriis hortando: neminem illitteratum ad quamlibet Curiæ digoitatem aſpirare permittens, pſalterium transferre aggreſſus vix primâ parte explicatâ viuendi finem fecit. In prologo Paſtoralis dicit ſe idcirco ad interpretandos Aogliæ libros animatum, quod Eccleſiæ in quibus numeroſæ a priſco Bibliothecæ continebantur, cum libris à Danis incenſæ ſint. Propterea in tota Inſula ſtudium litterarum abolitum: quod quiſque magis vereretur capitis periculum, quàm ſequeretur librorum exercitium. Quapropter ſe io hoc Anglis ſuis conſulere, vt nunc prolibarent tumultuatiè, quod poſtea ſi forte pax rediret, latino ediſcerent ſermone. Ad omnes principales ſedes librum hunc ſuo iuſſu conſcriptum ſe velle tranſmittere cum pugillari aureo, in quo eſſet marca auri: nihil in iſta vel aliis interpretationibus ex ſuo dicere, ſed omnia à ſpectabilibus viris Pleigmundo Archiepiſcopo Cantuarienſi, Aſſerione Epiſcopo, Grimbaldo & Ioanne Preſbyteris hauſiſſe. Poſtremo vt omnem vitam eius breuiter elucidem, 24. horas quæ inter diem & noctem iugiter rotantur, ita diuidebat, vt octo horas in ſcribendo & legendo & orando, octo in cura corporis, octo in expediendo Regni negotio tranſigeret. Erat in Capella ſua candela 24. partium, Ædituuſque cui hæc delegabatur prouincia, vt per combuſtionem candelæ Regem de ſingulis admoneret Officiis. Dimidiam portionem omnium cenſuum iuſtè duntaxat acquiſitorum Monaſteriis delegauit: cunctos præterea reditus in æquas duas partes diuidebat. Ruſuſque primam in tres: quarum primam Miniſtris ſuis Curialibus: ſecundam Operatoribus, quos iugiter in nouarum ædium extructionibus mirabili & ignoto Anglis modo habebat; tertiam aduenis. 2. pars redituum ita diuidebatur, vt prima portio daretur *Pauperibus*; 2. *Monaſteriis* 3. *Scholaſticis* 4. tranſmarinis *Eccleſiis*.

· Addamus & teſtimonium Florentii wigornenſis Monachi, Malmeſburienſi antiquioris, (obiit enim an. 1118. & Malmeſburienſis an 1148.) Ille autem diſertè quàm liberalis eſſet Alfredus ſtudioſorum Mecenas, quàm litteris deditus, quamque impenſè eos amaret qui eas profiterentur, aut ſe illis darent, in hiſtoſtoria deſcribit. *Secundam autem partem*, inquit, *omnium diuitiarum earum, quæ annualiter ad eum ex omni cenſu perueniebant, in 4. æquas partes curioſè ſuos Miniſtros diuidere imperauit, ea conditione vt prima pars pauperibus vniuſcuiuſque Gentis, qui ad eum veniebant, diſcretiſſimè erogaretur. 2. duobus Monaſteriis, quæ ipſe fieri imperauerat, & in his Deo ſeruientibus: 3. Scholæ, quam ex Gentis ſuæ Nobilibus & etiam pueris ignobilibus ſtudioſiſſimè congregauerat. 4. Circumfinitimis in omni Saxonia & Mercia Monaſteriis.* Et alibi.

Cum reperiſſet Iudices imperitos, eorum imperitiam his verbis redarguit: Ni-

" mium admitor hinc veſtram inſolentiam, eo quod Dei dono & meo ſapien-
" tum miniſterium & Gradum vſurpaſtis, ſapientiæ autem ſtudium operamque
" neglexiſtis. Quapropter terrenatum rerum Miniſteria, quæ habetis, illico di-
" mittatis, aut Sapientiæ ſtudiis multò deuotius, quàm hactenus mundo inſiſte-
" re ſtudeatis. Quibus verbis auditis perterriti, ac veluti pro maximâ vindicta
" correcti Com ites ac Præpoſiti ad æquitatis diſcendæ ſtudium totis viribus ſe
" vertere nitebantur: adeo vt mirum in modum Illiterati ab Infantia Comites
" pene omnes Præpoſiti ac Miniſtri litteratoriæ arti ſtuderent, malentes inſuetam
" diſciplinam laborioſè diſcere, quàm Poteſtatum Miniſteria dimittere. Verum
" ſi aliquis liberalibus ſtudiis aut præ ſenio, aut prænimia inuſitati ingenii tar-
" ditate proficere non valebat, ſuum, ſi haberet, filium, aut etiam aliquem pro-
" pinquum ſuum, vel etiam ſi aliter non haberet, ſuum proprium hominem libe-
" rum vel ſeruum, quem ad lectionem longè ante promouerat: libros ante ſe die-
" noctuque quandocunque vllam haberet licentiam, Saxonicos imperabat lecti-
" tare. Ipſi vero ſenes nimium ſuſpirantes intimâ mente dolebant, eo quod in
" Iuuentute ſua talibus ſtudiis non ſtuduerant, felices arbitrantes huius temporis
" Iuuenes, qui liberalibus Artibus feliciter erudiri poterant: ſe verò infelices
" exiſtimantes, qui nec has in Iuuentute didicerant, nec etiam in ſenectute,
" quamuis inhianter deſiderarent, diſcere poterant.

Mirum quoque eſt quod de iſto Principe idem Author refert, inter bella & præſentis vitæ frequentia impedimenta, necnon Paganorum infeſtationes & quotidianas corporis infirmitates (nam à vigeſimo ætatis anno vſque ad quadrageſimum quintum & amplius die noctuque incognito Medicis morbo laborauit) Regni gubernacula regere, omnem venandi artem exercere, aurifices & artifices ſuos omnes, falconarios, accipitrarios, conieulariosque docere, ædificia ſupra omnem Anteceſſorum ſuorum conſuetudinem venerabilia & pretioſiora noua ſua machinatione facere, Saxonicos libros recitare & maxime Saxonicæ Carmina memoriter diſcere, aliis imperare ſolum aſſiduè pro viribus nunquam deſiiſſe. *Miſſam quotidie audire, pſalmos quoſdam & Orationes, Horas diurnas & nocturnas celebrare, Eccleſias nocturno tempore orandi cauſa clam ſuis adire ſolebat & frequentabat, Eleemoſynarum dator largiſſimus, omnium affabiliſſimus & iocundiſſimus, ignotarum rerum inueſtigator ſolertiſſimus. Franci autem multi, Friſones, Galli, Pagani, Britones, Scoti & Aremorici ſponte ſuâ ſe Dominio ſubdiderant, Nobiles ſcilicet & ignobiles, quos omnes ſicut propriam Gentem ſecundum ſuam Dignitatem regebat, diligebat, honorabat, pecuniâ & poteſtate ditabat.* Eos procul dubio, qui poſtquam in Academia Oxonienſi ſtuduerant, ingeniјque vim exhibuerant, in Anglia remanere cupiebant.

Inter hunc autem Regem & Fulconem Remenſem Archiepiſcopum, qui in Regni Francici regimine poſt Regem primas partes tenebat, magna interceſſit neceſſitudo commerciumque litterarum. Nam imprimis Alfredus ab eo duos inſignes viros Grimbaldum & Ioannem Erigenam ad Academiæ ſuæ inſtitutionem, vt in Chronologia noſtra retulimus, obtinuit. Deinde ex Flodoardo patet, quàm frequens haberent inter ſe commercium litterarum, ſiquidem lib. 4. c. 5. Fulconis ad eum, quem ibi vocat *Albradum* litteras commemorat, quibus ill gratias agebat ob promotum ad Cantuarienſem ſedem Pleigmundum, quem i Flodoardus Pleonicum vocat) vnum e primariis Oxonienſis Academiæ Inſtitutoribus. *Albrado* Regi tranſmarino admirabiles litteras mittens grates refert (Ful-
" co) quia tam bonum virum & deuotum Eccleſiaſticiſque regulis congruentem
" deſtinauerit Epiſcopum in Ciuitate Cantaburg nomine. Audierat enim quod
" peruerſiſſimam Sectam Paganicis erroribus exortam, & in illa Gente tunc vſ-
" que relictam verbi mucrone ſatageret amputare. Quæ ſecta ſuggerere videba-
" tur Epiſcopis & Preſbyteris ſubintroductas habere mulieres, ad propinquas
" quoque generis ſui quiſque vellet accedere, inſuper & ſacratas Deo fœminas
" inceſtare *& vxorem habentes, concubinam ſimul habere*. Item Pleigmundo ob allam
" promotionem aliis litteris congratulatus eſt Fulco, vt idem Flodoardus refert.
" *Pleonico Archiepiſcopo* Tranſmarino congratulans bonis eius ſtudiis, quibus eum
" laborare comperérat pro abſcindendis & extirpandis inceſtuoſis luxuriæ fomen-
" tis, ſupra in his litteris quas Albrado Regi ſcripſerat commemoratis, quæ in ea

Gente videbantur inoleuiſſe, ſacris eum inſtruens & armans authoritatibus Cenſuræ Canonicæ, particeps nimirum piis ipſius laboribus cupiens exiſtere.

Porro multa ipſe Alfredus edidit ingenij ſui monimenta, quæ priuſquam ederet, per Academicos ſuos emendari & approbari curabat. Imprimis verò ex omnibus Legibus Anglicanis flores in vnum volumen collegit, vocauitque *Breuiarium Legum*. Item Legum Occidentalium Saxonum lib. 1. quâ in re Carolum M. Ludouicum Pium & Carolum Caluum imitatus eſt, qui Capitularia Legum Francicarum condiderant. Item Inſtitut. l. 1. Contra Iudices iniquos lib. 1. Collectiones Chronicorum lib. 1. Regum varias fortunas lib. 1. Ex dictis ſapientum lib. 1. Parabolas & Sales l. 1. Acta Magiſtratuum ſuorum l. 1. Multa quoque e Latina lingua in vernaculam Anglicanam vertit. Dialogos Gregorij Papæ, Paſtorale eiuſdem Gregorij, Boëtium de Conſolat. Aſſerij ſententias. Hiſtoriam Bedæ lib. 5. MS. in Bibliotheca Cantabrigienſi cum hoc diſticho.

Hiſtoricus quondam fecit me Beda Latinum
Alfred. Rex Saxo tranſtulit ille pius.

Obiit autem Alfredus an. 900. 15. Kal. Nouemb. & ſepultus eſt Wintoniæ.

Altuinus Senonenſis Monachus Lupi Ferrarienſis videtur fuiſſe diſcipulus, cæterum vir clarus & ſciendi cupidus, vt ex Epiſtolis Lupi ad ipſum colligitur: præſertim ex 34. in qua reſpondet quibuſdam quæſtionibus ab Altuino de re Grammatica & quorundam verſuum Virgilianorum intelligentia propoſitis. Initium autem Epiſtolæ hoc facit. *Si tantâ facilitate diſcuti poſſent à quoquam, quantâ mouentur Quæſtiones, olim ad conſummatam ſtudioſi quique ſapientiam euaſiſſent. Nunc litterarum ſtudijs pene obſoletis, quotus quiſque inueniri poſſit, qui de Magiſtrorum imperitia, librorum penuria, otij denique inopia meritò non queratur? Quo minus indignari mihi debes, ſi per exiguum otij, quod mihi vix obtingit, tam indagandis quæ neſciam, quàm ventilandis quæ iam conſecutus ſum, indicem expendendam.* Nec, vt opinor, erro, ſi quibus Diuino fauore viam intelligentiæ & aperui & planiorem feci, quam præceſſerit ſequendi neceſſitatem indicam: hoc eſt lectione Magiſtra vel vtens vel vſus, ſi auditoribus meis, aut præſentibus idipſum ſermone, aut abſentibus obſtinato imponam ſilentio.

Amalarius vel Hamularius Fortunatus, Natione Teutonicus ex Monacho Luxouienſi factus à Carolo M. Archiepiſcopus Treuerenſis, Alcuini olim Diſcipulus, inter omnes ætatis ſuæ Antiſtites doctrinâ conſpicuus an. 813. miſſus eſt ab Imperatore Conſtantinopolim cum Petro Abbate Monaſterii Nonantulæ Ordinis Bened. ad confirmandam cum Michaele Orientis Imperatore pacem. Obiit an. 814. aut ſaltem ante an. 817. quo Hetho ſeu Hethi Treueris ſedebat. Quia autem Amalarius variis legationibus impeditus Archiepiſcopali munere defungi non poterat, conſortes ſibi oneris adlegit Adalmatum & Herilandum, nec non Theganum virum inſignem, ex nobili Francorum genere procreatum, cumq; Chorepiſcôpum fecit, qui teſte Brouuero lib. 8. annal. *flagrantis ſapientiæ ſtudio acres ad virtutem ſtimulos per hoc tempus huic Eccleſiæ ſubiecit, & præclara vtique eruditionis ſuæ decora Treuirenſi populo pro concione impertiit.*

Amalarius Metenſis Eccleſiæ Diaconus (Treuirenſi ſuppar, quem aliqui malè cum eo confundunt) deinde ipſius Eccleſiæ Metenſis Epiſcopus teſte Honorio Auguſtodunenſi, quanquam inter Epiſcopos non reperitur, an. 816. in Concilio Aquiſgranenſi Regulam Canonicorum ſcripſit. A Ludouico Pio miſſus Romam an. 831. ad Gregorium IV. antequam ſcriberet Antiphonarium, vt inquireret, ac examinaret Antiphonarios Eccleſ. Rom. quia iam tum Magiſtri qui à Romanis edocti fuerant; à perfecta cantandi ratione deſciuerant. qua de re ille c. 68. *Interrogaui Magiſtros Romanæ Eccleſiæ ſi eas* (id. Antiphonas) *canerent, reſponderunt nequaquam. Noſtri tamen Magiſtri dicunt ſe eas ab eis percepiſſe per primos Magiſtros quos melodiam cantus Romani docuerant infra terminos Francorum.* Idem c. 58. lib. de Ordine Antiphonarii, ſe Alcuini Diſcipulum fuiſſe memorat, vbi agens de Reſponſoriis Pſalmorum, *Audiui*, inquit, *illos canere in iſto ordine, quando videbar puer eſſe ante Albinum doctiſſimum totius Regionis noſtræ: cuius authoritate*

Digitized by Google

delectatus & fretus poſtquam libertate vſus ſum cauendi quæ congrua mihi videbantur &c. Tunc ſcilicet liberales artes cum cantandi methodo docebantur, vt hodie quoque fieri ſolet ruri.

An verò hic ſit Amalarius, an alius, qui cum Ioanne Scoto in errorem de prædeſtinatione lapſus eſt, & aduerſus quem ſcripſit Eccleſia Lugdunenſis, compertum non habeo. Crediderim tamen alium eſſe à Metenſi: quippe Metenſis non legitur vixiſſe vltra an. 836. at Amalarius Scholaſticus cum Ioanne Erigena ſub Caluo circa an. 855. contra Gotheſcalcum de prædeſtinatione ſcripſit. Andreas Du-Vallius in Notis ad lib. de 3. Epiſtolis Eccleſiæ Lugdun. ſuſpicatur Amalarium illum fuiſſe Trecenſem Epiſcopum, ſed eum in Catalogo Trecenſium Epiſcopor. non reperio, neque M. Florum, qui aduerſus eum ſcripſit, vt pote de Euchariſtię myſterio malè ſentientem. Nam in pſalm. 80. ſic ſcribit. *Vis comedere ipſum Dominum Deum tuum? audi quid dicat, dilata os tuum & implebo illud. Dilatate ora veſtra, ipſe eſt Dominus & panis, ipſe hortatur Nos vt comedamus: at ipſe noſter eſt cibus, quantum dilatateris, tantum accipies.*

Angelrannus Picardus patriâ Pontiuenſis prope Centulam, ſeu S. Richarium, parentibus non adeo ſublimibus, ſed Deum religioſè timentibus ortus, tam intimè inſitum habuit à natura ſciendi deſiderium, vt quemadmodum legitur in eius vita lib. 4. Chronici Centulenſis c. 1. *Literarum non poſſet ſcientia ſatiari.* Adoleſcens factus, quò facilius voto ſatisfaceret & ſciendi deſiderio, Centulę nomen dedit inter Monachos Ingelardo tum Abbate circa an. 990. poſtea impetratâ ab eo licentiâ longè poſitas ſcholas, præſertim verò Carnotenſem luſtrauit, ibique Fulbertum, tunc magni nominis magiſtrum audiuit: qua de re ſic habetur loco citato. *Enimuero, quia vt ſupradictum eſt, in diſcendo multum gliſcebat, recepta à patre loci nomine Ingelardo non minima reuerentiâ digno licentia longè ſepoſita ſcrutatus eſt Scholarum Magiſteria more ſcilicet prudentiſſimæ apis, quæ circuit diuerſorum florum arbuſta, vt mellis dulcore ſua repleat receptacula. Denique multorum experientia probatum & liberalibus ſtudiis ornatiſſimum Ciuitatis Carnotenæ venerabilem Epiſcopum ac cum multo honore vocitandum Fulbertum Præceptorem adeptus eſt atque didaſcalum. Hic ei monitor, hic tam morum quàm litterarum fuit inſtitutor. Gaudebat venerabilis Præſul de tanti diſcipuli ſolatio, releuabatur tam idonei auditoris induſtria atq; ingenio, Tandè igitur Grammatica, Muſica, atq; Dialectica optimè inſtructum Centulam remittit tironem amiciſſimum iam tunc Sacerdotio ornatum, quem velut grandem theſaurum recipit pia congregatio Centulenſium. Hinc iam quod ingenti ſtudio fuerat quæſitum, profertur magnæ ſcientiæ præcipuum margaritum, reparantur libri, conſcribuntur nedum conſcripti, educantur pueri, diſpertiuntur quamplurimi ſapientiæ theſauri.*

Innotuit clarus iſte vir Roberto Regi atque ita innotuit, vt quærenti viros doctos quos ſecum Romam ducere poſſet, vnus ex omnibus indicatus ſit Angelrannus, qui tum, vt credibile eſt in Franciæ Scholis, id. Pariſienſibus verſabatur: idque videtur ſignificari c. 2. his verbis. *Eo tempore Rex Robertus prudentiæ lumine clarus Regni Francorum poſt patrem Hugonem illuſtratur faſcibus. Cui nutu diuino vt credimus ſæpe dictus vir tali modo refertur notificatus. Cũ enim adhuc in* FRANCIÆ *partibus detineretur Diſciplinis Scholaribus, ſupradictus Rex ire Romam bonæ voluntatis deuotione eſt coactus. Dumque iuſſu eius diuerſis in locis quærerentur diuini ſeruitij plenè imbuti Officijs, ab omnibus prædicatus eſt efficax in hac re Angelrannus venerabilis.* Ita ſcribit Ariulfus Monachus Centulenſis, qui Chronicon ſuum abſoluit an. 1088.

Angilbertus nominis & generis nobilitate conſpicuus, cuius aui & proaui Francorum Regibus ſemper familiares habiti ſunt, inquit Hariulfus Monachus Centulenſis, & aut in Dignitatibus primi aut dignitatum affines & propinqui, Petrum Piſanum in Grãmaticis & Alcuinum in aliis Artibus ſimul cum Carolo M. audiuit, Principemque ſuum æmulatus ad liberalium artium culmen attigit: quamobrem aiente Hariulfo, *tractabat Carolus illum ſublimare in arcem alicuius Metropolitanæ Ciuitatis, vt pote quem vbertim commendabat & generis claritas & magna ſcientiæ diffuſa peritia.* Adeo verò Principi ſuo fuit charus, vt illi Bertham filiam Coniugem dederit: ex quâ Nithardum ſuſcepit: at eâ poſtea dimiſsâ & intra Cœnobium Centulenſe Deo vacandi gratiâ collocatâ, ipſe poſt recuperatam valetudinem, quia ita Deo vouerat, apud idem cœnobium (quod

Digitized by Google

S. Richatii dicitut in Regione Pontiuienſi Diœceſis Ambianenſis) Monachus factus ſub Symphoriano Abbate,eo demum mortuo ſubrogatus eſt Abbas.Omnibus Palatinis honoribus defunctus eſt. Primicerius quoque fuit Palatii Pipini Regis Italiæ filij Catoli M. non Catoli Martelli, vt malè ſctibunt Sammatthani fratres: vix enim Alcuinus Pipinum Caroli M. patrem vidit; certè eo regnante in Gallia non reſedit; ſed à Catolo M. euocatus, poſtea & ipſum & filios eius, alioſque plurimos nobiles bonis litteris informauit: ad Angilbertum autem Primicerium Palatij Pipini Regis ſetibit Ep. 42. togatque vt Poſtitotem littetarum ſuatum Romam proficiſcentem ſupet petegrinationis cauſâ Pipino Regi commendet. Magna inter eum & Alcuinum inteteeſſit neceſſitudo, vt pluribus in locis Epiſtolarum Alcuini legitur; cum enim modò fratrem, modò filium, modò Homerum ſuum vocitat. Pet eum iam Abbatem factum an. 792. Felix Vrgelitanus deductus eſt ad Adrianum Papam, vt hæteſim eiutatet: quò tendunt hæc Alcuini verba in Ep. 28. *Quia electiſſimus Domni mei Regis miſſus, filius equidem meus cariſſimus Angilbertus ad beatiſſimam ſumma authoritatis veſtra dirigitur paternitatem, non eſſe neceſſe putaui litteris exarare, quod ille vir fidelis & prudens melius viuâ voce ſecundum mandatum Domini Regis auribus excellentia veſtra poterit intimare.* De eodem Angilberto ſic Adrianus ad Catolum. *Directus nobis eſt à veſtrâ pracelsâ Regali potentiâ fidelis familiaris veſter Angilbertus Abbas & Miniſter Capella, qui pene ab ipſis infantia rudimentis in Palatio veſtro nutritus eſt, & in omnibus Conſiliis veſtris receptus eſt.* Ad eundem Papam multas ille legationes obiuit: item ad Leonem eius ſucceſſotem nomine Caroli Regis miſſus Regalia muneta detulit an. 796. vt habet Poeta Saxonicus.

Miſſus ad hoc Angilbertus, qui corpore ſancti
Richary clarè decoratam rexerat Abbas
Eccleſiam, pariter Regalia detulit illuc
Deuotè ſancto miſitque munera Petro.

Sœpe quetitut Alcuinus quod toties & tandiu abeſſet, nec cariſſimâ eius conuerſatione ftui liceret. Ep. 92. rogat eum, vt cum à legatione ſuâ teuertetur, ſibi noui aliquid afferat. *Nam*, inquit *ſi nihil attuleris, ibis Homere foras*, eum quippe Homerum Antonomaſticè vocabat, quia Doctorum & Poetatum ſui tempotis princeps erat. *Nos ambos, vt recognoſco, quadam neceſſitatis catena conſtringit & libero curſu voluntatis caſtra intrare non permittit, nec eſt qui compedes rumpere valeat, niſi qui inferni ferrea clauſtra contriuit, qui eſt via, veritas, & vita.* & in fine,

Proſpera cuncta precor, faciat tibi Chriſtus, Homere,
Qui te conſeruet ſemper vbique, vale.

Et Ep. 93. ad Flauium Riculfum cognomine Damœtam è Diſcipulis quoque vnum, ſic queritut. *Ego pene quaſi orbatus filijs remaneo domi. Damœtas Saxoniam, Homerus Italiam, Candidus Britanniam receſſit.* Obiit tandem Angilbertus 5. Kal. Feb. an. 814. corpuſque ſepeliri voluit ante portam S. Saluatoris & S. Richarij: at anno poſt eius deceſſum 28. à Ribbodone Abbate intra Eccleſiam tranſlatum eſt. Ipſe autem in faſtigio turris eiuſdem Eccleſiæ hos verſus à ſe factos inſculpi iuſſerat, vt teſtatur Hariulfus Monachus S. Richatii Centullenſis lib. 2. de rebus geſtis Eccleſiæ Centullenſis.

Omnipotens Dominus, qui celſa vel ima gubernas,
Maieſtate potens ſemper vbique Deus.
Reſpice de ſolio ſanctorum Gloria ſummo,
Auxiliumque tuis, Rex bone, da famulis.
Principibus pacem, ſubiectis adde ſalutem,
Hoſtis pelle minas, & fera bella preme.
Hac quoque quæ ſtatui fulgentia Culmina Templi,
Angilbertus ego, ſint tibi culta Deo.
Auguſto & Carolo, cuius virtute peregi,

Concede Imperij gaudia magna ſui.
Quiſquis & hic ſummas precibus pulſauerit aures,
Effectum tribuas ſemper habere Deus.

Anſegiſus Natione Gallus, in Palatinis quoque Scholis inſtitutus, in quibus ingenium exeruit, ex Preſbytero Remenſis Diœceſeos & Abbate S. Michaelis in Senonenſem Archiepiſcopum poſt Egilis mortem electus an. 871. Carolum Caluum vnxit in Regem, eique gratiſſimus & cariſſimus fuit, vt pote qui in Diuinis ſcripturis nobiliter doctus, & ſermone ingenioque clarus habebatur: eiuſque conſiliis creditur Carolus, vndequaque viros Doctos magnis præmiis euocaſſe ad docendum. Poſt mortem Ludouici Romanorum Imperatoris miſſus à Caluo Romam, vt cum Ioanne Papa de ſucceſſore ageret, tam cautè tamque diligenter & induſtriè legationem obiit, vt Regi ſuo Imperiales infulas obtinuerit. Quæ res tam grata fuit & Ioanni & Carolo, vt in gratiam tanti beneficii Galliarum & Germaniæ Primatia illi fuerit conceſſa, vt ſcribit Odorannus Monachus S. Petri Viui Senonenſis in Chronico, vbi de Capitulis agit in Pontigonenſi Synodo factis, quorum ſecundum hoc fuit. *ſicut Domnus Ioannes Papa ſanxit, commonente & conſentiente ac condecernente Domno glorioſiſſimo Carolo Imperatore ſemper Auguſto Anſegiſum venerabilem Epiſcopum Senonum ſuam vicem tenere & Primatum ei Gallia & Germania contulit, in euocandâ Synodo & definiendo Catholicè ſi qualibet inſurrexerint neceſſaria, & vt grauiora qualibet ad ipſius notitiam referat & Nos vnanimiter omni deuotione laudamus, & vt ita ipſe Primatum teneat Gallia & Germania decernimus & ſancimus, cunctique ſucceſſores eius in propria vrbe.* Obiit autem Anſegiſus an. 883. die 23. Nouemb. ſepultuſque eſt in Monaſterio S. Petri Senon. cum hoc Epitaphio.

Antiſtes Senonum, reuerentia magna Potentum
Anſegiſus in hoc conditus eſt tumulo.
Vt Primas fieret Gallorum, Papa Ioannes
Inſtituit, meritis hoc tribuendo ſuis.
Carli Romana cinxit caput iſte corona,
Et dedit in cunctos Imperium populos.
Gregorij Papæ ſecum caput abſtulit, inde
Hic locus oſſa fouet, ſpiritus aſtra tenet.

Tranſtulit ille multa Sanctorum corpora in Monaſterium S. Petri, de quibus Odorannus ad an. 883. & poſt eum Monachus Antiſſiodorenſis in Chronico, vbi de Anſegiſo fuſè agit. Hic Iudæos & Moniales certis de cauſis ex vrbe Senonum expulit; & ne vltra in ea ſedem ponerent, *ſub anathematis iugulo interdixit*, vt in eodem Chronico Odoranni legitur.

Fuit alius Anſegiſus paulo antiquior Anaſtaſij & Himilradæ filius cœnobij Luxouienſis Abbas, item Fontanellenſis an. 823. qui ſub Carolo M. & Ludouico Pio floruit; *vir omni ſcientia Diuina ſcilicet atque humana Philoſophiæ ſufficienter inſtructus*, vt dicitur in Chronico Fontanell. c. 16. Is eſt qui Capitularia Caroli M. & Ludouici collegit, & in 4. libros digeſſit an. 827. vt notarunt Valerius Andreas in Bibliotheca Belgica, Petrus Pithæus in præfat. Capitulariorum, Antonius Auguſtinus lib. 2. de Emendatione Gratiani dial. 10. & alij. Liberaliſſimus vir fuit, Bibliothecam ingentem comparauit, & cœnobio Fontanellenſi dedit copioſiſſimam. Item aliam Flauiacenſi, cuius pariter Rector fuerat. Eleemoſynarum quoque largitor benigniſſimus: quarum in Chronico Fontanell. numerus texitur, & inter cæteras, harum fit mentio. *Ad S. Genoueſam Pariſius libras duas, ad S. Germanum Pariſius libras tres: in eadem vrbe illis Canonicis librã vnam, ad S. Dionyſium libras quinque.* Haſce autem virtutes illi tribuit Chronicon prædictum. Erat Eleemoſynarius valde, pauperumque refector, profluus ditator ac defenſor Eccleſiarum, Clericorum nutritor, Monachorum veriſſimus pater, peregrinorum lætiſſimus ſuſceptor, viduarum ac pupillorum maximus adiutor.

Anſelmus vulgo dictus *Cantuarienſis* genere fuit Longobardus, Auguſtæ Ciuitatis indigena, patre Gundulfo, matre Hermerberga natus. *Litteras edoctus*,

à puero bonos imbibi mores cum literis, vt ait Radulfus de Diceto in ſuis Chronicorum abbreuiationibus. *Adoleſcentioris ætatis* laxiores habenas intra puræ conſcientiæ ſecreta reflectens, in hoc ſtuduit firmare propoſitum, vt ab honeſto non reflecteret animum, in humilitate ſimul & ſcientia litterarum coquos vndequaque tranſcendens Alpium iuga tranſcendit inuigilans per triennium liberalibus diſciplinis in Galliâ, tranſiens in Normaniam adhæſit Lanfranco Priori Beccenſi Scholas Publicas Abbatis Herlwini permiſſu vel iuſſu regenti tunc temporis. Hæc Radulphus. Similiter Geruaſius in lib. de Actibus Pontificum Cantuarienſium. *Exactis tribus annis in Francia vel Burgundia Lanfrancum adijt in Normania, ad quem audiendum de diuerſis mundi partibus confluebant quicunque ſapientiæ vel eloquentiæ profectum appetebant.* Aliquanto poſt Monachalem ipſe ſuſcepit habitum, an. ætatis 27. & aſſumpto Lanfranco Priore Beccenſi ad Abbatiam Cadomenſem, idem ei in Prioratu ſucceſſit. Herluuino vero Abbate defũcto vnanimi fratrũ cõſensu ſubſtituitur in ſucceſſorẽ. Poſtremò eiuis ſublato Lanfranco Anſelmus Cantuariam euocatur an. ætatis 60. conſecraturque pridie Non. Decemb. In iuribus autem Eccleſiæ tuendis dici non poteſt quàm fuerit ſtrenuus & conſtans. Vrbanum II. Romæ inuiſit ab eoque cum honore ſuſceptus eſt: cum eo deinde in Galliam profectus in Barenſi Concilio Græcorum à fide Catholica diſſidentium confutauit errorem. E Gallia Romam reuerſus Concilio interfuit, in quo Laïcos Inueſtituras Eccleſiarum mòre priſtino conferentes, inquit Radulphus, & eas accipientes à Laïcis & taliter poſt acceptum honorem munus conſecrationis impendere præſumentes à communione fidelium Synodalis authoritas decreuit extorres. Hinc ille à Concilio rediens dum exilium æquanimiter ſibi à Vvillielmo Rufo Anglorum Rege indictum ſubit, trienniũ Lugduni manet. Quo Rege defuncto ab Henrico ſucceſſore reuocatus eſt in Angliã, & contra ipſius voluntatẽ Decretum de Inueſtituris ſeruari cupiens rurſus cogitur cum Legatis Anglicanis ad Pontificem proficiſci Decreti reuocationem poſtulaturis. Quod cum incaſſum tentaſſent, Rex Anſelmo ſuccenſet vetatque regreſſum in Angliam. Itaque ille Lugduni, vbi prius, reſedit, *vbi quaſi in ſchola virtutum præſidens Magiſterio ſanctæ conuerſationis enituit*, inquit Radulphus. Denique Henricus eũ denuo in Angliã reuocauit, vbi in bona ſenectute coſenuit, & obiit 21. April. an. 1109. Extant plurima eius opera, quæ quia ab omnibus Doctis teruntur, recenſere hic ſuperſedeo.

Anſelmus Laudunenſis cognomento *Scholaſticus*, Canonicus fuit & Decanus Laudunenſis, non Epiſcopus, vt quidam malè ſcribunt. Is Lutetiæ primùm litteris operam dedit: poſtea ipſemet magnâ nominis famâ Philoſophiæ Profeſſionem exercuit: qua in diſciplina diſcipulum habuit inter alios Guillelmum Campellenſem. Deinde ſeceſſit Laudunum, vbi bonarum quoque Artium præſertim verò Theologiæ nobiliſſimum Emporium inſtituit; in eaque Profeſſione tam ſublimiter excelluit, vt ad famam doctrinæ ſatis eſſet eum audiuiſſe. De eo ſic Canonicus Quidam Laudunenſis, Scriptor illorum temporum. *Vir ſapientiſſimus M. Anſelmus tunc temporis Eccleſiæ noſtræ Canonicus & Decanus per totum pene orbem Latinum ſcientiæ & eloquentiæ ſuæ fama notiſſimus.* Et Guibertus l. 3 c. 4. *M. Anſelmus vir totius Franciæ, imò Latini Orbis lumen in liberalibus diſciplinis.* Ioannes à S. Victore eum vocat virum venerabilem, Magiſtrum nominatiſſimum, litterarum ſcientiã clarum. De eoque Papa Eugenius dixiſſe fertur, *quia Deus ſpiritum eius ſuſcitauerit, ne Scriptura periret: ad Pontificales Cathedras pluries vocatus nullatenus acquieuit.* Præclarè verò ſupra omnes de tanto viro ex veterum ſcriptis & authoritatibus Sixtus Senenſis. *Anſelmus Laudunenſis Gallus cognomento Scholaſticus in Diuinis ſcripturis & ſacrorum Doctorum voluminibus ingi ſtudio eruditus, & in omnibus Diſciplinis non mediocriter inſtructus, ingenio acutus, eloquio preſſus & laconica cuiuſdam breuitatis imitator, nouo & inuſitato explanationis modo vtriuſque Teſtamenti libros ex breuiſſimis quibuſdam Patrum annotatiunculis expoſuit, quas minutiſſimis characteribus deſcriptas inter ipſas ſcripturarum litteras maioribus litteris exaratas non minus curioſa quàm vtili induſtria artificioſiſſimè coaptauit; cumque laborem ad differentiam Gloſſæ Strabenſis quæ in marginibus ſacrorum codicum deſcribi ſolet,* Gloſſam interlinearem *appellauit.*

Ioannes Sareſberienſis Ep. 202. ad M. Richardum Epiſcopũ vocat Anſelmum

Doctorum Doctorem, aitque ſe ex ipſius Diſcipulis audiuiſſe ſolitum eum dicere, in vno ſe contriſtari quod in tota vita ſua nihil ſibi accidiſſet infauſti.

Inter alios Lectionum ſuarum auditores & Diſcipulos habuit M. Guillielmum Cantuarienſem Epiſcopum qui & ipſe Lauduni docuit; ibidemque in Theologicis Guillielmum Campellenſem; deinde Albericum Remenſem, Lotulfum Nouarienſem, Petrum Abaelardum circa an. 1112. qui quid de Magiſtro dicat & ſentiat, oſtendit in Ep. 1. Calamitatum ſuarum, noſque in Hiſtoria locum retulimus. Ad finem vſque vitę docuit, obiitque Lauduni an. 1117. cui in Eccleſia S. Vincentij ſepulto vnus ex diſcipulis hoc Epitaphium inſcripſit.

Dormit in hoc tumulo celeberrimus ille Magiſter
Anſelmus, cui per diffuſi Climata mundi
Vndique notitiam contraxit & vndique laudem.
Sana fides, doctrina frequens, reuerentia morum,
Splendida vita, manus diffundens, actio cauta,
Sermo placens, cenſura vigens, correctio dulcis,
Conſilium ſapiens, mens prouida, ſobria, clemens;
Sed quas larga Dei conceſſit gratia dotes,
Idibus inuiſis diſſoluit Iulius alter;
Quâ viuens viguit, comitetur gratia functum.

Eius temporibus exaratus eſt quidam Codex Ratherianorum operum, qui à Luca Ducherio editus eſt in lucem an. 1657. habeturque in 2. tomo Spicilegij. Fuit & alius Anſelmus Laudunenſis poſterior Abbas S. Vincentij, qui à ſummo Pontifice Eugenio conſecratus eſt Epiſcopus Tornacenſis an. 1146.

Arefaſtus ſeu Erfaſtus Nobilis Normanus auditâ ab aliquo Scholari Aurelianenſium Magiſtrorum hæreſi, ad eos profectus & edoceri velle ſimulans didicit quanta fæce ſchola illa putteſceret. Re tota patefacta Regi Roberto effecit, vt ex ſententia ſynodali Hæreſiarchæ conuicti flammis damnarentur, vt ad an. 1017. retulimus. Fuit & alius Arefaſtus Willielmi dicti Conquæſtoris Capellanus, qui aditâ Lanfranci Scholâ quam recens apud Beccum inſtituerat, in aliqua Diſputatione Philoſophica deriſus quaſi indoctus & ignarus litterarum apud Principem ſuum id molitus eſt, vt Lanfranco omni Scholæ profeſſione in Normania interdiceretur. Verum Willelmus rem, vt erat, edoctus, quantoſque fructus Schola illa Beccēſis allatura eſſet, liberum eiuſdem exercitium Lanfranco permiſit & reliquit. Porro Arefaſtus factus Epiſcopus Helmeamenſis ſedem tranſtulit Thedfordum, obiitque in Anglia Willielmo regnante.

Arnulfus genere clarus, fortunæ bonis locupletiſſimus, litterarum ornamentis clariſſimus & nobiliſſimus an. 970. factus eſt Epiſco. Aurelianenſis ex charta Abbatiæ S. Maximini, omnium certè procerum Gallicanorum ſui temporis eloquentiſſimus: vt ex multis ſynchronis Authoribus colligitur. De eo ſic Glaber Rodulfus l. 2. c. 5. *Erat tunc temporis prædictæ Ciuitatis* (Aurelianenſis) *Pontifex venerabilis Arnulfus, qui videlicet genere & doctrina ſapientiæ peruobilis ac paternorum fundorum reditibus locupletiſſimus.* Interfuit pſeudo-Synodo Remenſi an. 991. contra Arnulfum Archiepiſcopum, in qua Oratorem egit, eo quod omnium conſenſu cæteros Præſules eloquentia anteiret: vt legitur in Hiſtoria depoſitionis Arnulfi tom. 4. hiſtor. Gall. *Arnulfus autem Venerabilis Epiſcopus Ordinis cuſtos ac omnium gerendorum interpres declaratus eſt eo quod inter omnes Galliarum Epiſcopos ſapientia & eloquentia clarior haberetur.* Hic autem quamquam ſententia ſua damnaret Arnulfum, author tamen fuit, vt ſi qui eum defendere vellent, prodirent in medium ſententiamq; liberè dicerent. *Quamuis hæc ita ſe habeant, Reuerendiſſimi Patres, certumque ſit hunc Arnulfum omnium Patrum concordibus damnari ſententiis, tamen ne in inuidiam adducamur, admoueantur ſi qui ſunt ſtudioſi eius defenſionis habeantque locum contradicendi, ſuumque Arnulfum quomodolibet defenſandi. Sitque hoc noſtrum Edictum ſub diſciplina Eccleſiaſtica, ita vt nullus deinceps pateat excuſandi locus: excuſet nunc qui eum iuſtas putat habere cauſas. Hic Clerus ipſius adeſt. Hic Abbates ſcientia & eloquentia non ignobiles erigant iacentem, attollant humiliatum; & ſi iniuſtè deiectum exiſtimant, qua Iuſtitia reformari debeat, edoceant. Non*

enim

enim in ruina fratris & conſacerdotis noſtri lætari nobis fas eſt : nec quiſquam in iniuriam ſui ducet, ſi ea quæ contra Arnulfum dicta vel facta ſunt, veracibus cognouerit refelli aſſertionibus.

Inter eum & Gerbertum Aquitanum Remenſis Scholæ præfectum magna intercedebat neceſſitudo, adeo vt eſſent ambo veluti cor vnum & anima vna, quos ita nempe iunxerat amor litterarum : nec vllum fideliorem expertus eſt Gerbertus in aduerſis & deiectione ab Archiepiſcopatu Remenſi, quã Arnulfum; quanquã non deeſſent, qui eum à Gerberto conarentur auocare, vt patet ex Ep. 32. addititiarum ad Arnulfum. *Multum mortalibus diuinitas largita eſt, ô mei animi Cuſtos, quibus fidem contulit & ſcientiam non negauit. Hinc Petrus Chriſtum Dei Filium agnoſcit & agnitum fideliter confitetur.* Hinc eſt quod Iuſtus ex fide viuit. Hinc fidei ideo ſcientiam copulamus, *quia ſtulti fidem non habere dicuntur. Hanc vos habere fidem illa generoſi animi præclara ſcientia indicat : hoc veſtræ orationis ſeries manifeſtat, quâ eam inter nos æternari cupitis. Habeo igitur & rependo gratias tantorum munerum largitori, & quod mihi in nulla à me diſſentientem amicum reſeruauerit & quod æmulis noſtris veriſimilia non tamen vera narrantibus minùs credidit. Hoc tui muneris eſſe Bone Ieſu, qui facis vnanimes habitare in domo; hoc Ego Sacerdos tuus coram te confiteor venerabilem artificem tuum Arnulfum me colere, diligere, amare, cunctiſque mei ordinis quos hodie nouerim, corde & ore proferre. Procul ergo eſto omnis fraus & dolus, pax & fraternitas hic adeſto, vt qui alterum lædit, vtrumque læſerit. Me Chriſti potentia protegente, non vis tyrannica ab hoc deterrebit incepto. Non minæ Regum quas in hoc Paſchali feſto pertulimus graues.* Et ſub finem. *Sit itaque inter nos, vt vultis, Eſt tantum, non autem Eſt* & Non. *Sit auxilium in commune & conſilium. Quod etiam in ſacris per data verba, ſi veſtræ ſublimitati placet, confirmandum fore cenſeo, vt amoto motu ſuſpicionum omnium ſit nobis cor vnum & anima vna.* Obiit Arnulfus circa an. 994. eique ſucceſſit Fulco.

Arnulfus ſeu *Ernulfus* Beluacenſis Lanfranci diſcipulus, S. Luciani primum Monachus, deinde Roſenſis in Anglia Epiſcopus; de quo ita ſcribit Malmeſburienſis l. 2. de Geſtis Pontif. Angl. *Ernulfus natione* Gallus apud Cœnobium S. Luciani in Bellouaco non paucum tempus Monachus egit. Sed cum nonnulla plena inſolentiæ videret, quæ nec emendare poſſet, nec pati vellet, diſceſſum intendit: quæſito prius à Lanfranco conſilio incunctanter facturus quidquid ille iubendum putaſſet. Ille qui hominis induſtriam calleret (nam & apud eum diu Becci ſtuduerat) perſuaſit vt ad ſe veniret, quia ibi animam ſuam ſaluare non poſſet. Venit ergo & toto tempore Lanfranci Monachus apud Cantuariam, ab Anſelmo Prior ibidem, mox apud Burgum Abbas, à Radulfo Epiſcopus apud Roſam conſtitutus eſt. Graue quidem memoratu quantæ probitatis & prudentiæ in omnibus officiis fuerit &c. Vixit in Pontificatu aliquot dies ſuper nouennium, deceſſitque quater & octoginta annos natus multa probitatis ſuæ monumenta reliquit. Ioannes Brompton ait eum obiiſſe an. 1124. Extant quædam Quæſtiones Theologicæ duabus Epiſtolis ad Vvalchelinum Vventanæ Eccleſiæ Pontificem & Lambertum quendam contentæ, quibus ſoluit nonnullas difficultates circa Matrimonii & Euchariſtiæ materiam propoſitas, leguntur que in 2. Tomo Spicilegi Dacheriani.

Aubertus Lemouicenſis Canonicus docebat Pariſiis circa an. 1020. ſed relictis ſcholis ſoli Deo vacare deſiderans Beneuentinum Monaſterium Canonicis Regularibus addixit an. 1028. ſeque eis adiunxit, Iordano tum Diœceſim Lemouicenſem regente: vt ſcribit Bernardus Guidonis, cuius locum in ſynopſi retulimus: At Sammarthani in verbo *Beneuentum*, huius Monaſterii aiunt fuiſſe fundatorem Robertum quendam Canonicum Lemouicenſem, referuntque Inſtrumentum factum ſub Guidone Præſule qui tertius à Iordano ſedit an. ſcilicet 1073. Iacet autem Aubertus in illo Cœnobio, ad cuius tumulum multi febricitantes ſæpe curabantur tempore Bernardi Guidonis, hoc eſt circa an. 1320.

Azo ſeu *Aſſo* Monachus, deinde Abbas Deruenſis Diœceſis Catalaunenſis, vulgo Montier-ender, Gilberto Aquitanico æqualis & amicus, Gerbergæ Reginæ librũ dedicauit de Antichriſto, quo tempore Rorico præerat Eccleſiæ Laudunenſi, qui obiit an. 976. Quanta verò inter eum & Gerbertum intercederet neceſſitudo, patet ex ipſius Gerberti ad eum Epiſt. 82. *Rumpe moras omnes, mi pater.* & 3.

& 2 Calend. Iul. egredere de Vr Chaldæorum. Obtemperandum veteranis amicis ac in fide diu probatis. Noſter Adalbero Pater Patriæ quondam vobis fidus & nunc fidiſſimus morarum impatiens veſtram expetit præſentiam. Nefas abſenti ſignificare ea quæ volumus præſenti dicere. Chariſſima vobis ac nobis librorum volumina veſtrum iter ſint comitata. hoc tantum dixiſſe ſufficiat. Edidit vitam SS. Bercharii, Frodoberti, Baſoli & Manſueti. Obiit autem in peregrinatione Hyeroſolymitana an. 992.

B.

B*aldricus* Aurelianenſis Magduni ad Ligerim natus, circa an. 1050. nobiliſſimi vir ingenii in Aurelianenſibus ſcholis enutritus, nec videtur poſſe dubitari quin Pariſienſes etiam cæterorum ſui ſeculi more frequentarit. Vnum ex omnibus Magiſtris ſuis præſertim laudat M. Herbertum Cenomanenſem, cui leſſum cecinit. Monachum induit apud Burgulium in agro Andegauenſi, eiuſdemque loci Abbas factus eſt an. 1089. Inde euocatus à Rege Philippo ad Epiſcopatum Aurelianenſem poſt depoſitionem Sanctionis, verum Archiepiſcopi Turonenſis operâ qui Ioannem quendam iuuenem nondum Presbyterum promiſſâ ingenti pecuniæ ſummâ curauit à Rege nominari, deluſus eſt & remiſſus. Ioannis illius Electio facta eſt die SS. Innocentium. Vnde Quidam ex Electoribus ſarcaſticè iocatus

Eligimus puerum, puerorum feſta canentes,
Non morem noſtrum, ſed Regis iuſſa ſequentes.

Quam malè Ioannes iſte puer audierit, patet ex Epiſt. 66. Iuonis Carnotenſis ad Hugonem Lugdunenſem Apoſtolicæ ſedis Legatum, cuius verba pudet hîc referre. Ad calcem verò ſic de Baldrico loquitur. *Præterea ſciat veſtra ſollicitudo, quia cum Abbas Burgulienſis ore patulo, manibus apertis cum multâ ſecuritate ad Curiam in Natale veniſſet ad accipiendum Epiſcopatum, ſicut ei illa prædicta Regina promiſerat, quia animaduerſi ſunt plures & pleniores ſacculi nummorum latere in apotheeis amicorum iſtius* (Ioannis) *quàm apud Abbatem, ille eſt admiſſus, iſte eſt excluſus. Et cum Abbas quereretur apud Regem quare ſic eum deluſiſſet, reſpondit, Suſtinete interim donec de iſto faciam proficuum meum, poſtea quærite vt iſte deponatur & tunc faciam voluntatem veſtram.* Hæc an. 1099. facta ſunt. Denique Baldricus an. 1108. eligente Clero & populo ex Abbatia Burgulienſi ad Archiepiſcopatum Dolenſem euocatus eſt: de quo vt de viro ſibi notiſſimo ſic ſcribit Ordericus Vitalis lib. 9. ſub finem. *Hucvſque venerabilis Baldrici proſecutus ſum veſtigia......præfatum ſeniorem quem bene cognoui, veneranter honorare decreui. Hic Ciuis fuit Aurelianenſis, Monachus & Abbas Burgulienſis, liberalibus imbutus ſtudiis & religioſæ meritis vitæ venerabilis. Inde pro religione & ſapientia ad Gradum Dolenſis Archiepiſcopatus delectione prouectus eſt Eccleſiaſtica. In Epiſcopatu Monachatum ſeruauit, & cum Monachis prout ſors dabat, plerumque habitauit.* Quædam ſcripta poſteritati reliquit; inter alia verò Hiſtoriam Hieroſolymitanam, Epitaphia quædam Nobilium Profeſſorum ſui temporis, & nonnullorum aliorum virorum Illuſtrium. Vitam quoque M. Roberti de Arbriſcello rogatu & precibus Petronillæ Frontebraldenſis adductus Ep. ad eam data, cuius tale eſt initium. Baldricus D. G. *Dolenſium Sacerdos licet indignus Ancillæ Chriſti Petronillæ venerabilis Monaſterii Fonteuraldenſis Abbatiſſæ omnibuſque eius Cænobii Sanctimonialibus ſub eius regimine ſalutem.* Obiit valde ſenex 7. Ian. an. 1129.

Beda dictus Venerabilis, Anglorum Nobilis Doctor & Hiſtoricus ridiculè & fabuloſe dicitur Theologiam Lutetiæ docuiſſe, Alcuinumque Doctoris titulo atque inſignibus donauiſſe anno circiter 692. aut Academiam Pariſienſem, cum Romam proficiſceretur, inſtituiſſe; cum præter multa quæ huic fabulæ fidem derogant, certum ſit eum è Monaſterio, cui nomen ſeptennis dedit, aut certè ex Anglia nunquam egreſſum fuiſſe. Quamobrem Hiſtoricus ille vetuſtæ Scholæ Cantabrigienſis aſſertor, rectè ab Harsfeldio & ab aliis *infirmæ fidei Hiſtoricus appellatur.* Natus eſt ille in territorio Monaſterii Wiramuthenſis an. 677. & cum eſſet ſeptennis, traditus eſt à parentibus Benedicto Abbati enutriendus. Quomodo verò tantarum ſcientiarum theſaurum ſibi comparauerit, docet Simeon

Dunelmenſis ſcriptor Anglus, qui Hiſtoriam de Geſtis Anglorum an. 1129. cum vita opinor terminauit. *Videtur quibuſdam incredibile*, inquit, *quod in extremo mundi angulo vir, qui nunquam Maria transfretauerit ob addiſcendam ſapientiam*, Scholas Philoſophorum *non frequentauerit*, *tanta eruditione clareat*, tanta librorum compoſitione vbique mundo innoteſcat: ſed hoc non eſſe mirandum ipſe docet, qui inter ſexcentos beatæ vitæ & mirabilis ſcientiæ Monachos enutritus, quidquid ſcientiæ ſinguli habuerant, omne hoc ipſe in vnum ſui cordis vaſculum Spiritu S. illuminante contraxerat. Habuerat præ oculis & copiam omnis generis librorum, quos Abbas ſuus Benedictus inter alia diuerſa ornamenta donatione Apoſtolicorum Vitaliani & Agathonis in Monaſteriū ſuum contulerat. Præterea erat & eo tempore quo magna ſcientiæ ſtudia floruerunt in Anglia, quando Theodorus Archiepiſcopus & Adrianus Abbas peragrata inſula, quaquaverſum Anglorum Gentes commorabantur, *Scholas ſacrarum ſimul & ſecularium litterarum inſtituebāt, vt quicunque cuperent erudiri, haberent in promptu Magiſtros qui docerent.* Vnde ipſe Beda loquens de his, *Indicio eſt*, inquit, *quod vſque hodie ſuperſunt de eorum diſcipulis qui Latinam Græcamque linguam, æque vt propriam in qua nati ſunt, norunt.* Ab his eorum Diſcipulis prudens inſtitutus adoleſcens in lege Domini meditabatur die ac nocte, vt etiam ſuos Doctores ipſe doctior ſupergrederetur. *Oſtendit ipſe quod nec Franciam* nec *Italiam* nec *Græciam* diſcendi gratia adierit. Hæc & plura de Beda Simeon: qui & ſubiungit quoſdam eiuſdem verſus non infelicem venam redolentes, quos de die Iudicii ad Accam Epiſcopum miſit, cum hac inſcriptione: LAMENTATIO Bedæ Preſbyteri. Sunt autem eiuſmodi.

Inter florigeras fœcunda cuſpidis herbas
Flamine ventorum reſonantibus vndique ramis
Arboris vmbriferæ, mæſtus ſub tegmine ſolus
Dum ſedi, ſubitò planctu turbatus amaro
Carmina prætriſti cecini hæc lugubria mente.
Vt pote commemorans ſcelerum commiſſa meorum,
Et maculas vitæ mortiſque inamabile tempus,
Iudiciique diem horrendo examine magnum
Perpetuamque reis diſtricti Iudicis iram;
Et genus humanum diſcretis ſedibus omne,
Gaudia Sanctorum, nec non pœnaſque malorum.

Legitur integrum poëma apud Simeonem, ſed ex paucis iſtis verſibus intelligitur quàm non fuerit Beda contemnendus Poeta. Idem author ait eum obiiſſe in Gyruuenſi Cœnobio an. 735. eademque omnium pene Scriptorum Anglicorum ſententia: melior certè & veriſimilior quàm Baronii, Spondani & Poſſeuini aientium obiiſſe an. 762. vel 776. anno ætatis 106. vel ſaltem 90. Neque credibile eſt Epithaphium illius, ſi quod fuiſſet in Ciuitate Dunelmenſi, quemadmodum aſſerit Poſſeuinus, Simeonem Dunelmenſem qui 4. libros de Eccleſia Dunelmenſi compoſuit, prætermiſſurum fuiſſe, cum expreſſè de Beda agat, eumque dicat obiiſſe in Cœnobio Gyruuenſi. An autem Beda fuerit aut potuerit eſſe Alcuini Magiſter, ſupra in Alcuino quæſitum eſt.

Berengarius Turonenſis in Grammatica & humanioribus litteris videtur fuiſſe Turonis inſtitutus, deinde more cæterorum in Dialectica & Philoſophiâ Pariſiis, poſtremò in Theologia Carnuti operam dediſſe ſub Fulberto, donec celeberimus ille Epiſcopus vixit. Eo verò fatis functo Turonis Grammaticam docere aggreſſus eſt, indeque Pariſios profectus, Dialecticam; in cuius profeſſione excellere putatus eſt, donec Lanfrancus cum eo congreſſus plurimum de eius fama deminuit. Inter alios Diſcipulos habuit in Dialectica Brunonem Colonienſem, qui deinde fuit Carthuſianorum Inſtitutor. Verum ſentiens ſe minus nominis ex illa congreſſione & Lanfranci apud Beccum celebritate habere, ad Theologiam ſe contulit, cuius ignarum eſſe putabat Lanfrancum, vt eâ profeſſione ſuperior euaderet, qui in Dialectica victus fuerat. At cœco ambitionis ductu in hæreſim lapſus eſt circa Euchariſtiæ myſterium, multaſque Eccleſiæ

turbas intulit ab anno circiter 1045. ad annum 1080. contraque eum habita ſunt
paſſim multa Concilia in Italia, Romæ, in Germania & Gallia, de quibus fuſè
diximus in Hiſtoria, & dicetur adhuc in Lanfranco. Obiit anno 1088. verè pœ-
nitens, vt legitur in Chronico Turonenſi MS. Bibliothecæ Regiæ his verbis.
Eodem anno *obiit M. Berengarius Grammaticus fidelis & verè Catholicus, ſuper cuius
tumulum tale Epitaphium eſt inſertum.*

Quem modò miratur, ſemper mirabitur Orbis
Ille Berengarius non obiturus obit.

Leguntur & alia eiuſdem Epitaphia inter poëmata Baldrici Burgulienſis Ab-
batis, quæ in hiſtoria retulimus.

Bernardus de Abbatis-villa, ſic dictus, quod eò loci in Pontiuenſi Comita-
tu ortus ſit; egregius verbi Diuini Prædicator, Roberti de Arbriſello & Vitalis
Socius. S. Cypriani primùm Abbas, defuncto Reginaldo electus; deinde Tiro-
nenſis Cœnobij in Diœceſi Carnotenſi Fundator, cuius vitam & acta deſcrip-
ſit Gaufredus Groſſus eiuſdem Cœnobij Monachus eiuſque Diſcipulus. *Exe-*
"*ſtuans*, inquit ille, *amore paupertatis* ac ſolitudinis ad ſecretum Eremi, à quo
"fraudulenta violentia abſtractus fuerat, rediit, & mentem ſuam quæ ibi reman-
"ſerat, inuenit, qui D. Roberto de Arbreſello atque Vitali de Mauritonio con-
"iunctus, Gallicanas regiones nudis pedibus peragrabant; in villis, caſtellis,
"atque vrbibus verbum Dei prædicabant, homines ab erroribus vitæ ſuæ eruen-
"tes, quaſi validi ac robuſtiſſimi arietes Diuinæ potentiæ viribus adacti, infide-
"litatis atque vitiorum muros impellentes confringebant, corda hominum ab
"amore caducarum rerum auellebant, mala eorum colloquia bonos mores cor-
"rumpentia deſtruebant, malorum operum nequitias diſperdebant, totius ini-
"quitatis coadultam congeriem diſſipabant; virtutes Deo authore, cordibus eo-
"rum inferentes plantabant & plantatas exemplo corroborantes ædificabant:
"& quamuis mortuorum cadauerum reſuſcitatores non eſſent, quod maius eſt fa-
"ciebant, id. animas in peccatis mortuas viuificabant & viuificatas Deo veræ vi-
"tæ coniungebant. Talia igitur ſigna facientes quandoque ſimul, aliquando ve-
"rò ſingulatim diuerſas prouincias circuibant, quibus machinante Diabolo tri-
"bulationes non deerant. Obiit 7. Kal. Maij an. 1116. De eo Orderic. Vitalis l. 8.
hiſtor. Neubrigenſis l. 1. c. 15. Malmesburienſis lib. 5. Hiſtor.

Berthramus Preſbyter, vel vt aliqui ſcribunt, Monachus eruditione clarus, in
Diuinarum ſcripturarum lectione verſatus, & valde peritus teſte Trithemio, in
litteris quoque ſecularium diſciplinarum egregiè doctus, ingenio ſubtilis &
clarus eloquio, nec minus vitâ quàm doctrinâ inſignis claruiſſe dicitur ſub
Carolo Caluo, eiuſque iuſſu de auguſtiſſimo Euchariſtiæ ſacramento deque
prædeſtinationis myſterio ſcripſiſſe. Quæ Quæſtiones tunc temporis in Scholis
Palatinis agitabantur & alibi in Francia. Sic autem librum de Euchariſtia auſ-
picatur. *Iubes glorioſe Princeps, vt quid de Sanguinis & Corporis Chriſti myſterio ſen-
tiam, veſtræ magnificentiæ ſignificem. Imperium quàm magnifico principatui veſtro di-
gnum, tam noſtræ paruitatis viribus conſtat difficillimum.* In eo autem Corpus & San-
guinem Chriſti figuratè eſſe accipienda conatur oſtendere. Ei Ioannes Scotus,
adhæſit, & vt aliqui ſcribunt, Heribaldus etiam Antiſſiodorenſis Epiſcopus.
Contra verò ſtetit Paſchaſius Corbienſis, Reſponſionemque ſuam & Confuta-
tionem eidem Carolo dedicauit. Sunt tamen qui putent Berthramum non aper-
tè communi & receptæ ſententiæ aduerſatum fuiſſe, ſed materiam iſtam dum
voluit explicare, implexis & intricatis interpretationibus obſcuraſſe. Ioannem
verò Scotum clarè & dilucidè mentem aperuiſſe, ineffabilemque Tranſubſtan-
tiationem negaſſe, & longo poſt tempore Berengarium.

Bruno Coloniæ Agrippinæ parentes habuit & genere & virtute claros. miſſus
Lutetiam Pariſiorum, vt liberalibus diſciplinis erudiretur, Berengarium ſorti-
tus eſt Magiſtrum, vt legitur in Chronico Malleacenſi, tantumque profecit præ
cæteris coætaneis ſuis, vt inter primos ſui temporis Philoſophos habitus ſit, &
vt ait Laurentius Surius, *Scholarium Magiſter* effectus ſit, interque cæteros, Odo-
nis, qui Vrbanus II. Pontifex fuit. Poſtea ſe contulit ad Theologiam; in eaque

diſciplina magnum quoque nomen adeptus eſt; & inter præſtantiſſimos reponitur à ſcriptore illo Hiſtoriæ Francicæ à Roberto ad mortem Philippi, ſic aiente: *Hoc tempore tam in Diuina quàm in humana Philoſophia floruerunt Lanfrancus Cantuariorum Epiſcopus, Guido Longobardus, Manigaudus Teutonicus, Bruno Remenſis, qui poſtea vitam duxit Eremiticam.* Remenſem vocat, quia in Eccleſia Remenſi Canonicus fuit, imò Cancellarius & Scholaſticus ſeu Scholæ Remenſis Præfectus. De eo abunde diximus in Hiſtoria ad annum 1082. In Codice S. Remigij Remenſis hæc inſuper de eo habentur. *M. Bruno Natione Teutonicus ex præclara vrbe Colonia parentibus non obſcuris, litteris tam ſecularibus quàm Diuinis valde munitus, Eccleſiæ Remenſis, quæ nulli inter Gallicanas ſecunda eſt, Canonicus & Scholarum Magiſter relicto ſeculo Eremum Carthuſiæ fundauit & rexit ſex annis; qui cogente Papa Vrbano, cuius quondam præceptor fuerat, Romanam perrexit ad Curiam, eundem Papam ſolatio & conſilio in Eccleſiaſticis negotiis iuuaturus. Sed cum tumultus & mores Curiæ ferre non poſſet, relictæ ſolitudinis & quietis amore flagrans, relictâ Curiâ, contempto etiam Archiepiſcopatu Rhegienſis Eccleſiæ, ad quem ipſo Papa volente electus fuerat, in Calabria Eremum, cui Turris nomen eſt, ſeceſſit: ibique Laicis & Clericis quam plurimis adunatis ſolitariæ vitæ propoſitum, quamdiu vixit, exercuit. Ibique defunctus humatus eſt poſt egreſſum Carthuſia vndecimo plus minus anno.* In multis autem locis ad eius memoriam Cenotaphia extructa, vt apud Carthuſiam maiorem.

Primus in hac Chriſti Director Ouilis Eremo
Fundatorque fui, qui tegor hoc lapide.
Bruno mihi nomen, genitrix Germania, meque
Tranſtulit ad Calabros grata quies nemoris.
Doctus eram, præco Chriſti, vir notus in Orbe.
Deſuper illud erat gratia, non meritum.
Carnis vincla diei Octobris ſexta reſoluit.
Oſſa manent tumulo, Spiritus aſtra petit.

Similiter Eccleſia S. Crucis Aurelianenſis ſuo tantum virum exornauit Elogio, cuius ita conceptum reperitur Octoſtichon apud Surium tom. 5. in vita S. Brunonis, & apud Carolum Sauſſeyum in Annalibus Eccleſiæ Aurelianenſis ad an. 1101. quo ait eum de ſeculo tranſiſſe ad vitam die Dominica pridie Non. Octob.

Summum Bruno decus, & gloria temporis huius
Carne iaces, ſed parte manes meliore ſuperſtes.
Et iuſti recipis nunc præmia grata laboris:
Præclaris merito Doctoribus aſſociatus,
Viuens in Chriſto Noſtri vir ſancte memento.
Doctrinaque tua, quæ toto fulget in Orbe,
Chriſto funde preces, mereamur vt eſſe ſequaces,
Bruno tuis ſemper precibus vir ſancte iuuemur.

Burchardus Comes Pariſienſis, qui Hugone Capero & Roberto regnantibus floruit, nõ tam ob litterarum notitiam hîc memorandus venit, quàm ob ſingularem eius in viros litteraros, Clericos & Monachos amorem. Eius vitam deſcripſit Odo Foſſatenſis Monachus, eiuſque præclaras dotes ſatis eleganter proſequitur his verbis. *Inclytus Burchardus nobili ſtirpe progenitus ſacro baptiſmate eſt ingeneratus atque nobiliter in Religione Catholica militari tirocinio edoctus. Nam pueritiæ tempora dum tranſigeret, Curiæ Regali more Procerum Francorum à parentibus traditus eſt. Qui Chriſtianitatis operibus pollens, totius prudentiæ atque honeſtatis aſſumpſit commoda. In aula enim glorioſi Hugonis Francorum Regis cunctis tam cæleſtibus quàm militaribus imbuebatur inſtitutis. Dum verò adoleſcentiæ iuuentutis appulit annos, Domini prouidente gratiâ, qui fidelem militem ſibi eum prouidebat futurum, magno dilectionis amore à Rege amplectitur, in tantum vt cunctos coætaneos tranſcendere videretur. Amabatur enim à cunctis* &c. *Erat fidelis defenſor Eccleſiarum, quæ ſub Imperio Regni Francorum habebantur, largitor Eleemoſynarum, conſolator miſerorum, ſubleuator piiſſimus Monachorum, Clericorum, viduarum atque virginum in Cænobiis*

Digitized by Google

Deo militantium. Foſſatenſe Cœnobium ſuſcepit reformandum operâ Maioli Abbatis Cluniacenſis, & Magenardo Abbate ad Monaſterium S. Mauri, quod Glannafolium dicebatur, tranſmiſſo, expulſiſque ſeditioſis & contumacibus Monachis, alios melioris vitæ ſubſtituit, amplaſque eis poſſeſſiones dedit an. 998 Obiit circa an. 1030. 4. Kal. Martias accepto prius Monachali habitu, ſepultuſque eſt in Cœnobio quod ædificarat. Eius autem Mauſoleum his verſibus decoratum eſt.

Hic vir Magnus erat quondam dum corpore vixit,
Nomine Burchardus per mundi climata notus.
Celſus erat meritis, dictis, factisque modeſtus;
Pauperibus largus, viduis per cuncta benignus.
Ipſius en corpus tumulo requieſcit in iſto.
Martius oſtendit quarto migraſſe Calendas.

C.

C*Andidus* Presbyter Lindisfarnienſis Anglus vſus eſt primum Patrono ac Præceptore Higebaldo Epiſcopo, à quo miſſus in Galliam ad Flaccum Albinum ſeu Alcuinum tanquam ad torrentem ſcientiarum, ab eoque inſtitutus rediit in Angliam, vbi magnam ſibi ab elimata doctrinâ & eruditione laudem inter ſuos peperit. De eius in Britanniam receſſu ſic Alcuinus Ep. 93. *Ego pene* quaſi orbatus filiis *remaneo Domi. Damœta Saxoniam, Homerus Italiam, Candidus Britanniam receſſit.* Martinus *in vicos apud S. Iodocum infirmus remanſit.* Quanti autem Candidum hunc fecerit Alcuinus, vel ex eo patet, quod ei, Oniæ & Nathanaëli tribus ſuis Diſcipulis, qui deinde in Palatinis Scholis docuerunt, ſua in Eccleſiaſten Commentaria dedicarit.

Carolus re & nomine Magnus iure inter Illuſtres Academicos accenſeri debet, non tantùm quia Alcuini præceptoris auditor fuit, ſed quia exemplo ſuo plurimos ad ſtudendum & ſcribendum excitauit, Academiamque toto Orbe celeberrimam inſtituit, Academicorum verò & omnium Doctorum virorum Mecenas liberaliſſimus extitit. Filius erat Pipini Magni, & Nepos Caroli Martelli. Patre apud Pariſios defuncto Regnum cum Carlomanno fratre ſuſcepit an. 769. ſedemque Nouiomi elegit: fratre autem poſt biennium defuncto ſolus regnauit vſque ad obitum. Omnino verò regnauit 47. annis, ſcilicet Francicum Regnum tenuit annos 33. antequam Imperator fieret & cum Imperio 14. Anno Regni 2. Synodum habuit apud Vvormaciam. Anno 5. bellum ſuſcepit aduerſus Saxonas. An. 5. Adriano Pontifici contra Deſiderium Longobardorũ Regem adfuit. An. 6. offenſus diſſonantiâ Cantus Eccleſiaſtici inter Romanos & Gallos, miſit Romam viros induſtrios qui ab ipſo fonte cantandi rationem & peritiam diſcerent. Reuerſos primùm Metis Scholam habere iuſſit, deinde Pariſiis & in cæteris Galliæ Vrbibus. Hiſce initiis ad maiora ſtudia amplectenda incitatus, & prętereа exemplo inductus Adriani, quem vnicè diligebat, cœpit viros doctos colere, euocare & ad docendum præmiis incitare. Petrum quidem Piſanum, quem Ticini ſeu Papiæ docentem repererat, in Grammatica Præceptorem habuit: deinde Alcuinum in Rhetorica, Dialectica & Aſtrologia. Tum concurrentibus vndique viris Doctis tanti Principis famâ & liberalitatis ſpe, Pariſienſem Academiam inſtituit in Palatio. Omnibuſque patere voluit, Diuitibus, Pauperibus, Nobilibus & Ignobilibus, vt fusè probauimus in Chronologia. Liberos autem ſuos ita cenſuit inſtituendos, teſte Eginharto, Vt tam filii quàm nepotes primò liberalibus ſtudiis, quibus & ipſe operam dabat, erudirentur. Imo filias quoque voluit primo liberalibus artibus imbui, deinde lanificio: vt ſcribit Radulfus de Diceto. Ipſe vero erat eloquentia copioſus & exuberans, poteratque quidquid vellet, apertiſſimè exprimere: nec patrio ſermone contentus, linguis peregrinis addiſcendis incubuit, inter quas Latinam perfectiſſimè calluit, & ita calluit, vt nihilo difficilius eâ quàm patriâ vteretur. Eius autem in ſtudiis laborem & exercitia ſic deſcribit Poëta Saxonicus.

Legerat aſſiduè Scriptura dicta ſacratæ
Quoſque libros Sancti compoſuère patres.

Digitized by Google

Quos Auguſtinus Cæli de Ciuibus almis.
Scripſit amanter eos crebrius audierat.
Scribere tentabat. Nam circumferre ſolebat
Secum cum paruis Codicibus tabulas.
Ac ponens ipſas ad Ceruicalia lecti.
Regalis, nunquam fecit abeſſe ſibi.
Inter tot curas tantique negotia Regni
Rex exercuerat his animum ſtudiis.

Alcuinum adeo dilexit, vt palam & publicè ſempet eum *Magiſtrum & delicioſum Magiſtrum* appellaret. Cuius conſiliis non modò in condenda Academia diſponendiſque ſeholis ſecundum ordinem Diſciplinarum, ſed in ipſa Regni adminiſtratione vſus eſt, vt in hiſtoria docuimus, & cuiuis parebit, qui leget Alcuini ad ipſum Epiſtolas.

Corporis ſtaturam non omiſit Eginhartus, ſicque eam deſcribit. Corpore fuit amplo atq; robuſto, ſtarura eminenti quæ tamen iuſtum modum non excedetet: Nam ſeptem ſuorum pedum proceritatem eius conſtat habuiſſe menſuram. Apice capitis rotundo, oculis prægrandibus ac vegeris, naſo paulum mediocritatem excedente, canicie pulchra, facie læta & hilari. Vnde formæ authoritas ac dignitas tam ſtanti quam ſedenti plurima acquirebatur. Quanquam ceruix obeſa & breuior, venterque proiectior videretur, tamen hæc cæterorum membrorum celabat æqualitas. Inceſſu firmo totaque Corporis habitudine virili. Voce clara quidē, ſed quæ minus corporis formæ conueniret. Addit Monachus Sangallenſis Carolum geſtare ſolitum diebus feriatis virgulam more ſceptri, ſtaturæ corporis æqualem. Ambitionis verò taxat Epiſcopum quendam Germāniæ, qui virgam auream incomparabilis Caroli, quam ad ſtatum ſuum fieri iuſſerat, diebus feriatis vice baculi ferendam, ille pro Epiſcopali ferula improbus ambiebat. Nonnulla etiam opera edidit, quæ verſibus his complectitur Poëta Saxon. lib. 5. de Geſtis Caroli M. Imp.

Ipſe decem poſt hæc & ternos circiter annos
Auguſto lætus vixit in Imperio.
In quibus antiquas leges correxit, in ipſis
Vniri mandans diſſona quæ fuerant.
Addidit his etiam nouiter, quæ congrua duxit,
Pauca quidem numero, valde ſed vtilia.
Cunctorumque ſui Regni leges populorum
Collegit, plures inde libros faciens.
Nec non quæ veterum depromunt prælia Regum
Barbara mandauit Carmina litterulis.
Cœpit & ingenii totis cum viribus acris
In Linguam propriam vertere Grammaticam.
Ardua Philoſophis etiam res hac foret, artem
Ad hanc ſermonem cogere barbaricum
Talibus à ſtudiis non Regni maxima cura,
Non ætas grauior tunc reuocauit eum.

Obiit tandem Prinoeps omnibus boniſ deſideratiſſimus Aquiſgrani an 814. 5. Cal. Febr. eique hoc Epitaphium conditum eſt, quod legitur in fine operum Agobardi, & in vetuſtiſſimo Codice M.S. Cœnobij Noualicienſis an tom. 2. Script. Hiſtor. Gall.

Aurea Cælorum poſtquam de Virgine Chriſtus
Sumpſerat apta ſibi mundi pro crimine membra,
Iam decimus quartus poſt centies octo volabat.
Annus fluctiuagi meruit quo feruida ſæcli
Ætherei Carolus Francorum Gloria Gentis.
Æquora tranſire & placidum comprehendere portum

Digitized by Google

Qui deciesque quater per ſex feliciter annos
Sceptra tenens Regni & Regno Rex Regna reiungens,
Febro migrauit quarto arij ex orbe Kalendas
Septuaginta ſex vita qui terminat annos.
Quapropter flagito precibus ſi flecteris vllis,
Quique huius relegis verſus Epigrammata, Lector,
Aſtriferam Caroli teneat, dic, ſpiritus arcam.

Carolus II. cognomento *Caluus* Ludouici Pij ex Iuditha filius, Paterni auitique exempli æmulator egregius, vbi per bella Ciuilia licuit, Academiam inteſtinis Galliæ motibus ſub Patre collapſam inſtaurauit, vndequaque viros doctos acceſsiuit, eamque partem hæreditatis paternæ quæ ſibi obtigerat, nimirum Franciam & in Francia Lutetiam, omnigena litterarum Diſciplinâ nobilitare curauit. Nam an. 838. cum Ludouicus Parens liberis ſuis ad pacem fouendam diuiſiſſet Imperium, Galliam quam tunc Nouam Franciam appellabant, teſte Monacho San-Gallenſi, Carolo Iuniori attribuit, & ſtatim *Hilduinus Abbas Eccleſiæ S. Dionyſij & Gerardus Comes Pariſius Ciuitatis*, inquit Nithardus lib. 1. *cæterique omnes prædictos fines habitantes conuenerunt, fidemque ſacramento Karolo firmauerunt.*

Huiuſce Principis erga immortales Diſciplinas ſtudium & amorem prædicat Erricus Antiſſiodorenſis in Epiſtola dedicatoria, quam vitæ D. Germani verſibus à ſe conſcriptæ præfixit: in qua quamquã eum Auguſtum vocat & Cæſarem, nondũ tamen videtur fuiſſe Imperator, cum eã dedicauit. Quid enim attinuiſſet tam longè repetitam Lotharij filij Abbatis Ferrarienſis, qui an. 866. obierat, refricare memoriam Patri qui Imperator factus eſt an. 876. Deinde hæc verba ſatis clarè videntur indicare, paulo poſt Lotharij mortem opus ſuum Carolo dedicaſſe. *Habe igitur*, inquit, *poſt funus dilectiſſimi filij, hereditarium pignus quo & defuncti memoriam ſuauiter refricare, & integre fidelis famuli deuotionem aduertere valeas, qui te nullo modo paſſus ſum extremi ſaltem muneris vtilitate fraudari.* Sed de Caluo ſatis in hiſtoria dictum. Obiit ille in Italia an. 878. biennio poſt occupatum Imperium, eiuſque corpus aliquandiu ſeruatum eſt Vercellis, poſtea tranlatum ad D. Dionyſii, vbi habet hoc Epitaphium.

Imperio Carolus Caluus Regnoque potitus.
Gallorum, iacet hic ſub breuitate ſitus.
Plurima cum villis, cum clauo cumque corona,
Eccleſia unius huic tulit ille bona.
Multis Abbatis nobis fuit hic reparator,
Sequanij fluuij Ruoliique dator.

Claudius cognomento *Clemens* natione Scotus excellenter litteratus, Alcuini & Ioannis Malroſii olim in ſcholis ſocius, vt tradit Balæus: in condenda quoq; Academia Pariſienſi adiutor, quem tradunt omnes fere Hiſtorici, cum veteres tum Moderni poſt Monachũ San-Gallenſem, à Carolo fuiſſe ſcholis Palatinis præfectũ & inibi ad extremam vſque ſenectutem multos docuiſſe, erudiſſe & cum ibi *gymnaſiarches eſſet*, inquit Balæus, multa doctrinæ monumenta ediſiſſe. Inter alia verò opera, edidiſſe dicitur Commentaria in Matthæum, vbi expeditionis an. 815. in Normanos in præfatione meminit. Scripſit quoque Scholia in Ep. ad Galatas & Dructerano Abbati dedicauit teſte Myræo in auctario de ſcriptoribus Eccleſiaſticis. *Claudius Scotus*, inquit, *Monachus Ordinis S. Benedicti, Alcuini in fundandâ ſchola Pariſienſi Collega, ſcripſit vt mihi eſt veriſimile, Enarrationem Epiſtolæ ad Galatas Dructerano Abbati dicatam, quam Claudio Antiſſiodorenſi Epiſcopo inſcriptam Pariſienſes ediderunt.* Hunc noſtrũ Clementẽ confundunt multi cũ Clemente Antiſiodorenſi Epiſcopo quem fuiſſe quoque Scotum aiunt; ſed annorum epocha non conuenit: quippe Clemens Epiſcopus obiiſſe dicitur an. 744. & is eſt, quẽ Balæus ait relictâ omni cognatione ſua properanter è Scotia in Galliam veniſſe cũ Sanſone presbytero etiam Scoto: quemque Monachus Antiſſiodorenſis ſcribit cœcitatem corpoream paſſum iuxta Baſilicam Apoſtolorum Petri & Iacobi diuerſorium habuiſſe: alii verò obiiſſe ſcribunt 13. April. & ſepultum in Eccleſia S. Amatoris. At Clemens

mens noſter Palatinæ Scholæ præfectus & Gymnaſiarcha, quem Carolus Lutetiæ reliquit ducto ſecum Ticinum Ioanne Mailroſio, obiiſſe dicitur communiter an. 842. conſumptis in docendi munere quinquaginta & amplius annis. An autem ille ad vllam Eccleſiam aut Abbatiam promotus ſit, nihil comperi.

Claudius natione Hiſpanus Felicis Vrgelitani, vt creditur, diſcipulus, ex Hiſpania à Ludouico Pio ad Palatium euocatus, è Clerico Palatij factus eſt Epiſcopus Taurinenſis: quò cum perueniſſet, omnes Sanctorum imagines de Templis deiici iuſſit, vetuitque vllum iis cultum exhiberi. Et quia Abbas quidam nomine Theodemirus repugnare viſus eſt, aduerſus eum ſcripſit libellum quendam, quo rationes plurimas complexus eſt, quibus ad deturbandas imagines motus fuerat. Noua iſta Doctrina in Eccleſia Romana turbas excitauit, nec tam citò pacatæ fuerunt. An. 825. in eam rem habita fuit iuſſu Ludouici Pariſiis Collatio virorum Doctorum cum profeſſoribus Palatinis: & Ionas poſtea Epiſcopus Aurelianenſis qui ei interfuit, ab eo ad Eugenium Papam miſſus cum conſultis ſapientum. Aduerſus Claudium ſcripſit Dungalus inſignis tunc temporis Theologus, ſcripſit & Ionas libros tres iuſſu eiuſdem Ludouici, quos poſtea Carolo Caluo dedicauit. De illo autem ſic habet. *Ludouico feliciter imperante idem Felix in quodam Diſcipulo ſuo nomine Claudio, vt pote, vt verbis D. Hieronymi vtar, Euphorbus in Pythagora reuaſcitur.* Et in præfatione de Ludouico loquens. *Quendam Presbyterum Natione Hiſpanum nomine Claudium, qui aliquid temporis in Palatio ſuo in Presbyteratus militauerat honore, cui in explanandis SS. Euangeliorum Lectionibus quantulacunque notitia ineſſe videbatur, vt Italicæ plebis quæ magna ex parte à SS. Euangeliſtarum ſenſibus procul aberat, ſacræ Doctrinæ conſultum foret, Taurinenſi præſulem ſubrogari fecit Eccleſiæ.* De eodem Claudio non videntur contemnenda quæ habet Strabo de rebus Eccleſ. c. 8. *Ipſa denique querela Græcorum temporibus bonæ memoriæ Ludouici Imperatoris in Franciam perlata eiuſdem Principis prouidentia ſcriptis ſynodalibus eſt confutata. Quam Claudius quidam Taurinenſis Ep. ſed in veritatis itinere nominis ſui ſimilitudine nutabundus inter cæteras vanitatum ſuarum ineptias cupiens renouare, antequam diuerſorum contra eum ſcribentium telis perfoderetur, ſuo iudicio damnatus interriit.* Obiiſſe autem dicitur circa an. 826.

Conſtantius vel Conſtantinus Monachus Floriacenſis Gerberti Aquitani æqualis & Comprofeſſor atque amiciſſimus, in Arithmetica & Mathematicis diſciplinis peritiſſimus, more ſeculi Lutetiæ videtur artes liberales hauſiſſe, quas poſtea Floriaci & Aureliæ profeſſus eſt. Ad eum extant nonnullæ Gerberti Epiſtolæ. In 87 inuitat eum ad ſe venire, & vt afferat ſecum *Tulliana Opuſcula & de Repub. & in Verrem, & quæ pro defenſione multorum plurima Romana Eloquentiæ parens conſcripſit.* in 92. de eodem ſic habet. *Omnia per Conſtantium Floriacenſem ſupplere curabo. Eſt enim Nobilis Scholaſticus, apprimè eruditus mihique in amicitia coniunctiſſimus.* In 142. ei congratulatur quod peruaſor quidam Abbas atque hoſtis Monaſticæ Religionis, qui Floriacenſem Abbatiam potentiorum authoritate fretus inuaſerat, obiiſſet, rogatque vt ad ſe Remos veniat *in feſto S. Remigii.* Inibi eum vocat *Dulce ſolamen laborum ſuorum*; quo ſuadente explicare contenderat ipſe rationes Abaci, licet iam ab aliquot luſtris in eo exercitio verſari deſiiſſet. *Vis amicitiæ pene impoſſibilia redigit ad poſſibilia.* Nam quomodo rationes numerorum Abaci explicari *contenderemus, niſi te adhortante, O mî dulce ſolamen laborum Conſtantine?* Tandem ex Monacho & Scholaſtico Floriacenſi factus eſt Abbas S. Maximini Aurelianenſis, quæ Abbatia ſita eſt in agro ſuburbano Miciaco *au bourg de Micy* ad 1. ab vrbe lapidem, vnde eum Gerbertus vocat *Miciacenſem Abbatem* Ep. 33. additiatum à Sirmondo. Sed errant nonnulli, cum an. tantum 1003. factum fuiſſe Abbatem ſcribunt: certum eſt enim tum cum adhuc Gerbertus Remis eſſet, & in Gallia, ſcilicet an. 996. iam fuiſſe Abbatem, quoniam ad eum prædictam ſcribit Epiſtolam. Fuit autem propter litterarum & bonarum artium commercium Roberto Regi acceptiſſimus, à quo priuilegium obtinuit an. 1020. piſcaturæ in Ligeri. Ei ſucceſſit an. 1021. Albertus II.

Corydon Alcuini quondam diſcipulus, ad quem extat ipſius poëma 259. quo eum negligentiæ accuſat & quaſi inebriationis in deliciis Palatinis.

Dormit & ipſe meus Corydon Scholaſticus olim
Sopitus Baccho. Væ tibi Bacche pater.

Digitized by Google

Tu quia tu quæris ſenſus ſubuertere ſacros
Atque meum Corydon ore tacere facis.
Ebrius in tectis Corydon Aulenſibus errat
Nec memor Albini, nec memor ipſe ſui.

Fuit autem ille Corydon poëſi deditus, vt ex eodem carmine intelligitur

D

D*Amatas.* Vide Renulfus.

Daphin Alcuini diſcipulus, ad quem extat Magiſtri Epiſt. de illo Cantici Canticorum loco, *Sexaginta ſunt Reginæ & octoginta Concubinæ.* Epiſtolam verò ſic inſcripſit *Dilectiſſimo filio meo Daphini Albinus pater ſalutem.* & ſub finem: Sexaginta Reginæ & octoginta Concubinæ Rectores *ſunt ſanctæ Eccleſiæ. Sed alij ex illis propter ſolam Chriſti charitatem docent, alij terrena ſequentes commoda laborant in Eccleſia* non cœleſtis patriæ labore, ſed terreni lucri gratiâ deſudant in docendo...... Illi concubinarum nomine denotantur, quia ſeculi ambitione vel temporalis honoris gratia prædicando ſeu baptizando nobiles quidem generant ſœpe filios, ſed illi ignobiles in ſemetipſis permanent. Quorum contubernium, fili cariſſime, fuge obſecro, & ſi te quandocunque Dei miſericordia Doctorem dignetur efficere, tu pro eius amore laborare non ceſſes, qui pro tua ſalute ſanguinem ſuum fundere non dubitauit.

Dauid vide ſupra. *Carolus Magnus.* Sic enim eum Alcuinus appellat, vt & Ludouicum Pium Caroli filium, Salomonem.

Deganus ſeu *Theganus* Natione Francus & ex nobili proſapia oriundus, Alcuini cum Amalario Treuirenſi Diſcipulus, eamque ob rem ab ipſo ad Eccleſiæ Treuirenſis regimen aduocatus. Cum enim variis legationibus & aliis Regni negotiis diſtineretur, nec poſſet ſuo Gregi commodè & pro officio inuigilare, Deganum Chorepiſcopum ſibi adlegit in Scholis præcognitum, magnæ virum probitatis & doctrinæ. Scripſit Ludouici Pij res geſtas, & acriter inuehitur in Epiſcopos quoſdam ex infimo genere ortos, qui Ludouicum de Regno deturbarant, indignumque ſceptro iudicarant. Is autem teſte Chriſtophoro Brouuero in Annalib. Treuirenſibus, flagrantis ſapientiæ ſtudio & acres ad virtutem ſtimulos illi Eccleſiæ ſubiecit, & præclara ſcientiæ ſuæ ornamenta Treuirenſi populo pro concione impertiit. Magno quoque in honore fuit apud Augienſis Cœnobij Monachos, quorum prædicatione & ingeniorum monumentis ab obliuione vindicatus eſt, præſertim verò Walafridi Strabonis ipſi familiariſſimi, qui, quod Theganus in quibuſdam ſententiis videatur effuſior & ardentior, id dolori adſcribit, quem amor iuſtitiæ & in optimum Principem affectus expreſſerat: virum enim Nobilem & acris animi, vilium perſonarum iniurias neſciſſe concoquere. Addit Walafridus. *Nouimus & nos virum multâ lectione inſtructum, ſed prædicationis & correctionis ſtudijs occupatum.* Eiuſdem Walafridi extat de eo poëma, quod oppido adoleſcens Tattonis Magiſtri, quem in Augia præceptorem habuit, iuſſu in gratiam Degani luſit. *Ad Degan Chorepiſcopum Treuirenſem in Perſona Tattonis.*

His tibi verſiculis Doctor ſanctiſſime Degan
Tatto humilis mittit verba ſalutis ouans.
Artor in ambiguis vario moderamine rebus,
Vtrum pauca loquar, an potius ſileam.
Scribere cogis enim dilectio mutua memet,
Sed vereor ne non dem tibi digna, pater.
Tullius inferno quamuis repedauerit imo,
Exerat aut Magnus ora faceta Plato,
Liuius aut Titus ſecum ferat ipſe Catonem,
Vel linguam teretem Sapho loquax terebret,
Non poterunt vnquam laudum miranda tuarum
Dignè proferri, ſunt quia multa nimis.
Miramur merito ſapientis munera mentis,

Doctrinam, mores, carmina, dicta, animum.
Nec minus exterius miramur ſancta ſtaturæ
Incrementa tua, membra, manus, faciem.
Nos paruos humiles, murem ſibi forma ſubegit
Voſque Gigantem eſſe gloria molls habet.

Cæterum quæ ſcripſit Deganus de Ludouico, extant in 2. tomo Hiſt. Franc. Scriptorum.

Drogo Caroli M. filius ex concubina, non re ſed nomine *Regina*, liberalibus artibus in Scholis Palatinis optimè eruditus, Palatij Archicapellanus, Apoſtolicæ ſedis Vicarius, Ludouico Pio cariſſimus, à quo, petente vniuerſo Clero populoque Metenſi ad Epiſcopatum Metenſem promotus eſt, teſte Eginharto ad an. 823. *Drogonem*, inquit, *Fratrem eius ſub Canonicâ vita degentem Metenſi Eccleſiæ, Clero eiuſdem vrbis conſentiente atque eligente Rectorem conſtituit, eumque ad Pontificatus Gradum cenſuit promouendum.* De eodem & alijs filiis Caroli M. naturalibus, Ludouici Pij curâ inſtitutis ſic habet Theganus in Geſtis illius Principis. *Eodem tempore iuſſit fratres ſuos tonſurari, Drogonem, Hugonem & Theodoricum ad diſcordiam mitigandam, & liberalibus diſciplinis imbui quos poſtmodum honorificè conſtituit, Drogoni Epiſcopatũ dedit, & Hugoni Cœnobialia Monaſteria: inter omnes autẽ præcipuè Drogonem diligebat*, adeo vt in extremis vitæ conſtitutus, ſibi per eum ſacram Synaxim « miniſtrari voluerit, Miſſamque celebrari, preces ſeu commendationes animæ « recitari. Eius monitis adductus & motus Ludouico filio multoties rebelli pepercit. « Mortui corpus iuſſit Drogo efferri in Baſilicam Metenſem, vbi & ipſe membra ſua componi voluit poſt mortem, habetque hoc Epitaphium. «

Conditur hoc buſto præſul Drogo, marmore ſculpto
Spiritus in requie lætus ouat Abrahæ.
Filius hic Magni Caroli fuit Imperatoris
Vir pius & prudens, vir probitate cluens.
Aula Regalis moderator, Paſtor Ouilis
Metis & Eccleſiæ, iure Pater patriæ.
Hic Præſul, Præſes, Dominus, Primaſque cis Alpes
Eius iudicio paca fuit Regio.
Iſte Glodeſindis ſolenniter oſſa leuauit
Condigneque loco condidit eximio.

Extat Frotharij Epiſcopi Tullenſis ad Drogonem Ep. 10. quâ eum rogat vt Monachos quoſdam compeſcat, aut ſe compeſcere ſinat. *Cæterum*, inquit, *ſciat veſtra dilectio mihi oppido diſplicere de quibuſdam Monachis cœnobij veſtri, cui Erlefredus Rector eſſe videtur.*

Dudo Eccleſiæ S. Quintini Weromanduenſis Decanus Tractatum edidit de rebus Geſtis Normanorum ad ſua vſque tempora, quem Adalberoni ſeu Aſcelino Laudunenſi Epiſcopo dedicauit. Quoſdam eius verſus ex adlocutione ad librum retulimus in Hiſtoria, quibus videtur comparare velle Dædali fugam è Creta ad Cumas Euboicas vbi templum Apollini ſacrauit, cum Rollonis è Dania ad Pariſienſem vrbem Muſis iampridem conſecratam appulſu.

Dædalus ad gelidas Pater impiger euolat Arctos,
Telluremque ſuis attigit hic pedibus.
Calcidicis tandem ſuper adſtitit arcibus ipſe
Dextris frigoribus gnarus habere modum.
Nobile delubrum Phœbo ſtatuitque dicauit,
Exuit hic alas moxque ſalutiferas.
Hæc te monſtra petunt & fabula contigit iſta
Ludicris ſannis ridiculiſque tibi
Præducis incepto Rollonis grandia facta
Dacorumque ſimul pube tenus iuuenum.
Infima terrarum linquit nimis ardua captans

Dungalus Diaconus, nobiliſſimus Theologus ſub Carolo M. Ludouico & Lothario eius filio ſcripſit libellum aduerſus Claudium Taurinenſem, quem vocauit *Reſponſiones contra peruerſas Claudij Taurici Epiſcopi ſententias.* In quo libello ſic habet inter cætera. *Qualis & quanta eſt inſana electio & vana temeritas, vt quod à primæuo tempore Chriſtianitatis per annos ferme 820. aut eo amplius à Sanctis ac beatiſſimis Patribus & religioſiſſimis poſtmodum Principibus ad laudem & gloriam Domini in Eccleſijs, & in quibuſlibet Chriſtianorum domibus fieri conceſſum, conſtitutum & iuſſum eſt, vnus homo blaſphemare, reprehendere, conculcare, proycere ac ſufflare præſumat.* Vnde autem Dungalus in Franciam aduenerit, ignorare ſe fatetur Papyrius: ſed videri ait eius librum ſcriptum fuiſſe in Monaſterio San-Dionyſiano. Floruit vſque ad an. circiter 830.

Durandus Monachus Fiſcanenſis, deinde Abbas Troarnenſis in Normania Willelmo Conquæſtori acceptiſſimus, intimorumque conſiliorum particeps ſcripſit contra Berengarium de veritate Corporis & Sanguinis Chriſti in ſacramento altaris, cuius in hanc rem opera extant. Eodem tempore florebant Gerbertus Fontanellenſis & Ainardus Diuenſis, de quibus ſic ſcribit Ordericus Vitalis l. 4. *Gerbertus Fontinellenſis, Ainardus Diuenſis, ac Durandus Troarnenſis quaſi tres ſtellæ radiantes in firmamento Cæli; ſic iſti tres Archimandritæ multis modis rutilabant religione & charitate, multiplicique peritiâ pollebant ſtudioque diuinæ laudationis in templo Dei iugiter inhiabant.* Et l. 7. ad an. 1088. de eiuſdem Durandi obitu ſic habet. *Durandus ſiquidem Troarnenſis Abbas grandæuus, ab infantia Monachus, religione & ſapientiâ præcipuus, Eccleſiaſtici cantus & diuini dogmatis Doctor peritiſſimus, ſibi durus carnifex, poſt multos in Dei cultu labores in lectum decubuit & bene vt prudens & fidelis ſeruus ire ad curiam Domini ſui paratus 3. idus Febr. de ſeculo migrauit: venerabiles Diſcipuli glebam religioſi Doctoris in capitulo ſuo reuerenter* ſepelierunt, & in candido lapide qui ſuppoſitus eſt, epitaphium hoc addiderunt.

Hac tegitur tumba bonus & venerabilis Abba
Durandus noſtri norma Monaſterii.
Ad Domini laudem præſentem condidit ædem,
Quâ ſibi propitium credimus eſſe Deum.
Luce ſub vndenâ februi reſolutus habenâ
Carnis ad Angelicam dirigitur patriam.

Durandus Leodienſis Epiſcopus an. 1021 factus eſt, qui ante promotionem Henrici Imperatoris fuerat Cancellarius, vir litteratiſſimus. Obiit autem an. 1025 10. Kal. Feb. vnde patet malè illi tribui Epiſtolam ad Brunonem Epiſcopum Andegauenſem de hæreſi Berengarianâ: ſiquidem neque tunc Berengarius in vllam hæreſim lapſus fuerat, neque Bruno Epiſcopatum Andegauenſem regebat.

Durandus Berengarij Diſcipulus Biturigum Archiepiſcopus, magnæ famæ & commendationis præſul, Vrbano II. notiſſimus & chariſſimus, cuius quippe exequias centum Epiſcoporum & Abbatum longè plurium comitatu ſtipatus cohoneſtauit; vt notauit Baldricus in hoc Epitaphio.

Temporibus luteis vir magnæ ſtrenuitatis
Aurea Durandus ſecula reſtituit.
Aruernis præſul digniſſima præſule fecit;
Fecit digna Deo Religioſus homo.
Ipſius exequias dicas ſimulaſſe triumphum
Et diſpenſantis ſigna fuiſſe Dei.
Affuit Vrbanus centeno præſule ſeptus;
Abbatum verò maior erat numerus.
Tertia cum decima tunc lugubris ante Decembrem
In reditu luctuſe ſt modò feſta dies.

E

E*Bo* vel vt aliqui ſcribunt, *Ibo* ex genere ſeruorum Originalium, natione Germanus Tranſrhenenſis, filius Himiltrudis, quæ e Germania regnanre Carolo M. in Franciam profecta, Aureliæ aliquandiu manſit, deinde Lutetiam cum marito veniens, in Palatio morata eſt, ibique Ebo filius ſimul cum Ludouico Pio eodem quaſi lacte iiſdemque diſciplinis imbutus eſt, vnde Ludouici *Collactaneus* dicebatur, de quo ſic Flodoardus lib. 2. c. 19. *Succeſſit Ebo vir induſtrius & liberalibus diſciplinis eruditus, patria Trans-Rhenenſis ac Germanicus, Imperatoris, vt fertur, Ludouici Collactaneus & Conſcholaſticus; qui multis Eccleſiam curauit inſtruere commodis & præcipuè artificibus, quibus vndecunque collectis ſedes dedit & beneficiis munerauit.* A Ludouico ad Archiepiſcopatum Remenſem promotus eſt an. circiter 822. Idem de conſilio eiuſdem Imperatoris & ſummi Pontificis prædicandæ fidei Chriſtianæ gratiâ ad fines vſque Danorum ſeu Normanorum profectus eſt, & multis ad Chriſtum conuerſis reuerſus eſt in Franciam. Optimè quidem, ſi primis vitæ temporibus vltima reſpondiſſent. Nam in diſſidiis quæ inter Ludouicum patrem & filios interceſſerunt, pro his contra Patrem, quocum in puerili ætate nutritus & in iiſdem artibus verſatus fuerat, ſtetit; imò coniurationis incentor & armiger fuit. Diſſidio verò compoſito, derelictus ab iis quos ſecutus fuerat, diu latuit in tenebris, donec tandem captus Fuldam miſſus eſt, poſtea Theodonis-villam ad Synodum Epiſcoporum iuſſu Imperatoris adductus in Palatio ſiſtitur an. 835. accuſatur, nec reſpondere ad obiecta crimina valens, vltro in abdicationem Epiſcopatus conſentit. Mortuo Ludouico an. 840. ad Lotharium Vvormaciam ſe confert, obtinetque ab eo reſtitutionem in integrum; cui ſubſcripſerunt 20. epiſcopi. At Karolo Caluo votis potito, iterum fugit an. 844. ad Sergium Papam, à quo nec poteſt reſtitutionem impetrare: itaque illi ſuffectus eſt à Carolo Hincmarus; ille verò tentatis fruſtra omnibus viis ad Ludouicum Regem Germaniæ ſe confert, ab eoque in Saxonia epiſcopium promeretur, vbi deinceps epiſcopi munere & miniſterio perfunctus eſt. Legitur apud Flodoardum loco citato Himiltrudis matris eius epitaphium, vnde agnoſcitur, quomodo illa in Francia fuerit educata, quoque pacto cum filio Remos fuerit profecta.

Mea forte ſi requiris temporis initia
Scito Karoli fuiſſe Regni ſub primordia,
Ludowico triamphante dies fluxit vltima.
Rhenus primo ſtauit mores, alueus Germanicus,
Hinc nutriuit & ſecundos Liger amnis Gallicus.
Sequana fouit iuuentam, ſordes ſordens Vidula.
Præſul erat vrbis huius mihi Natus vnicus,
Idem me conduxit ſibi ſociam laboribus,
Proximum ruinæ locum renouandi cupidus.
Decem ferme nuper annos ſimul hic peregimus.
Ebo Rector; Ego Mater Himiltrudis humilis;
Fundamento ſedis ſancta pariter ereximus,
Deo debitum laborem dum gerebat Pontifex,
Feſſa quietem quærebam. Ecce ſub hoc tumulo
Quinto me September menſis Kalendarum rapuit.
O viator eſto cautus ſemper ab exceſſibus.
Fateor non profuiſſe, vt debui, dum potui.
Veniam dic pro vindicta Da Deus peccantibus.

Ebertus Abbas Turonenſis vir quoque fuit doctiſſimus & virorum doctorum amiciſſimus, imprimis verò Gerberti Aquitani, qui cum ex Italia Remos ſe contuliſſet, ibique publicè docere aggreſſus eſſet, bibliothecam verò comparare conaretur, ac proinde vbicunque libros eſſe ſciebat rariores & non vulgaros, mitteret ſcriptores qui exſcriberent; Ebertum rogauit vt ſibi ea in re operam præſtaret. ſic ergo Ep. 44. *Cum mei memoriam frequentem habeatis inter honeſta; vti*

plurimis accepi legatis , magnamque affinitatis iure amicitiam efferatis , exiſtimatione veſtrâ beatum me fore puto, ſi ſum is qui iudicio tanti viri inueniar dignus amari. Sed quia non is ſum qui cum Panætio interdum ab vtili ſeiungam honeſtum , ſed potius cum Tullio omni vtili admiſceam , has honeſtiſſimas atque ſanctiſſimas amicitias nulla ex parte ſuo cuique vtili vacare volo. Cumque ratio morum dicendique ratio à Philoſophia non ſeparentur , cum ſtudio bene viuendi ſemper coniunxi ſtudium bene dicendi. Quamuis ſolum bene viuere præſtantius ſit eo quod eſt bene dicere , curiſque regiminis abſoluto alterum ſatis ſit ſine altero. At nobis in Repub. occupatis vtraque neceſſaria. Nam & appoſitè dicere ad perſuadendum, & amicos furentium ſuaui oratione ab impetu retinere ſumma vtilitas. Cui rei præparandæ bibliothecam aſſiduè comparo, & ſicut Romæ dudum ac in aliis partibus Italiæ, in Germania quoque & Belgica ſcriptores authorumque exemplaria multitudine nummorum redemi , adiutus beneuolentiâ ac ſtudio amicorum comprouincialium , ſic identidem apud vos per vos fieri ſinite vt exorem. Quos ſcribi velimus, in fide Epiſtolæ deſignabimus. Scribenti membranam ſumptuſque neceſſarios ad veſtrum imperium dirigemus , veſtri inſuper beneficij non immemores. Denique ne plura locuti legibus Epiſtolæ abutamur, cauſa tanti laboris contemptus malefidæ fortunæ : quem contemptum nobis non parit ſola natura, vt multis, ſed elaborata doctrina. Proinde in otio , in negotio & docemus quod ſcimus , & addiſcimus quod neſcimus. Quanti verò faceret Gerbertus Ecberti eloquentiam , breuiter indicat Ep. 89. *Quæ morum grauitas vobis inſit , quàm integer vita actus , quàm purum eloquium , litteræ veſtræ palam fecerant.*

Egbertus Eboracenſis Archiepiſcopus non ſtuduit quidem Luteriæ, ſed ob hoc inter noſtros annumerandus ; quia Alcuinum litteris imbuit , eumque mirifico ſtudio fouit & dilexit. Et ipſe viciſſim ſingulari obſequio magiſtrum coluit. De vtroque ſic Malmeſburienſis l. 1. de Geſtis Reg. Angl. c. 3. *Hic* (Egbertus) *omnium liberalium Artium armarium & ſacrarium fuit , nobiliſſimamque Bibliothecam Eboraci conſtituit. Cuius rei teſtem idoneum aduoco Alcuinum ; qui à Regibus Angliæ pro pace miſſus ad Regem Magnum Carolum, & benigno apud eum fotus hoſpitio, in Ep. ad Eambaldum tertio loco Egberti ſucceſſorem ait* : Laus & gloria Deo ; qui dies meos in proſperitate bona conſeruauit , vt in exaltatione filij mei cariſſimi gauderem ; qui laboraret vice mea in Eccleſia vbi ego nutritus & educatus fueram, & præeſſet theſauris ſapientiæ, in quibus me *Magiſter meus dilectus Egbertus Archiepiſcopus hæredem reliquit.* Obiit autem an. 766. Archiepiſcopatus 32. ſucceſſorem habuit Albertum, deinde Eambaldum ſeu Embaldum Alcuini diſcipulum, qui obiit an. 797.

Eginardus, Eginhartus , Einardus , *Ænardus* , *Agenardus* , ſic enim ſecundum varia pronunciationis genera variè appellatur , ex Orientali Francia oriundus fuit circa nemus Otronicum, & à Carolo in aula enutritus eſt ſingulari curâ & ſtudio , vbi tantum profecit in exercitio litterarum, vt à nonnullis *Sapiens*, à quibuſdam, *vir vndequaque doctiſſimus*, ab alijs *vir ſui temporis prudentiſſimus* ab aliis etiam *Liberalium Artium experientiſſimus* appellatus fuerit. Viro ſtaturâ paruo ſublime erat ingenium : quare eum Carolus ſumpſit in Regalis Palatij Notarium , eundemque Regalibus operibus ac ſtructuris præfecit : vt ex his Strabonis verſibus patet.

Nec minor eſt magni reuerentiâ Patris habenda,
Beſelul fabre primum qui percipit amne
Artificum præcautus opus. Sic denique ſummus
Ipſe legens infirma Deus , ſic fortia temnit
Magnorum , quis enim maiora receperat vnquam
Quam radiare breui nimium miramur homullo ?

Vxorem duxit claram natalibus, & eximiis virtutibus conſpicuam, Immam nomine, Caroli M. vt ſcribunt aliqui , filiam : quâ mortuâ vix amicorum verba ad conſolationem admittere potuit : adeo vulnus domeſticum impatienter tulit : vt patet ex Ep. 2. 3. & 4. Lupi Ferrarienſis ad ipſum in. I quidem ſic ait. *Deſiderantiſſimo præceptori Einhardo Lupus. Moleſtiſſimo nuncio de exceſſu venerabilis veſtræ coniugis æſtuanti pluſquam vnquam vobis nunc optarem adeſſe , veſtram mæſtitiam vel meâ compaſſione leuarem, vel conceptos ſenſus ex Diuinis Eloquiis aſſiduo ſermone ſolarer. Verum donec id Deus præſtet, etiam poſſibile ſuggero, vt memores humanæ conditionis, quam*

Digitized by Google

merito peccati contraximus, modicè ſapienterque feratis quod accidit. Neque enim huic infortunio cedere debetis, qui blandimenta lætioris fortunæ forti ſemper animo deuiciſtis. Verum ſeculi pertæſus animoque proſtratus & ætate declinante ad Aſceticam vitam ſe contulit, ſibique & quibuſdam ſociis in proprio fundo Cœnobium Salingeſtadenſe ad Mœnum fluuium condidit & fundauit; ibique tumulum accepit eum Epitaphio quod illi Rabanus inſcripſit; illud verò in Chronologia ad an. 848. retulimus. Porro ſcripſit Eginhartus vitam Caroli Annaleſque Francorum ab an. 741. ad an. 829. qui diu Adelmi ſeu Ademari Benedictini Monachi nomine inſcripti ſunt & vulgati. Geſta quoque Saxonum edidit. Epiſtolas ad diuerſos. De Tranſlatione & Miraculis SS. Marcellini & Petri Martyrum libros 4. & alia quædam opera, tam felici ſtylo diſertoque & polito, vt ſui temporis alter Tullius diceretur. De eius eloquentia ſic ad ipſum Lupus Ep. 1. *Cum authorum voluminibus ſpatiari aliquantulum cœpiſſem & Dictatus noſtra ætate confecti diſplicerent, propterea quod ab illa Tulliana cæterorumque grauitate, quam inſignes quoque Chriſtianæ religionis viri æmulati ſunt, aberrarent, venit in manus meas opus veſtrum, quo memorati Imperatoris clariſſima geſta (liceat mihi abſque ſuſpicione adulationis dicere) clariſſimè litteris allegaſtis. Ibi elegantiam ſenſuum, ibi raritatem coniunctionum, quam in Authoribus notaueram, ibidemque non longiſſimis periodis impeditas & implicitas ac modicis abſolutas ſpatiis ſententias adinueniens amplexus ſum. Quare cum & ante propter opinionem veſtram, quam Sapienti viro dignam imbiberam, tum præcipue propter expertam mihi illius libri facundiam deſideraui deinceps aliquam nanciſci opportunitatem, vt vos præſentes alloqui poſſem, vt quemadmodum vos meæ paruitati veſtra tum probitas tum ſapientia fecerat claros, ita me veſtræ ſublimitati meus etiam erga vos amor & erga diſciplinas ſtudium commendaret. Neque verò id optare deſiſtam, quandiu ipſe incolumes in hac vita vos eſſe cognouero. Quod poſſe contingere hoc magis in ſpem adducor, quo ex Gallia huc in Tranrhenanam concedens regionem vobis vicinior factus ſum.* Tunc Lupus ſub Rabano Theologiæ dabat operam. Obiit autem Eginhartus an. circiter 848. vt ex Trithemio colligitur.

Embaldus ſeu *Eambaldus* Alcuini Diſcipulus ſucceſſit Alberto in ſede Eboracenſi an. 770. vnde Alcuinus apud Malmeſburienſem l. 3. de Geſtis Pontif. Angl. in Eambaldo, qui Alberto ſubſtitutus eſt præfati Alcuini diſcipulus induſtrius, *Laus & gloria Deo qui dies meos in proſperitate bona conſeruauit, vt in exaltatione filij mei chariſſimi gauderem, qui laboraret vice mea in Eccleſia, vbi nutritus & educatus fueram.* obiit an. 797.

Ercanradus ſucceſſit Deodefrido in Epiſcopatu Pariſienſi, virque fuit eximiæ doctrinæ ſummæque authoritatis; qui ſi is eſt, cuius meminit Carolus M. in quodam diplomate quod in Cartophilacio Baſilicæ Pariſ. ſeruatur, 50. & amplius annos Epiſcoparum tenuerit neceſſe eſt. Nam ante an. 800. electus dicitur, obiit verò an. 853. vt infra dicetur. Notanda autem hæc verba diplomatis. *Ideoque dum pluris habeatur percognitum qualiter Eccleſia Pariſiaca quæ eſt in honore S. Mariæ Matris Domini I. C. & SS. Stephani Proto-Martyris, Dionyſij, Germani, Marcelli: vel S. Clodoardi Confeſſoris, vel cæterorum Dominorum, quorum pignora in ipſa plebe, vel in ipſa Eccleſia Pariſiaca adunata requieſcunt, vbi præeſt Erchanradus in ipſa plebe Epiſcopus.* Quæ ſi vera ſunt, iam tum Baſilica Pariſienſis S. Mariæ Virginis nomine celebris habebatur. Verum Launoyius confictam putat hanc Chartam, aitque Erchanradum non Carolo M. regnante, ſed Ludouico Pio & Carolo Caluo Regibus Eccleſiæ Pariſ. præfuiſſe. Commemorant aliqui duos Erchanrados, vnum ſucceſſorem Deodefridi ſub Carolo M. alterum ſub Ludouico & Caluo. Et iſte interfuit Synodo Theodonis-villenſi, an. 835. in qua depoſito Ebone ſubſtitutus eſt Hincmarus Rhemorum Archiepiſcopus. Bellouacenſi an. 845. Ex iis quoque vnus eſt, qui ſcripſerunt ad Nomenoium Britanniæ Regem, ſeu Priorem, vt legitur apud Lupum Ferrarienſem. Extat quoque apud eundem Ep. 115. Guenilonis Metropolitani Senonenſis & quorundam aliorum ad Ercanradum, modeſtè eum reprehendentium quod Synodo non adfuiſſet, ſed Vicarium tantum ſuum miſiſſet: quanti autem eum facerent, aperiunt his verbis. *Perſona veſtra apud ſimplices quoſque tantum amplius contuliſſet authoritatis, quantum præcedit apice dignitatis.* In Synodo Sueſſionenſi, quæ anno 853. habita eſt lectæ ſunt eius litteræ, teſte Flodoardo l. 3. c. 11. & eo anno obiit, eique Æneas ſucceſſit.

Digitized by Google

Erilandus inſignis in Profeſſione litterarum MagiſterBaldrico Burgulienſi notus & familiaris : quem valde ſenem obiiſſe teſtatur hoc Epitaphio.

Littera quem dites magnum iubar extulit orbi ,
Orbi deflendus hic Erilande iaces.
Magne ſenex , linguâ pariter iocundus & actu ,
Sufficeres orbi ſi diuturnus eras.
Nec mors nec ſenium quenquam nocuiſſet , vt ipſe
Neſciſſet mortem taliter aut ſenium.
Sed quoniam commune mori eſt , & labitur ætas.
Parcatur lachrymis ſitque locus precibus.
Dum te terra fouet , tua molliter oſſa quieſcant ,
Sit quoque cum Chriſto pax Erilande tibi.

Erricus vel *Hierricus* AntiſſiodorenſisMonachus Heliæ Scotigenæ, MagiſtriPalatini poſtea Engoliſmenſis Epiſcopi Diſcipulus. Ipſe quoque Scholas tenuit, & inter cæteros Diſcipulos habuit Remigium Antiſſiodotenſem & Hucbaldum Caluum , vt ex Ademaro Engoliſmenſi in Chronologia retulimus. A Lothario iuuene Caroli Calui filio & Abbate S. Germani Antiſſiodorenſis iuſſus vitam S. Germani verſibus conſcripſit tum recens è Scholis reuerſus, vt ipſe ait in Ep. Dedicatoria. *Tandem me qui tum recens Scholis emerſeram, conuocato dolorem aperit inteſtinum , vtque ei ſi quâ poſſem ratione mederer , importunius conteſtatur : ſcilicet vt quod elaboratum quondam in præfatis Epiſtolis legerat , iterarem, actuſque Germani præcellentiſſimos à proſa in metrum deſideriis illius ſatisfacturus transfunderem. Vir fuit Erricus non minus ſecularibus litteris quàm Diuinis inſtructus , carmine excellens & proſa.* De eo hoc tantum Sigebertus. *Erricus Monachus vitam S. Germani Antiſsiodorenſis Epiſc. metrico ſtylo luculenter ſex libellis deſcripſit* : & poſt eum Trithemius. *Erricus Monachus Ord. S. Benedicti Cænobij Antiſſiodorenſis Ciuitatis , vir in Diuinis ſcripturis doctus & in diſciplinis ſecularium litterarum eruditiſſimus , carmine excellens & proſa : in declamandis ad populum homeliis Doctor egregius fuit. Scripſit metricè luculenter vitam Germani Antiſsiod. lib. 6. Homeliarum ad populum lib.* 1. *Sermones & Epiſtolas plures. Alia quoque multa vtroque ſtylo compoſuit , quæ ad notitiam meam non venerunt.* Vitæ D. Germani Epiſtolam Dedicatoriam retulimus in Chronologia , quâ mirificò Caluum prædicat ob Scholarum curam virorumque Doctorum, quos ex omnibus mundi partibus ad docendum aduocabat amorem. Hoc verò opus an. ætatis 32. abſoluit , & in fine lib. 6. ait.

En vitam miſeram iam trina decennia verſant :
Additur his annus æuo gliſcente ſecundus.
Meque boni quicquam nunquam feciſſe recordor.

Toto illo opere vitam , actus & miracula D. Germani complectitur; inter cætera deſcribit binum eius cum Genouefa Virgine colloquium: de ſecundo autem ſic habet lib. 8.

Tuque tuum rurſus populoſa Lutetia nomen
Carmine conde meo ; mihi certè mentio conſtat
Semper grata tui , quod te nunc oſſibus ornat
Sponſa mei Domini quondam celeberrima ſignis ,
Huc tunc ingreſſus Præſul Germanus.

F

F*Lodoardus* , Frodoardus , Flauualdus , Fruuardus , ſic enim diuerſimode à diuerſis appellatur , Presbyter & Canonicus Eccleſiæ Remenſis , itemque Parochus Eccleſiæ Colmiſiacæ in Pago Remenſis Diœceſeos. Vixit ſub his Francorum Regibus , Carolo Simplice, Ludouico Transmarino & Lothario eiuſdem Ludouici filio (quem Artoldus Archipræſul Remenſis conſecrauit an. 954.) & ſub

ſub his Archiepiſcopis, Heriuæo, Seulfo, Artoldo & Odalrico. Scripſit hiſtoriam Archiepiſcoporum rerumque Remenſium & Chronicon Franciæ ab anno 910. ad an. 966. Item quædam opera metricè de Triumphis Chriſti, de Triumphis Italicis, de Martyribus & Confeſſoribus lib. 15. qui dicuntur aſſeruari Treueris manuſcripti in ſummo Templo. Electus fuerat Nouiomenſis Epiſcopus, ſed à Fulchetio Monacho præuentus & fruſtratus eſt: quæ cauſa illi fuiſſe videtur, cur Mundū deſerere in animo habuerit. Retulimus in hanc rem Adelagi ad ipſum Epiſtolam. Obiit plenus dierum anno ætatis 73. anno verò Chriſti 996. 5. Kal. April. de quo ſic in ſupplemento Chronici ſcriptum legimus. *Ipſo anno* (videlicet 966.) *Vir vita venerabilis & Remenſis Eccleſiæ Presbyter nomine Frodoardus honore ſanctitatis venerandus, caſtitatis ſplendore Angelicus, fulgore ſapientiæ cælicus, cæterarumque virtutum inſignibus abundanter oppletus, præcedentis libelli, aliorumque dictator egregius 5. Kal. April. terrena perregrinationis relinquens exilia, ciuicam vt credimus, adeptus eſt iura.* Eiuſdem legitur hoc Epitaphium vetuſtiſſimum è MS. veteri.

Si ti ven de Rein ſauoir ly Eueque
Lye le Temporair de Flodoon le ſaige
Y les mor du Tam d'Odalry Eueque,
Et fut d'Epernay né par parentaige.
Vequit caſte Clerc, bon Moine, meilleu Abbé
Et d'Agapit ly Romain fut aubé
Par sen Hiſtoire maintes nouelles ſauras
Et en ille toute Antiquité auras.

Id eſt, ſi vis noſſe Remenſes Archiepiſcopos, lege Chronicon Flodoardi docti. Is fato functus eſt tempore Odalrici præſulis. Oriundus ex Sparnaco. Vixit caſtus Clericus, bonus Monachus, melior Abbas. Ab Agapito Papa factus fuit Sacerdos. Ex eius Hiſtoria multa noua ſcies, & in illa totam Antiquitatem hauries.

Florus Eccleſiæ Lugdunenſis Diaconus, non Monachus, vt aliqui dicunt, de Monaſterio S. Trudonis. Ille qui indicem Chronologicum ad Bibliothecam Patrum contexuit, ait ſe legiſſe in Codice M.S. perantiquo illum adfuiſſe Concilio Cariſiacenſi, an. 858. temporibus Caroli Calui, & ſcripſiſſe contra Amalarium Lugdunenſem. Vir fuit doctiſſimus iſque forte eſt qui Epiſtolam nomine Lugdunenſis Eccleſiæ ſcripſit contra M. Ioannem Scotum: nam tunc Eccleſia Lugdunenſis plurimis doctiſſimis viris abundabat & profeſſoribus excellentiſſimis, vt ſuo loco docuimus. Cæterum M. Flori ætatem agnoſcimus ex Verſibus Walafridi Strabonis ad Agobardum Lugdunenſem Archiepiſcopum, qui ab anno circiter 813. vſque ad an. 840. ſedem illam tenuit.

Dum vix ter ſenos habuiſſem temporis annos
Ad vos nomen iit, O pater alme, meum....
At de flore nouo: qui vos penes ortus odorem
Prodit vbique ſui, hæc loca rumor adiit.
Flora venit quondam, dum ſingula quæque Deorum
Sunt affata, iugis prata thymumque gerens.
Huic Floro melius ſententia Chriſticolarum
Attribuit, quidquid dogmate & ore viret.
Nam hic Florus florem ſequitur de germine Ieſſe,
Et tradit quod amans attulit ille homini.
Quæ tam ſegnis erit donis ignota ſupernis,
Quæ ſe hoc non ſponte nectare paſcat apis?
Floreat haud flaccens hic flos & florea fragrans
Spiramenta ferat ſemper vbique Deo.
Donec in Aſtriferas porrecta cacumina ſedes
Erigat & fructum iam ſine fine habeat.
Cedant Ambroſia, Roſa, Lilia, Spica, Crocuſque

Deo militantium. Foſſatenſe Cœnobium ſuſcepit reformandum operâ Maioli
Abbatis Cluniacenſis, & Magenardo Abbate ad Monaſterium S. Mauri, quod
Glannafolium dicebatur, tranſmiſſo, expulſiſque ſeditioſis & contumacibus
Monachis, alios melioris vitæ ſubſtituit, amplaſque eis poſſeſſiones dedit an.
998 Obiit circa an. 1030. 4. Kal. Martias accepto prius Monachali habitu, ſe-
pultuſque eſt in Cœnobio quod ædificarat. Eius autem Mauſoleum his ver-
ſibus decoratum eſt.

Hic vir Magnus erat quondam dum corpore vixit,
Nomine Burchardus per mundi climata notus.
Celſus erat meritis, dictis, factiſque modeſtus;
Pauperibus largus, viduis per cuncta benignus.
Ipſius en corpus tumulo requieſcit in iſto.
Martius oſtendit quarto migraſſe Calendas.

C.

C*Andidus* Presbyter Lindisfarnienſis Anglus vſus eſt primum Pattono ac Præceptore Higebaldo Epiſcopo, à quo miſſus in Galliam ad Flaccum Albinum ſeu Alcuinum tanquam ad torrentem ſcientiarum, ab eoque inſtitutus rediit in Angliam, vbi magnam ſibi ab climata doctrinâ & eruditione laudem inter ſuos peperit. De eius in Britanniam receſſu ſic Alcuinus Ep. 93 *Ego pene* quaſi orbatus filiis *remaneo Domi. Damœta Saxoniam, Homerus Italiam, Candidus Britanniam receſſit.* Martinus *in vicos apud S. Iodocum infirmus remanſit.* Quanti autem Candidum hunc fecerit Alcuinus, vel ex eo patet, quod ei, Oniæ & Nathanaëli tribus ſuis Diſcipulis, qui deinde in Palatinis Scholis docuerunt, ſua in Eccleſiaſten Commentaria dedicarit.

Carolus re & nomine Magnus iure inter Illuſtres Academicos accenſeri debet, non tantùm quia Alcuini præceptoris auditor fuit, ſed quia exemplo ſuo plurimos ad ſtudendum & ſcribendum excitauit, Academiamque toto Orbe celeberrimam inſtituit, Academicorum verò & omnium Doctorum virorum Mecenas liberaliſſimus extitit. Filius erat Pipini Magni, & Nepos Caroli Martelli. Patre apud Pariſios defuncto Regnum cum Carlomanno fratre ſuſcepit an. 769. ſedemque Nouiomi elegit: fratre autem poſt biennium defuncto ſolus regnauit vſque ad obitum. Omnino verò regnauit 47. annis, ſcilicet Francicum Regnum tenuit annos 33. antequam Imperator fieret & cum Imperio 14. Anno Regni 2. Synodum habuit apud Vvormaciam. Anno 5. bellum ſuſcepit aduerſus Saxonas. An. 5. Adriano Pontifici contra Deſiderium Longobardorũ Regem adfuit. An. 6. offenſus diſſonantiâ Cantus Eccleſiaſtici inter Romanos & Gallos, miſit Romam viros induſtrios qui ab ipſo fonte cantandi rationem & peritiam diſcerent. Reuerſos primùm Metis Scholam habere iuſſit, deinde Pariſiis & in cæteris Galliæ Vrbibus. Hiſce initiis ad maiora ſtudia amplectenda incitatus, & preterea exemplo inductus Adriani, quem vnicè diligebat, cœpit viros doctos colere, euocare & ad docendum præmiis incitare. Petrum quidem Piſanum, quem Ticini ſeu Papiæ docentem repererat, in Grammatica Præceptorem habuit: deinde Alcuinum in Rhetorica, Dialectica & Aſtrologia. Tum concurrentibus vndique viris Doctis tanti Principis famâ & liberalitatis ſpe, Pariſienſem Academiam inſtituit in Palatio. Omnibuſque patere voluit, Diuitibus, Pauperibus, Nobilibus & Ignobilibus, vt fusè probauimus in Chronologia. Liberos autem ſuos ita cenſuit inſtituendos, teſte Eginharto, Vt tam filii quàm nepotes primò liberalibus ſtudiis, quibus & ipſe operam dabat, erudirentur. Imo filias quoque voluit primo liberalibus artibus imbui, deinde lanificio: vt ſcribit Radulfus de Diceto. Ipſe vero erat eloquentia copioſus & exuberans, poteratque quidquid vellet, apertiſſimè exprimere: nec patrio ſermone contentus, linguis peregrinis addiſcendis incubuit, inter quas Latinam perfectiſſimè calluit, & ita calluit, vt nihilo difficilius eâ quàm patriâ vteretur. Eius autem in ſtudiis laborem & exercitia ſic deſcribit Poëta Saxonicus.

Legerat aſſiduè Scripturæ dicta ſacratæ
Quoſque libros Sancti compoſuère patres.

Digitized by Google

Quos Auguſtinus Cœli de Ciuibus almis.
Scripſit amanter eos crebrius audierat.
Scribere tentabat. Nam circumferre ſolebat
Secum cum paruis Codicibus tabulas.
Ac ponens ipſas ad Ceruicalia lecti.
Regalis, nunquam fecit abeſſe ſibi.
Inter tot curas tantique negotia Regni
Rex exercuerat his animum ſtudiis.

Alcuinum adeo dilexit, vt palam & publicè ſemper eum *Magiſtrum & delicioſum Magiſtrum* appellaret. Cuius conſiliis non modò in condenda Academia diſponendiſque ſcholis ſecundum ordinem Diſciplinarum, ſed in ipſa Regni adminiſtratione vſus eſt, vt in hiſtoria docuimus, & cuiuis parebit, qui leget Alcuini ad ipſum Epiſtolas.

Corporis ſtaturam non omiſit Eginhartus, ſicque eam deſcribit. Corpore fuit amplo atq; robuſto, ſtatura eminenti quæ tamen iuſtum modum non excederet: Nam ſeptem ſuorum pedum proceritatem eius conſtat habuiſſe menſuram. Apice capitis rotundo, oculis prægrandibus ac vegetis, naſo paulum mediocritatem excedente, canicie pulchra, facie læta & hilari. Vnde formæ authoritas ac dignitas tam ſtanti quam ſedenti plurima acquirebatur. Quanquam ceruix obeſa & breuior, venterque proiectior videretur, tamen hæc cæterorum membrorum celabat æqualitas. Inceſſu firmo totaque Corporis habitudine virili. Voce clara quidē, ſed quæ minus corporis formæ conueniret. Addit Monachus Sangallenſis Carolum geſtare ſolitum diebus feriatis virgulam more ſceptri, ſtaturæ corporis æqualem. Ambitionis verò taxat Epiſcopum quendam Germaniæ, qui virgam auream incomparabilis Caroli, quam ad ſtatum ſuum fieri iuſſerat, diebus feriatis vice baculi ferendam, ille pro Epiſcopali ferula improbus ambiebat. Nonnulla etiam opera edidit, quæ verſibus his complectitur Poëta Saxon. lib. 5. de Geſtis Caroli M. Imp.

Ipſe decem poſt hæc & ternos circiter annos
Auguſto lætus vixit in Imperio.
In quibus antiquas leges correxit, in ipſis
Vniri mandans diſſona quæ fuerant.
Addidit his etiam nouiter, quæ congrua duxit,
Pauca quidem numero, valde ſed vtilia.
Cunctorumque ſui Regni leges populorum
Collegit, plures inde libros faciens.
Nec non quæ veterum depromunt prælia Regum
Barbara mandauit Carmina litterulis.
Cœpit & ingenii totis cum viribus acris
In Linguam propriam vertere Grammaticam.
Ardua Philoſophis etiam res hæc foret, artem
Ad hanc ſermonem cogere barbaricum
Talibus à ſtudiis non Regni maxima cura,
Non ætas grauior tunc reuocauit eum.

Obiit tandem Princeps omnibus bonis deſideratiſſimus Aquiſgrani an 814. 5. Cal. Febr. eique hoc Epitaphium conditum eſt, quod legitur in fine operum Agobardi, & in vetuſtiſſimo Codice M.S. Cœnobij Noualicienſis an tom. 2. Script. Hiſtor. Gall.

Aurea Cœlorum poſtquam de Virgine Chriſtus
Sumpſerat apta ſibi mundi pro crimine membra,
Iam decimus quartus poſt centies octo volabat.
Annus fluctiuagi meruit quo feruida ſæcli
Ætherei Carolus Francorum Gloria Gentis.
Æquora tranſire & placidum comprehendere portum

Qui decieſque quater per ſex feliciter annos
Sceptra tenens Regni & Regno Rex Regna reiungens,
Febro migrauit quarto arij ex orbe Kalendas
Septuaginta ſex vita qui terminat annos.
Quapropter flagito precibus ſi flecteris vllis,
Quique huius relegis verſus Epigrammata, Lector,
Aſtriferam Caroli teneat, dic, ſpiritus arcam.

Carolus II. cognomento *Caluus* Ludouici Pij ex Iuditha filius, Paterni auitique exempli æmulator egregius, vbi per bella Ciuilia licuit, Academiam inteſtinis Galliæ motibus ſub Patre collapſam inſtaurauit, vndequaque viros doctos accerſiuit, eamque partem hæreditatis paternæ quæ ſibi obtigerat, nimirum Franciam & in Francia Lutetiam, omnigena litterarum Diſciplinâ nobilitare curauit. Nam an. 838. cum Ludouicus Parens liberis ſuis ad pacem fouendam diuiſiſſet Imperium, Galliam quam tunc Nouam Franciam appellabant, teſte Monacho San-Gallenſi, Carolo Iuniori attribuit, & ſtatim *Hilduinus Abbas Eccleſiæ S. Dionyſij & Gerardus Comes Pariſius Ciuitatis*, inquit Nithardus lib. 1. *cæterique omnes prædictos fines habitantes conuenerunt, fidemque ſacramento Karolo firmauerunt.*

Huiuſce Principis erga immortales Diſciplinas ſtudium & amorem prædicat Erricus Antiſſiodorenſis in Epiſtola dedicatoria, quam vitæ D. Germani verſibus à ſe conſcriptæ præfixit: in qua quamquã eum Auguſtum vocat & Cæſarem, nondũ tamen videtur fuiſſe Imperator, cum eã dedicauit. Quid enim attinuiſſet tam longè repetitam Lotharij filij Abbatis Ferrarienſis, qui an. 866. obierat, refricare memoriam Patri qui Imperator factus eſt an. 876. Deinde hæc verba ſatis clarè videntur indicare, paulo poſt Lotharij mortem opus ſuum Carolo dedicaſſe: *Habe igitur*, inquit, *poſt funus dilectiſſimi filij, hreditarium pignus quo & defuncti memoriam ſuauiter refricare, & integre fidelis famuli deuotionem aduertere valeas, qui te nullo modo paſſus ſum extremi ſaltem muneris vtilitate frandari.* Sed de Caluo ſatis in hiſtoria dictum. Obiit ille in Italia an. 878. biennio poſt occupatum Imperium, eiuſque corpus aliquandiu ſeruatum eſt Vercellis, poſtea tranlatum ad D. Dionyſii, vbi habet hoc Epitaphium.

Imperio Carolus Caluus Regnoque potitus.
Gallorum, iacet hic ſub breuitate ſitus.
Plurima cum villis, cum clauo cumque corona,
Eccleſia unius huic tulit ille bona.
Multis Abbatis nobis fuit hic reparator,
Sequanij fluuij Ruoliique dator.

Claudius cognomento *Clemens* natione Scotus excellenter litteratus, Alcuini & Ioannis Malroſii olim in ſcholis ſocius, vt tradit Balæus: in condenda quoq; Academia Pariſienſi adiutor, quem tradunt omnes fere Hiſtorici, cum veteres tum Moderni poſt Monachũ San-Gallenſem, à Carolo fuiſſe ſcholis Palatinis præfectũ & inibi ad extremam vſque ſenectutem multos docuiſſe, erudiſſe & cum ibi *gymnaſiarches eſſet*, inquit Balæus, multa doctrinæ monumenta edidiſſe. Inter alia verò opera, ediſiſſe dicitur Commentaria in Matthæum, vbi expeditionis an. 815. in Normanos in præfatione meminit. Scripſit quoque Scholia in Ep. ad Galatas & Ducteranno Abbati dedicauit teſte Myræo in auctario de ſcriptoribus Eccleſiaſticis. *Claudius Scotus*, inquit, *Monachus Ordinis S. Benedicti; Alcuini in fundandâ ſchola Pariſienſi Collega, ſcripſit vt mihi eſt veriſimile, Enarrationem Epiſtolæ ad Galatas Dructerano Abbati dicatam, quam Claudio Antiſſiodorenſi Epiſcopo inſcriptam Pariſienſes ediderunt.* Hunc noſtrũ Clementẽ confundunt multi cũ Clemente Antiſiodorenſi Epiſcopo quem fuiſſe quoque Scotum aiunt; ſed annorum epocha non conuenit: quippe Clemens Epiſcopus obiiſſe dicitur an. 744. & is eſt, quẽ Balæus ait relictâ omni cognatione ſua poperanter è Scotia in Galliam veniſſe cũ Sanſone presbytero etiam Scoto: quemque Monachus Antiſſiodorenſis ſcribit cœcitatem corpoream paſſum iuxta Baſilicam Apoſtolorum Petri & Iacobi diuerſorium habuiſſe: alii verò obiiſſe ſcribunt 13. April. & ſepultum in Eccleſia S. Amatoris. At Clemens

mens noſter Palatinæ Scholæ præfectus & Gymnaſiarcha, quem Carolus Lutetiæ reliquit ducto ſecum Ticinum Ioanne Mailroſio, obiiſſe dicitur communiter an. 842. conſumptis in docendi munere quinquaginta & amplius annis. An autem ille ad vllam Eccleſiam aut Abbatiam promotus ſit, nihil comperi.

Claudius natione Hiſpanus Felicis Vrgelitani, vt creditur, diſcipulus, ex Hiſpania à Ludouico Pio ad Palatium euocatus, è Clerico Palatij factus eſt Epiſcopus Taurinenſis: quò cum perueniſſet, omnes Sanctorum imagines de Templis deiici iuſſit, vetuitque vllum iis cultum exhiberi. Et quia Abbas quidam nomine Theodemirus repugnare viſus eſt, aduerſus eum ſcripſit libellum quendam, quo rationes plurimas complexus eſt, quibus ad deturbandas imagines motus fuerat. Noua iſta Doctrina in Eccleſia Romana turbas excitauit, nec tam citò pacatæ fuerunt. An. 825. in eam rem habita fuit iuſſu Ludouici Pariſiis Collatio virorum Doctorum cum profeſſoribus Palatinis: & Ionas poſtea Epiſcopus Aurelianenſis qui ei interfuit, ab eo ad Eugenium Papam miſſus cum conſultis ſapientum. Aduerſus Claudium ſcripſit Dungalus inſignis tunc temporis Theologus, ſcripſit & Ionas libros tres iuſſu eiuſdem Ludouici, quos poſtea Carolo Caluo dedicauit. De illo autem ſic habet. *Ludouico feliciter imperante idem Felix in quodam Diſcipulo ſuo nomine Claudio, vt pote, vt verbis D. Hieronymi vtar, Euphorbus in Pythagora renaſcitur.* Et in præfatione de Ludouico loquens. *Quendam Presbyterum Natione Hiſpanum nomine Claudium, qui aliquid temporis in Palatio ſuo in Presbyteratus militauerat honore, cui in explanandis SS. Euangeliorum Lectionibus quantulacunque notitia ineſſe videbatur, vt Italicæ plebis quæ magna ex parte à SS. Euangeliſtarum ſenſibus procul aberat, ſacræ Doctrina conſultum foret, Taurinenſi præſulem ſubrogari fecit Eccleſiæ.* De eodem Claudio non videntur contemnenda quæ habet Strabo de rebus Eccleſ. c. 8. *Ipſa denique querela Græcorum temporibus bonæ memoriæ Ludouici Imperatoris in Franciam perlata eiuſdem Principis prouidentia ſcriptis ſynodalibus eſt confutata. Quam Claudius quidam Taurinenſis Ep. ſed in veritatis itinere nominis ſui ſimilitudine nutabundus inter cæteras vanitatum ſuarum ineptias cupiens renouare, antequam diuerſorum contra eum ſcribentium telis perfoderetur, ſuo iudicio damnatus interriit.* Obiiſſe autem dicitur circa an. 826.

Conſtantius vel Conſtantinus Monachus Floriacenſis Gerberti Aquitani æqualis & Comprofeſſor atque amiciſſimus, in Arithmetica & Mathematicis diſciplinis peririſſimus, more ſeculi Lutetiæ videtur artes liberales hauſiſſe, quas poſtea Floriaci & Aureliæ profeſſus eſt. Ad eum extant nonnullæ Gerberti Epiſtolæ. In 87 inuitat eum ad ſe venire, & vt afferat ſecum *Tulliana Opuſcula & de Repub. & in Verrem, & quæ pro defenſione multorum plurima Romana Eloquentia parens conſcripſit.* in 92. de eodem ſic habet. *Omnia per Conſtantium Floriacenſem ſupplere curabo. Eſt enim Nobilis Scholaſticus, apprimè eruditus mihique in amicitia coniunctiſſimus.* In 142. ei congratulatur quod peruaſor quidam Abbas atque hoſtis Monaſticæ Religionis, qui Floriacenſem Abbatiam potentiorum authoritate fretus inuaſerat, obiiſſet, rogatque vt ad ſe Remos veniat *in feſto S. Remigii.* Inibi eum vocat *Dulce ſolamen laborum ſuorum;* quo ſuadente explicare contenderat ipſe rationes Abaci, licet iam ab aliquot luſtris in eo exercitio verſari deſiſſet. *Vir amicitia pene impoſſibilia redigit ad poſſibilia.* Nam quomodo rationes numerorum Abaci explicari *contenderemus, niſi te adhortante, O mî dulce ſolamen laborum Conſtantine?* Tandem ex Monacho & Scholaſtico Floriacenſi factus eſt Abbas S. Maximini Aurelianenſis, quæ Abbatia ſita eſt in agro ſuburbano Miciaco *au bourg de Micy* ad 1. ab vrbe lapidem, vnde eum Gerbertus vocat *Miciacenſem Abbatem* Ep. 33. Addititiarum à Sirmondo. Sed errant nonnulli, cum an. tantum 1003. factum fuiſſe Abbatem ſcribunt: certum eſt enim tum cum adhuc Gerbertus Remis eſſet, & in Gallia, ſcilicet an. 996. iam fuiſſe Abbatem, quoniam ad eum prædictam ſcribit Epiſtolam. Fuit autem propter litterarum & bonarum artium commercium Roberto Regi acceptiſſimus, à quo priuilegium obtinuit an. 1020. piſcaturæ in Ligeri. Ei ſucceſſit an. 1021. Albertus II.

Corydon Alcuini quondam diſcipulus, ad quem extat ipſius poëma 259. quo eum negligentiæ accuſat & quaſi inebriationis in deliciis Palatinis.

Dormit & ipſe meus Corydon Scholaſticus olim
Sopitus Baccho. Væ tibi Bacche pater.

Digitized by Google

Tu quia tu quæris ſenſus ſubuertere ſacros
Atque meum Corydon ore tacere facis.
Ebrius in tectis Corydon Aulenſibus errat
Nec memor Albini, nec memor ipſe ſui.

Fuit autem ille Corydon poëſi deditus, vt ex eodem carmine intelligitur.

D

D*Amotas*. Vide Renulfus.

Daphin Alcuini diſcipulus, ad quem extat Magiſtri Epiſt. de illo Cantici Canticorum loco, *Sexaginta ſunt Reginæ & octoginta Concubinæ*. Epiſtolam verò ſic inſcripſit *Dilectiſſimo filio meo Daphini Albinus pater ſalutem.* & ſub finem: Sexaginta Reginæ & octoginta Concubinæ Rectores *ſunt ſanctæ Eccleſiæ. Sed alij ex illis propter ſolam Chriſti charitatem docent, alij terrena ſequentes commoda laborant in Eccleſia* non cœleſtis patriæ labore, ſed terreni lucri gratiâ deſudant in docendo...... Illi concubinarum nomine denotantur, quia ſeculi ambitione vel temporalis honoris gratia prædicando ſeu baptizando nobiles quidem generant ſœpe filios, ſed illi ignobiles in ſemetipſis permanent. Quorum contubernium, fili cariſſime, fuge obſecro, & ſi te quandocunque Dei miſericordia Doctorem dignetur efficere, tu pro eius amore laborare non ceſſes, qui pro tua ſalute ſanguinem ſuum fundere non dubitauit.

Dauid vide ſupra. *Carolus Magnus*. Sic enim eum Alcuinus appellat, vt & Ludouicum Pium Caroli filium, Salomonem.

Deganus ſeu *Theganus* Natione Francus & ex nobili proſapia oriundus, Alcuini cum Amalario Treuirenſi Diſcipulus, eamque ob rem ab ipſo ad Eccleſiæ Treuirenſis regimen aduocatus. Cum enim variis legationibus & aliis Regni negotiis diſtineretur, nec poſſet ſuo Gregi commodè & pro officio inuigilare, Deganum Chorepiſcopum ſibi adlegit in Scholis præcognitum, magnæ virum probitatis & doctrinæ. Scripſit Ludouici Pij res geſtas, & acriter inuehitur in Epiſcopos quoſdam ex infimo genere ortos, qui Ludouicùm de Regno deturbarant, indignumque ſceptro iudicarant. Is autem teſte Chriſtophoro Brouuero in Annalib. Treuirenſibus, flagrantis ſapientiæ ſtudio & acres ad virtutem ſtimulos illi Eccleſiæ ſubiecit, & præclara ſcientiæ ſuæ ornamenta Treuirenſi populo pro concione impertiit. Magno quoque in honore fuit apud Augienſis Cœnobij Monachos, quorum prædicatione & ingeniorum monumentis ab obliuione vindicatus eſt, præſertim verò Walafridi Strabonis ipſi familiariſſimi, qui, quod Theganus in quibuſdam ſententiis videatur effuſior & ardentior, id dolori adſcribit, quem amor iuſtitiæ & in optimum Principem affectus expreſſerat: virum enim Nobilem & acris animi, vilium perſonarum iniurias neſciſſe concoquere. Addit Walafridus. *Nouimus & nos virum multâ lectione inſtructum, ſed prædicationis & correctionis ſtudijs occupatum.* Eiuſdem Walafridi extat de eo poëma, quod oppido adoleſcens Tattonis Magiſtri, quem in Augia præceptorem habuit, iuſſu in gratiam Degani luſit. *Ad Degan Chorepiſcopum Treuirenſem in Perſona Tattonis.*

His tibi verſiculis Doctor ſanctiſſime Degan
Tatto humilis mittit verba ſalutis ouans.
Artor in ambiguis vario moderamine rebus,
Vtrum pauca loquar, an potius ſileam.
Scribere cogit enim dilectio mutua memet,
Sed vereor ne non dem tibi digna, pater.
Tullius inferno quamuis repedauerit imo,
Exerat aut Magnus ora faceta Plato,
Liuius aut Titus ſecum ferat ipſe Catonem,
Vel linguam teretem Sapho loquax terebret,
Non poterunt vnquam laudum miranda tuarum
Dignè proferri, ſunt quia multa nimis.
Mirantur meritò ſapientis munera mentis,

Doctrinam, mores, carmina, dicta, animum.
Nec minus exterius miramur ſancta ſtatura
Incrementa tua, membra, manus, faciem.
Nos paruos humiles, murem ſibi forma ſubegit
Voſque Gigantem eſſe gloria molls habet,

Cæterum quæ ſcripſit Deganus de Ludouico, extant in 2. tomo Hiſt. Franc. Scriptorum.

Drogo Catoli M. filius ex concubina, non re ſed nomine *Regina*, liberalibus artibus in Scholis Palatinis optimè eruditus, Palarij Atchicapellanus, Apoſtolicæ ſedis Vicatius, Ludouico Pio catiſſimus, à quo, petente vniuetſo Clero populoque Metenſi ad Epiſcopatum Metenſem promotus eſt, teſte Eginharto ad an. 823. *Drogonem*, inquit, *Fratrem eius ſub Canonicâ vita degentem Metenſi Eccleſia, Clero eiuſdem vrbis conſentiente atque eligente Rectorem conſtituit, eumque ad Pontificatus Gradum cenſuit promouendum.* De eodem & aliis filiis Caroli M. naturalibus, Ludouici Pij curâ inſtitutis ſic habet Theganus in Geſtis illius Principis. *Eodem tempore iuſſit fratres ſuos tonſurari, Drogonem, Hugonem & Theodoricum ad diſcordiam mitigandam, & liberalibus diſciplinis imbui quos poſtmodum honorificè conſtituit, Drogoni Epiſcopatū dedit, & Hugoni Cænobialia Monaſteria: inter omnes autē præcipuè Drogonem diligebat*, adeo vt in extremis vitæ conſtitutus, ſibi per eum ſacram Synaxim miniſtrari voluerit, Miſſamque celebrari, preces ſeu commendationes animæ recitari. Eius monitis adductus & motus Ludouico filio multoties rebelli pepercit. Mortui corpus iuſſit Drogo efferri in Baſilicam Metenſem, vbi & ipſe membra ſua componi voluit poſt mortem, habetque hoc Epitaphium.

Conditur hoc buſto præſul Drogo, marmore ſculpto
Spiritus in requie lætus ouat Abraha.
Filius hic Magni Caroli fuit Imperatoris
Vir pius & prudens, vir probitate cluens.
Aula Regalis moderator, Paſtor Ouilis
Metis & Eccleſia, iure Pater patria.
Hic Præſul, Præſes, Dominus, Primaſque cis Alpes
Eius iudicio paca fuit Regio.
Iſte Glodesindis ſolenniter oſſa leuauit
Condigneque loco condidit eximio.

Extat Frotharij Epiſcopi Tullenſis ad Drogonem Ep. 10. quâ eum rogat vt Monachos quoſdam compeſcat, aut ſe compeſcere ſinat. *Cæterum*, inquit, *ſciat veſtra dilectio mihi oppido diſplicere de quibuſdam Monachis cænobij veſtri, cui Erlefredus Rector eſſe videtur.*

Dudo Eccleſiæ S. Quintini Weromanduenſis Decanus Tractatum edidit de rebus Geſtis Normanorum ad ſua vſque tempora, quem Adalberoni ſeu Aſcelino Laudunenſi Epiſcopo dedicauit. Quoſdam eius verſus ex adlocutione ad librum retulimus in Hiſtoria, qoibus videtur comparare velle Dædali fugam è Creta ad Cumas Euboicas vbi templum Apollini ſacrauit, cum Rollonis è Dania ad Pariſienſem vrbem Muſis iampridem conſecratam appulſu.

Dædalus ad gelidas Pater impiger euolat Arctos,
Telluremque ſuis actigit hic pedibus.
Calcidicis tandem ſuper adſtitit arcibus ipſe
Dextris frigoribus guarus habere modum.
Nobile delubrum Phœbo ſtatuitque dicauit,
Exuit hic alas moxque ſalutiferas.
Hæc te monſtra petunt & fabula contigit iſta
Ludicris ſannis ridiculiſque tibi
Præducis incepto Rollonis grandia facta
Dacorumque ſimul pube tenus iuuenum.
Inſima terrarum linquit nimis ardua captans

Dungalus Diaconus, nobiliſſimus Theologus ſub Carolo M. Ludouico & Lothario eius filio ſcripſit libellum aduerſus Claudium Taurinenſem, quem vocauit *Reſponſiones contra peruerſas Claudij Taurici Epiſcopi ſententias.* In quo libello ſic habet inter cætera. *Qualis & quanta eſt inſana electio & vana temeritas, vt quod à primæuo tempore Chriſtianitatis per annos ferme 820. aut eo amplius à Sanctis ac beatiſſimis Patribus & religioſiſſimis poſtmodum Principibus ad laudem & gloriam Domini in Eccleſijs, & in quibuſlibet Chriſtianorum domibus fieri conceſſum, conſtitutum & iuſſum eſt, vnus homo blaſphemare, reprehendere, conculcare, proijcere ac ſufflare præſumat.* Vnde autem Dungalus in Franciam aduenerit, ignorare ſe fatetur Papyrius; ſed videri ait eius librum ſcriptum fuiſſe in Monaſterio San-Dionyſiano. Floruit vſque ad an. circiter 830.

Durandus Monachus Fiſcanenſis, deinde Abbas Troarnenſis in Normania Willelmo Conquæſtori acceptiſſimus, intimorumque conſiliorum particeps ſcripſit contra Berengarium de veritate Corporis & Sanguinis Chriſti in ſacramento altaris, cuius in hanc rem opera extant. Eodem tempore florebant Gerbertus Fontanellenſis & Ainardus Diuenſis, de quibus ſic ſcribit Ordericus Vitalis l. 4. *Gerbertus Fontinellenſis, Ainardus Diuenſis, ac Durandus Troarnenſis quaſi tres ſtellæ radiantes in firmamento Cæli; ſic iſti tres Archimandritæ multis modis rutilabant religione & charitate, multiplicique peritiâ pollebant ſtudioque diuinæ laudationis in templo Dei iugiter inhiabant.* Et l. 7. ad an. 1088. de eiuſdem Durandi obitu ſic habet. *Durandus ſiquidem Troarnenſis Abbas grandæuus, ab infantia Monachus, religione & ſapientiâ præcipuus, Eccleſiaſtici cantus & diuini dogmatis Doctor peritiſſimus, ſibi durus carnifex, poſt multos in Dei cultu labores in lectum decubuit & bene vt prudens & fidelis ſeruus ire ad curiam Domini ſui paratus 3. idus Febr. de ſeculo migrauit: venerabiles Diſcipuli glebam religioſi Doctoris in capitulo ſuo reuerenter* ſepelierunt, & in candido lapide qui ſuppoſitus eſt, epitaphium hoc addiderunt.

Hac tegitur tumba bonus & venerabilis Abba
Durandus noſtri norma Monaſterii.
Ad Domini laudem præſentem condidit ædem,
Quâ ſibi propitium credimus eſſe Deum.
Luce ſub vndenâ februi reſolutus habenâ
Carnis ad Angelicam dirigitur patriam.

Durandus Leodienſis Epiſcopus an. 1021 factus eſt, qui ante promotionem Henrici Imperatoris fuerat Cancellarius, vir litteratiſſimus. Obiit autem an. 1025 10. Kal. Feb. vnde patet malè illi tribui Epiſtolam ad Brunonem Epiſcopum Andegauenſem de hæreſi Berengarianâ: ſiquidem neque tunc Berengarius in vllam hæreſim lapſus fuerat, neque Bruno Epiſcopatum Andegauenſem regebat.

Durandus Berengarij Diſcipulus Biturigum Archiepiſcopus, magnæ famæ & commendationis præſul, Vrbano II. notiſſimus & chariſſimus, cuius quippe exequias centum Epiſcoporum & Abbatum longè plurium comitatu ſtipatus cohoneſtauit; vt notauit Baldricus in hoc Epitaphio.

Temporibus luteis vir magnæ ſtrennitatis
Aurea Durandus ſecula reſtituit.
Aruernis præſul digniſſima præſule fecit,
Fecit digna Deo Religioſus homo.
Ipſius exequias dicas ſimulaſſe triumphum
Et diſpenſantis ſigna fuiſſe Dei.
Affuit Vrbanus centeno præſule ſeptus,
Abbatum verò maior erat numerus.
Tertia cum decima tunc lugubris ante Decembrem
In reditu luctuoſo ſit modò feſta dies.

E

EBo vel vt aliqui ſcribunt, *Ibo* ex genere ſeruorum Originalium, natione Germanus Tranſrhenenſis, filius Himiltrudis, quæ è Germania regnante Carolo M. in Franciam profecta, Aureliæ aliquandiu manſit, deinde Lutetiam cum marito veniens, in Palatio morata eſt, ibique Ebo filius ſimul cum Ludouico Pio eodem quaſi lacte iiſdemque diſciplinis imbutus eſt, vnde Ludouici *Collactaneus* dicebatur, de quo ſic Flodoardus lib. 2. c. 19. *Succeſſit Ebo vir induſtrius & liberalibus diſciplinis eruditus, patria Trans-Rhenenſis ac Germanicus, Imperatoris, vt fertur, Ludouici Collactaneus & Conſcholaſticus; qui multis Eccleſiam curauit inſtruere commodis & præcipuè artificibus, quibus vndecunque collectis ſedes dedit & beneficiis munerauit.* A Ludouico ad Archiepiſcopatum Remenſem promotus eſt an. circiter 822. Idem de conſilio eiuſdem Imperatoris & ſummi Pontificis prædicandæ fidei Chriſtianæ gratiâ ad fines vſque Danorum ſeu Normanorum profectus eſt, & multis ad Chriſtum conuerſis reuerſus eſt in Franciam. Optimè quidem, ſi primis vitæ temporibus vltima reſpondiſſent. Nam in diſſidiis quæ inter Ludouicum patrem & filios interceſſerunt, pro his contra Patrem, quocum in puerili ætate nutritus & in iiſdem artibus verſatus fuerat, ſtetit; imò coniurationis incentor & armiger fuit. Diſſidio verò compoſito, derelictus ab iis quos ſecutus fuerat, diu latuit in tenebris, donec tandem captus Fuldam miſſus eſt, poſtea Theodonis-villam ad Synodum Epiſcoporum iuſſu Imperatoris adductus in Palatio ſiſtitur an. 835. accuſatur, nec reſpondere ad obiecta crimina valens, vltro in abdicationem Epiſcopatus conſentit. Mortuo Ludouico an. 840. ad Lotharium VVormaciam ſe confert, obtinetque ab eo reſtitutionem in integrum; cui ſubſcripſerunt 20. epiſcopi. At Karolo Caluo votis potito, iterum fugit an. 844. ad Sergium Papam, à quo nec poteſt reſtitutionem impetrare: itaque illi ſuffectus eſt à Carolo Hincmarus; ille verò tentatis fruſtra omnibus viis ad Ludouicum Regem Germaniæ ſe confert, ab eoque in Saxonia epiſcopium promeretur, vbi deinceps epiſcopi munere & miniſterio perfunctus eſt. Legitur apud Flodoardum loco citato Himiltrudis matris eius epitaphium, vnde agnoſcitur, quomodo illa in Francia fuerit educata, quoque pacto cum filio Remos fuerit profecta.

Mea forte ſi requiris temporis initia
Scito Karoli fuiſſe Regni ſub primordia,
Ludowico triumphante dies fluxit vltima.
Rhenus primo rotauit mores, alueus Germanicus,
Hinc nutriuit & ſecundos Liger amnis Gallicus.
Sequana fouit iuuentam, ſordes ſordens Vidula.
Præſul erat vrbis huius mihi Natus vnicus,
Idem me conduxit ſibi ſociam laboribus,
Proximum ruinæ locum renouandi cupidus.
Decem ferme nuper annos ſimul hic peregimus.
Ebo Rector, Ego Mater Himiltrudis humilis;
Fundamenta ſedis ſancta pariter ereximus,
Deo debitum laborem dum gerebat Pontifex,
Feſſa quietem quærebam. Ecce ſub hoc tumulo
Quinto me September menſis Kalendarum rapuit.
O viator eſto cautus ſemper ab exceſſibus.
Fateor non profuiſſe, vt debui, dum potui.
Veniam dic pro vindicta Da Deus peccantibus.

Ecbertus Abbas Turonenſis vir quoque fuit doctiſſimus & virorum doctorum amiciſſimus, imprimis verò Gerberti Aquitani, qui cum ex Italia Remos ſe contuliſſet, ibique publicè docere aggreſſus eſſet, bibliothecam verò comparare conaretur, ac proinde vbicunque libros eſſe ſciebat rariores & non vulgatos, mitteret ſcriptores qui exſcriberent; Ecbertum rogauit vt ſibi ea in re operam præſtaret. ſic ergo Ep. 44. *Cum mei memoriam frequentem habeatis inter honeſta, vti*

plurimis accepi legatis, magnamque affinitatis iure amicitiam efferatis, exiſtimatione veſtrâ beatum me fore puto, ſi ſum is qui iudicio tanti viri inueniar dignus amari. Sed quia non is ſum qui cum Panatio interdum ab vtili ſeiungam honeſtum, ſed potius cum Tullio omni vtili admiſceam, has honeſtiſſimas atque ſanctiſſimas amicitias nulla ex parte ſuo cuique vtili vacare volo. Cumque ratio morum dicendique ratio à Philoſophia non ſeparentur, cum ſtudio bene viuendi ſemper coniunxi ſtudium bene dicendi. Quamuis ſolum bene viuere præſtantius ſit eo quod eſt bene dicere, curiſque regiminis abſoluto alterum ſatis ſit ſine altero. At nobis in Repub. occupatis vtraque neceſſaria. Nam & appoſitè dicere ad perſuadendum, & amicos furentium ſuaui oratione ab impetu retinere ſumma vtilitas. Cui rei præparandæ bibliothecam aſſiduè comparo, & ſicut Romæ dudum ac in aliis partibus Italiæ, in Germania quoque & Belgica ſcriptores authorumque exemplaria multitudine nummorum redemi, adiutus beneuolentiâ ac ſtudio amicorum comprouincialium, ſic identidem apud vos per vos fieri ſinite vt exorem. Quos ſcribi velimus, in fine Epiſtolæ deſignabimus. Scribenti membranam ſumptuſque neceſſarios ad veſtrum imperium dirigemus, veſtri inſuper beneficij non immemores. Denique ne plura locuti legibus Epiſtolæ abutamur, cauſa tanti laboris contemptus maleſidæ fortunæ: quem contemptum nobis non parit ſola natura, vt multis, ſed elaborata doctrina. Proinde in otio, in negotio & docemus quod ſcimus, & addiſcimus quod neſcimus. Quanti verò faceret Gerbertus Egberti eloquentiam, breuiter indicat Ep. 89. *Quæ morum grauitas vobis inſit, quàm integer vitæ actus, quàm purum eloquium, litteræ veſtræ palam fecerunt.*

Egbertus Eboracenſis Archiepiſcopus non ſtuduit quidem Lutetiæ, ſed ob hoc inter noſtros annumerandus; quia Alcuinum litteris imbuit; eumque mirifico ſtudio fouit & dilexit. Et ipſe viciſſim ſingulari obſequio magiſtrum coluit. De vtroque ſic Malmeſburienſis l. 1. de Geſtis Reg. Angl. c. 3. *Hic (Egbertus) omnium liberalium Artium armarium & ſacrarium fuit, nobiliſſimamque Bibliothecam Eboraci conſtituit. Cuius rei teſtem idoneum aduoco Alcuinum, qui à Regibus Angliæ pro pace miſſus ad Regem Magnum Carolum, & benigno apud eum fotus hoſpitio, in Ep. ad Eambaldum tertio loco Egberti ſucceſſorem ait*: Laus & gloria Deo, qui dies meos in proſperitate bona conſeruauit, vt in exaltatione filij mei cariſſimi gauderem; qui laboraret vice mea in Eccleſia vbi ego nutritus & educatus fueram, & præeſſet theſauris ſapientiæ, in quibus me *Magiſter meus dilectus Egbertus Archiepiſcopus hæredem reliquit.* Obiit autem an. 766. Archiepiſcopatus 32. ſucceſſorem habuit Albertum, deinde Eambaldum ſeu Embaldum Alcuini diſcipulum, qui obiit an. 797.

Eginardus, Eginhartus, Einardus, *Ænardus*, *Agenardus*, ſic enim ſecundum varia pronunciationis genera variè appellatur, ex Orientali Francia oriundus fuit circa nemus Otronicum, & à Carolo in aula enutritus eſt ſingulari curâ & ſtudio, vbi tantum profecit in exercitio litterarum, vt à nonnullis *Sapiens*, à quibuſdam, *vir vndequaque doctiſſimus*, ab alijs *vir ſui temporis prudentiſſimus* ab aliis etiam *Liberalium Artium experientiſſimus* appellatus fuerit. Viro ſtaturâ paruo ſublime erat ingenium: quare eum Carolus ſumpſit in Regalis Palatij Notarium, eundemque Regalibus operibus ac ſtructuris præfecit: vt ex his Strabonis verſibus patet.

Nec minor eſt magni reuerentiâ Patris habenda.
Beſelul fabre primum qui percipit omne
Artificum præcautus opus. Sic denique ſummus
Ipſe legens infirma Deus, ſic fortia temnit
Magnorum, quis enim maiora recaperat vnquam
Quam radiare breui nimium miramur homullo?

Vxorem duxit claram natalibus, & eximiis virtutibus conſpicuam, Immam nomine, Caroli M. vt ſcribunt aliqui, filiam: quâ mortuâ vix amicorum verba ad conſolationem admittere potuit; adeo vulnus domeſticum impatienter tulit: vt patet ex Ep. 2. 3. & 4. Lupi Ferrarienſis ad ipſum in. I quidem ſic ait. *Deſiderantiſſimo præceptori Einhardo Lupus. Moleſtiſſimo nuncio de exceſſu venerabilis veſtræ coniugis æſtuanti pluſquam vnquam vobis nunc optarem adeſſe, veſtram mæſtitiam vel meâ compaſſione leuarem, vel conceptos ſenſus ex Diuinis Eloquiis aſſiduo ſermone ſolarer. Verum donec id Deus præſtet, etiam poſſibile ſuggero, vt memores humanæ conditionis, quam*

merito peccati contraximus, modicè ſapienterque feratis quod accidit. Neque enim huic infortunio cedere debetis, qui blandimenta lætioris fortunæ forti ſemper animo deuiciſtis. Verum ſeculi pertæſus animoque proſtratus & ætate declinante ad Aſceticam vitam ſe contulit, ſibique & quibuſdam ſociis in proprio fundo Cœnobium Salingeſtadenſe ad Mœnum fluuium condidit & fundauit; ibique tumulum accepit cum Epitaphio quod illi Rabanus inſcripſit; illud verò in Chronologia ad an. 848. retulimus. Porro ſcripſit Eginhartus vitam Caroli Annaleſque Francorum ab an. 741. ad an. 829. qui diu Adelmi ſeu Ademari Benedictini Monachi nomine inſcripti ſunt & vulgati. Geſta quoque Saxonum edidit. Epiſtolas ad diuerſos. De Tranſlatione & Miraculis SS. Marcellini & Petri Martyrum libros 4. & alia quædam opera, tam felici ſtylo diſertoque & polito, vt ſui temporis alter Tullius diceretur. De eius eloquentia ſic ad ipſum Lupus Ep. 1. *Cum authorum voluminibus ſpatiari aliquantulum cœpiſſem & Dictatus noſtra ætate confecti diſplicerent, propterea quod ab illa Tulliana cæterorumque grauitate, quam inſignes quoque Chriſtianæ religionis viri æmulati ſunt, aberrarent, venit in manus meas opus veſtrum, quo memorati Imperatoris clariſſima geſta (liceat mihi abſque ſuſpicione adulationis dicere) clariſſimè litteris allegaſtis. Ibi elegantiam ſenſuum, ibi raritatem coniunctionum, quam in Authoribus notaueram, ibidemque non longiſſimis periodis impeditas & implicitas ac modicis abſolutas ſpatiis ſententias adinueniens amplexus ſum. Quare cum & ante propter opinionem veſtram, quam Sapienti viro dignam imbiberam, tum præcipue propter expertam mihi illius libri facundiam deſiderani deinceps aliquam nanciſci opportunitatem, vt vos præſentes alloqui poſſem, vt quemadmodum vos meæ paruitati veſtra tum probitas tum ſapientia fecerat claros, ita me veſtræ ſublimitati meus etiam erga vos amor & erga diſciplinas ſtudium commendaret. Neque verò id optare deſiſtam, quandiu ipſe incolumes in hac vita vos eſſe cognouero. Quod poſſe contingere hoc magis in ſpem aucor, quo ex Gallia huc in Tranrhenanam concedens regionem vobis vicinior factus ſum.* Tunc Lupus ſub Rabano Theologiæ dabat operam. Obiit autem Eginhartus an. circiter 848. vt ex Trithemio colligitur.

Embaldus ſeu *Eambaldus* Alcuini Diſcipulus ſucceſſit Alberto in ſede Eboracenſi an. 770. vnde Alcuinus apud Malmeſburienſem l. 3. de Geſtis Pontif. Angl. in Eambaldo, qui Alberto ſubſtitutus eſt præfati Alcuini diſcipulus induſtrius, *Laus & gloria Deo qui dies meos in proſperitate bona conſeruauit, vt in exaltatione filij mei chariſſimi gauderem, qui laboraret vice mea in Eccleſia, vbi nutritus & educatus fueram.* obiit an. 797.

Ercanradus ſucceſſit Deodefrido in Epiſcopatu Pariſienſi, virque fuit eximiæ doctrinæ ſummæque authoritatis; qui ſi is eſt, cuius meminit Carolus M. in quodam diplomate quod in Cartophilacio Baſilicæ Pariſ. ſeruatur, 50. & amplius annos Epiſcopatum tenuerit neceſſe eſt. Nam ante an. 800. electus dicitur, obiit verò an. 853. vt infra dicetur. Notanda autem hæc verba diplomatis. *Ideoque dum pluris habetur percognitum qualiter Eccleſia Pariſiaca quæ eſt in honore S. Mariæ Matris Domini I. C. & SS. Stephani Proto-Martyris, Dionyſij, Germani, Marcelli: vel S. Clodoardi Confeſſoris, vel cæterorum Dominorum, quorum pignora in ipſa plebe, vel in ipſa Eccleſia Pariſiaca adunata requieſcunt, vbi præeſt Erkanradus in ipſa plebe Epiſcopus.* Quæ ſi vera ſunt, iam tum Baſilica Pariſienſis S. Mariæ Virginis nomine celebris habebatur. Verum Launoyius confictam putat hanc Chartam, atque Erchanradum non Carolo M. regnante, ſed Ludouico Pio & Carolo Caluo Regibus Eccleſiæ Pariſ. præfuiſſe. Commemorant aliqui duos Erchanrados, vnum ſucceſſorem Deodefridi ſub Carolo M. alterum ſub Ludouico & Caluo. Et iſte interfuit Synodo Theodonis-villenſi, an. 835. in qua depoſito Ebone ſubſtitutus eſt Hincmarus Rhemorum Archiepiſcopus. Bellouacenſi an. 845. Ex iis quoque vnus eſt, qui ſcripſerunt ad Nomenoium Britanniæ Regem, ſeu Priorem, vt legitur apud Lupum Ferratienſem. Extat quoque apud eundem Ep. 115. Guenilonis Metropolitani Senonenſis & quorundam aliorum ad Ercanradum, modeſtè eum reprehendentium quod Synodo non adfuiſſet, ſed Vicarium tantum ſuum miſiſſet: quanti autem eum facerent, aperiunt his verbis. *Perſona veſtra apud ſimplices quoſque tantum amplius contuliſſet authoritatis, quantum præcedit apice dignitatis.* In Synodo Sueſſionenſi, quæ anno 853. habita eſt lectæ ſunt eius litteræ, teſte Flodoardo l. 3. c. 11. & eo anno obiit, eique Æneas ſucceſſit.

Digitized by Google

ſub his Archiepiſcopis, Heriuæo, Seulfo, Artoldo & Odalrico. Scripſit hiſtoriam Archiepiſcoporum rerumque Remenſium & Chronicon Franciæ ab anno 910. ad an. 966. Item quædam opera metricè de Triumphis Chriſti, de Triumphis Italicis, de Martyribus & Confeſſoribus lib. 15. qui dicuntur aſſeruari Treueris manuſcripti in ſummo Templo. Electus fuerat Nouiomenſis Epiſcopus, ſed à Fulcherio Monacho præuentus & fruſtratus eſt: quæ cauſa illi fuiſſe videtur, cur Mundū deſerere in animo habuerit. Retulimus in hanc rem Adelagi ad ipſum Epiſtolam. Obiit plenus dierum anno ætatis 73. anno verò Chriſti 996. 5. Kal. April. de quo ſic in ſupplemento Chronici ſcriptum legimus. *Ipſo anno* (videlicet 966.) *Vir vita venerabilis & Remenſis Eccleſiæ Presbyter nomine Frodoardus honore ſanctitatis venerandus, caſtitatis ſplendore Angelicus, fulgore ſapientiæ cælicus, cæterarumque virtutum inſignibus abundanter oppletus, præcedentis libelli, aliorumque dictator egregius 5. Kal. April terrenæ perregrinationis relinquens exilia, ciuica vt credimus, adeptus eſt iura.* Eiuſdem legitur hoc Epitaphium vetuſtiſſimum è MS. veteri.

Si ti veu de Rein ſauoir ly Eueque
Lye le Temporair de Flodoon le ſaige
T les mor du Tam d'Odalry Eueque,
Et fut d'Epernay né par parentaige.
Vequit caſte Clerc, bon Moine, meilleu Abbé
Et d'Agapit ly Romain fut aubé
Par sen Hiſtoire maintes nouelles ſauras
Et en ille toute Antiquité auras.

Id eſt, ſi vis noſſe Remenſes Archiepiſcopos, lege Chronicon Flodoardi docti. Is fato functus eſt tempore Odalrici præſulis. Oriundus ex Sparnaco. Vixit caſtus Clericus, bonus Monachus, melior Abbas. Ab Agapito Papa factus fuit Sacerdos. Ex eius Hiſtoria multa noua ſcies, & in illa totam Antiquitatem hauries.

Florus Eccleſiæ Lugdunenſis Diaconus, non Monachus, vt aliqui dicunt, de Monaſterio S. Trudonis. Ille qui indicem Chronologicum ad Bibliothecam Patrum contexuit, ait ſe legiſſe in Codice M.S. perantiquo illum adfuiſſe Concilio Cariſiacenſi, an. 858. temporibus Caroli Calui, & ſcripſiſſe contra Amalarium Lugdunenſem. Vir fuit doctiſſimus iſque forte eſt qui Epiſtolam nomine Lugdunenſis Eccleſiæ ſcripſit contra M. Ioannem Scotum: nam tunc Eccleſia Lugdunenſis plurimis doctiſſimis viris abundabat & profeſſoribus excellentiſſimis, vt ſuo loco docuimus. Cæterum M. Flori ætatem agnoſcimus ex Verſibus Walafridi Strabonis ad Agobardum Lugdunenſem Archiepiſcopum, qui ab anno circiter 813. vſque ad an. 840. ſedem illam tenuit.

Dum vix ter ſenos habuiſſem temporis annos
Ad vos nomen iit, O pater alme, meum....
At de flore nouo: qui vos penes ortus odorem
Prodit vbique ſui, hæc loca rumor adiit.
Flora venit quondam, dum ſingula quæque Deorum
Sunt affata, iugis prata thymumque gerens.
Huic Floro melius ſententia Chriſticolarum
Attribuit, quidquid dogmate & ore viret.
Nam hic Florus florem ſequitur de germine Ieſſe,
Et tradit quod amans attulit ille homini.
Quæ tam ſegnis erit donis ignota ſupernis,
Quæ ſe hoc non ſponte nectare paſcat apis?
Floreat haud flaccens hic flos & florea fragrans
Spiramenta ferat ſemper vbique Deo.
Donec in Aſtriferas porrecta cacumina ſedes
Erigat & fructum iam ſine fine habeat.
Cedant Ambroſia, Roſa, Lilia, Spica, Crocuſque

Suauia cuncta ſimul, huius amor placeat.
Hoc fruar, hoc vtar, foueat, delecter, abundem,
Auditu & viſu huius alar, docear.
Det quandoque Deus nos mutua dona viciſſim
Impertiri, aliquid pars vtriuſque metet.

Hic autem eximiæ Doctrinæ vir B. Pauli epiſtolas ex veterum aliquot Patrum ſcriptis cum fragmento de Antiquis epiſcoporum electionibus expoſuit. Collegit quoque vitas Sanctorum, eumque potiſſimum ſequi affectauit Vſuardus, vt ſcribit epiſt. ad Carolum. Poſtquam enim de Hieronymo & Beda verba fecit, ſubiungit, *quos tamen ſecutus cenſui & Flori memorabilis viri latiora iam in eo ipſo negotio ſequi veſtigia; præſertim in 2. eius libro.* Scripſit quoque lib. de prædeſtinatione aduerſus Io. Scotum. Item lib. de expoſitione Miſſæ, vbi ad illa verba *Qui pridie quam pateretur*, idem omnino ſentit quod vniuerſa eccleſia Catholica. Illiuſq; materiæ tractãdæ occaſionem ſumpſiſſe videtur ex eo quod tunc temporis M. Ioan. Scotus nimis ſubtiliter hanc Quæſtionem de veritate corporis & ſanguinis in altari, tractauit. Non eſt tamen hic prætereundum eſſe aliquos, qui putent, aut hunc Florum fuiſſe antiquiorem, aut duos fuiſſe Floros Lugdunenſes; vnum Imperatore Carolo M. alterum ſub Caluo. Verum prope certum eſt non fuiſſe duos, neque Florum fuiſſe tempore Caroli M. ſed ſub Lothario & Caluo floruiſſe poſt an. Chriſti 840. vt ex Vvandelberti ad Otricum Ep. conſtat in qua ait ſe ex Flori Bibliotheca ſumere codices coactum, vt natales Sanctorum perdiſceret. *Ope & ſubſidio præcipuè vſus ſum ſancti & nominatiſſimi Flori Lugdunenſis Eccleſiæ Subdiaconi, qui vt noſtro tempore reuera ſingulari ſtudio & aſſiduitate in Diuinæ ſcripturæ ſcientia pollere, ita librorum authenticorum non mediocri copia & veritate cognoſcitur abundare.* Florebat quoque iſte ſub Lothario Imp. an. 850. Præterea Ado Viennenſis, qui iiſdem florebat temporibus & vſque ad an. 874. quo obiit, meminit Venerabilis Flori tantum, neque Iuniorem aut Maiorem appellat: quod diſtinctionis certè appoſuiſſet, ſi duo in Eccleſia Lugdunenſi diuerſo tempore floruiſſent. In vita tamen & Actibus Ludouici Pij ad an. 821. mentio fit cuiuſdam Flori Legati Pontificij, qui cum Theodoro interfuit Conuentui publico apud Theodonis-villam menſe Octob. celebrato. *Adfuere legati Papæ Rom. Theodorus primicerius ac Florus cum varijs magniſque muneribus.* ſed nihil hoc ad Florum Lugdunenſem pertinet.

Franco vir litteratiſſimus, Gerberti Aquitani olim diſcipulus, Regi Roberto cariſſimus fuit, Fulberto Carnotenſi amiciſſimus. Rogerio Cancellario Franciæ ad Beluacenſem Pontificatum aſſumpto ſucceſſit in Cancellariatu, & anno 1000. teſtamento Ermenfredi Comitis ſubſcripſit: vt legitur in fragm. hiſtor. Hugonis & Roberti. his verbis. *Conſcripto itaque Teſtamento ac Monogrammate Regis manu facto Franco tunc Cancellarius, poſtea verò Epiſcopus Pariſij factus imaginem Regis impoſuit.* Pariſienſis Baſilicæ factus Decanus, ex Decano Epiſcopus viuente deceſſore ſuo Albertoqui Monaſticæ vitæ plus deditus quàm curis epiſcopalibus epiſcopatum dimiſerat: quanquam poſtea eum eiuſmodi abdicationis pœnituiſſe indicat Fulbertus Ep. 8. ad Franconem: quâ illi ſignificat quid ad A. ante Epiſcopum de ſua abdicatione ſcripſiſſet. *Si de repetendo Epiſcopio*, inquit, *querimoniam incipere velis, non ſatis apparet cui eam iure intendere poſſis.* Nullus enim te
„ expulit, nullus cathedram tuam te renitente peruaſit. Sed tutemet vltrò causâ
„ ægritudinis, vt aiebas, Curam epiſcopalem ſimul & Cathedram reliquiſti, vt
„ perhibent: & ſiue Franconem tunc Decanum Pariſienſis Eccleſiæ, ſiue quemli-
„ bet alium ſubrogari tibi verbis & ſcriptis à Rege petiſti. Quod ſi ita eſt, & ſic
„ tibi conſequenter ſubſtitutus eſt Franco eligente Clero, ſuffragante populo, do-
„ no Regis, approbatione Rom. Pontificis per manum Metropolitani Senonenſis,
„ fulcitur vtique ſubſtitutio & conſecratio eius fauore quoque & authoritate B.
„ Gregorij Papæ, qui ſcriptis ſuis, ſicut nulli Pontificum non petenti pro quali-
„ bet ægritudine ſuccedendum fore docuit, ita voluntariè renuncianti ſedi ſuæ
„ ſucceſſorem nullo modo denegauit. Si quid aliud eſt quare te epiſcopatu carere
„ oporteat, tute noueris. Sin autem, hoc tanti nobis eſſe videtur, vt te facere va-
„ leat recuperationis exortem. Quapropter deſine curioſos inſtigatores audire, de-

ſineReges & principes inefficacis querimoniæ tædioſis ſcriptitationibus fatigare; & Eccleſiæ Pariſienſi te obtrudere velle, quæ; vt fatetur, nec Patronum te habuiſſe gauiſa eſt, nec doluit amiſiſſe. *Quippe cum neque ex præſentia tua Doctrinæ profectum, neque ex abſentia ſenſerit detrimentum.* Et ep. 88. ad Robertum. *Nobis autem videtur quia ſi Epiſcopus de quo agitur aptus eſt Clericus, eſt optimè litteratus & ad ſermonem faciendum agilis.*

Franco Teutonicus Fulberti Carnotenſis Diſcipulus, deinde Leodienſis Scholaſticus quo tempore Richardus de Hainault erat Epiſcopus, hoc eſt circa an. 1036. Vir ſcientia & morum probitate clarus: de quo ſic ſcribit Trithemius. *Franco Scholaſticus Leodienſis Eccleſiæ, natione Teutonicus, vir in Diuinis ſcripturis magnificè Doctus & in ſecularium litterarum diſciplina eruditiſſimus; Philoſophus, Aſtronomus & Computiſta inſignis, & non minus religione quàm ſcientia venerabilis fertur in ſacris ſcripturis nonnullos compoſuiſſe Tractatus, qui ad notitiam meam adhuc non venerunt. Scripſit ad Archiepiſcopum Colonienſem Hermannum II. ſubtile opus & egregium de Quadratura circuli l. 1. de Computo Eccleſiaſtico l. 1. & alia plura.* claruit ſub Henrico Imp. III. an. 1060.

Freculfus M. Heliſachari Diſcipulus ex Monacho Ord. S. Benedicti factus Epiſcopus Lexouienſis, vir fuit in Diuinis ſcripturis inſtructiſſimus, Concionator egregius, & conuerſatione non minus quàm artium ſuaui coniunctione amabilis. Illi Ebo Remorum Archiepiſcopus, poſtquam Ludouicus Pius pacem cum filiis iniit, traditus ad cuſtodiendum. Interfuit Synodo Pariſienſi an. 846. Turonenſi IV. an. 849. ſubſcripſit cum aliis Epiſtolæ quam Epiſcopi Gallicani ad Nomenoium Britanniæ Aremoricæ Tyrannum miſerunt. Ad eum Rabanus multa volumina exercitandi ingenij ſui cauſa perſcripſit, eiuſque ſuaſu adhuc Abbas Fuldenſis Commentarios edidit in Geneſim. Ipſe verò Chronicon libris duobus elucubrauit, cuius operis partem priorem Heliſacharo quondam Magiſtro ſuo dedicauit, & complectitur ab origine mundi ad Chriſti natiuitatem; poſterior vſque ad Francorum & Longobardorum Regna, rerum geſtarum Hiſtoriam.

Frodo Andegauenſis inſignis Scholarum Magiſter, Berengarii quondam Diſcipulus in Dialecticâ, docuit Lutetiæ, Andegaui & in aliis Ciuitatibus Galliæ: eius inter alios auditor fuit Robertus de Arbriſellis. Demum ſpe maioris lucri transfretauit in Angliam, vbi in profeſſione litterarum obiit circa an. 1088. Vir fuit in Grammatica & in Philoſophiâ non mediocriter eruditus, imò Profeſſorum ſui temporis Coryphæus: vt intelligimus ex hiſce verſibus quos in eius laudem Baldricus Abbas Burgulienſis conſcripſit.

Quod de Quadriuio norat Triuioque Latinis,
Id totum Frodo pleniter audierat.
Solers Auditor ſuperaras pæne Latinos
Cum te morte graui perculit hora breuis.
Raptus ab Andegauis, tumuliſque ſepultus in Anglis
Anglos Andegano puluere lætificas.
Frodonis cineres Angli reuerenter habete,
Ac votis animam lætificate ſuam.

Idem de eodem.

Frodo quid prodeſt te noſſe profunda librorum,
Nocte dieque tuus tritus Ariſtoteles?
Fabula Naſonis tibi quid tot adhæſit in annis?
Quid tibi nunc Cicero, Statius atque Maro?
Hæc tibi Frodo ſimul ſpondebant aurea ſæcla;
Attamen iſta ſimul abſtulit atra dies.
Sacra fames auri te duxit ad Anglica Regna:
Littera multa, lucri ſpes tibi multa fuit.
Indigetis corpus iubet Anglis flebilis Andus,
Lectores iubeant Cœlicolis animam.

Idem de eodem.

Frodo labor magnis te vatibus æquipararat,
Quem modò mors vmbra quæ fugit æquiparat.
Exul ab Andegauis peragraras impiger orbem,
Litterulas rapiens atque vacans ſtudiis.
Aurea te tandem ſpes inuitauit ad Anglos,
Quo te ſpemque etiam Mors inopina tulit.
Frodo te plangant ſtudijs quicunque vacabunt
Quorum, dum moreris, portio ſumma ruit.
Mortuus ecce iaces factus de puluere puluis.
Quæſo, propitius ſit tibi, Frodo, Deus.

Frotharius in Cœnobio Gorzenſi adoleuit, & ex Abbate S. Apri ad Epiſcopatum Tullenſem à Ludouico Pio promotus eſt. Vir fuit ſcientiarum ornamentis conſpicuus. Aulicis omnibus notus; & ipſe inter Palatinos non vltimus, vt teſtantur eius ad ipſos Epiſtolæ, & viciſſim illorum ad ipſum. Leguntur verò in 2. tomo Scriptorum Hiſtor. Franc. Ad Hilduinum, Drogonem, Eginbartum, Aldricum; ad Iuditham Imperatricem Caroli Calui matrem; ex quibus apparet, quo tempore vixerit. Iuſſus ab Imperatore cum aliis Epiſcopis eligere Archiepiſcopum Senonenſem, incurrit prope ipſius odiũ cum aliquẽ è ſuis elegiſſent, qui non placuit Imperatori; nec ſciebant quamobrem: itaque ille ad Palatinos Proceres ſtatim litteras dat Eccleſiæ Senonenſis nomine, cauſam tantæ indignationis ſciſcitans: Sic aiens Ep. 15. ad Hilduinum. *Fecimus Domine mi nunc ſecundam*
„ *electionem*, & inuenimus hominem ex noſtris à puero nobis bene notum, genere
„ & moribus non infamem, docilem ætate, huic Officio congruum, litteratoriæ
„ Profeſſionis non vſquequaque ignarum, Diuinæ quoque ſcientiæ non penitus
„ expertem, quarundam etiam aliarum artium portionem habentem. Quem cum
„ obtuliſſemus, nullatenus putantes reiiciendum, ipſis Miſſis Dominicis impedientibus, quod optauimus, non meruimus adipiſci. In eandem rem ſcribit ad Eginhardum & ad Iuditham Imperatricem. Extat quoque Aldrici ad Frotharium Epiſtola, quâ eum admonet ſe in Archiepiſcopum Senonenſem electum, vnde conſtat quanti tum nominis eſſet & famæ atque probitatis Frotharius. *Ora-*
„ *tionum veſtrarum opitulatione fulciri neceſſe habui*, ſicut ipſe vobis eam expetens ſœ-
„ pe teſtatus ſum. Sed nunc illa vſquequaque indigeo, cum vt vos æſtimo audiſ-
„ ſe, indigno mihi Epiſcopalis cura iniuncta eſt, quæ me ſicut indignum, ita quo-
„ que imparatum inuenit. Nam cum olim Monaſticæ diſciplinæ operam dans fra-
„ trum curam ipſis cogentibus ſuſceperim, quod ferre compellor, nullatenus po-
„ tuit eſſe ſuſpectum. Quamobrem exceptâ Dei clementiâ totum me ad precum
„ veſtrarum confero reliquorumque amicorum familiare præſidium, obſecrans vt
„ virium mearum fragilitatem earum iugitate adiuuare dignemini. Et quia pru-
„ dentiæ meæ fiduciam ad tantum opus idoneè exequendum nullam habeo, quæ-
„ ſo vt veſtra ſacra intentio apud Deum obtinere elaboret, quatenus & me ipſum
„ ſincerè cuſtodiam, & Commiſſorum mihi curam eo miſerante venerabiliter ſal-
„ tem exerceam.

Fulco Nobilis Palatinus à puero Eccleſiaſticis deſtinatus fuit miniſteriis, eamque ob rem Canonicis rectè inſtitutus eſt diſciplinis, in omnibus artibus liberalibus excelluit, adeo vt inde Carolo Caluo Imperatori qui viros Doctos impensè amabat notus, è Scholis ad Palatina miniſteria euocatus fuerit, rebuſque gerendis formatus & inſtitutus. Vt ipſe Fulco in quadam Ep. ad Stephanum Papam teſtatur apud Flodoardum lib. 4. c. 4. quâ ſe excuſat apud ipſum purgatque de obiectis quibuſdam criminibus *admodum ſimpliciter, vti ab ipſis pene cunabulis educatus Canonicis fuerit diſciplinis, donec glorioſo Rege Carolo Imperatoris Ludouici filio in Palatinis ac Domeſticis eius ſit aſſumptus obſequijs. Sicque in Aula Palatij perſeuerans vſque ad tempora Karlomanni Regis Ludouici Iunioris filij, nepotis eiuſdem Caroli, quando à Sanctis Prouincia Remenſis Epiſcopis nec non à Clero & plebe huius vrbis electus ſit & Epiſcopus ordinatus.* Idem teſtatur eius Epitaphium quod infra referemus, in

quo legitur, quod eum Aula de Scholis ſumpſit & erudiit. Toto ergo vitæ tempore Palatina munera exercuit, & tandem poſt mortem Hincmari, quæ accidit an. 882. electus eſt Remenſis Archiepiſcopus, ſtatimque ad Marinum Papam ſcribit, ab eo pro more pallium petens, inſinuatque ſe iamdudum ipſi notum eſſe, nimirum cum ſub Pontifice Ioanne cum Carolo Caluo Imperatore Romam profectus fuerat. Quandiu autem illi Eccleſiæ præfuit, duo mihi inter cætera videtur præſtitiſſe digna memoria, quæ ad materiam noſtram pertinent. Vnum eſt, quod Scholas Remenſes inſtituerit aduocatis è Schola Palatina Pariſienſi duobus Illuſtribus Magiſtris Remigio Antiſſiodorenſi & Hucbaldo Caluo. Alterum, quod ad inſtituendam Academiam Oxonienſem duos quoque inſignes viros Profeſſoreſque notiſſimos miſerit ad Regem Alfredum, à quo per litteras & legatos id rogatus fuerat, vt in Chronologia retulimus. In Regia autem adminiſtratione primas partes tenuit, vt colligere eſt ex eius Epiſtolis ad Reges & Magnates apud Flodoardum. Nec minus fuit Eccleſiæ ſuæ intentus, quam omnibus afflictis & Normanico iugo oppreſſis aſylum eſſe voluit: vt legere eſt apud eundem Authorem l. 4. c. 8. *Eo tempore Normanis Francorum terras infeſtantibus & diuerſa loca depopulantibus hic Pontifex plures tam Sacerdotes, quàm cæteros Clericos & Monachos ad ſe vndicunque confluentes benignè ſuſcepit & paternè fouit. Inter quos Monachos etiam S. Dionyſij cum ipſius Martyris pretioſo corpore, aliorumque Sanctorum pignoribus recepit & aluit.* Graue cum Balduino Flandriæ Comite diſſidium exercuit, & diuturnum propter eius parricidia & impia facinora, quodque ille Tyrannus Eccleſiaſtica bona inuaderet. Vnde tandem exacerbatus Fulconem impiâ execrabilique Winemari & popularium eius manu interfici curauit an. 900. cuius hoc habetur Epitaphium apud Flodoardum.

Hoc tumulo Magni Fulconis membra teguntur
Remorum ſedis Præſulis egregij.
Germine Nobilium quem Francia protulit ortum,
Aulaque de Scholis ſumpſit & excoluit.
Hinc Deus aſſumptum ſtatuit virtute probatum
Eccleſiæ ſpeculum Pontificemque pium.
Septenos denoſque ſimul cui præfuit annos
Tres menſes, denos inſuper atque dies.
Auxit Epiſcopium ſuperaddens plurima rerum
Vrbis & iſtius mœnia reſtituit.
Orbis honor, patriæ tutor, pietatis amator,
Pro ſtudio pacis confoditur iaculis.
Septenum denumque diem iam menſis agebat
Iunius, vt dirâ morte peremptus obit.
Cui Matris Domini, pariter quoque præſulis almi
Remigij pietas obtineat requiem. Amen.

Porro ne quis cum leget Flodoardum, errore nominis decipiatur, monendum hîc videri fuiſſe duos Fulcones. Priorem quidem Imperante Ludouico Pio poſt abdicationem Ebonis, Rhemenſem Eccleſiam adminiſtraſſe: & is Presbyteri nomẽ habet apud Flodoardũ, cui in illa adminiſtratione ſucceſſit Notho Clericus: at illi nuſquam Archiepiſcopi fuiſſe leguntur. Hincmarus verò an. 845. omnium conſenſu in Archiepiſcopum conſecratus eſt, cui Fulco poſterior an. 882. ſucceſſit. Fuit quoque & ille prior Fulco magni nominis, & inter Abbates accenſetur; vt legitur in Hiſtoria Depoſitionis Ebonis ex M. S. Atrebatenſi in 2. tomo Hiſtor. Fran. Scriptorum. *Poſt hæc verò diuidentes inter ſe Regna paterna Lotharius Imperator ac Domnus noſter Karolus glorioſiſſimus Rex deuenit iam ſæpe dicta mater noſtra Remenſis Eccleſia in partem & ditionem Glorioſiſſimi Regis Karoli, cum quo erat gratiſſimus ac potentiſſimus Fulcho Abbas qui ipſam Eccleſiam Domini Ludouici Imperatoris antea Presbyter obtinuerat, & gratiâ eiuſdem Regis cum quo erat, iterum adeptus eſt eam.* Ex his verbis ſuſpicari poſſet aliquis eundem Fulconem Remenſem adminiſtraſſe Eccleſiam ſub Ludouico Pio, & ſub Caluo Archiepiſcopum fuiſſe: verum ſi ita eſt, prope nonagenarius obierit neceſſe eſt: nam ante an. 840. Presbyter erat, &

obiit tantùm an. 900. Ante tamen quàm ad Archiepiſcopatum promoueretur, Abbas erat S. Bertini & S. Vedaſti Atrebatenſis, vnuſque eſt è tribus quibus Carolus filij curam commiſit. Sic enim legitur in Capitulo 15. *Qualiter & quo ordine filius noſter in hoc Regno remaneat, & qui debeant eſſe, ſuorum auxilio vtatur & viciſſitudine cum eo ſint. Videlicet ex Epiſcopis aſſiduè ſint cum illo aut Ingilwinus, aut Reinelmus ſiue Odo, ſeu Hildeboldus. Ex Abbatibus ſi alia neceſſitas non euenerit, aſſiduè ſint cum eo Welpho, Ganzlinus, & Folco.* ſed hac de re ſatis.

Fulbertus Gerberti Aquitani Diſcipulus, in ſcripturis Diuinis eruditiſſimus & in ſecularium litterarum diſciplinis omnium ſuo tempore doctorum doctiſſimus, inquit Trithemius, Poëta clarus & Dialecticus ſubtiliſſimus, ſed ſolidiſſimus. Multis annis Scholæ Publicæ præſidens multos doctiſsimos auditores enutriuit. Lutetiæ primum, deinde apud S. Petrum Carnotenſem Monachus factus, Carnuti ſummâ quoque celebritate nominis docuit: & ibidem ad Epiſcopatum aſſumptus an. 1016. docere non deſtitit, interque cæteros Diſcipulos habuit Berengarium, Adelmannum, Hugonem Lingonenſem poſtea Epiſcopum, cuius eſſe videtur hæc ad Fulbertum epiſtola. Domno ſuo cariſsimo Fulberto præſuli H. omnium expetendorum ſummam. *Quod ante vindemias non reuiſo vos, Pater Dilectiſſime, fratris B. morbus detinet, cum opportunum fuerit, annuente Deo libentiſſimè id acturum. Scripto veſtro interim quæſo mihi innoteſcere, quomodo vos agatis, & qualiter Condiſcipuli mei ſe gerant in Scholis, & an melius ſolito celebrent Canonicas horas. Mitto vobis vnum è duobus libellis quos amicus noſter Comes G. rogauit tranſcribi &c. Salutate precor vice mea Dominum meum Sigonem & Hilduinum: priorem animum meum, & alterum animæ meæ dimidium.* Quod autem fuerit Gerberti diſcipulus, docet Chronicon Malleacenſe his verbis. *Gerbertus docuit Fulbertum Carnotenſem Epiſcopum: hic iterum docuit Berengarium Canonicum S. Martini, qui item Brunonem Remenſem & alios multos hæredes Philoſophiæ reliquit. Bruno quidem perfectus philoſophus Monachus factus & Eremita apud Calabriã multorũ Monachorũ pater obiit in Chriſto.* Porro Author Chronici Mall. non vltra an. 1140. ſcripſit: vnde veritatẽ facile ſcire potius. Cãcellarius fuiſſe dicitur ſed malè Roberti Regis Frãciæ: ei quidẽ cariſsimus Willelmo Aquitaniæ Duci, à quo Theſaurariã S. Hilarij Pictauienſis obtinuit vt legitur in fragmẽto Hiſtor. Aquitan. Odiloni quoq; Abbati Cluniacenſi percarus, vt teſtatur Siluiniaci Monachus in vita Odilonis. *Hoc nomine*, inquit, (*nempe Archangeli Monachorum*) *cenſebat eum appellandum in ſuis ſermonibus & Epiſtolis Fulbertus ille ſibi præcordialis amicus Carnotenſis Epiſcopus in ſanctitate laudabilis, in ſapientia mirabilis, in cuius morte ſtudium Philoſophiæ in Francia periit, & gloria ſacerdotum pene excidit.* In Epiſcopatu pericula multa ſubiit: itaque ſœpe ſecum deliberauit cedere-ne, an manere deberet: quas inter anguſtias hunc hymnum Chriſto Conſilij Datori cecinit.

Angelo Conſilij magni, te conſulo, Chriſte
Mi factor, mea vita, ſalus, fiducia ſola.
Da mihi Conſilium & votum vireſque ſequendi,
Ambiguo quid agam, quo tandem fine quieſcam.
Nunc vereor temere ſuſcepto Pontificatu
Seruandis omnibus mage quàm prodeſſe, nocere:
Atque ideo puto cedendum melioribus eſſe.
Nunc recolens quia non opibus neque ſanguine fretus
Conſcendi Cathedram, pauper, de ſorde leuatus,
Arbitror hoc à te factum, ſicut tuus eſt mos:
Nec mutare locum, niſi ſignificaueris, auſim,
Quamuis hoc laſæ moneat mens conſcia vitæ.
Tu ſcis ſancte Pater, quid ſit tibi gratius horum
Vtiliuſque mihi. Precor vnde tuam pietatem,
Vt mihi digneris hoc inſpirare labanti
Conſilium præſenſque iuues ad perficiendum.

In veteri Annali Bibliothecæ Regalis Collegij Nauarrici in vitâ Roberti Regis leguntur hæc verba *Fulbertus primò fuit Cancellarius Regis Francorum Roberti & ex*

Digitized by Google

Cancellario factus Epiſcopus Carnotenſis, vitâ honeſtiſſimus & in ſcientia clariſſimus. Fundamenta S. Eccleſiæ Dei Genitricis Carnot. iecit & eandem perfecit miro lapideo tabulatu. Item in veteri annali Abbatiæ S. Petri quæ ſita eſt in valle Carnotenſi *Fulbertus Doctor ſacræ Theologiæ egregius, hic fuit tempore Roberti Regis filij Hugonis Capet qui regnare cœpit an. 987. Hic Doctor & Epiſcopus glorioſus ſpeculum Eccleſiæ & fidei Chriſtianæ multa ſcripta fecit ad laudem Virginis glorioſæ, & inter cætera illam Legendam, quæ legitur in Natiuitate eiuſdem quæ incipit, Approbatæ Conſuetudinis.* Huius tempore anno 1020. in nocte Natiuitatis B. Mariæ, Epiſcopatus ann. 4. fuit Ciuitas Carnotenſis & tota Eccleſia B. Mariæ combuſta. Obiit an. 1028. iacetque in Eccleſia S. Petri vallis Carnotenſis, vbi Monachum induerat. Extat autem eius Epitaphium ex M. veteri his verbis. *Anno ab Incarnatione Domini 1028. 4. id. April. obiit dilectus Deo & hominibus pater noſter veneranda memoria Fulbertus ſuæ tempeſtatis Pontificum decus, lux præclara mundo à Deo data, pauperum ſubſtentator, conſolator, prædonum & latronum refrænator, vir eloquentiſſimus & ſapientiſſimus tam in Diuinis quàm in liberalium Artium libris. Qui ad reſtaurationem ſancti Templi ſuæ Diæceſeos quod ipſe poſt incendium à fundamento reædificare cœperat, bonam partem auri ſui & argenti reliquit, & diſciplinæ ac ſapientiæ radiis illum locum illuminauit & Clericis ſuis multa bona fecit.* Sequitur. *Epitaphium.*

Quem tibi Carnotis conceſſit fons bonitatis
Doctrinæ fluuium duplicis egregium.
Pontificum ſidus, Fulbertus fulgidus actu
Veſtis pauperibus, victus & aſſiduus.
Incluſus iacet hic factus de puluere puluis,
Et præſtolatur ſurgere cum reliquis.
Virtutum cultor, vitiorum mortificator
Auxiliante Deo perſtitit à puero.
Bis denos annos atque vnum dimidiumque
Virgo Maria tuæ præfuit Eccleſiæ
Ingreſſurus erat Phœbus poſt limina ſeptem
Taurum, cum mæſtum deſeruit populum.

In Bibliotheca Floriacenſi circa finem 1. partis. *Prophetiæ quoque ſpiritu clauit* (Fulbertus.) *Nam & Berengarium poſt Hæreticum, moriens hoc modo notauit: nam cum eum in extremis poſitum multi viſitarent, & ædium capacitas vix confluentibus capiendis ſufficeret, ille inter oppoſitas cateruas oculis longè rimatus Berengarium, viſu quo potuit, pellendum cenſuit, proteſtatus immanem draconem prope eum conſiſtere, multoſque ad conſequendum blandiente manu illicitè corrumpere.*

Extant eius Epiſtolæ, ſermones ad populum, aliquot Proſæ & Hymni de Sanctis: præterea verſus de B. Virgine, de S. Cruce, de ſeipſo, quorum aliquot ſupra retulimus, de anxietate animi in qua erat & dubitatione, an Epiſcopatum eiurare deberet, nec ne: quibus & hos ſubiungere placet, in quibus Beneficia duo in ſe collata commemorat.

Te de pauperibus natum ſuſcepit alendum
Chriſtus, & immeritum ſic enutriuit & auxit:
Vt collata tibi miretur munera mundus,
Nam puero faciles prouidit adeſſe Magiſtros,
Et Iuuenem produxit ad hoc vt Epiſcopus eſſes.
Reges, Pontifices, populi te magnificabant
Seruum cenſentes prudentem atque fidelem
Eſſe pii Domini.

Abboni Abbati Floriacenſi amiciſſimus fuiſſe intelligitur ex epiſt. 21. in qua breuiter eius laudes complectitur. *Quanam*, inquit, *te reſalutatione digner*, ô ſacrate Abba & ô magne Philoſophe? quid rependam muneris ſanctæ amicitiæ, quam promiſerunt ſigna gemmatæ facundiæ, vix æſtimare ſufficio. Ego conferre poſſim, quod tu aut non habeas, aut non habere contemnas?

Fulcherius Carnotenſis vir nobilis & diues, eiuſdem Eccleſiæ Canonicus multa bona Monachis Vticenſibus contulit, vt videre eſt apud Ordericum Vitalem

ad an. 1083. vbi hæc verba leguntur. *Per ipſum itaque (* nempe per Goiſbertum Carnotenſem Medicum *) Fulcherius Carnotenſis & Petrus de Maulia aliique plures notitiam Vticenſem amplexati ſunt, & honeſtatem eorum cum religione venerantes, eis de rebus ſuis portionem idoneam contulerunt. Præfatus quippe Fulcherius nobilitate eluebat & patrimonio ſuo magnam poſſeſſionem habebat, litteriſque affatim imbutus ſanctæ Dei Genitricis Canonicus erat.* Is eſt Fulcherius Capellanus, qui ad bellum Hieroſolymitanum profectus, illud verſibus deſcripſit.

Fulco de Guarlemuilla Decanus Ebroicenſis Fulberti Carnotenſis Diſcipulus, pro more illorum temporum vxorem duxit, ex qua filios octo & duas filias ſuſcepit: vt in hiſtoria retulimus.

G

G*Allus* imperante Carolo M. in Scholis Palatinis inſtitutus fuit: deinde in Italia apud Ticinenſem Academiam, cui præerat Ioannes Mailroſius, vt dicemus infra. De Gallo hæc breuiter commemorat Monachus San-Gallenſis l. 1. c. 8. *Ne verò obliuiſci vel negligere videar, hoc verè de induſtria & meritis eius* (Caroli M.) *agnoui: quia de diſcipulis eius* (Clementis) *nullus remanſit, qui non vel Abbas ſcientiſſimus, vel antiſtes extiterit clariſſimus; apud quem & Dominus meus Gallus primo in Gallia, poſt verò in Italia liberalibus eſt diſciplinis imbutus.* In Codice Moiſſiacenſis Cœnobii vox illa *Gallus* non habetur. An verò nomen ſit proprium, vt aliqui putant, an appellatiuum, iure dubitatur videtur. Certè Author indicate hac voce Abbatẽ S. Galli in Scholis Palatinis, ſub Clemente ſtuduiſſe. Sed quis ille Abbas? Meminit idem Hartmuti l. 2. c. 15. qui quo tẽpore ſcribebat, abbatiæ regimine alteri reſignato incluſus viuebat. Hartmutus enim teſte Stũſio l. 5. c. 5. Abbatiam reſignauit an. 882 aut 83. Ante Hartmutum verò Abbatiæ præfuerat Grimobaldus, qui exceſſit è viuis an. 872. Hartmuto verò ſucceſſit Bernardus an. 883.

Gauzlenus ſeu Goſcelinus Apocriſiarius ſacri Palatii, ſeu Archicapellanus ſub Carolo Caluo, Ludouico & Carlomanno, Scholarumque proinde Palatinarum Moderator Generalis, Nobilis proſapiæ vir, quippe filius Roriconis Comitis & Milechildis: quem aiunt primùm fuiſſe Monachum in Cœnobio Glannenſi ad Ligerim, vulgo *S. Mauri*: deinde factus eſt S. Germani Pratenſis Abbas, S. Dionyſii in Francia, & S. Mauri; poſtremo Epiſcopus Pariſienſis, qui Ciuitatem cum Odone Comite contra Normanos acriter & generoſè defendit an. 886. regnante Carolo Craſſo. Verum in repugnatione fortiter dimicans occiſus eſt an. 887. cuius mortem hiſce verſibus deflet Abbo San-Germano-Pratenſis Monachus l. 1. Belli Pariſienſis.

Quis ſentire poteſt patulâ quod ſubditur aure?
Terra gemat, pontuſque, polum, latus quoque Mundus:
Gauzlinus Domini Præſul mitiſſimus Heros
Aſtra petit Domino migrans, rutilans velut ipſa,
Noſtra manens Turris, Clypeus, nec non Biſacuta.
Rumphea, fortis & arcus erat, fortiſque ſagitta.
Heu! cunctis oculos fontes tenebrant lachrymarum;
Atque pauore dolor contritis viſcera ſcindit.

Gauzlinus ſeu Gauzlinus Magiſter Scholarum, cui Abbo tanquam vni è Magiſtris ſuis duos de obſidione Pariſienſi libros dedicauit an. circiter 992.

Gauzlinus Abbonis Floriacenſis Diſcipulus; Nothus quidem, ſed in moribus vir omni laude cumulatiſſimus floruit Roberti Regis temporibus. Abbonis in Abbatiæ regimine ſucceſſor, idemque Bituricenſis Archiepiſcopus, quem Fulbertus Carnotenſis & Helgardus mirificis laudibus extollunt. de eo ſic Helgaldus. *Huius*, Regis Roberti, *temporibus cuius adiuuante Deo facta deſcribimus, fulſit in Monaſterio Floriacenſi loco celebri ſplendidius mundo Gauzlinus Abbas merito, ſanctis Deo coniunctus operibus* Pollens ſcientia ſpiritalis ſimul & humana. *Inerant eius cordi Abbonis Magiſtri prolati S. Scriptura flores boni, de quibus honeſtiſſimè imbutus ita tractabat omnibus vt poſſent delectari in cœleſtibus. In ſanctis Eleemoſynis ita largiſſimus,*

mus, vt ipſe peritus in fortiſſimis frigoribus à ſe veſtes pellium abiiciens pauperes Chriſti indueret.... Hunc perfectus Rex ita ſuis affixit obtutibus, vt eum præ cæteris diligens ſuis eum ſpecialiter deuinciret conſiliis, quæ ab eo probè probata ſemper ea habuit honeſta, nunquam tamen iniuſta. In honoribus ſeculi eum honorans attribuit illi honores non minimos, Abbatiam S. Benedicti quæ eſt caput totius Ordinis Monaſtici, & Epiſcopatum Bituricenſem S. Protomartyris Stephani principatum tenentis totius Aquitaniæ, qui fuit & eſt honor & decus Franciæ.

Paulo poſt mortem Abbonis recens factus Abbas gtauem habuit cum Epiſcopo Aurelianenſi litem & diſcordiam, eo quod nonnullis priuilegiis fretus, quæ Abbo à Romano Pontifici obtinuetar, ab Epiſcopi Iuriſdictione ſe putabat exemptum, ſubiectionemque profiteri monitus detrectabat: quamobrem ab Epiſcopo excommunicatus Fulbertum virum in omnite litteraria verſatiſſimum ſibique amiciſſimum conſuluit rogans quid facto opus eſſet. At Fulbertus parendum eſſe reſcripſit, nullaque ratione Abbatem ab Epiſcopi iuriſdictione liberum eſſe pronunciauit hac Ep. quæ eſt 72. *Præſul Aurelianorum qui vos excommunicauit* Coëpiſcopos ſuos idem facere poſcit. At Ego correctionis veſtræ non expers 3. Kal. Octobr. reſpectum dedi. Vnde nunc frater commoneo, vt gradus humilitatis interim vel vſque ad tertium relegens Epiſcopo veſtro ſubiiciamini, ſicut decet. Aut ſi vobis non ita faciendum eſſe videtur, cur fieri non debeat, rationem nobis intimare non pigeat. Ego enim neque legem nequo modum ratiocinationis inuenire poſſum, qui vos ab iugo ſubiectionis huius abſoluat. At ſi quis alius prætet vos inueniſſe fateatur, nouum illum Rhetotem de cœlo magis cecidiſſe quàm deſcendiſſe crediderim. Videte, ne quis vos ſeducat inanibus verbis.

Quantæ autem doctrinæ vir eſſe putaretur, patet ex litteris Roberti Regis ad ipſum, quibus indicat ſe à Willelmo Aquitaniæ Comite rogatum requirere à Regni ſui ſapientibus, quid pluuiæ ſanguineæ quæ de cœlo in partes præſertim maritimas ceciderat, portentum ſignificaret. Extat ipſius Regis Epiſtola, quę legitur inter Fulbertinas ordine 35. *Per Epiſtolam*, inquit, *petiit à me idem Guillelmus Comes, vt Ega requirerem à mei regni Sapientibus, quid hoc portentum ſignificaret.* Extat & ipſius Gauzlini Reſponſiua, ex qua intelligitur quàm multifariæ lectionis & doctrinæ fuerit.

Geraldus Aurelianenſis Henrici & Philippi I. temporibus floruit; in Eloquentiæ & Poëticæ Profeſſione excelluit, vt vel indicat Epitaphium Hugonis Magni Roberti Regis filii, quod in Hiſtoria retulimus ex antiquo MS. Bibliothecæ Viri Clar. Alexandri Petauii Senatoris Pariſienſis. Vir fuit affabilis, Diſcipulis charus, beneficus, liberalis, Eccleſiaſticorum vero Iurium propugnator acerrimus. Obiit plenus dierum circa an. 1080. cuius memoriam hoc Epitaphio celebtauit Baldricus Abbas Burgulienſis.

Egregius Doctor, Magnuſque Sophiſta Geraldus,
Eccleſiæ robur, Cleri populique columna,
Spes pupillorum, vir munificus viduarum.
Aurelianorum lux & ſpecialis honeſtas.
Vir cani capitis, morum moderamine pollens:
Cui nil à ſenſu tulit antiquata Senectus.
Tandem communis contactus imagine mortis
Exuit hoc quod erat. Datur hîc ſua portio terræ,
Spititus in tenues viuens elabitur auras,
Cui tamen è rebus lutulentis ſi quid inhæſit,
Expiet id totum clemens miſeratio Chriſti.
His precibus Lector Amen adiiciendo faueto.

Gerardus Laudunenſis Manegaudi Lutenbachii Lutetiæ fuit Diſcipulus, vbi & ipſe docuit; deinde Andegaui & Lauduni, ſeu forte Iuliodurii vulgo Gall. *Loudun*, Scholam tenuit; vir meliore dignus oppido: fuit enim Eloquentiæ, Philoſophiæ & Poëticæ laude inſigniter conſpicuus: adeo vt Ciceronem, Maronem & Ariſtotelem æquare diceretur. Baldrico Burgulienſi Abbati mirificè charus

Digitized by Google

fui, cariorque fuiſſet, ſi vt ab eo rogabatur, Monachum induere voluiſſet, quem ob id Burgulium euocarat. Eiuſ laudes Baldricus proſequitur hoc modo in ſuis Carminibus Hiſtoricis. In priore cui hæc inſcriptio præfigitur de *Gerardo Laudunis ſubrepto*, ſic habet.

Tantum Gorardus laudes dum laudibus auxit,
Quod dignum magnis laudibus Andus habet,
Quantum doctrinis Ciceroque Maroque Latinis,
Nam nobis alter fulſit Ariſtoteles.
Lux & laus Cleri, ſol qui ſuffecerit Orbi,
Orbi Quadruuium protulit & Triuium.
At fortunatus fuit Abbas Burgulianus,
Qui ſibi Gerardum vindicat in proprium.
Lauſdunis obiit, ſed viuit Burgulianis:
Vtque diu viuat, iam redimunt precibus.
Hunc igitur Terræ ſpeciali mandet honore,
Quisquis defuncto corpore diues erit.

Item de Eodem.

Vberibus, Manegaude, tuis lactatus abunde
Tempore poſterior, pæne legendo prior:
Atque tuis finibus abſtractus venit ad Andos
Ardua Gerardus plenaque dicta gerens.
Laude ſuâ laudes Lauſduni multiplicauit
Artes exponens commoditate leui.
Hunc quoque Lauſdunis inuidit Burgulienſis,
Et quibus inuidit blandiloquus rapuit.
Iam nunc Gerardus pauſet cum Burgulienſi,
Donec mandetur alteruter tumulo.
O vtinam neque mors neque caſus ſeparet ipſos,
Donec nigreſcat primitus albus odor.
Et donec pennis coruus niger euolet albis,
Lauſdunum refluus donec eat Ligeris.
Et donec querulæ ſileant valeantque Cicadæ
Et noceat ſenium ſiue dolor neutrum,

Item, eum ad Monachi habitum ſumendum ſic inuitat propoſitâ loci Burgulienſis amœnitate.

Ipſe locum noui, qui floridus otia gignit,
Libros & chartas & cuncta ſtudentibus apta.
Burgulius locus eſt & Cambio dicitur amnis
Flumine perpetuo qui vitreus irrigat hortos,
Hocque loco locus eſt à turbis pæne remotus,
Qui tutat fratres à ſolicitudine Mundi,
Et fouet in gremio diuturnos pacis alumna.
Prata virent iuxta, quibus eſt contermina ſilua,
Hunc emat, hunc redimat, quiſquis probus eſſe laborat.

Gerardus ſeu Giraudus natione Gallus, aliquandiu S. Medardi Sueſſionenſis Abbas poſt Ataulphum, Philippi I. conſecrationi interfuit: deinde à Regina expulſus in Aquitaniam ad Willielmum profectus Siluæ maioris Cœnobium conſtruxit. De eo ſic habetur in vita MS. S. Arnulphi Sueſſionenſis. *Electus eſt in Abbatē vir magnæ ſcientia & religionis præcipuæ nomine Giraldus. Giraldus autem à Regina expulſus dedit locum iræ & receſſit in partes Aquitaniæ, vbi à Duce terræ illius gratanter acceptus in Silua maiori illuſtre Cænobium conſtruxit.* Nempe anno 1077. vt legitur in Chronico Malleacenſi: obiitque anno 1095. 8. Id. April. eaque

morte qua defunctus eſt, viſæ ſunt ſtellæ cadete de cælo in **modum facis** : **vt** ibidem habetur. Hunc quoque virum celebrat Baldricus.

Cum pro defunctis ſoleant orare fideles ,
Proque ſibi charis perpetuent lachrymas.
Pro patre Geraldo nihil eſt vtriuſque neceſſe ,
Qui Cæli Ciuis incola vixit humi.
Siluam Maiorem Monachis Dominoque dicauit
Exul ſponte ſua finibus à patriis
Francia Natalis ſibi ſorduit, hancque reliquit ,
Silueſtres Saltus Burdegala veniens.
Pullulat ecce polo ſilueſtris terra Colonos ,
Quæ per Geraldum floruit Agricolam .
En felix anima Cæli latatus in aula
Artus hîc poſiti latificent populos.

Gerbertus natione Gallus, patria Aquitanus , humili loco natus , ingenio alacer nomen profeſſus eſt inrer Monachos Aureliacenſes : apud quos aliquandiu moratus eſt ſub diſciplina M. Geraldi, deinde ſub M. Raimundo, qui ambo ſucceſſiuè & immediatè Abbates fuerunt. Inde ſeu clam aufugit , vt multi ſcribunt, ſeu miſſus eſt ab Abbate Hiſpalim ſeu Seuillam, alii dicunt, Cordubam , in Hiſpaniam ad Philoſophum Saracenum, qui ibi magna nominis celebritate Mathematicas tradebat diſciplinas : quas quidem ita ebibir cum liberalibus artibus , vt eas pene emortuas in Gallia reſuſcitarit. Iis ergo pleniſſimè inſtructus rediit in Galliam, & Floriaci primùm docuit, vel vt aliqui ſcribunt, Aureliæ. Vbi Conſtantium ſeu Conſtantinū Floriacenſem Comprofeſſorē habuit, deinde Lutetiæ tum in Aula Hugonis nondum Regis Robertum filium erudiit : poſtremo Remis ad Adalberonem ſe contulit, quocum tam arctam neceſſitudinem contraxit, vt nulla poſſet eſſe maior. Italiam quoque luſtrauit , & Othoni II. Imperatori cariſſimus fuit , adeo vt illi filium ſuum Othonem litteris imbuendum tradiderit ſimul cum Ruberto Hugonis Capeti filio : vnde Ep. 160. de vtroque Diſcipulo ſuo loquens , ſcribit ad Robertum , ſibi ſæpe Othonem inculcare & repetere deſiderium illius videndi. *Dies noctesque mecum ſermones confert vbi & quando vos familiariter videre poſſit coæuum ſibi & ſtudiis conſimilem ſeniorem meum Regem Robertum alloqui & complexari.* Illi autem duo Diſcipuli certatim eum honoribus auxerunt, Robertus Archiepiſcopatu Remenſi , Otho Rauennate, deinde Papatu Romano. Qua de re ſic Glaber Rudulphus breuiter. *Is Gilbertus* è Galliis oriundus extitit; Minorem etiam gerens proſapiam , ſed tamen ingenio acerrimus , Artiumque liberalium ſtudiis pleniſſimè inſtructus. Proinde Remorum etiam à Rege Francorum Hugone fuerat cunſtitutus Pontifex: ſed quoniam , vt diximus , valde erat acer ac prouidus, intelligens Arnulfum eiuſdem vrbis Archiepiſcopum , quo viuente ordinatus fuerat, ex conſenſu eiuſdem Regis niti in priſtinam reformari ſedem, cautè iter arripiens ad prædictum deuenit Othonem: qui ſatis honorificè ab eo ſuſceptus. Quem etiam ſtatim Rauennæ : *inde verò Romanæ Vrbis ſublimauit Pontificem.* Similiter de eodem Helgaldus in vita Roberti Regis. *Is quippe Gerbertus pro maximo ſuæ ſapientiæ merito* , quo toto radiabat in mundo, donariuo Regis Hugonis munere , Pontificium adeptus Remenſe non multis annis illud adornauit ſplendidè in his quæ forent neceſſaria Eccleſiæ ſanctæ. Eo namque derelictu Rauennatium factus eſt Rector ab Ottone III. de quo ab Apoſtolatum Petri Apoſtoli Sanctiſſimi feſtinus conſcendens multa in eo virtutum operatus eſt inſignia: & præcipuè in eleemoſyna ſancta , quam fortiter tenuit dum fideliter vixit. Inter cætera de ſe lætus & hilaris ita in R. littera luſit.

Scandit ab R. Gerbertus ad R. poſt Papa viget R.

Hoc apertè demonſtrans quod hi tres Epiſcopatus honores , quos profeſſione regularis vitæ Patris Benedicti Monachus factus ſuſcepit , texit & tenuit, hu-

ius R. literæ ſigno in capite ſunt declarati.

Nonnullos alios eius Diſcipulos commemorat Ordericus Vitalis ad an. 987.
"quanquam minus verè inter eos Remigium Antiſſiodorenſem reponit.
"*Gerbertus*, inquit, *in Diuinis & Secularibus libris eruditiſſimus fuit & in ſua Schola*
"*famoſus* & ſublimes diſcipulos habuit. Rodbertum ſcilicet Regem, & Leotheri-
"cum Senonenſem Archiepiſcopum, Remigium præſulem Antiſſiodorenſium,
"Haimonem atque Huboldum, alioſque plurimos fulgentes *in choro ſophiſta-*
"*rum.* Remigius Pontifex luculentam expoſitionem ſuper Miſſam edidit, & ar-
"tium vel editionem Donati Grammatici vtiliter expoſuit. Haimo quoque S.
"Pauli Epiſtolas laudabiliter explanauit, & alia multa de Euangeliis aliiſque ſacris
"Scripturis ſimiliter tractauit. Huboldus autem Muſicæ artis peritus ad laudem
"Creatoris Eccleſiæ perſonuit & de S. Trinitate dulcem Hiſtoriam cecinit, alioſ-
"que multos delectabiles cantus de Deo & Sanctis eius compoſuit. Hos alioſque
"plures Gerbertus erudiuit, quorum multiplex ſequenti tempore ſcientia Eccle-
"ſiæ Dei plurimum profecit. Qui poſtquam de throno Remenſi quem illicitè
"vſurpauerat, depoſitus eſt, cum rubore & indignatione Galliam relinquens ad
Othonem Imperatorem profectus eſt, & tam ab ipſo quam à populo ad præſula-
tum Rauennæ electus eſt.

Othonianæ familiæ ſe totum addixit, Auo, patri & filio ab an. circiter 960. id-
que aſſerit Ep. 30. additiriarũ à Sirmondo. Sic enim ad Othonem M. *tribus, vt ita*
dicam, ſeculi ætatibus, Vobis, Patri, Auo inter hoſtes & tela fidem puriſſimam exhibui,
meam quantulamcunque perſonam Regibus furentibus, populis inſanientibus pro veſtra
ſalute oppoſui. Per inuias ſolitudines, per incurſus & occurſus prædonum, fame &
ſiti, vi frigoris & æſtus excruciatus, infractus inter tot tempeſtates extiti, vt mortem po-
tius præoptarem, quàm filium Cæſaris tunc captiuum Imperatorem non viderem. Ab Ot-
thone II. Abbatia S. Columbani ſeu Bobienſi in Italia donatus eſt; ſed ingraueſ-
cente Italorum contra Othonem odio, cedere coactus eſt, & primo in palatium
Imperatoris, deinde Remos ad Adalberonem ſe contulit. Omnium autem acer-
rimum habuit & expertus eſt hoſtem Petrum Papienſem Epiſcopum: vt pa-
"tet ex Ep. 5. in qua ſcribit. *Quod Abbatiam* S. Columbani habere videmur,
"Italorum nulli gratias agimus, ſi ante Dominum noſtrum à vobis laudi ſumus,
"non indebitas vobis reddidimus laudes. Mutua expoſcitis colloquia & à rapinis
"noſtræ Eccleſiæ non ceſſatis. Noſtra velut propria militibus diuiditis, qui diuerſa
"in integrum reuocare debuiſtis. Rapite, prædamini, vires Italiæ contra Nos con-
"currite. Opportunum tẽpus nacti eſtis. Dominus noſter bellorum certamine oc-
"cupatur, Nos nec manus paratas eum iuuare detinebimus, nec quod eius officii
"eſt, tenere vſurpabimus. In Ep. 11. ad Cæſarem teſtatur ab Italis eum vocari
Aſinum, ſe verò Equum admiſſarium, vxorem & filios habentem, propterea
quod partem familiæ ſuæ de Francia recollegiſſet. Et Ep. 12. ad Hugonem ſuum
eorum rabiem graphicè depingit. *Secundum* amplitudinem mei animi am-
"pliſſimis honoribus ditauit me Dominus meus. Nam quæ pars Italiæ poſſeſſio-
"nes B. Columbani non continet? Hoc quidem ita ex largitate & beneuolentia
"noſtri Cæſaris: fortuna verò aliter inſtituit. Secundum amplitudinem quippe a-
"mici mei ampliſſimis me onerauit hoſtibus. Nam quæ pars Italiæ meos non ha-
"bet hoſtes? vires meæ impares ſunt viribus Italiæ. Conditio pacis hæc eſt, ſi
"ſpoliatus ſeruio, furere deſinent, veſtitum diſtrictis proſequentur gladiis: vbi gla-
"dio ferire nequibunt, iaculis verborum appetent. Contemnetur Imperialis Ma-
"ieſtas tum in me, tum in ſeipſa, in diuiſione ſanctuarii Domini ſecundum libel-
"larias leges facta: quia conſentire nolo, perfidus, crudelis, tyrannus cognomi-
"nor. Ipſe Cæſar omnium hominum excellentiſſimus à furciferis Aſino coæqua-
"tur. &c. Iſtis in anguſtiis rerum poſitus confugit ad Ioannem Papam XIII. ſed
fruſtra: vnde eum vehementer increpat Ep. 14 præſertim verò Ep. 24. *Grauiter &*
iniquo animo fero peruadi, diripi ſanctuarium Domini creditum mihi à S. Romana & Apo-
ſtolica Eccleſia. Porro quid deinceps ſtabilietur, ſi id diſſoluitur quod actum eſt conſenſu
Principis, Epiſcoporum electione, Cleri & populi voluntate, poſtremo omnium excellen-
tiſſimi Papæ conſecratione: ſi præcepta violantur, priuilegia contemnuntur, diuina &
humanæ leges ſuſtolluntur. Qua ſpe vos adeundi periculum faciam, ne dedignemini ſacris
apicibus ſignificare. Alioquin ne miremini, ſi his Caſtris me applico, vbi maxima portio

Digitized by Google

legis humanæ, nullo Diuinæ: humanitas quippe prima in actiuis, Diuinitas ſecunda in ſpeculatiuis. Fiet hoc mea puſillanimitate, veſtrâ ceſſante magnanimitate. Innuit ſe tum fuiſſe in Caſtris Othonis: at poſt eius mortem Remos conceſſit, ad Adalberonem, ibique ludum aperuit: vnde ſe *Abbatem Scholarem* appellat Ep. 142. ad Conſtantinum Floriacenſem. Et Ep. 148. ad Remigium Monachum Treuirenſem. Imo etiam Abbas in Italia conſtitutus docere non deſiſtebat: vt patet ex Ep. 13 ad Ecbertum Archiepiſcopum Treuirenſem, in qua ſic habet. *Si deliberatis an ſcholaſticos in Italiam ad nos vſque dirigatis, conſilium noſtrum in aperto eſt, quod laudabitis laudabimus, quod feretis feremus.* Quomodo autem ex Abbate ſcholari factus fuerit Archiepiſcopus expulſo Arnulfo, & quomodo expulſus reſtituto Arnulfo, in Hiſtoria docuimus. Hinc factus Archiepiſcopus Rauennas ab Othone III. & paulo poſt Papa: quam in rem extat Reſcriptum illius, & de donatione quorundam Comitatuum Italiæ, quibus Sedem Petri æternum gaudere voluit in gratiam Magiſtri ſui. Sic enim ille *Spretis ergo commentitiis præceptis & imaginariis ſcriptis ex noſtro conferimus: ſicut enim pro amore S. Petri D. Silueſtrum Magiſtrum noſtrum Papam eligimus, & Deo volente ipſum Sereniſſimum ordinauimus & creauimus: ita pro amore ipſius D. Silueſtri Papæ S. Petro de publico noſtro dona conferemus, vt habeat Magiſter quod Principi noſtro Petro à parte Diſcipuli ſui offerat.* Ab Italis autem fere omnibus Scriptoribus, qui eius incredibilem animi vim nouerant, eloquentiam & ſcientiam oderant, video eum Magi, aut Dæmonis alicuius loco habitum: & ne omnes referam, de eo ſic habet Martinus Polonus Pœnitentiarius ſub Innocentio IV. *Silueſter II.* natione Gallicus, prius vocatus Gilbertus ſedit annis 4. menſe vno, diebus 8. & ceſſauit Pontificatus diebus 23. Hic primum Floriacenſis Cœnobii in Aurelianenſi Diœceſi Monachus fuit: ſed dimiſſo Monaſterio, Diabolo homagium fecit, vt ſibi omnia ad votum ſuccederent: id quod Dæmon promiſit adimplere. Iſte obſequiis Diaboli inſiſtens frequenter ſuper deſideriis ſuis cum eo loquebatur. Veniens autem in Hiſpalim Hiſpaniæ cauſa diſcendi, tam bene profecit, quod ſua doctrina etiam maximis placuit. Habuit enim Diſcipulos Othonem Imperatorem & Robertum Regem Franciæ, qui inter alia Sequentiam S. Spiritus *adſit nobis gratia*, compoſuit: & Leotherum qui fuit Archiepiſcopus Senonenſis. Sed quia idem Gilbertus quamplurimos honores ambiebat, Diabolus quæ petebat, ad votum impleuit. Fuit enim primò Remenſis Archiepiſcopus, poſtea Rauennas, tandem Papa. Et tunc quæſiuit à dæmone quandiu viueret in Papatu, reſponſum habuit, quandiu non celebraret in Hieruſalem. Gauiſus fuit tunc valde ſperans ſe longè à fine eſſe, ſicut longè fuit à voluntate peregrinationis in Hieruſalem vltra mare. Sed cum celebraret in Quadrageſima ad Eccleſiam S. Crucis quæ dicitur in Hieruſalem, ex ſtrepitu Dæmonum ſenſit ſibi mortem adeſſe: quare ſuſpirans ingemuit, licet antea ſceleratiſſimus eſſet, de miſericordia Dei non deſperans, reuelando coram omnibus peccatum ſuum. Sic membra omnia ſua, quibus Diabolo obſequium præſtiterat, iuſſit præcidi, & deinde truncum mortuum ſuper bigam poni, vt vbicunque illa animalia perducerent & ſiſterent, ibi ſepeliretur. Quod & factum eſt, ſepultuſque eſt in Lateranenſi Eccleſia. Et in ſignum miſericordiæ conſecutæ ſepulchrum tam ex tumultu oſſium quàm ex ſudore præſagium eſt morituri Papæ: *ſicut in eodem ſepulchro eſt litteris exaratum.* Verum hæc omnia fictitia & fabuloſa eſſe conſtat ex eius Epitaphio, quod à Sergio Papa ſucceſſore immediato conditum eſt, quodque ad an. 1002. retulimus. Epiſtolas plures ſcripſit tum ſuo nomine, tum multorum Procerum & Regum. Rhetoricam edidit in gratiam ſuorum Scholaſticorum, de qua ſic habet Ep. 92. *opus expertibus mirabile, ſtudiis vtile ad res Rhetorum fugaces & caliginoſiſſimas comprehendendas atque animo collocandas.*

Cæterum errat Martinus, cum ait Gerbertum fuiſſe Monachum Floriacenſis Cœnobii in Aurelianenſi Diœceſi; cum ipſe diſertè doceat ſe fuiſſe inſtitutum in Cœnobio Aureliacenſi, & omnia quæ didicit, illi ſe debere: vnde Ep. 45 ad Raimundum Aureliacenſem Monachum Magiſtrum olim ſuum, vocat ordinem illum altorem ſuum & informatorem. *Vale. Valeat Pater Geraldus, valeat frater Airaldus, valeat ſanctiſſimus Ordo meus altor & informator.* Et Ep. 35. Addititiarum à Sirmundo, ad Geraldum Abbatem & Fratres Aureliacenſes. *In commune quidem*

omnibus vobis pro mea inſtitutione grates rependo &c. Nuſquam verò Floriacenſes pro ſuis Alumnis & inſtitutoribus agnoſcit: neque Abbo, Aimoinus & Helgaldus Monachi Floriacenſes & Scriptores coætanei illum vſquam inter ſuos reponunt.

Gilbertus Criſpinus Abbas Weſtmonaſterii Diſcipulus Anſelmi Cantuarienſis apud Beccum, de quo ſic ait Mitæus: *Deinde in ſtudiis Theologicis Magiſtrum & Doctorem habuit Anſelmum Cantuarienſem, cuius victu intimos ſacrarum ſcripturarum penetrauit receſſus. Poſtea Gallicanas inuiſit Academias & Italiâ demum peragratâ Romam venit, atque inde per Germaniam rediit in patriam.*

Gibuinus aliàs Geboinus frater Hugonis Comitis Diuionenſis ad Epiſcopatum Catalaunenſem promotus eſt an. 947. habeturque inter eruditiſſimos huius ſeculi. Eius meminit Flodoardus, aiens in Chronicis ipſum cũ Roricone Lingonenſi Epiſcopo aduerſatum eſſe, queminus extincto Artaldo vacua ſedes Remenſis Hugoni Heriberti Veromanduorum Comitis filio reſtitueretur. Et Glaber Rodulphus l. 2. Hiſtoriarum c. 11. vbi de Leutardo Hæretico. Si tamen is eſt Gibuinus ſenex, vt putant Sammarthani in Catalogo Epiſcopor. Catalaunenſum: quod non Ego crediderim: nam Hæreticus ille qui ſub finem an. milliſimi extitit, à Gibuino qui anno 947. Epiſcopus Catalaunenſis factus eſt, comprimi non potuit, ſed à Gibuino Nepote ſeu Iuniore fratris filio, qui ei in Epiſcopatu ſucceſſit, iſque eſt cuius meminit Gerbertus Ep. 154. ad Adalaidem Reginam, quique in diſſidio illo Gerberti cum Arnulfo de ſede Remenſi, propoſitus eſt vt ſuccederet. *Quid ergo? ſi Arnulphus abſoluendus eſt, vel ſi Gibuinus vel alius quilibet in mea ſede intronizandus?* hunc ergo Glaber vocat *Eruditiſſimum ſenem Epiſcopum*. Eius interitum notat Albericus ad an. 1004. at Gibuinus Senior eodem teſte l. 2. c. 7. obiit an 993. quo anno etiam obiit Giſlebertus Pariſienſis Epiſcopus, & Manaſſes Trecenſis & Maiolus Abbas Cluniacenſis.

*Gislebertus Ma*minotus Vuillelmi Conquæſtoris Archiater in arte Medica peritiſſimus an. 1077. ad Lexouienſem Epiſcopatum electus eſt, de quo ſic ſcribit Ordericus Vitalis. *Ad regendum Lexouienſem Præſulatum Gislebertus cognomento Maminotus Regis Archiater & Capellanus electus eſt, & à Michaele Abrincatenſi Ep. in præſentia Ioannis Archiep. conſecratus eſt. Artis Medicæ peritiſſimus erat, ſed ſemetipſum in Pontificatu nunquam ſatis curare poterat. Scientia litterarum & facundia pollebat, deliciis & diuitiis indeſinenter affluebat, propria voluntati & carnis curæ nimis ſeruiebat. Otio & quieti affatim ſtudebat, ludiſque alearum & teſſerarum plerumque indulgebat. In cultu Eccleſiaſtico erat piger & negligens, ſed ad venatum aut quamcunque capturam promptus erat & feruens.*

Godefridus Remenſis Scholas tenuit Remis. Excelluit omni ſcientiarum genere, præſertim verò Eloquentiæ laude, Poëſeos, & Philoſophiæ arcanis: quem proinde legimus vocatum fuiſſe per excellentiam, *Theſaurum Philoſophiæ*. Eius memoriam haece nænia celebrat Abbas Burgulienſis.

Iocundus magnæ Theſaurus Philoſophiæ
Magnaque Muſa perit cum Godefridus obit.
Iſte decus Cleri, Sol alter idoneus Orbi.
Orbi ſufficeret, viueret ipſe diu.
Sed mors effrenis ſuper hunc ſua fræna grauauit,
& iubar à ſuperis inuida grande tulit.
Remis habet corpus, anima ſit manſio Cælum
Diuitibus Diues oſsibus vrna, vale.

Idem de Eodem.

Orbi deflendus, tamen & ſpecialiter vrbi
Quam Remis dicunt hic Godefride iaces.
Præcipuè Cleri lachrymis comitatus opimis
Hic tandem Matris redditus es gremio
Remenſis populi Clerique lucerna Latini
Omnibus extorques dum moreris, lachrymas.

Gallia te tanto complexabatur amore,
Vt doleat ſe non occubuiſſe ſimul.
Nunc igitur pedibus quibus ire licet gemebunda
Te comitatur adhuc planctibus & precibus.

Item de Eodem.

Quem tegit iſte lapis, non Tullius æquipararet,
Si tamen eiuſdem temporis ambo forent.
Hunc etenim vatem ſapientia tanta repleuerat,
Vt bene Romuleis ante fuiſſe putes.
Denique tantus erat, quantos vulgata per orbem
Fama volans fecit, quoslibet eſſe viros.
Mentis liuor edax hunc proh dolor! abſtulit Orbi,
Heu ſcrobe ſub modica nunc Godefride iaces.
Diuinos cineres Genitrix ſua Remis habeto
Tuque que Chriſte ſuæ manſio ſis animæ.

Item de Eodem.

Quæ Natura potens vix omnia contulit vlli,
Omnia contulerat hæc Godefrede tibi.
Formam, diuitias, mores, monimenta Nepotum,
Diſcretum pectus, ingenium locuples.
Os par ingenio, ſtudii florentis amorem,
Nec tamen iſta tibi cuncta tulêre mori.
Egregios artus en paruula continet vrna
Remis te genuit, te. quoque Remis habet
Vrbs venerare tuum felici puluere felix
Ciues Conciuem Cælicolæ foueant.

Item de Eodem.

Hos apices donec obliteret ipſa vetuſtas
Aut inimica manus celebri relegetur honore,
Ille Godefredus quem lucida Muſa ſecundum
Naſoni peperit, quem littera multa repleuit,
Ecce perennis adhuc Godefredum fama perennat.
Atque perennabit dum fama volare valebit.
Remis eum genuit & Remis eum ſepeliuit.
Terra colit terram, ſed ſpiritus incolit Aſtra.

Fuit & iiſdem temporibus Godefridus Ambianenſis Epiſcopus Yvoni Carnot. carus, qui tamen ſequente ſeculo floruiſſe videtur. Fuit & Goffridus 1. Epiſcopus Andegau. an. 1081. qui obiit an. 1093. cui cecinit Epitaphium elegiacè Marbodus, de quo infra. Item & Goffridus 2. de Meduana, qui factus eſt Epiſcopus Andegau. an. 1094.

Godesmannus Arnulfi Remenſis conſanguineus, clarus doctrina & natalibus, vt pote qui Lotharium Regem auunculum agnoſcebat. Diſciplinæ Eccleſiaſticæ aſſertor acerrimus, fuiſſe videtur. Is enim in cauſa Arnulfi Remenſis an. 991. ſalutem Eccleſiæ, vt putabat, conſanguinitati prætulit. Et cum cæteri Epiſcopi eius gratiâ commiſerarentur Arnulfi caſum, ipſe in Synodo hæc fortiter ſubiecit. *Sentio Reuerendi Patres, & hoc vos intelligere quod dicitis, & alterum pudori eſſe quod tacetis. Nam mouent vos Diuinæ leges, mouet etiam homo affinitate carnis mihi coniunctiſsimus, vt pote auunculi mei Lotharii Regis filius. Habeo & rependo Charitati veſtræ multiplices gratias, ſed abſit hoc a me, vt amori Chriſti amorem ſanguinis præferam, aut meo ſanguine quantum in me eſt, Eccleſia Dei polluatur.*

Goisbertus Carnotenſis profeſſione Medicus in Normania multis non ſolum

ſanitatem corpotis teſtituit, ſed deſideriũ quoque iniecit conuerſionis ad Deum & religioſæ vitæ amplectendæ, præſertim apud Vticenſe Cœnobium, ſeu S. Ebrulfi, vt notat Ordeticus Vitalis ad an. 1076. vbi hæc verba leguntur, *Ad Petrum Maulienſem filium Anſoldi Diuitis Pariſienſis diuertit, & inter reliqua familiaritatis & amicitiæ colloquia illum conuertit, ipſumque vt Eccleſias de Maulia Monachis Vticenſibus donaret, obſecrauit.* Author quoque fuit Fulcherio Carnotenſi Canonico elargiendi multas opes quas amplas habebat; & ipſe demum ad conuerſionem venit, inquit ille, optimam què domum quam in vrbe Carnotenſi habuerat, 30. libris Carnot. vendidir totumque pretium Vticenſibus contulit. Hic erat ſtatura procerus & exilis, moribus benignus & tractabilis, magnanimus & dapſilis. Et quia Medicinæ artis erat peritiſſimus, multis erat notus & neceſſarius ac familiaris amicus, hacquè familiaritate vtebatut in commodum prædicti Cœnobii: vt in multis locis idem Author exponit.

Goisfredus Aurelianenſis ſeu Ioffridus in ſcholis Aurelianonſibus pueritiam exegit, deinde apud S. Ebrulfum Monachum induit circa an. 1081. poſtremò ad ad Croilandenſe Cœnobium tranſlatus cum tribus aliis Monachis Cantabrigiẽſe ſtudium inſtaurauit, iuxta formam ſtudii Aurelianenſis: vt ad an. 1109. dicetur.

Gotheſcalcus ſeu Preſbyter, ſeu Monachus Belga, de quo diximus in Hiſtoria, vir fuit in Diuinorum quidem Myſteriorum inueſtigatione nimis curioſus, in Scriptutarum tamen Diuinarum lectione verſatiſſimus; qui ſicubi viros doctos eſſe ſciebar, aut eos adibat, aut conſulebat per litteras, quò difficultates, ſi quas habebar, enodaret, vt patet ex Ep. 30. Lupi Ferrarienſis ad ipſum. Qui ab eo conſultus fuerat de viſione beatifica, corporali & ſpiritali. *Ni veritus fuiſſem*, inquit, *vt me ab obſeruatione charitatis werſum nullius flecti poſſe precibus putando eandem*
„ Charitatem offenderes, etiam nunc ſilentii latebram fouens, nihil ad ea quæ
„ conſuluiſti reſpondiſſem, duabus videlicet ex cauſis. Altera ne otio tuo mate-
„ riam exercendi ingenii vel imminuerem vel detraherem. Altera, vt habita con-
„ ſideratione illorum, quos ſuper eadem Quæſtione te ſolicitaſſe olim cognoui,
„ medioctitatem meam præiudicare quorundam excellentiæ æſtimarione propria
„ comprobarem. Verum autem illorum colloquio & reſcripto potitus, quid ego
„ hinc ſentiam, deſideras experiri, quoniam de eiſdem Quæſtionibus diuerſa ſen-
„ tite, quovſque contra fidem non eſt, aut nulla aut parua culpa eſt. De prædeſtinatione ſic ſentiebat, non omnes ad vitam æternam prædeſtinatos, ſed aliquos etiam ad exitium. Item Chriſtum non fuiſſe pro omnibus mortuum. Quod quia durũ auribus eſſe videbatur, magnas in Eccleſia turbas excitauit. Eum quidem Hincmarus Remenſis acriter perſecutus eſt, effecitque vt eius ſententia dãnaretur ab Epiſcopis multiplici in Synodo congregaris. Ad annum quidem 848. notant Annales Fuldenſes in Synodo Theodonis-Villenſi fuiſſe damnatam. Go-
„ theſcalcus quoque quidam Preſbytet de Prædeſtinatione Dei praué ſentiens &
„ tam bonos ad vitam quàm malos ad mortem perpetuam ineuitabiliter à Deo
„ prædeſtinatos eſſe affirmans, in Conuentu Epiſcoporum rationabiliter, vt plu-
„ rimis viſum eſt, conuictus & ad proprium Epiſcopum Ingumarum Rhemis trans-
„ miſſus eſt, prius tamen iuramento confirmans, ne in Regnum Hludouici vl-
„ tra rediret.

Hanc condemnationem reprobauit Eccleſia Lugdunenſis, imo fortiter & acriter Gotheſcalcum defendit his verbis. *Videtur nobis* ſine dubio, quod illa
„ quæ de Diuina prædeſtinatione dixit Gotheſcalcus, iuxta tequiem Catholicæ fi-
„ dei vera ſint, nec ab vllo penitus noſtrum, qui Catholicus haberi vult, reſpuen-
„ da ſiue damnanda. Et ideo in hac re dolemus non hunc miſerabilem, ſed Eccle-
„ ſiaſticam veritatem eſſe damnatam. Hincmari verò prepoſitio hæc erat, Deum
„ & bona prẹſcire & mala; ſed mala tantùm præſcire, bona verò & præſcire & prædeſtinare. Vnde contendebat præſcientiam eſſe poſſe ſine prædeſtinatione. prædeſtinationẽ autem non poſſe eſſe ſine præſcientia: itaq; Deum bonos præſciuiſſe & prædeſtinaſſe ad regnum: malos autem præſciuiſſe tantùm, non prædeſtinauiſſe, nec vt perirent, ſuâ præſcientia compuliſſe. Huic autem definitioni ſubſcribere Gotheſcalcum pertinaciſſimè recuſaſſe. Hæc Flodoardus lib. 3. c 18. Porro cum Gotheſcalcus tam crebris Hincmari & Catholicorum telis impetitum

Digitized by Google

tum ſe ſentiret, ad Monachos Altiuillatenſis Cœnobij ſe contulit, ad quos teſte eodem Flodoardo ſcripſit Hincmarus, *vt ſi ſe recognoſceret, antequam anima illius egrederetur de corpore & ſpiritalem & corporalem humanitatem exhiberent illi, oſtendens authoritatem Eccleſiaſticam ex verbis Orthodoxorum ſuper huiuſmodi excommunicatis.*

Grimbaldus Narione Gallus, cuius Magiſtri fuerit Diſcipulus non inueni, ſed Scholarum Pariſienſium Rector fuiſſe ab Hiſtoricis Anglis perhibetur; vir omnibus partibus in re litteraria abſolutus, Alfredo Regi Anglorum litteratum peritiâ notus, qui cum eum adhuc valde iuuenem Romam proficiſcentem perhumaniſſimè excepiſſet, poſtquam Regno potitus eſt, memor vrbanitatis & ſingularis ſcientiæ quam in Grimbaldo demiratus fuerat, deſiderio quoque litterarum perdiſcendarum, eum cum M. Ioanne Scoto è Gallia euocauit ad conſtituendam componendamque Oxonienſem Academiam, in eamque rem per litteras Fulconem Archiepiſcopum Rhemenſem enixè rogauit, vt ſi poſſet, viros iſtos ad ſe mitteret: quod, quanquam ægre, præſtitit Fulco pro eâ quâ pollebat in Regno authoritate, vt ad an. 886. retulimus. Porro ex Hiſtoricis Anglis nonnulli Grimbaldum Preſbyterum vocant exiſtimantque fuiſſe Preſbyterum Eccleſiæ Remenſis. Alij Monachum Cœnobij Bertiniani in Ciuitate S. Audomati, cuius Abbas fuerat Fulco. Quidam Pariſienſem, nonnulli Aurelianenſem fuiſſe dicũt. Vt vt ſit potuit eſſe notus Fulconi in Scholis Palatinis & in Cœnobio cui aliquandiu præfuit, nimirum ab an. 877. vſque ad an. circiter 882. Obiit autem Grimbaldus in Anglia an. 904. teſte Mathæo Weſtmonaſterienſi. Quas verò in conſtituendâ Oxonienſi Schola difficultates paſſus fuerit, diximus fusè in Hiſtoria.

Gualterius Aurelianenſis Epiſcopi cognominis Nepos ſcientiâ & nobilitate clariſſimus, inquit Monachus Antiſſiodorenſis, ad Archiepiſcopatum Senonenſem promotus eſt an. 887. poſt Euurardum, qui eodem anno vnxit Odonem in Regem. Hic, (vt legitur in Chronico Odoranni) priuilegium Monachis S. Petri fecit de Abbatis electione.

Guenilo ſeu Wenilo genere & doctrinâ conſpicuus, Burcardi Carnotenſium Epiſcopi conſanguineus, in Scholis Palatinis pro more illius temporis enutritus, & inſtitutus, deinde Clericus Capellæ Regiæ factus, tum Abbas Ferrarienſis, poſtremo poſt Aldricum à Carolo Caluo Senonenſis Archiepiſcopus creatus an. 842. magnæ vir authoritatis & nominis, interfuit & præſedit plurimis Synodis Eccleſiæ Gallicanæ. Carolum vnxit in Regem apud Baſilicam S. Crucis Aurelianenſis an. 843. die 6. Iunij vacante tunc Remenſi ſede per depoſitionem Ebonis. Ludouicum quoque Caroli fratrem in Regem Burgundiæ inaugurauit. Concilio Vernenſi II. præfuit an. 844. Beluacenſi 845. Pariſienſi 847. in causâ Eboniani Iudicij. Cariſiacenſi 848. pro condemnatione Gotheſcalci. Turonenſi IV. aduerſus Nomenoium Britanniæ Aremoricæ Tyrannum 849. Sueſſionenſi II. an. 853. vbi electus Iudex cum Amalrico Turonenſi in cauſa Clericorum ab Ebone poſt reſtitutionem ab Imperatore Lothario factam, ordinatorum. Vermerienſi an. 853. quo anno Æneam Pariſienſem Epiſcopum conſecrauit. Vno verbo nemo hactenus habuit inter Epiſcopos neque inter Palatinos plus authoritatis, Verum neſcio quo fato pulſus, in diſſidio Fratrum Regum relicto Caluo ſolus ex omnibus Epiſcopis ad partes Ludouici Germaniæ Regis tranſiit: quæ proditio cæterorum in ipſum odium concitauit. Itaque in Concilio Tullenſi apud Saponarias libellus à Caluo porrectus eſt, in quo viri perfidiam poſt tot à ſe accepta beneficia exaggerauit; imprimis verò quod in parte Regni quæ ſibi obtigerat, eum conſtituiſſet Epiſcopum. *Vacabat*, inquit, *tunc Paſtore Metropolis Senonum, quam iuxta conſuetudinem predeceſſorum meorum Regum Weniloni tunc Clerico meo in Capella mea mihi ſeruienti, qui more Clerici mei ſe mihi commendauerat, & fidelitatem ſacramento promiſerat, conſenſu ſacrorum Epiſcoporum ipſius Metropolis ad gubernandum commiſi, & apud Epiſcopos, quantum in me fuit, vt eum ibidem Archiepiſcopum ordinarent, obtinui.* In cap. 5. ait eundem Wenilonem ſe abſente & incogitante cum Ludouico Fratre qui in Gallias irruperat, collocutum fuiſſe, coniuraſſe & ſupplantatorem ſuum fuiſſe. Deinde iam non diſſimulanter ſed apertè ad eius partes tranſiiſſe, multoſque Epiſcopos vt idem facerent, inuitaſſe & compuliſſe; denique

in omnibus ſibi aduerſatum. Itaque petiit ab Epiſcopis vt illi diem dicerent, reumque condemnarent. Illi igitur Epiſtolam Synodalem ad Vvenilonem expedierunt mandantes vt infra 30. dies ſe ſiſteret, cauſaſque accuſationis & impacta ſibi crimina ſi poſſet, dilueret. Sic enim in fine. *Proinde Frater Cariſſime, à tempore quo litteras has acceperis poſt diem trigeſimum quocunque euocatus fueris, ita Canonicè inſtructus occurre, vt defenſionis tempore ac loco accepto, ſi conſcientia, quod plurimum optamus, confidis, ſuffragante veritate probabiliter obiecta diſſoluas: ſin autem in defenſione defeceris, ſententias à Maioribus inſtitutas excipias.* Hiſce litteris inter alios ſubſcripſerunt Remigius Lugdunenſis, Hincmarus Remenſis, Abbo Antiſſiodorenſis, Æneas Pariſienſis, Agius Aurelianenſis, Giſlebertus Carnotenſis. Vt ſe videt Vvenilo ab omnibus derelictum, ſcribit ad amicos rogatque vt Regem placare conentur, imprimis verò ad Lupum Ferratienſem, quem ſciebat plurimum poſſe apud Regem, quemque audiuerat apud ipſum ruinam ſuam & depoſitionem machinari. At Lupus reſcribens conatur à ſe omnem proditionis ſuſpicionem amouere. Sic enim Epiſt. 125. *Quomodo poſſem tanta effici prauitatis, vt depoſitionem eius caperem, cuius acceperam diuinitus conſecrationem? testem eum ſecurus facio, cuius experiemur vterque iudicium: quoniam poſtquam praeeſſe cæpiſtis & dignati eſtis me in familiaritatem aſſumere, ſemper optaui vos & in Sanctitate proficere & Dignitate augeri. Et ſi meis rebus integris ſiniſtrum aliquid quod Deus auertat vobis contigiſſet, paratus fui opem ferre pro viribus, & me amiciſſimum modis omnibus euidentiſſimè comprobare. Quod ſi me perfidiam incurriſſe recolerem, tantum ſcelus negatione non tegerem, ſed confeſſione ſupplici veniam obtinere conarer. Nam cui vel parum ſacras intuenti litteras non vltro ac ſæpiſſimè occurrat? Qui parat foueam proximo ſuo, incidet in eam.* Habuit Vvenilo in anguſtis rebus multos amicos, nec legimus eum in vllo Concilio damnatum: quinimo Tuſciacenſi anno ſequenti interfuit, Ita tamen odioſa fuit omnibus Gallis, ſeu vera ſeu credita eius proditio, vt in Prouerbium abierit, *le Traiſtre Ganelon*, quod aliqui referunt ad tempora Caroli M. quem aiunt proditum fuiſſe à quodam Ganeſio vel Ganelone, cuius Domus veſtigia reſtant pone Cœnobium Dominicanorum via Iacobæa ad foſſas vrbis. At Tillius, Baronius & Peyratius in Antiquitatibus Capellæ Regiæ, hoc de Guenilone Senonenſi dictum putant. Obiit tandem Vvenilo an. 865. 5. non. Maij, atque in Abbatia S. Remigij apud Vallilias ſepultus eſt.

Guido Longobardus tam in Diuina quàm in humana Philoſophia floruit cum Lanfranco, Manigaudo & Brunone Remenſi ſub Philippo I. teſte authore Hiſt. Franc. à Roberto ad Philippi mortem. Fuit & Guido Turonenſis de hæreſi ſuſpectus, Berengarii diſcipulus, expulſus à Conciuibus ob eam rem Remos fugit, ibique interiit. circa an. 1086. Eius quoque meminit Abbas Burgulienſis.

Exul ab vrbe mea, dum me velut effugientes
Inſequor ipſe libros, dumque vaco ſtudiis,
Proh dolor! incubuit mihi lamentabilis hora,
Quippe ſuperuenit mors inopina mihi.
Ecce ſub hoc tumulo cineratus corpore pauſo.
Spiritus obtineat quàm meruit melius.
Me tamen & fidei tenor & confeſſio culpæ
Quandoque ſecurum de veniâ faciunt.
Quod tamen exſpecto, poterit mihi turba Legentum,
Et votiua ſimul præproperare cohors.
Ciuis eram Turonenſis Ego de nomine Guido
Gentis Patriciæ, me modò Remis habet.

Videtur iſte Guido Remis diſcipulum inter alios habuiſſe Odonem Cardinalem & Epiſcopum Oſtienſem, qui Vrbanus II. poſtea dictus eſt vnde Baldricus egentem Guidonem ei commendauit.

Vrit Guidonis penuria multa penates;
Odoriferas cui plue diuitias.

Fuit & Guido de Cruce S. Leofredi qui contra Berengarium edidit librum elegantem de Corpore & ſanguine Domini.

Digitized by Google

Si mandare velis quod penſes vtile nobis
Guidonem noſtro noueris eſſe loco.
Guido mihi viuit, magnus, bonus atque fidelis,
Magni momenti, nominis haud modici.
Hunc venerare modò quo nos veneramur eodem,
Namque bonâ morum ſimplicitate viget.

Guillelmus Aquitaniæ Dux litteratorum amantiſſimus fuit, eoſque benignè fouit & liberaliter dotauit, atque honoribus auxit; vt exemplo Fulberti Carnotenſis patet, cui Theſaurariam S. Hilarij Pictauienſis obtulit. Monachos etiam gratioſè amplectebatur, & inter alios Odilonem Abbatem Cluniacenſem: duo celeberrima Cœnobia fundauit, Malleacenſe in Territorio Pictauienſi, & Burgulienſe in Andegauenſi. Fuit etiam vir litteratiſſimus, & lectioni Librorum, ſi quando per tempus liceret, aſſiduus, vt legitur in fragmento Hiſtor. Aquitan. his verbis. *Fuit autem à pueritiâ doctus litteris, & valde habebat ſcientiam ſcripturarum. Librorum etiam copiam in Palatio ſuo retinebat: & ſi forte à frequentia cauſarum & tumultu vacaret, per ſemetipſum lectionibus intentus erat. Longioribus etiam hyemis noctibus crebrò ſe ſe lectionibus occupabat, donec vinceretur à ſomno. Imitator erat in hac ſicut in multis aliis cauſis Caroli M. Imperatoris & filij eius Ludouici Imper. qui per ſemetipſos Lectionibus paſcebantur.* Et ante de Fulberto deque eius fundationibus mentio fit in hunc modum. *Fulberto quoque ſapientia valde ornato Epiſcopo Carnotenſi pro reuerentia Philoſophiæ eius à Francia ad ſe euocato, Theſaurariam S. Hilarij gratis tribuit, & ſummo honore eum excoluit. Regulares Abbates & Monachos maximo affectu amoris amplectebatur, & conſilio eorum vtilitatem Regni adminiſtrare curabat. Vnde & Domnum Odilonem Abbatem Cluniacenſis Cœnobij copioſis muneribus ſibi attraxit, contemplatus in eo verum Dei habitaculum in quo Spiritus S. requieſceret, & Cœnobia nonnulla ſua Ditionis eius Magiſterio commendauit. Fecit idem Dux Vvillelmus à nouo Cœnobium ingens Malleacenſe in territorio Pictauienſi, itemque aliud Cœnobium Borgolienſe in Ceſpite Andegauenſi, in fundo proprio vna cum matre ſua nomine Adela Chriſtianiſſimaque extitit ſoror Richardi Comitis Rothomagenſis.* Extant quædam ad eum Fulberti Epiſtolæ: extant & apud Fulbertum quędam ipſius Vvillelmi ſatis elegantes.

Guillelmus Apulienſis Normanæ originis ſcripſit iuſſu Rogeri filii Roberti Guichardi, item & Vrbani II. Pontificis quinque libros de rebus geſtis Normanorum in Apulia & Italia. Sic autem incipit.

Geſta Ducum veterum veteres cecinere poëtæ,
Aggrediar vates nouus edere geſta nouorum.
Dicere fert animus, quo Gens Normanica Ductu
Venerit Italiam; fuerit quæ cauſa morandi,
Quoſue ſecuta Duces Latii ſit adepta triumphũ.
Parce tuo vati pro viribus alta canenti
Clara Rogere Ducis Roberti dignaque proles,
Imperio cuius parere parata voluntas
Me facit audacem: quia vires quas labor artis
Ingeniumque negat, deuotio pura miniſtrat.
Et Patris Vrbani reuerenda petitio ſegnem
Eſſe vetat, quia plus timeo peccare negando
Tanti Pontificis, quàm iuſſa benigna ſequendo.

Guimundus vel Guitmundus natione Burgundus, vel vt aliqui dicunt Normanus, Lutetiam primùm venit vbi in Grammaticâ, Rhetorica & Philoſophia excelluit. Deinde ad Lanfrancum in Neuſtriam ad diſcendam Theologiam ſe contulit. Tunc temporis enim in Cœnobiis adhuc Monachi Litterarum ſtudia exercebant, maximè verò Theologiam. Monachi habitum induit in Cœnobio quod Crux Heltoni ſeu S. Leufredi dicitur, in Diœceſi Ebroicenſi. Vir fuit teſte Orderico Vitali æuo maturus, religioſus, aſcientiâ litterarum eruditiſſimus, cuius ingenii præclarum ſpecimen cernitur in libris quos contra Be-

Digitized by Google

rengarium de veritate Corporis & Sanguinis Dominici conſcripſit. Ab Anglorũ Rege euocatus reſpuit omnia munera Eccleſiaſtica: poſt mortem tamen Ioannis Rothomagenſium Archiepiſcopi Archipræſulatum geſſiſſet, ſi non obſtitiſſent æmuli, qui tamen nihil aliud obiicebant quàm quod filius eſſet Sacerdotis. Orationem ſcripſit ad Guillelmũ Regem Anglorum cũ Epiſcopatũ recuſaret. Scribũt etiã aliqui ab Odilone Abbate ſuo homine illiterato, qui quantum theſaurũ poſſideret, non agnoſcebat, impetraſſe peregrinandi licentiam; ab Alexandro factum Cardinalem; vel vt ſcribit Ordericus, à Gregorio VII. demum Archiepiſcopum Auerſanum in Appulia. Obiit an. 1080. ſcripſit de Corpore & Sanguine Chriſti in Euchariſtia libros 3. aduerſus Berengarium, confeſſionem de Chriſti humanitate, de Trinitate &c. Eius viri meminit Yuo Carnotenſ. Epiſt. 78. *Ex quibus*, inquit, *duo de Monaſterio Crucis litterati & religioſi Guimundus & Robertus: alter ad Epiſcopatum Auerſenſem, alter ad gubernationem Monaſterij ſancti Laurentij Auerſenſis authoritate Apoſtolica aſſumpti ſunt.* Eiuſdem Vvillelmus Malmeſbur. in vita Guillelmi primi de Berengario loquens, *reſponderunt ei libris Lanfrancus Archiepiſcopus ſed præcipuè & fortiter Guimundus prius Monachus de S. Leofredo Normania, poſtea Epiſcopus Auerſanus Apuliæ noſtri temporis eloquentiſſimus.* Fuſius verò Ordericus lib. 4. Hiſt. *Guitmundus Venerabilis Monachus Cœnobii, quod Crux Heltonis dicitur, vbi glorioſus confeſſor Chriſti Leufredus, tempore Hildeberti & Hilperici iuniorum Regum Domino feliciter 18. annis militaſſe legitur.* Regio iuſſu accerſitus Pontum transfretauit, & oblatum ſibi à Rege & Proceribus Regni onus Eccleſiaſtici regiminis omnino repudiauit. Erat enim æuo maturus, & religioſus ac ſcientiâ litterarum eruditiſſimus: cuius ingenii præclarum ſpecimen euidenter paret in libro de Corpore & Sanguine Domini contra Berengarium & in aliis opuſculis ipſius. Hic itaque cum à Rege rogaretur vt in Anglia ſecum moraretur, & congruum tempus eum promouendi præſtolaretur, ſecum ſubtiliter deliberauit, ſuique votum propoſiti aliud eſſe demonſtrans, Regi reſpondit. Multæ cauſæ me repetunt ab Eccleſiaſtico regimine &c. Admiratus Rex cũ Proceribus eius inſignis Monachi conſtantiã ſupplex ac deuotus impendit ei decentem reuerentiam & competenter honoratum iuſſit eum remeare in Neuſtriam &c. Non multo poſt defuncto Ioanne Rothomagenſium Archiepiſcopo Rex & alii plures Guitmundum ad Archiepiſcopatum elegerunt: ſed æmuli eius quos idem vituperauerat, ne Archipræſul fieret, quantum potuerunt impedierunt. In tanto viro nihil obiiciendum inuenerunt, niſi quod filius eſſet Presbyteri. Ille autem ab omni auaritia purgari volens & inter exteros paupertate premi, quàm inter ſuos diſſenſionẽ fouere malens, Odilonem Monaſterij ſui Abbatem reuerenter adiit & humiliter ab illo licentiam peregrinãdi petiit & accepit. Porro illiteratus Abbas metiri neſciebat, quantus ſapientiæ theſaurus in præfato Doctore latebat, ideo deſiderabilem Philoſophum de Monaſterio ſuo facilè dimiſit, quem Gregorius VII. Papa venientem ad ſe gaudens ſuſcepit, Cardinalem S. R. E. præfecit, & Vrbanus Papa iam probatum in multis Metropolitanum Auerſæ vrbis ſolemniter ordinauit.

H.

HAimo Anglus poſtquam Lutetiæ Theologiam profeſſus eſt, reuerſus poſtea in Angliam Archidiaconus Cantuarienſis factus eſt. De eo ſic ſcribit Balæus *Haimo Anglus* honeſtâ familiâ natus ſub præceptoribus bonis ſuam iuuentutem litteris & humanis & Diuinis adornabat ſplendidè. Dum vero in Anglia tumultuarentur Dani, pro corpore ſeruando prudens in Gallias venit & ad fanum Dionyſij fit Monachus primò, poſtea *Pariſiis* ſacrarum litterarum Doctor: ac tandẽ reuerſus in Patriam, Cantuarienſis Eccleſiæ Archidiaconus. Inter ethnicos enim didicerat etiam ab ipſo Platone, quid philoſophari ſit, nempe Deum amare ſuper omnia. Hanc cognitam & probatam Philoſophiam non modio ſupponere, aut ſibi ipſi ſeruare, ſed accepti talenti copioſus expoſitor cæteris impartiri curabat. Eiuſdem meminit Harpsfeldius. *Fuit & Haimo*, inquit, poſtea Archidiaconus Cantuarienſis imperante Edvvardo Confeſſore, qui Dacis omnia in Anglia infeſtantibus ſe in Galliam proripuit, & ad D. Dionyſij fanum Monaſticæ ſe vitæ addixit. Deinde Doctoris Pariſienſis inſignia ſuſcepit: quibus quam dignus

fuerit, præclari illius in maximam ſcripturæ partem Commentarii & opera plane demonſtrant. Multa eius opera enumerat Pithæus de rebus Theologicis quæ ait partim in Galliis, partim in Patria poſt reditum compoſuiſſe.

Haimo Anglosaxo Alcuini quondam Diſcipulus, Rabani ſocius & Achates fideliſſimus, poſtea Monachus Fuldenſis publicè docuit & ſummo eum applauſu. In ſacris litteris excellebat, egregiè ad populum concionabatur, poſtremo tandem factus eſt Epiſcopus Halberſtadenſis. Obiit an. 834. vel vt alii ſcribunt an. 840. Raros hoc ſeculo videmus viros doctos, qui ad Monachos ſe non tranſtulerint, & ad Eccleſiaſticas dignitates non euecti fuerint. De Presbyteris hoc frequens fuiſſe aſſerit Lupus Ep. 9. ad Wenilonem. *Iam vero* de Presbyteris quid dicam, cum nullum fere Monachorum reperiatur Monaſterium, quo non aliqui eorum ſeculi tumultus declinantes *conceſſerint*. Itaque mirum non eſt ſi tam multos profeſſores ad Monachatum ſe contuliſſe legamus, nam longè ſecurius illic vacabant litteris, quam in ſcholis publicis aut priuatis propter bellorum tumultus, qui hoc ſeculo crebri & importuni fuerunt.

Haimo Gerberti Diſcipulus, S. Pauli Apoſtoli Epiſtolas laudabiliter explanauit, teſte Orderico Vitali, & alia multa de Euangeliis aliiſque ſacris ſcripturis ſpiritualiter tractauit: is eſt opinor Haimo qui an. 987. Virdunenſem Epiſcopatum adeptus eſt poſt mortem Adalberonis, quique an. 1004. conſecrauit in Abbatem S. Wvitoni Richardum Remenſis Eccleſiæ olim Canonicum.

Halinardus Burgundus à puero litteris imbutus, Lingonenſis Canonicus, poſtremo circa an. 1049. factus Lugdunenſis Archiepiſcopus. De quo ſic legitur in Chronico S. Benigni. *Hic fuit oriundus* Burgundia, nobilium virorum exortus proſapia: nam pater eius Lingonum, Mater vero Æduorum ciuis extitit. Ab ipſis infantiæ rudimentis ſtudiis litterarum traditus ſupernâ prouidentiâ geminâ ſcientiâ efficaciſſimè claruit. Amabatur paterno affectu à venerabili Præſule Æduæ Ciuitatis Walterio nomine, cuius filius erat in baptiſmate, ac ideo educabatur ab eo maiori diligentia, vt poſt appareret in domo Dei lucerna. Proceſſu temporis decurſa pueritia cum eum iam ſibi vendicaret adoleſcentia, à Patre ſuo eſt traditus domno Brunoni Lingonum Præſuli, qui eum cernens liberali ingenio valere, Canonicorum ſtuduit collegio copulare. In ea itaque vrbe cum Philoſophos viroſque audiret Eccleſiaſticos, diuina inſpirante gratia nulli ſodalium erat inferior in ſapientia: fœcunditas eloquentiæ grauitate componebatur ſapientiæ. Apud S. Benignum Diuionenſem Monachus factus, deinde Prior, poſtea Abbas, poſtremo aſſumptus eſt ad Archiepiſcopatum Lugdunenſem.

Halitgarius in Scholis Palatinis cum Ludouico Pio, Ebone & aliis inſtitutus ad Cameracenſem Epiſcopatum à Ludouico euectus, ab eoque Conſtantinopolim ad Michaëlem Imp. cum Ansfrido Abbate Monaſterij Nonantulæ miſſus ſtrenuè & & fideliter legationem obiit, & an. 828. Ludouico apud Aquiſgran. conuentum publicum habente retulit ſe à Michaele humaniſſimè fuiſſe ſuſceptum. Vir fuit in rebus Theologicis valde peritus, maximè verò in Theologia morali. Quamobrẽ hortatu Ebonis Archiepiſcopi Remenſis ſex libellos de remediis peccatorum & ordine vel iudiciis pœnitentiæ conſcripſit. Vtriuſque in hanc rem, leguntur Epiſtolæ apud Flodoardum libro 2. cap. 19. Ebonis quidem talis eſt. Reuerendiſſimo in Chriſto Fratri ac Filio Halitgario Epiſcopo Ebo indignus Epiſcopus ſalutem. Non dubito tuæ id notum eſſe Caritati, quanta nobis Eccleſiaſticæ diſciplinæ quantiſque noſtrorum neceſſitatibus ſubditorum & inſuper Mundialium oppreſſionibus, quibus quotidie agitamur, cura conſtringat. Idcirco vt tecum conferri, ex patrum dictis Canonumque ſententiis ad opus Conſacerdotum noſtrorum excerpere Pœnitentialem minime valui, quia animus cum diuiditur per multa, fit minor ad ſingula. Et hoc eſt quod in hac re me valde ſollicitat, quoniam ita confuſa ſunt Iudicia pœnitentium in presbyterorum noſtrorum opuſculis, atque diuerſa & interſe diſcrepantia & nullius authoritate ſuffulta, vt vix propter diſſonantiã poſſint diſcerni. Vnde fit vt concurrentibus ad remedium pœnitentiæ tam pro librorum confuſione, quàm etiam pro ingenii tarditate, nullatenus valeant ſubuenire. Quapropter Cariſſime frater, noli teipſum nobis negare, qui ſemper in Diuinis ardenti animo Diſciplinis ac ſolerti cura ſcripturarum meditationibus perfectiſſimo otio floruiſti. Arripe quæſo ſine

excuſationis verbo huius ſarcinæ pondus à me quidem tibi impoſitum, ſed à Domino cuius onus leue eſt, leuigandum. Noli timere, neque formides huius operis magnitudinem: ſed fidentet accede quia aderit tibi qui dixit, aperi os tuum & ego adimplebo illud. Scis enim optime paruis parua ſufficere, nec ad menſam magnatorum paupetum turbam poſſe accedere. Noli tuæ deuotionis nobis ſubſtrahere ſcientiam: noli accenſam in te ſub modio ponere lucernam, ſed præcelſo eam ſuperpone candelabro, vt luceat omnibus qui in domo Dei ſunt fratribus, & profer nobis veluti ſcriba doctus quod accepiſti à Domino. Adetit tibi huius labotis itinere illius gratia, qui duobus Diſcipulis euntibus tertium ſe ſocium addidit in via, & aperuit illis ſenſum vt ſanctas intelligerent ſcripturas. Spititus paracletus omni veritatis doctrina & perfecta Caritatis ſcienria tua reſplendeat pectora, Cariſſime frater. Vale.

Ad hæc reſcripſit Halitgarius paucis verbis, ſibi durum quidem onus imponi, ſed tamen pro vitibus ſuſcepturum: atque ex his paucis agnoſcemus quantæ facundiæ vir fuerit.

Domno & Venerabili Patri in Chriſto Eboni Archiepiſcopo Halitgarius minimus Chriſti famulus ſalutem. Poſtquam venerande Pater, directas Beatitudinis veſtræ accepi littetas, quibus me hortari dignati eſtis, ne mentis acumen inerti torpentique otio ſubmitterem, ſed cognitioni ac meditationi cotidie ſacræ ſcripturæ me vigilanter traderem: & inſupet ex SS. Patrum Canonumque ſententiis Pœnitentialem in vno volumine aggregarem, dutum quidem mihi & valde difficile tremendumque hoc fuit imperium, vt hanc ſuſciperem ſarcinam quam à prudentibus cognoſco relictam. Multumque reniſus ſum voluntati veſtræ, non velut procaciter durus, ſed propriæ infirmitatis admonitus. Hac etenim cura ſollicitus neceſſarium duxi, vt aliquandiu me à ſcribendi temeritate ſuſpenderem: quia ſicut perpendi iniuncti operis difficultatem, ita & iniungentis authoritati nec volui nec debui vſquequaque reſiſtere, certus quia imbecillitatem meam multo amplius veſtra adiuuaret præcipientis dignitas, quàm grauaret meæ ignorantiæ difficultas. Valete.

Extant autem hi libri tom. 5. Antiq. Lection. editi per Henricum Caniſium qui metito recenſeri debent inter primos Caſuiſtarum libros: quanquam & ante hæc tempora fuiſſe eiuſdem materiæ libros editos patet ex Ebonis Epiſtola, quale erat Pœnitentiale Rom. & Theodori Archiepiſcopi Cantuarienſis, de quo Beda in Chronicis ſub Dagoberto. Item liber ipſius Bedæ de remediis peccatorum. Patet autem ex Halitgarii opete tum adhuc pœnitentias imponi ſolitas ſecundum exigentiam canonum.

Helias cognomine Scotigena quia narione Scotus erat, exemplo Alcuini & aliorum Tranſmarinorum qui Pariſienſes ſcholas frequentarunt hoc ſeculo, in Galliam venit, diciturque fuiſſe Theodulfi Aurelianenſis Epiſcopi Diſcipulus & poſt eum ſcholam quoque tenuiſſe, & inter cæteros habuiſſe Diſcipulum Erricum Antiſſiodorenſem. Et ita refert Ademarus Engoliſmenſis, vt in Hiſtoria retulimus. Iſte autem ante 860. propter ſingularē erudirionem factus eſt Epiſcopus Engoliſmenſis: imo in Chronico Engoliſ. legitur obiiſſe 10. Kal. Octobr. an. 860. Sed malè, nam interfuit Synodo Sueſſionenſi III. an. 866 deque eius obitu ſic haber Chronicon Malleacenſe. *Hoc tempore graſſantibus Normanis Helias Scotigena Epiſcopus Engoliſmenſis defunctus eſt.*

Fuit illis temporibus Helias preſbyter Ionæ Epiſcopi Aurelianenſis Notarius, qui libellum depoſitionis Ebonis ſcripſit an. 831. vt legitur apud Flodoardum l. 2. c. 20. *Coram* omnibus hanc notitiam cum præſcripto libello tēporibus futuris conſeruandam Ionas Epiſcopus Heliæ Notario qui libellum Ebonis ſcripſerat, cui idem Ebo ſubſcripſit, ſecundum 59. Capitulū & item ſecundum Capitulum 74. Concilii Africani *pro omnibus dictauit: & idem Helias hæc quæ ſequuntur conſcripſit. Acta eſt hæc Ebonis profeſſio* eiuſque propriæ manus ſubſcriptione roborata in Conuentu ſynodali generaliter habito apud Theodonis-villā anno Incarnationis Dominicæ 825. anno etiam Imperii glorioſi Cæſaris Ludouici 21. Hæc iſte Helias, qui dicitur in præmium laboris accepiſſe Epiſcopatum Carnotenſem. Et reuera inter Epiſcopos qui ſcripſerunt ad Nomenoium legitur *Helias* Carnutum. Eodem anno 835. obiit Helias Epiſcopus Trecenſis eiuſdem coniurationis cum Ebone

Digitized by Google

particeps & cum Ieſſe Ambianenſi Præſule & Wala Corbeienſi Abbate.

Helgaldus Floriacenſis Monachus Abbonis quondam diſcipulus, ſub cuius diſciplina multum profecit, eo verò miſerabilitet occiſo ſub Gauzlino Abbate vixit. Roberto Regi chariſſimus fuit, cuius vitam & acta poſteritati mandauit. Eccleſiæ Floriacenſi quæ incendio deflagrarat, reædificandæ incubuit. Vnde iſtos verſus à ſe factos ad dextram ſiniſtramque altaris inſculpi curauit, ad ſiniſtram quidem intrantibus in Eccleſiam.

Iſta Dionyſius penetrantes limina ſanctus
Auxilio ſancto conſociet Domino
Quem quicunque petis Dominum depoſce Tonantem,
Quatenus Helgaudum ſeruet amore ſuum.
Cuius amor Chriſto ſic ſic venerabile Templum
Conſtruxit Domino, atque Dionyſio.

Ad dextram vero iſtos.

Eſt domus iſta Deo ſine fine dicata ſupremo
Helgaudi ſtudio conſilioque boni.
Hinc paradiſiaci pulſatur ianua Regni,
Hinc pia plebs Domino coniubilat ſupero.
Intrantes pariter Chriſtus conſeruet Ieſus
Dicite cuncti voce fideli, omne per annum.

Heliſacharus Archicapellanus Ludouici Pii doctiſſimus ſui temporis habitus, Alcuini Diſcipulus, Abbas S. Richarii prope Abbatis-villam, & Gemmetici vulgo *Iumieges.* Eum vocat Amalarius in Prologo Antiphonarii *Sacerdotem Dei apprimè eruditum & ſtudioſum in lectione & diuino cultu, necnon inter priores primum palatij excellentiſſimi Ludouici Imperatoris.* Huic Freculphus dedicauit 7. libros rerum geſtarum ab orbe condito ad Chriſti natiuitatem: claruit & ſub Carolo M. & ſub Ludouico vſque ad an. 840. Antiphonarium compoſuit, ob idque laudatur ab Amalario *propter quod non ſolùm ille,* ſed & quoſcunque de eruditis viris adſe potuit conuocare, *qui in eo negotio ſudauerunt.*

Herbertus Iudææ ſtirpis Gerberti Aquitanici quondam diſcipulus cum Roberto Rege & Fulberto Carnotenſi diu Carnuti docuit, habuitque inter alios Gerardum Fontanellenſem Abbatem diſcipulum & auditorem, & relictis ſcholis apud Latiniacenſe Cœnobium Monachum induit: eumque paulo poſt ſecutus eſt Gerardus diſcipulus, qua de re ſic legitur in Chronico Fontanellenſi, quod deſinit ad an. 1053. *Carnoti tempore Fulberti* præſulis vndecumque doctiſſimi litteras adoleſcens didicit: vbi Herbertus ex Iudæis ortus, ſed à puero Chriſtianus in omni litterarum peritia tunc temporis & cantandi arte vociſque excellentia inter cæteros maximè florebat. Erat enim Regis Francorum Roberti & prædicti Fulberti condiſcipulus, auditor vero Gerberti Philoſophi, qui poſtmodum ex Monacho vrbis Remenſis tenuit Pontificatum. Vnde per inuidiã quorumdam eiectus ad apicem dignitatis Apoſtolicæ merito incomparabilis ſcientiæ demum in vrbe Romulea eſt prouectus. Huius, vt præmiſſum eſt, Herbertus doctrinis liberaliter inſtitutus, non multo poſt S. Benedicti diſciplinis in Monaſterio Latiniacenſi ſe ſubmiſit Regulatibus: quem præfatus iuuenis Girardus ad bonum æmulatus, animo & corpore illic pariter eſt ſubſtitutus, atque ad ſummum Religionis Monaſticæ cœleſti præuentus gratia tenorem peruenire promeruit.

Heriboldus ſeu Heribaldus nobilitate generis & ſcientiarum ornamentis clarus, in ſcholis quoque Palatinis educatus floruit ſub Ludouico Pio & Caluo. Inter eos Epiſcopos numeratur, qui à Lotharianis partibus fuerant contra Ludouicum patrem: quæ ingrati animi labes fuit turpiſſima, nam à Ludouico ob ſcientiarum ſplendorem ad Epiſcopatum Antiſiodorenſem poſt mortem Angelelmi prouectus fuerat: at poſtea facti pœnitentia ductus reſtitutus eſt in integrum & Carolo Caluo cariſſimus fuit, eique tractandis Regni negotiis fidelis deinceps adiutor fuit. Nihilominus licet occupatiſſimus litteris vacare non deſiſtebat: vt patet ex Ep. 37. Lupi Ferrarienſis ad ipſum. *Codicem Annotationum B. Hieronymi in Prophetas, necdum à me lectum, vobis morem gerens dirigo, quem veſtra di-*

ligentia citò aut ex ſcribendum aut legendum procuret, nobiſque reſtitui iubeat, Vnde vos monendum iudicaui, ne fortè vobis in multis aſſiduiſque occupatis negotiis nihil vobis collatura, nobis eatundem rerum obeſſet dilatio. Atque vtinam altiſſimum Diuinumque veſtrum ingenium, quantum poſſet fieri à communibus auerſum negotiis ad indaganda humanæ vel diuinæ ſapientiæ transferretur ſectera, profectò veſtra nobiliras Officiique clariſſimi gradus dignum ſua amplitudine cepiſſet emolumentum: quod nolim eo dictum à me accipiatis, vt me in hac parte perfectum iactanter exiſtimem, aut vobis in aliquo prorſus conferendam, nedum præferendum opiner. Sed ſicut vos conuenientibus cumulatos honoribus coogratulor, ita etiam ingenuis maximèque excelſum artibus, ornatos noſſe deſidero. Ad eundem extat apud Lupum Epiſtola Iudithæ Reginæ pro fratre ſuo honoribus deſtituto, propter homines, qui ei famulati ſunt, inquit, Intelligit fortè Abbonem Heriboldi fratrem, S. Germani Antiſſiod. Abbatem, qui ei in Epiſcopatu ſucceſſit, virũ ſtrenuum & in diuinis ſecularibuq; ſcripturis principaliter eruditum, vt legitur in Chronico Antiſſiodorenſi, in quo quid Eccleſiæ cui præfuit, contulerit, ſic legitur. *Hic Eccleſiam S. Stephani & parietibus & laquearibus renouauit, vitreis quoque ac picturis optimis decorauit, coronas argenteas 4. inſtituit. Hic ſanctorum Martyrum Alexandri & Cryſanti pignora ab vrbe Roma detulit, quæ in prædicta Eccleſia recondidit, fredamque cum cancellis benigno ſtudio exornauit. Hic etiam corpus Beatiſſimi Germani præcepto Regum Karoli & Ludouici ex loco in quo primum tumulatum fuerat, venerabiliter Kalendis Septemb. transmutauit an. 841. quod ita & ſoliditate integrum & veſtibus reperit incorruptum, vt quondam fuerat à Venerabili Auguſta Placidia decentiſſimè compoſitum. Hic etiam Præſul cum Regi Karolo & charus eſſet & intimus, eius munificentia villas quaſdam obtinuit quæ olim iuri Eccleſiaſtico fuerant abdicatæ.* Quo aono obierit, non legi adfuit Concilio Turonenſi IV. an 849. & Abbo frater eius ac ſucceſſor Metenſi an. 859. In Hiſtoria Epiſcoporum Antiſſiodorenſium dicitur Aotelmo patre Baioario, matre Frotilde Vaſtinenſi natus, *in Palatio Regio* educatus poſt deceſſum Angelelmi auunculi ad Epiſcopatum promotus procuraote id beneficium Aldrico Senonenſi Archiepiſcopo & Coepiſcopis ex præcepto Ludouici Imper. Fuit autem, *vt ibidem legitur*, vir admodum nobilis, forma elegans, eloquio nitidus, ſingulari prudentiâ circunſpectus: quamobrem & apud Reges plurimum valuit, itaut in Palatio Archicapellauus effectus, ſeculari quoque dignitate potentiſsimus ea tempeſtate extiterit; Congregationem Canonicorum tam litterarum eruditione, quàm Eccleſiaſticæ induſtriæ ſtudiis illuſtrauit, adhibitis vndecunque præceptoribus, qui rem Diuinam & ſtudio prouehetent & inſtantia amplificatent. Sed & in ſtipendiis eoruodem quam largus extiterit, non licet ambigere.

Herifridus vir nobilis patria Carnotenſis ad ſcholas quoque palatinas miſſus eſt, quo tempore Caluus Regni habenas moderabatur, vbi ſe in litteris & pietate conſpicuum præſtitit, adeout ad Epiſcopatum Antiſsiodorenſem poſt Humbaldum prouectus fuerit: eique prefuit 22. an. menſem vnum, dies 16. vt legitur in Chronico Aotiſsiodorenſium Epiſcoporum c. 41. vnde intelligimus, qualis eſſet Scholarum Palatinarum ſtatus illis temporibus. Sic enim de Herifrido habetur. *Hic vir nobiliſsimus* qualiter hanc ſuſcepit dignitatem, qualis in Pontificatu, qualis & ante fuerit, non allegare litteris indecentiſsimum eſt. Eo ſiquidem tempore Carolus nulli virtute ſecundus totius orbis gubernabat Imperium: quo hoſpite felices extitere res mundi: quia & *Rex philoſophabatur*, & *Philoſophus Regni moderabatur habenas*: nam licer in diuerſa, vt poreRegum omnium potentiſsimus extenderetur animus, Liberalium artium ferulas à Palatio numquam videres deeſſe, ſed *Regiæ Dignitatis Aulam totius Sapientiæ Gymnaſium mirareris exiſtere.* Ad hunc locum quique Nobiles & regni Optimates diſcendi gratiâ humani & Eccleſiaſtici habitus ſoboles deſtinabant, certi vtriuſque diſcipliuæ dogma oppido refulgere. Inter alios denique ſuperbi ſanguinis Iuuenes, inibi exultantibus animis confluentes aderat præfatus vir ex nobiliſsima Armoricani Tractus proſapia deriuatus Herifridus nomine, morum ſanctitate probatiſsimus, vultu & conuerſatione Angelicus, ardens in humanis tenebris Diuinæ contemplationis radius. Huins pater Herifridus nominatus eſt, mater verò Iſemberga eſt nũcupata, nobiles genere, nobiliores ſanctitate: qui licet forent coniugati ſeculo, erat

tamen

tamen in cœleſtibus illorum conuerſatio, qui præſtitam prolem tenerè diligentes, Omnipotentis & B. Mariæ ſeruitio tradiderunt, in Carnotenſi vrbe vnde & ipſi oriundi erant, ingenti gratulatione eum tonſurantes: ibi aliquantiſper liberalibus inſtitutus ſtudiis, vt in eum litteralis ſcientia concurreret, Domino Gauterio ſanctæ Aurelianenſis Eccleſiæ Epiſcopo id procurante, ex cuius proceſſerat progenie, ad ſupradicti Imperatoris famulatum ſeruiturus dirigitur. Illic plenè ſcriptutarum perſcrutans paginas, ſenioris ſui inhæſit ſeruitio, vt nunquã ab eius vellet præſentia diſcedere, nunquam ab Eccleſ. negotiis ſeparari &c. Atque ne quis dubitet de fide Authotis, hæc de Herifrido deque Scholis Palatinis ad quas è minoribus Iuuenes confluebant, ſcribentis, eius ætatem ex verbis ſequentibus agnoſcat: nam Herifridi mores deſcribens, & quo pacto in Eccleſiæ ſuæ adminiſtratione ſe geſſerit, ſubdit *Vbi qualiter vixerit, & quàm nobilem ſe normamque virtutum omnibus præbuerit, plures ſuperſunt qui hæc luce clarius norunt.* Vnde colligimus authorem vixiſſe circa an. 930. nam Herifridus obiit ante an. 900. cui ſucceſſit Geranus. Nec contemnendum quod de eò habet Chronicon Antiſſiodorenſe. *Antiſſiodorenſem* Eccleſiam poſt Humbaldum rexit Herifridus vir ornatus cunctis virtutibus, ſignis etiam admirandus. Huius tempore Ciuitas improuiſo flammis exuſta penitus verſa eſt in cineres tantùm & rudera. Quod videns ſacer præſul, ſuo induxit animo quod ſibi nunquam in Vrbe habitaculum faceret niſi prius B. Mariæ Virginis, ac SS. Ioannis & Stephani Baſilicas integrè reparaſſet: quas paruo contentus tugurio mox readificare cœpit mirificèque reſtruxit, ſed morte præuentus Domum Epiſcopalem reparare non potuit.

Heruæus Lemouicenſis in Dolenſi Cœnobio Monachus factus, quinquaginta annis ibi ſtudiis vacauit. Legitur Epiſtola quædam Encyclica Monachorum Burgidolenſis Abbatiæ vitam libroſque Heruæi continens hoc pacto. *Fuit vir* tam vitâ quàm doctrinâ venerabilis Heruæus nomine Dolenſis Cœnobii Monachus degens ibi circiter 50. annis in prædicanda morum probitate, patriæ autem Lemouicenſis indigena multa apud nos ſuæ fidei & ſapientiæ, nec non & innocentiæ monimenta relinquens. Iam namque Iuuenis & à puero Scholarum dogmatibus multipliciter imbutus, cum prædictum Monaſterium ingreſſus fuiſſet, totum ſe ſtudio ſanctarum ſcripturarum dedit, atque Catholicos Tractatores, Auguſtinum videlicet, Hieronymum, Ambroſium, Gregorium ac reliquos frequentare cæpit, iugiterque diebus ac noctibus eorum lectioni incumbere, meditationi inſeruire non deſtitit, nec quolibet impedimento ab inquiſitione veritatis auelli potuit. Cumque ſingularis ingenii atque inæſtimabilis memoriæ eſſet, cœpit in vaſculo corporis ſui multa profutura recondere, & columbæ more meliora grana eligere ſibique memoriter retinere ſcriptoque commendare. Fecit ergo primùm expoſitionem mirabilem ſuper libris B. Dionyſii de Hierarchiis Angelorum. Deinde expoſuit totum librum Iſaiæ Prophetæ, & Lamentationis Ieremiæ, extremamque partem Ezechielis ibi incipiens, vbi S. Gregorius Papa dimiſerat, & ad finem vſque perducens. Simul etiam Deuteronomium Moyſis & Eccleſiaſten Salomonis, nec non quoque librum Iobicum & libellum Ruth, librum Tobiæ & omnia quæ in illis minus intelligentibus ſonum, litteram ſonare videntur, inconuincibili ratione oſtendens Chriſti & Eccleſiæ conteſtari & prædicare myſteria.

Hilduinus Alcuini Diſcipulus ex nobili Francorum Procerum oriundus ſanguine, Dionyſianæ familiæ Monachus, deinde Abbas, an. ſcilicet 826. factus quoq; Ludouici Pii Archicapellanus. Lupus Ferrarienſis ep. 110. eum vocat *nobilitatis, dignitatis & moderationis apice conſpicuum, Eccleſiaſticorum Magiſtrum.* Item eundem appellat Frotharius ep. 11. *Excellentiſſima virum nobilitatis & Glorioſæ Dignitatis apice ſublimatum, à Deo electum Patrem & Magiſtrum.* Et ep. 16. *Inclytum & omni nobilitate præclarum.* Abbas quoque fuit S. Germani-Pratenſis & S. Medardi Sueſſionenſis. Eius conſiliis & miniſterio omnia Ludouicus Imperator adminiſtrabat. Ad eum omnes confugiebant, & ſi quid eſſet impetrandum ab Imperatore, prius ipſe adibatur, vt legere eſt in Epiſtolis Frotharii. Omnibus porro charus erat & ita Miniſterium ſuum obibat, vt nemini ſi poſſet, noceret, omnibus ve[illegible] bene facere conaretur: itaque cum ad nouam Corbeiam inſtituen-

dam & regendam miſſus fuiſſet ab Impetatore, donec illi Abbas aliquis præficeretur, omniom animos in ſe conuertit, vt ait vetus Author de conſtitutione nouę Corbeiæ *Illo verò in tempore*, inquit, *venerabilis Abbas Hilduinus in eodem Monaſterio iuſſu habitabat Imperatoris, eratque omnibus charus atque dilectiſſimus. Quis enim ſe continere poſſet ab amore eius qui Dominum ſummo deſiderio amabat & in eiuſdem cultu aſſiduus erat?* Cæterum vit erat Doctiſſimus & Doctotum virorum Muneratot largiſſimus: nam eius conſilio Imperator neminem ad dignitates Eccleſiaſticas promouebat, qui ſcientiâ non emineret & virtutibus. Eiuſdem Imperatoris iuſſu Hiſtoriam S. Dionyſiii ex Græcis Latiniſque codicibus collegit, & librum inſctipſit *Areopagitica*. Primuſque fertur omnium ſcriptorum docuiſſe Dionyſium Patiſienſem ipſummet eſſe Ateopagitam, amore Pauli ſui profectum Romam, Româ in Gallias adprædicandum Euangelium miſſum fuiſſe. Rabanum Maurum ex Diſcipulis quoque Alcuini vnum vehementer amabat, & à Rabano plutimum etiam colebatur, qui nempe ſuos in lib. Regum commentarios ei dedicauit. Verũ ille tam ſingularis tamque prædicabilis famæ vir cum Ieſſe Epiſcopo Ambianenſi & aliis Procetibus pto filiis aduerſus Patrem ſtetit, atque in Ludouicum Principem ſuum cum aliis conſpirauit. Quamobrem Abbatiâ ſpoliatus fuit ab eo, atque in Saxoniam relegatus, vt legitur apud Flodoatdum l. 3. c. 1. at paulo poſt operâ Hincmari qui eum in exilium ſecutos fuerat, teuocatus & Abbatiis 2. redonatus eſt: ſic enim ibi. *Proceſſu temporis cum præmemoratus Hilduinus Abbas Imperatoris Ludouici Archicapellanus offenſam ipſius Auguſti adeo cum aliis Regni primoribus incurriſſet, vt ablatis ſibi Abbatiis, in Saxoniam fuerit relegatus, iſte Hincmarus, per licentiam proprii Epiſcopi cum benedictione fratrum illum ſecutus eſt in exilium. Cui pro familiatitatis propiore notitiâ tantam Dominus apud Imperatorem Proceresque contulit gratiam, vt ſtudere pro ſuo nutritore quiuerit, donec ab exilio reuocatus, duarum fuerit Abbatiarum prælationi reſtitutus.* Interfuit Cœnobii Hirſaugienſis benedictioni an. 828. cum Rabano Fuldenſi tunc Abbate; eodemque anno teſte Nitardo cum Getardo Ciuitatis Pariſinæ Comite ſuam Carolo Caluo fidem obligauit. Deceſſit 30. Octob. an. 842. atque apud S. Medatdum Sueſſionenſem ſepultus eſt. Fuit & eodem ſeculo alius eiuſdem nominis, ſimilitet Abbas, qui cum multis aliis proceribus Eccleſiaſticis ſubſcripſit Electioni Catoli Calui in Impetatorem in Conuentu Pontigonenſi an. 876. hoc modo *Hilduinus Abbas & Bibliothecarius*.. Neque enim eredibile eſt Hilduinum S. Dionyſii ad ea vſque tempota vitam protelaſſe.

Hincmarus nobilitate quoque generis clarus *a pueritia in Monaſterio San-Dionyſiano ſub Hilduino Abbate Monaſteriali religione nutritus*, inquit Flodoatdus l. 3. c. 1 *& ſtudiis litterarum imbutus, indeque pro ſui tam generis quàm ſenſus nobilitate in Palatiæ Ludouici Imperatoris deductus & familiarem ipſius notitiam adeptus fuerat.* Vit teſte Trithemio, in diuinis Scriptutis ſingularitet doctus & in ſeculatibus litteris nulli ſuo tẽpore ſecũdus, ſapiẽtia & morum honeſtate conſpicuus atq; eloquentiſſimus, ab aliis vocatur Gallicanotũ Abbatũ ſui ſeculi Doctiſſimus. Cum autẽ Monachi San-Dionyſiani tum minus religiosè ad S. Benedicti tegulã viuetent, obtinuit ab Impetatore vt reformarẽtut, & ipſe lubens ſe teformationi ſubiecit teſte Flodoardo ibidẽ. *Ibi pro vt potuit, cum Imperatore & præfato Abbate ſub Epiſcoporum authoritate laborauit, vt Ordo Monaſticus in prædicto Monaſterio quorundam voluptuoſa factione diu delapſus reſtauraretur. Et vt opere quoque adimpleret, quod ſermone ſuadebat, etiam ipſe religioſæ conuerſationi cum aliis ſe ſubdidit, caſtigans corpus ſuum & ſpiritali ſubiiciens ſeruituti.* Abbatem ſuum Hilduinum in Saxoniam relegatum comitatus eſt, & poſtea teuerſo prodeſſe ſtuduit. Cuius fidele obſeqoium demiratus Imperatot in aulam eum aſciuit, & primùm Monaſtetio S. Mariæ Beatique Gemani præfecit. Deinde exauthorato Ebone Caluus ad Archiepiſcop. Remenſẽ promouit an. 845. Regi ſuo Caluo ſemper quoad vixit fideliſſimus extitit, fuit & apud eum potentiſſimus, ac pro nde ſi quis aliquid à Ptincipe obtinete vellet, eum litteris & precibus ptius conueniebat. Ad eum ſic Lupus pto ſuo Cœnobio, Ep. 42. *Non ſum neſcius* cum tantis diuinæ gratiæ muneribus abundetis, vltro vos
» cogitate apud Principem iuuandi bonos facoltatem diuinitus accepiſſe, vt
» quod in ſe non habent, in vobis poſſideant, & remunerandæ veſtræ induſtriæ
» matetiam præbeant. Proinde familiaritatis fiducia moneo, vt [illegible]n tem-
» pus habetis, vſutam talenti multiplicare curetis; vt inſtar ſolis ben[illegible]olentiâ

veſtræ ſplendor cunctos irradiet, nec quenquam excipiat, niſi qui ſuperbâ cæcitate lucem iuſtitiæ aſpernatur. Nobilitatem veſtræ generoſitatis ornat eruditio ſalutaris, altitudinem officii commendat religio profeſſionis. Gotheſcalcum Orbacenſis Cœnobii Monachum & Prædeſtinarianos vehementer inſectatus eſt, & nimis rigidè, vt quibuſdam etiam tum viſum eſt: nam Remigius cum tota Eccleſia Lugdunenſi Gotheſcalcum defendit, & Capitula contraria Hincmari Capitulis approbarunt Epiſcopi trium prouinciarum Lugdunenſis, Arelatenſis & Viennenſis in Valentina Synodo an. 855. quæ à Synodo Lingonenſi, poſtea confirmata ſunt an. 859. neque doctrinam Hincmari probarunt Prudentius Tricaſſinus & Lupus Ferrarienſis: quamobrem diu iactata eſt hiſce diſſidiis Eccleſia Gallicana. Hincmarum nepotem ſuum Laudunenſem Epiſcopum ſedis Apoſtolicæ iuribus tuendis addictiſſimum implacabili odio proſecurus, tandem oculis priuari iuſſit. Hilduini ſententiam de Dionyſio Areopagita pluribus argumentis confirmauit, non auſo Ioanne Erigena, licet contrarium ſentiret, tantæ authoritati palam reluctari. Obiit verò Metropolitanorum Galliæ Decanus 21. Decemb. an. 882. in villa Sparnaci trans Matronam fluuium, quò metu Normanorum confugerat: ſepulturæ autem mandatus eſt in Monaſterio S. Remigii ſub tumulo quem ſibi parauerat, & cum Epitaphio tali quod ipſe compoſuerat.

Nomine non merito Præſul Hincmarus ab antro
Te Lector tituli quæſo memento mei.
Quem grege Paſtorem proprio Dionyſius olim
Remorum populis vt petiere, dedit.
Quique humilis magna Remenſis regmina plebis
Rexi pro modulo, hic modò verme voror.
Ergo anima requiem hanc & cum carne reſumpta
Gaudia plena mihi, hæc quoque poſce ſimul.
Chriſte tui clemens famuli miſerere fidelis
Sis pia cultori ſancta Maria tuo.
Dulcis Remigii ſibimet deuotio proſit.
Quâ te dilexit pectore & ore, manu.
Quare hic ſuppetiis ſupplex ſua membra locari
Vt bene complacuit denique ſic obiit.

Hincmarus Iunior Magni, ſeu Remenſis nepos, Epiſcopus Laudunenſis, ex Gente Bolonienſi nobili natus, in Eccleſia Remenſi educatus, auunculi fauore ad Palatinos honores euectus, ſed tandẽ eius odium incurrit leuibus prope de cauſis, propterea quod Metropolitano ſuo non exhibebat eam quam ex Canonibus exhibere tenebatur reuerentiam obſeruantiamque, nimis Romanis iuribus tuendis addictus. Obiiciebatur etiam quod fidem Regi violaſſet, quod excommunicationes quaſdam in ſuos ſubditos temerè fulminaſſet, quod nonnullis beneficia per vim abſtuliſſet. Tandem eo res proceſſit, vt in Synodo Duziacenſi an. 871. de Epiſcopali gradu depoſitus fuerit, in carcerem coniectus, & oculis priuatus. Quod facinus omnibus viſum eſt crudeliſſimum; quodque Hadrianus Papa Epiſtola ad Carolum Caluum data improbauit. In Synodo Trecaſſina II. habita an. 878. Chirographum obtulit quo calamitates ſuas Ioanni VIII, Pontifici præſenti expoſuit his verbis, quæ etiam nunc lachrymas eliciant.

Domine & ſumme Pater Patrum & Rector Pontificum Ioannes audi vocem proclamationis meæ, compaſſus cauſæ calamitatis meæ. A Remorum Archiepiſcopo ad «
Synodum ſum vocatus ad Duziacum villam, ad quam cum feſtinaſſem, violen- «
tiâ hoſtili in medio itinere ſegregatus ſum ab omnibus meis, priuatus ſum & ſpo- «
liatus omnibus rebus meis: perductus ſum ab eiſdem hoſtibus vſque ad prefa- «
tam villam, in qua cum conſiſterem: iam ſtabat Rex Carolus ante ipſum Archie- «
piſcopum meum tenens in manu ſcripturam, reputans me eſſe periurum, quia «
Romam ſine ſua voluntate miſerim & imputans quod eum accuſauerim. Ad «
quæ idem Archiepiſcopus me reſpondere præcipiebat: & Ego reclamaui, quia «
non docebat Canonica authoritas, nudatum & ſuis rebus ſpoliatum, inſuper & «
ab hoſtibus detentum reſpondere vllatenus debere. Sed & addidi quia non ſo- «

„ ſum ſuſpectum,ſed manifeſtiſſimè illum infeſtum habebam, vnde& Apoſtolicam
„ ſedem appellaui tam de ipſa accuſatione Regis, quàm de præiudicio quod ab
„ ipſo pariebar Archiepiſcopo: ſed nihil mea petitio obtinuit: Iudicium præfatus
„ Epiſcopus ſuper me impoſuit, vt ab Epiſcopali remouendus eſſem officio, ſed
„ alii gemebant flebantque, inter quos nullum merebar pati inimicum. Scripta
„ quidem ab eodem Archiepiſcopo ipſis impoſita manibus tenentes, ſed ore pro-
„ ferre nolentes, inuiti vix verba ſingulticbant, aditum tamen ad ſedem Apoſto-
„ licam minimè ſperantes mihi poſſe denegari. Vnde ſaluo per omnia ſedi Apo-
„ ſtolicæ judicio ipſi finem lectionis terminauere. Poſt hæc tranſmiſſus ſum in
„ exilium, in quo per 2. annos ſanus, ſed aliquanto tempore ferro vinctus cuſto-
„ ditus ſum. Duobus annis ferme peractis inſuper cœcatus ſum & vſque modò re-
„ tentus ad vos& ad veſtræ piiſſimæ ſerenitatis præſentiam mox vt venire dimiſ-
„ ſus potui, protinus acceſſi. Nunc autem veſtram clementiam ſuppliciter exoro
„ à veſtra ſumma paternitate patari de me æquitatis Iudicium, quod apud veſtræ
„ paternitatis pietatem obtinere efflagito, tum pro multitudine miſeriæ meæ, tum
„ pro magnitudine pietatis veſtræ. Demum reſtitutus eſt publicè in Synodo à Io-
anne, eique attributa redituum Laudunenſis Eccleſiæ portio cum facultate etiam cœco, imperriendi benedictionem populo. Nihilominùs remanſit Henudulphus, qui in Hincmari ſedem ſucceſſerat, & Epicopale miniſterium obiit, quandiuvixit. Norat quoque Aimoinus l. 5. c. 3. permiſiſſe Papam Hincmato cœco vt Miſſam etiam cantaret, Epiſcopos verò eius amore ductos Epiſcopalibus eum induiſſe veſtimentis, & in Synodo præſente Papa & Rege cantaſſe.

Hubertus patria Cœnomanenſis, inſignis Grammaticus Aureliæ docuit, ibique Baldricum, Burgulienſem deinde Abbatem habuit diſcipulum. Docuit quoque Cenomani, vbi Audebertum & Hildebertum artibus liberalibus informauit. Eius mortem his verſibus deflet Baldricus.

Doctorum ſpeculum Doctor amande
Maiorum titulis æquiparande
O Huberte tuis vir venerande
Immolo perpetuas Exequiis lachrimas
Mors tua dura mihi.
Ablato mihi Te, quæ mihi gaudia?
Gaudendi ſubiit deficientia
Lugendi datur heu! peſſima copia
Et perpes querimonia
Væ mea vita mihi.
Hubertus patria cura paterna
Magduni cecidit clara lucerna
Ex quo mæſta mihi lux hodierna
Vix aliquando ſcio, quid faciens facio
Mors tua dura mihi.
Vrit noſtra dolor corda medullitus.
Vix rarus recreat viſcera ſpiritus.
Huberti gemitus cauſa ſit exitus.
Hinc eſt creber anhelitus:
Væ mea vita mihi.
Quo nos alter Ego, ſed magis idem
Hoc vniuit amor fœdere pridem
Nec ſorti modò mors ſubdit eidem,
Eſſet obiſſe mihi gloria, Téque frui.
Mors tua dura mihi.
Ex quo cum lachrymis plus Ego lugeo
Hinc plus ipſe quod eſt res noua, gaudeo.
Quando diſplicuit res lachrymarum
Tanto triſte places pondus earum.
Diſplicet atque placet illud, vtrumque placet.
Væ mea vita mihi.

Singultus peperit carmina lubrica
Haud arcent Elegos Clauſtra Poëtica.
Te Doctor replicat noſtra querela
Hunc morbum leniet nulla medela
Mors mihi Te Tibi me compoſitura placet.
Mors rogo ſera ueni.

Neſcio an is ſit Hubertus Diſcipulus Fulberti, quem ipſe Archiepiſcopo Remenſi commendat inuiſurum Monaſterium S. Remigii. *De veſtra benitate*, inquit, *non de noſtro merito confidentes, deprecamur, optime pater vt notum habere dignemini, hunc Charum noſtrum nomine Hubertum, qui de patriâ ſuâ cauſâ diſcenda honeſtatis egreſſus, & apud Nos aliquandiu demoratus talem ſe nobis exhibuit, vt non minus quam frater vterinus amari & honorari meruerit &c.* Fuit & hiſce temporibus Hubertus Siluanectenſis Epiſcopus qui inaugurationi Ludouici Craſſi apud Aureliam an. 1109 interfuit.

Huboldus Leodienſis Ordetico dicitur ad an. 987. fuiſſe Gerberti Aquitani Diſcipulus his verbis. *Gerbertus in Diuinis & ſecularibus libris eruditiſſimus fuit & in ſua Schola famoſos & ſublimes diſcipulos habuit; Robertum Regem & Leothericum Senonenſem Archiepiſcopum, Remigium Præſulem Antiſſiodorenſem, Haimonem atque Huboldum alioſque plurimos fulgentes in choro Sophiſtarum.* Adoleſcentulus è ſchola Leodienſi Lutetiam fugit & in monte San-Genoueſiano Scholam ipſe habuit, vt in Hiſtoria ex Anſelmo ſcriptore ſuppare retulimus, *dum adoleſcentulus à ſcholari diſciplina aufugiſſet Pariſius, S. Genouefa Canonicis adhæſit, & in breui multarum Scholarum inſtructor fuit.* De eius verò operibus ſic ſcribit Ordericus. *Huboldus Muſica Artis peritus ad laudem Creatoris in Eccleſia perſonuit, & de ſancta Trinitate dulcem hiſtoriam cecinit, alioſque multos delectabiles Cantus de Deo & Sanctis eius compoſuit.*

Hucbaldus cognomento Caluus Etrici Antiſſiodorenſis Diſcipulus ex Chronico Ademari Engoliſmenſis, natione Gallus, Monachus S. Amandi Elnonenſis ad fluuium Elnonem in Diœceſi Tornacenſi, *vir* inquit Trithemius, *tam in Diuinis ſcripturis, quam in ſecularibus litteris eruditiſſimus*; in Muſica, Poëtica, Philoſophia & cæteris artibus humanioribus nulli ſuo tempore ſecundus, quod multa vtroque ſtylo ab eo conſcripta teſtantur opuſcula. A Fulcone Remenſi Archiepiſcopo cum Remigio euocatus eſt ad inſtituendas ſcholas Remenſes, vt in Hiſtoria docuimus. De eo ſic habet quoque Sigebertus. *Hucbaldus Monachus S.* Amandi peritia liberalium artium ita inſignis, vt Philoſophis conferretur. Vitas multorum Sanctorum ſcripſit: & quia in Muſica præpollebat, cantus multorum Sanctorum dulci & regulari melodia compoſuit. Scripſit etiam librum de arte Muſica, ſic contemperans chordas monochordi litteris alphabeti, vt poſſit quis per eas ſine Magiſterio alterius diſcere ignotum ſibi cantum. Scripſit etiam ad Imperatorem Carolum Caluum librum 300. verſuum in laudem Caluorum. Trithemius longè poſterior Sigeberto opus illud mirabile ait ſe vidiſſe 136 tantum verſibus conſtans. In eo autem omnia verba à littera C. incipiebant, vt in hoc verſu patebit

Carmina clariſonæ caluis cantate Camœnæ.

Scripſit Epiſt. ad iduerſos & Geſtorum S. Libuini lib. 1. Vitas etiam multorum ſanctorum ornato deſcripſit eloquio, & cantus in honorem ipſorum dulci & regulari concentu compoſuit. Sepultus eſt apud S. Amandum 7. Kal. Iunii an. vt aiunt 957. in monumento Milonis auunculi cum hoc Epitaphio.

Dormit in hac Tumba ſimplex ſine felle columba,
Doctor, flos & honos, tam Cleri quàm Monachorum;
Hucbaldus, famam cuius per climata mundi
Edita Sanctorum modulamina, geſtaque clamant.
Hic Cirici membra pretioſa reperta Niuernis
Noſtris inuexit oris ſcripſitque triumphum.

Hugo cognomento Magnus Roberti Pſeudo-Regis Francotum filius, Dux Franciæ & Pariſiorum Comes, propter multitudinem pinguium Abbatiarum quas poſſidebat Commendæ titulo, dictus Abba-Comes, ab vrbe Pariſienſi bella quam potuit longè remouit, hocque pacto litterarum quieti conſuluit. Franciam diu rexit ſub Regibus Carolo Simplice & Ludouico Vltramarino: at hunc continuis bellis afflixit, nec paſſus eſt ſedere Pariſiis, ne vt ſunt Pariſienſium motes & animi erga Regem ſuum bene ſempet affecti, ab iis expelleretur ſi bella tentaret. Obiit an. 956. vt notat Chronicon Andegauenſe, filiumque reliquit Hugonem cognomento Capetum, de quo mox dicetur. Difficile dictu eſt, quis fuerit ſub eo Scholæ Pariſienſis ſtatus: adeo omnia illa tempora plena fuerunt tutbis, tumultibus & bellis.

Hugo Capetus Hugonis Magni filius, Dux quoque Francorum & Comes Pariſiorum ſub Lothario & Ludouico filio, quibus fato functis deſtinatum ſibi quem Gentis ſuæ Regnum occupauit, Pariſienem Scholam teſtituit, eamque optimis diſciplinis & nobilibus Inſtitutis celebrem reddidit æmulatus Caroli Magni Caluique Nepotis exempla: ad quam proinde Proceres & Optimates Regni mittere cœperunt filios ad erudiendum: quod vel vnius Burchardi Comitis Melidunenſis exemplo patet. Sic enim legitur in eius vita per Odonem Foſſatenſem Monachum ſeripta an. 1057. *Inclytus Burchardus Nobili ſtirpe progenitus ſacro baptiſmate eſt ingeneratus, atque nobiliter in Religione Catholica militari tirocinio edoctus. Nam pueritiæ tempora dum tranſigeret, Curiæ Regali more Francorum Procerum à parentibus traditus eſt. Qui Chriſtianitatis operibus pollens, totius prudentiæ atque honeſtatis aſſumpſit commoda. In Aula enim glorioſi Hugonis Francorum Regis cunctis tam Cæleſtibus quàm militaribus imbuebatur Inſtitutis. Dum verò adoleſcentiæ atque iuuentutis appulit annos, Domini prouidente gratia, qui fidelem militem ſibi cum prouidebat futurum, magno dilectionis amore à Rege amplectitur, in tantum vt cunctos, coætaneos tranſcendere videretur.* Hinc intelligitur Hugonem viros litteratos pioſque fouiſſe: quod & Roberti filii inſtitutio manifeſtius declarat; quem motibus optimis liberalibuſque diſciplinis apprimè imbui curauit: quæ res nonparum ei contulit ad ſtabiliendum Regnum quod occupauerat, vt videtur inſinuate Glabre Rodulphus l. 2. c. 1. *Suſcepto*, inquit, *Huga regimine Regni Fancorum non multo poſt pleroſque ſuorum, quos etiam prius in vniuerſis habuerat ſubditos perſenſit contumaces. Tamen vt erat corpore & mente viuidus, cunctos ſibi rebellantes paulatim compeſcuit. Habebat enim filium admodum prudentem nomine Robertum, Artium etiam liberalium ſtudiis plurimum erud tum.*

Hugo Lingonenſis Diſcipulus Fulberti, primus Berengarii faſtum & inſolentiam tetudit, eiuſque de Euchariſtia opinionem confutauit. Tractatum enim de Corpore & Sanguine Chriſti compoſuit, qui prodiit in lucem an. 1648 in eo autem hæc habet inter cætera ad Berengarium. *Domini in huiuſmodi Sacramentis*
" *Corpus Chriſti ſic eſſe*, vt panis & vini natura & eſſentia non mutetut; corpuſque
" quod dixerat Crucifixum, intellectuale conſtituis. Qua in re vniuerſalem Ec-
" cleſiam ſcandalizas. Nam ſi panis & vini natura & eſſentia reali principalitate
" poſt conſecrationem perſiſtunt, tranſlatum nihil poteſt intelligi: & ſi quod ad-
" iunctum eſt, ſola ſit intellectus potentia, reuera non capitur, quomodo vel vn-
" de, vel idem ſit quod adhuc non ſubſiſtat: ſicut non capis quomodo Verbum
" Caro factum ſit, ſic non potes capere, quomodo panis iſte mutetur in Carnem,
" & vinum in Sanguinem transformetur, niſi te docuerit Omnipotentia fidei, &c.
" Propter quod Philoſophiæ tuæ ſuadeo tenere quod ſcriptum eſt. Deſine impu-
" gnare Cœleſte myſterium &c. Huiuſce viri vita variis caſibus agitata eſt: in
" Concilio Remenſi an. 1049. de Epiſcopatu ſuo deiectus alloneex deinde ab eo-
" dem abſolutus Romæ, vnde rediens Virduni Monachum induit, ibique an. 1050.
" obiit.

Humbaldus (alias Vvibaldus) Ioannis Scoti ſeu Erigenæ in Scholis Palatinis diſcipulus temporibus Calui Imperatoris, deinde à Ludouico Balbo Calui filio ad Epiſcopatum Antiſſiodorenſem promotus Vvalæ ſucceſſit. De eo ſic habetur in Hiſtoria Epiſcop. Antiſſiodorenſ. c. 40. Vnbaldus (lege Humbaldus) *natione*
„ *Francigena* Cameracenſis Ciuitatis Indigena à Ludouico glorioſiſſimo & ſemper
„ Auguſto huic Ciuitati futurus directus eſt Epiſcopus, Parentibus nobiliſſimis ge-

nitus, Patre ſcilicet Leutfrido, Genitrice Doda legale inuicem ſeruantibus caſtè coniugium. *Hic* à primo ætatis tiroemio ſpiritualibus imbuitur diſciplinis. *Liberalium Artium Studiis* apprimè inſtructus, *Ioannis Scoti* qui ea tempeſtate per *Gallias* ſapientiæ diffundebat radios, factus pediſſequus, cuius diſcipulatui longo inhærens tempore diuina ſimul & humana proſpicere, proſpera que & ſiniſtra æquali lance didicit ponderare. Dehinc iuuentutis ſolidum robur adeptus ad aulam introductus eſt Regiam, vbi Regio militans ſeruitio Chriſto ſibi fauente, huius ſedis Vvala decedente Epiſcopo meruit ſuſcipere thtonum, prælibato Rege Ludouico dignè famulatum eius remunerante, huiuſque Eccleſiæ & Cleri & Plebi conniuentia in vnum vt Pontifex ordinaretur, applaudente ſicque opituiſlante Deo cum ſumma totius populi exultatione die 9. April. ab Anſegiſo venetabili Archiepiſc. ordinatus eſt Epiſcopus, vbi quàm floridè vixerit, quanto ſtudio domum ſibi creditam ſublimare voluerit, quàm mitis erga gregem Dominicum larguſque diſpenſator extiterit, multi adhuc ſupetſunt, qui oculis ſe vidiſſe teſtantur.

Humbertus Lemouicenſis circa an. 1090. docebat Pariſiis, habebatq; inter alios Diſcipulos Gaucherium Melletenſem Rothomagenſis Diœceſis, qui paulo poſt Aureliense Cœnobium Canonicis Regularibus aſſumptis inſtituit & fundauit. Humbertus ab eo conſultus de modo regendæ vitæ, hoc illi conſilium inſpiraſſe legitur in antiquo Codice MS. Eccleſiæ Lemouicenſis à Philippo Labbeo Ieſuita in lucem edito. In quo ſic habetur. *Sub eodem tempore venerandus M. Humbertus Lemouicæ ſedis Canonicus, cuius iſte* (Gaucherius) *erat familiaris, forte in illis partibus regebat ſtudium, cui etiam aperuit ſui animi deſiderium, cuius admirans adoleſcentiam & animi conſtantiam, blandis ſic alloquitur eloquiis.* Fili Chariſſime Gaucheri, ſi hoc reſidet in animo tuo, quod mihi confiteris verbo, ſequere me in mea Patria, quæ multum numeroſa eſt, vt ſpero in Deum, qui ſemper confortat deſiderium, inuenies aliquem loculum tuo animo aptum, in quo poteris Domino ſeruire, qui tibi porriget manum pietatis ſuæ. Obiit autem Gaucherius an. 1140.

I.

I*Dithun* videtur quoque inter Magiſtros Palatinos à Catolo M. adſcriptus, artiſque Muſicæ Regulas pueris tradidiſſe. Eius quippe meminit Alcuinus poëm. 221. hancque illic profeſſionem adſignat.

Inſtituit pueros Idithun modulamine ſacro,
Vtque ſonos dulces decantent voce ſonora,
Quot pedibus, numeris, rythmo ſtat Muſica, diſcant.

Ieſſe vir nobilis & ingenio valens Alcuini olim Diſcipulus, deinde profeſſor Palatinæ ſcholæ, & concionator egregius, cuius meminit Alcuinus Poëmate 221. ad Carolum, in quo varias litterarum artiumque Liberalium, quæ exercebantur in illa ſchola, profeſſiones enumerat.

Ordo Miniſtrorum ſequitur te Ieſſe Magiſtrum
Vox tibi forte tonat Chriſti taurina per aulam,
Vt decet ex alto populis pia verba legenti.

Iam an. 800. Epiſcopus erat Ambianenſis. an. 802. miſſus eſt à Carolo M. Conſtantinopolim cum Helingaudo Comite ad Irenen Imperatricem: vt nomine ſuo cum ea pacem ſtabiliret: quam in rem ipſa prins Leonem ad Carolum miſerat. Poſt mortem Caroli in Palatio remanſit, & inter Primarios Imperij Miniſtros ſub Ludouico fuit. Verum eũ ipſe cum quibuſdam aliis, quos Hilduinus Archicapellanus ſocios ſibi adiunxit in prima filiorũ defectione prodidit: nam cum moleſté ferrent filii Ludoici ſuper inductam à Patre Iuditam Imperatricem ſuſceptæq; ex ea proli nimirũ Carolo Caluo terram Alemaniceã, Rheticam & Burgundiæ partem datam, in ipſum coniurarunt, eumque de Regno expellere tentarunt. Hac de re ſic Theganus Chorepiſcopus Treuetenſis in lib. de Geſtis Ludouici

Digitized by Google

Pij. Alio anno perrexit D. Imperator de Aquiſgrani Palatio & peruenit ad Cõpendium: ibique venit obuiam ei Pipinus filius eius cum Magnatibus primis Patris ſui, Hilduino Archicapellano & Ieſſe Ambianenſi Epiſcopo, Hugone & Mathfrido & multis aliis perfidis, & voluerunt D. Imperatorẽ de Regno expellere. Obiiciebant autem hæc inter cætera. Iudith Reginam violatam eſſe à quodam Duce Bernhardo qui erat de ſtirpe Regia, & Domini Imperatoris ex ſacro fonte baptiſmatis filius, mentientes omnia, ſuſcipientes Reginam Iudith, eamque vi velantes & in Monaſterium mittentes, & fratres eius Conradum & Rudolfum tondentes & in Monaſterium mittentes. At eodem anno apud Nouiomagum conuocata ingenti hominum multitudine & Epiſcoporum concione Imperator indignitatem facinoris exaggerauit, Hilduinum in Saxoniam relegauit, Ieſſe Epiſcopatum ademit. Ibi, *inquit idem author* Ieſſe iuſto iudicio Epiſcoporum depoſitus eſt. Cui iudicio cum aliis multis interfuit Ebo Remenſis. Verum elapſis aliquot annis, cum iterum filij à patre defeciſſent, ipſumque cepiſſent, Ebo factionis incentor reſtituit Ieſſe in priſtinam dignitatem: quod ei inter cætera idem Theganus obiicit. *Patres tui fuerunt Paſtores Caprarum, non Conſiliarij Principum.* Tu cum cæterorum iudicio Ieſſe à ſacerdotio depoſuiſti. Nunc iterum reuocaſti eum in gradum priſtinum. *Aut tunc aut nunc falſum iudicium exhibuiſti.* Rurſus igitur ad coniuratorum partes tranſiit Ieſſe, ſed iuſto Dei iudicio plerique qui Lotharium rebellem ſecuti fuerant. an. 835. peſte perierunt, quos ſic enumerat author incertus in vita Ludouici. Ea tempeſtate quanta lues mortalis populum, qui Lotharium ſecutus eſt, inuaſerit, miſerabile eſt dictu. In breui enim, id eſt à Calendis Septemb. vſque ad Miſſam S. Martini hi primores e vita exceſſerunt. Ieſſe olim Ambianenſis Epiſcopus, Helias Trecaſſinæ vrbis Epiſcopus, Wala Corbeienſis Monaſterij Abbas.

I*ngo* Roberti Regis in pueritia condiſcipulus fuit; eoſdem Magiſtros audiuit eaſdemque ſcholas frequentauit. Quamobrem ille Rex factus Ingonem primum S. Martini Maſſiacenſis, deinde S. Germani Pratenſis Abbatia donauit. Qua de re Helgaldus in Epitome. *In addiſcendis artibus hic vir Dei humillimus Domnum Ingonem Collegam habuit, quem Abbatia S. Martini Maſſiacenſis remuneratum, poſt Abbatia S. Germani Pariſienſis inclytum ſeculo reddidit vt decebat tantum virum.*

Ioannes cognomento Mailroſius, etiam natione Scotus, ſic dictus ab oppido Mailroſio, Alcuini & Clementis in condendâ Academiâ Pariſienſi ſocius, Bedæ Diſcipulus Latinæ Græcæque linguæ peritiſſimus, quem aiunt Hiſtorici veteres à Carolo præfectum Academiæ Ticinenſi ſeu Papienſi in Italia circa an. 792. ibique ſenem obiiſſe. De eo loquitur Monachus San-Gallenſis l. 1. *Clementem in Gallia reſidere precepit..... Alterum verò in Italiam direxit, cui & Monaſterium S. Auguſtini iuxta Ticinenſem vrbem delegauit, vt qui illuc ad eum voluiſſent, ad diſcendum congregari potuiſſent.* Et Balæus poſtquam narrauit quomodo Scoti illi Lutetiam veniſſent, & vænalem ſe ſcientiam habere clamitaſſent, ſubdit de Ioanne & Sociis. *Quod audiens Rex Carolus* cognomento Magnus prouiſis ſtatim neceſſariis eos illico retinuit, vt confluentes paſſim ad ipſos Nobilium Francorum adoleſcentes liberaliter erudirent: frequens inde illuc aduenientium conuentus effecit, vt Pariſij ſtatim percelebre foret auditorum Gymnaſium, & vt Claudius in eo prælectiones inciperet, Ioannes verò Papiam ſeu Ticinum concederet, vt & Academiam illic & ipſe inchoaret. De eodem ſic habet Petrus Angelus l. 2. de Profeſſorib. Ioannes Mailroſius venerabilis Bedæ Diſcipulus cum Claudio Clemente populari ſuo Pariſios venit miſſus à Scotorum Rege Achaio ad Carolum M. apud quem tunc erat Alcuinus, qui cum ipſis Bedam audiuerat. Is Carolo perſuadet, vt Scholam conſtituat, cui præficiat illos. Paret Rex, primaque Lutetianæ tum Academiæ iacta ſunt fundamenta. Ioannes Ticinum quoque poſtmodo miſſus eſt Gymnaſij cauſâ inſtituendi ſub annum noſtræ ſalutis reparatæ 813. Hinc facile conciliantur authores, quorum aliqui Ioannem Scotum ſeu Erigenam Bedæ Diſcipulum conſtituunt, arbitrati nempe vnum eundemque eſſe Erigenam & Mailroſium, vtrumque cognomento Scotum; cum duo manifeſtiſſimè diſtinguendi ſint. Mailroſio plurimi tribuunt Erigenæ opera, nomine deluſi. Scripſit autem hic certiſſimè Carmen de laudibus I. C. ad Carolum M. quod Geſnerus ait extitiſſe ſuo tempore M. S. apud Dreſſerum.

Ioannes Erigena oatione Scotus, vel vt ait Balæus, natione Britannus in Meneuia Demeratum vrbe ſeu ad fanum Dauidis Patricio Genitore natus: qui Angliam Bello Dacico vexari videns Athenas profectus eſt, vt in fonte olim omnium Artium hauriret, ſi quid adhuc eſſet limpidi liquoris. Ibi igitur annos plures Græcis, Chaldaicis & Arabicis litteris inſudauit. Illinc reuerſus in Galliam vbi ſciebat florere bonarum Artium exercitium, Carolo Caluo acceptiſſimus fuit, publicè Pariſiis Philoſophiam docuit: ſed cum ſolis Dialecticis regulis multa fidei noſtræ myſteria ſe poſſe explicare putaret, in errorem lapſus eſt: aduerſus quem ſcripſit Eccleſia Lugdunenſis, in lib. de 3. Epiſt. Nicolaus quoque I. eum reprehendit Ep. ad Carolum Caluum. Tranſtulit eiuſdem Caroli iuſſu libros Dionyſii de Cœleſti Hierarchia tunc recenter Conſtantinopoli miſſos, de Græco in Latinum. & an. 858. vulgauit: nec potuerunt inuidi & obtrectatores efficere, vt quandiu vixit Caluus, è Gallia pelleretur. Paulo verò poſt eius mortem, cum ſe videret omnium telis appeti, rediit in Angliam, vbi tum res erant pacatiores, & apud Dauidis fanum Meneuenſe in vltimis Cambriæ finibus Monachum induiſſe à nonnullis dicitur. Alii verò ſcribunt è Gallia in Angliam cum Grimbaldo ad conſtituendas Oxonienſes Scholas ab Alfredo Rege euocatum fuiſſe, vbi publicè profeſſus eſt: verum cum ad Malmesbarienſe Cœnobium recreationis gratia ſe contuliſſet, ibi à nonnullis Diſcipulis eum interemptum ferunt: quo verò anno, non conſentiunt authores. De eo ſic Helinandus poſt Will. Malmeſb. apud Vincentium l. 24. c. 42. *Hoc tempore claruit* Ioannes Scotus vir perſpicacis ingenii & mellitæ facundiæ, qui dudum concrepantibus vndique bellorum fragoribus in Franciam ad Carolum Caluum tranſierat. Cuius rogatu Hierarchiam Dionyſii Areopagitæ de Græco in Latinum, verbum è verbo tranſtulit. Compoſuit etiam librum quem de Naturę diuiſione titulauit, propter quæſtiones ſoluendas bene vtilem, ſi tamen ei in aliquibus ignoſcatur, in quibus à Latinorum tramite deuiauit, dum in Græcos acriter oculos intendit. Hic ſuadentibus amicis munificentia Alfredi allectus in Angliã &c. Petrus Angelus l. 2. de Profeſſoribus de eodem ſic habet. *Ioannes Scotus* Monachus Malmesburiẽſis cum Athenas profectus, Græcas, Caldaïcas Arabicaſque litteras didiciſſet, ab Alfredo iam dicto rege datus eſt præceptor. Cum eſſet in Gallia apud Carolum II. cognomine Caluum magno fuit in pretio, demum in Oxonienſi Academia Profeſſor an. D. 884. quibuſdam inſtigantibus malignis, puerorum quos inſtruebat, graphiis confectus glorioſè Martyr occubuit, multiſque poſt mortem claruit ſignis. Ideo autem graphiis confectum fuiſſe à pueris ait Ioannes Hornius lib. 6. Hiſtoriæ Philoſophicæ c. 1. quia Miſſam taxabat. *Circa an. 880.* in Britannia floruit Ioannes Patricius Erigena (id. Hibernus, Erin enim Hiberniam hodieque Indigenæ appellant) vir linguarum Orientalium & Philoſophiæ & Theologiæ peritiſſimus, qui primus in Oxonienſi Academia ab Alfredo Magno Anglico Rege fundata bonas artes docuit. Diſcipuli eum cum Miſſam taxaret, graphiis confoderunt an. 884. Eiuſdem meminit Petrus Crinitus l. 24. de honeſta Diſcip. c. 11. Notum eſt ferè omnibus quàm egregia eruditione clariſſimoque ingenio præſtiterit Ioannes Scotus in rebus Diuinis, vt qui omnem Chriſtianæ Theologiæ diſciplinam maximo ſtudio coluerit. Qua in re illud mihi viſum eſt annotatione dignum, quod in Gallorum annalibus legitur de ſæuitia diſcipulorum in eum ipſum, atque incredibili immanitate. Is enim Scotus cum forte in Britannia Chriſtianæ religioni ſe dicaſſet, atque diſcipulos aliquot, vt fit, erudiret; factum eſt, vt illi contra præceptorem conſpirarent graphiiſque aſſumptis illum ſæuiſſimè interimerent. Quo ſcelere nihil atrocius aut flagitioſius dici poteſt. Idem Ioannes Græcas litteras calluit, quæ illis temporibus magna ex parte amiſſæ fuerant. Hinc Francorum Rex Carolus qui Caluus eſt appellatus, cum Chriſtianæ Theologiæ ſtudio teneretur, Ioanni Scoto mandauit, vt Dionyſij Areopagitę libros, qui de Sacra Hierarchia ſcribuntur, latinitate donaret. Quod ipſum pro officio ſuo erga Regem accuratè abſoluit, etſi maiorem diligentiam quàm elegantiam tali opere indicauit. Willelmus Malmeſburienſis hoc eius Epitaphium ſuæ hiſtoriæ inſeruit.

Clauditur hoc tumulo Sanctus Sophiſta Ioannes

Qui ditatus erat iam viuens dogmate miro,
Martyrio tandem Chriſti conſcendere Regnum
Quo meruit, Sancti regnant per ſecula Sancti.

Summopere autem charum fuiſſe Alfredo Ioannem patet ex eo quod in Aula Regia Vniuerſitatis quam Oxonij fundauit Alfredus, etiam hodie teſte Iacobo Vvachio in ſuo Rege Platonico, *Oſtentent ſe eiuſdem Aluredi vnáque Erigenæ facies opere perantiquo affabre formata, quas grata poſteritas e ruderibus conſeruatas parieti præ foribus Refectorii affixit.* Scripſit autem Ioannes de Corpore & Sanguine Domini lib. 1. vnde Berengarius dicitur hauſiſſe ſuum de hoc Myſterio errorem. De Immaculatis Myſteriis lib. 1. De fide contra Barbaros l. 1. Homiliarum lib. 1. De Inſtituenda Iuuentute lib. 1. & is eſt opinor liber de Diſciplina Scholarium, qui vulgò Boetio adſcribitur. Verſiones. S. Dionyſij l. 1. dedicauitque Glorioſiſſimo Catholicorum Regum. In Theologiam Myſticam lib. 1. In Moralia Ariſtotel. l. 9. Dogmata Philoſophica l. 1. & alia quædam. Vide Balæum & Pitſeum.

Ioannes Antiſſiodorenſis patre Anſaldo, matre Raingarda parentibus mediocribus natus, *Gerberti fuit Diſcipulus*, deinde Antiſſiodorenſis *Scholaſticus*, vir Doctus & ſummæ facundiæ, vnuſque ex iis qui Arnulfum Remenſem defenderunt. Poſtremò Epiſcopus Antiſſiodorenſis, ſuccèſſitque Heriberto ſeu Herberto: ſic enim legitur in Chronico Antiſſiodorenſi. *Antiſſiodorenſi Eccleſiæ poſt Heribertum Ioannes præfuit, vir vitæ honeſtate præcipuus & literarum ſtudiis in Schola Gerberti apprime eruditus & imbutus.* At author Hiſtoriæ Epiſcoporum Antiſſiodorenſium de eodem ſic habet. *Litterarum ſtudiis a primæua ætatis indole operam dans, quibus luculentiſſimè inſtitutus claruit, poſtmodum inter Scholaſticos illius Gerberti viri vtcumque doctiſſimi tunc Remorum Archipræſulis, dehinc Rauennæ, ad vltimum Romanæ ſedis Cathedram indeptus petalum Pontificale meruit. Culmen ſcientiæ artium liberalium Ioannes perorando celebrauit, dehinc efficaciſſimus puerorum Didaſcalus primitus, poſt hac Pedagogus clarus refulſit & ad honorem prolectus eſt Archidiaconatus..... Roberto Regi carus fuit.* Obiit autem 21. Ian. an. 998. ſepultuſque eſt extra Eccleſiam S. Germani. Cui ſucceſsit Hugo Cabillonenſis. Paulo ante mortem viſionem retulit ſe habuiſſe, cuius meminit Robertus Monachus Antiſſiodor. in Chronico. *Hic cum infirmitate correptus ad extrema deueniſſet raptus in extaſi decoram ſatis viſionem vidit, quam protinus retulit dicens, modo inquit, apparuit mihi Dominus meus I. C. ſimulque cum eo Germanus Beatiſſimus, aliique quam plures ſplendidiſſimi viri, quorum præſentia permaximum contulit mihi & mei doloris leuamen & animi ſoſpitatem.*

Ioannes Carnotenſis cognomento *Surdus* profeſsione Medicus, Henrici I. Francorum Regis Archiatrus fuit; eiuſque mentio fit apud Ordericum Vitalem ad an. 1059. & in fragmento Hiſtoriæ Henrici, vbi de repentina eius morte his verbis agitur. *prætaxatus Rex Henricus poſtquam Regnum Francorum fere per 30. annos rexit, causâ corporeæ ſalutis à Ioanne Medicorum peritiſſimo potionem accepit. Sed veneno nimiam ſitim inferente iuſſum Archiatri ſpreuit, & à cubiculario potum accipiens dum Medicus abeſſet, ante purgationem bibit.* Is Ioannes creditur fuiſſe Nominalis Philoſophiæ Inſtitutor, Nominaliumque Princeps, de quibus in Hiſtoria fuſè diximus.

Ionas Aurelianenſis Rabani in rebus Theologicis cum Lupo Ferrarienſi auditor, Clementis quoque in humanioribus diſcipulus, Vir in Diuinis Scripturis non minus quàm in humanis verſatus & apprimè doctus, Theodulfo in Epiſcopatu Aurelianenſi ſucceſsit, ſeditque ab an. circiter 822. ad an. 842. Hic cum Ludouicus Pius Aureliam ingrederetur, Odam illi obtulit verſibus Saphicis conſcriptam. Interfuit Collationi Magiſtrorum virorumque Doctorum, quam Lutetiæ haberi voluit Ludouicus de cultu Imaginum. Contra Claudium Taurinenenſem Epiſcopum Hæreſiarcham librum de Adoranda Cruce edidit, inquit Florentius Vvigornienſis: *Dogmatizauit enim idem Hæreticus Crucis Dominicæ ſignum non oportere adorari, quod niſi adhibeatur frontibus noſtris, ſiuè aquis quibus regeneramur, aut Criſmati quo liuimur, aut Sacrificio quo vegetamur, nihil rite perficitur. Sed ei memoratus Epiſcopus Ionas ſatis lucidè catholicéque illo ſuo reſpondit libello.* Ante-

quam verò opus illud ſuum emitteret in vulgus, quod Caluo, dedicauit, tradidit Lupo Ferrarienſi amico ſuo & olim condiſcipulo examinandum, vt intelligimus ex hac Lupi ad ipſum reſcribentis Epiſtola quæ eſt ordine 27. Reuerendiſsimo Præſull Ionæ Lupus æternam in Domino Salutem. *Librum veſtrum ſicut rogaſtis, excurrimus, ſed vt parciſſimè dicamus, in eo mutare nihil voluimus, vt operis veſtri ſitis ipſi correctores cuius eſtis authores. Siquidem expendenda nobis fuit teneritudinis & tenuitatis noſtra ratio, & ætatis ac ordinis veſtri habenda conſideratio, nec facilitatem ac delectationem quandam reprehendendi, quam in quibuſdam notare ſolemus, debuimus imitari.* Videtur tamen inter eos aliqua interceſſiſſe ſimultas ob factum aliquod Lupi, quod ipſe excuſat Ep. 21. Obiit autem Ionas an. 842. eique ſucceſſit Agius Preſbyter Palatii Caroli Calui.

Ioſeppus Alcuini Diſcipulus; cuius ad eum extat Epiſtola conſolatoria de infirmitate corporis quam patiebatur. *Doleo*, inquit, *de dolore corporis tui, ſed gaudeo de felicitate animæ tuæ. Quia flagellat Deus omnem filium quem recipit. Occidit & viuificat, vulnerat & medetur. Spes præmij ſolatium tibi ſit laboris. Hi dolores citò finiuntur, præmia patientiæ nunquam. Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad ſuperuenturam gloriam quæ reuelabitur in ſanctis. Quapropter cum gratiarum actione immola Deo ſacrificium laudis.*

Iuo Carnotenſis natione Picardus, patria Beluacenſis, Hugonis de Actoylo & Hilemburgis filius, heres auitæ nobilitatis & virtutis, adoleſcens humanioribus litteris & philoſophicis Lutetiæ animum excellenter excoluit, vt eius teſtantur opera: grandior factus Lanfrancum tunc adhuc Beccenſem Abbatem audiuit in Theologia: inde reuerſus à Guidone Bellouacenſi Auguſtæ Veromanduorum in Eccleſia S. Quintini Decano, Cæſaro-Magi Bellouacorum tum Epiſcopo præfectus eſt Canonicis Regularibus S. Quintini an. 1078. quibus annos plus minus 14. præfuit, tumque Canones Pontificios collegit; quos deinde in compendium contraxit Hugo Catalaunẽſis Pannomiamque ſeu Panormiam vocauit. in eodem Cœnobio Theologiam pro more docuit: hinc Magiſter & Doctor appellatus, omniumque ore celebratus. Vnde à Baronio vocatur *Lucerna Occidentalis Orbis, decus, ornamentum ac fulgor Eccleſiæ Gallicanæ.* Nec latuit Vrbanum II. viri fama, eumque curauit à Clero populoque Carnotenſi Epiſcopum eligi in locum Gaufridi, quem propter crimina ſua eiecerat; de qua promotione ſic ipſe Ep. ad Vrban. 289. *Elegeram abiectus eſſe in domo Dei, vt pote cui non generis nobilitas, non ſcientiæ dignitas, non eloquentia animos dabat, & paucorum fratrum pia ſocietas caritate plena plus omnibus diuitiis mihi applaudebat: cum ſic mihi latenti nec tale quid ſuſpicanti Eccleſia Carnotenſis Pontificatus poſſeſſiones & pondus obtruſit: nec ſane eius voluntati aliqua ratione victus cederem, niſi id vos velle atque præcepiſſe, cui non obedire nefas eſt, proteſtaretur.* Non potuit tamen à Richerio Archiepiſcopo Senonenſi conſecrari, quamobrem ad Vrbanum profectus Capuæ circa finem an. 1092. conſecratus eſt: quod initium fuit malorum ipſius. Richerius enim exiſtimabat ſibi factam iniuriam, ad quem pertinere dicebat Gaufridi cauſam cognoſcere antequam deiiceretur: factam quoque Regi, quia eo ſpreto Vrbanus illum promouerat. Hinc Richerius ab Vrbano iure pallii ſpoliatus, Gaufridus expulſus, Iuo confirmatus. Acceſsit & altera cauſa malorum. Noluit Iuo ſuffragari Nuptiis Regis cum Bertrada Fulconis Andegauenſis adhuc viuentis vxore, earumque celebritati Pariſiis adeſſe detrectauit. Hinc indignatio in eum Philippi. Anno 1103. Paſchalis Papa in Galliam venit, eumque Carnuti Iuo Paſchalia ſacra celebrantem habuit. Philippo mortuo Ludouici Craſsi inaugurationi apud Aureliam interfuit an. 1109. & demum obiit an. 1115. 22. Decemb. vel vt aliqui ſcribunt, ipſis Kalendis Ianuarii anni 1116. Extat apud Philippum Abbatem Bonæ ſpei Iuoni ſupparem Epitaphium eiuſmodi.

Reddidit affectus Patrem, Doctrina Magiſtrum,
Regula Canonicum, Pontificemque Gradus.
Famoſum probitas, humilem Natura, verendum
Vita ſeuera, ſenem longa, pudica ſacrum.
Præſule defuncto ſua tollere mos erat olim
Principis: hunc morem Principis emit Iuo.

Huius opem læſus, plebs dogmata, frana malus Rex
Senſit, egenus opes, pro grege vota Deus.

Extat & aliud in Chronologia Seuertii ex Iauelli Manuſcripto,

Mente, manu, linguâ, doctrinâ, corporis vſu,
Prudens, munificus, præſtabilis, vtilis, inſons,
Firma Columna domus Domini, quam iure ſalubri
Fouit, muniuit, inſtruxit, iugiter auxit
Conſilio, ſcriptis, quo viueret ordine, rebus
Cuius opem gratis æger, rem ſenſit egenus
Iſtius vrbis apex memorandus Epiſcopus Iuo
Hac ſitus expectat aduentum Iudiciorum.

Eius elogia in Martyrologio Eccleſiæ Carnotenſis legere eſt; in quo hæc habentur verba ad tanti viri commendationem. *Idibus Decembris anno Incarnationis* Domini 1015. obiit Pater Iuo huius ſacratiſſimæ ſedis Antiſtes, vir magnæ religionis, eccleſiaſticorum & ſecularium negotiorum prudentiſſimus, mitis affectu, patientia inſignis, caſtitate pollens, & tam in Diuinis quam in Philoſophia eruditiſſimus. Qui ſex pallia bona & 7. cappas & infulas 3. & tapetia 3. decori huius Eccleſiæ contulit; librum Miſſarum & Epiſtolarum & Textum Euangeliorum, & vnum Lectionarium Matutinalem dedit & omnes argento parauit. Pulpitum miri decoris conſtruxit, *Scholas fecit*, domum Epiſcopalem, quam vilem & ligneam inuenit (quam in obitu epiſcop. vel diſceſſu quibuſdã prauis conſuetudinibus per violentiam Carnotenſium Comitum inductis ancillatam inuenerat) ſpecioſam & lapideam à fundamento refecit, & cum omnibus ad ipſam pertinentibus ſiue mobilibus ſiue immobilibus ex ancilla liberam reddidit, libertatemque ipſam adſtipulatione priuilegiorum & romanæ ſedis & Regis & Comitis quæ in Archiuis huius Eccleſiæ habentur, confirmauit.

De eodem ſic breuiter Robertus Antiſſiodor. in Chronico. *Florebat & Iuo Carnotenſis Epiſcopus, qui vita atque doctrina ſua eiuſdem ſedis Eccleſiam illuſtrauit, quique inter cætera opera ſua Volumen illud quod Decreta Iuonis dicunt*, ſua induſtria vtiliter compilauit.

L

L*ambertus* Patriâ Lingonicus, illuſtri ex gente oriundus, Gerberti Aquitanici cum Fulberto Carnotẽſi & Roberto Rege diſcipulus, magnæ vir eruditionis & ſapiẽtiæ, ex Præpoſito Lingonicæ vrbis factus circa an. 1016. Epiſc. cui mole carnis grauato & pendulos habenti pedes in quodam colloquio ſeu conuentu Robertus Rex humilitatis miro exemplo ſuppedaneum ſuppoſuit, teſte Helgaldo: qui inſuper addit. *Erat autem hic Epiſcopus Lingonenſis, Lambertus nomine dictus, ſcientiâ, religione & bonitate pollens.* Obiit ann. 1030. 10. Kalend. Septemb.

Lambertus Patriâ Giſnenſis vir magnæ eruditionis & litterarum peritiâ clarus Manegaudi Lutenbachii diſcipulus, ex Archidiac. Teruanenſi factus ab Vrbano 2. primus Attrebatenſis epiſcop. Iratus enim ille Cameracenſi epiſcopo & Comitibus quod contra ſe ab Henrico IV. Imperatore ſtetiſſent, Atrebatenſem eccleſiam à Cameracenſi ſecluſit, eique Lambertum præfecit: vt explicat Ferreolus Lortius in Chronico Belgico ad an. 1094. *Anno*, inquit, *1094. Cameracenſibus de Epiſcopo poſt Gerardi 2.* obitum aſſumendo variè diſceptantibus Vrbanus 2. Pontif. Max. eiſdem infenſus quod Henrico IV. Imperatori Eccleſiæ rom. proſcripto hoſti fauerent, Attrebatibus peculiarem annuit Epiſcopum. Molanus in Natalibus SS. 5. Febr. Sigebertus Iperius tabulæ Attrebatenſ. &c. quibus ſtatim addit: Anno 1095. Lambertus Patriâ Giſnenſis, Lilæ in D. Petri Cantor & Teruanenſis Archidiaconus vir ſpectatæ eruditionis & virtutis primus Attebatenſis Eccleſiæ ab illo cum Cameracenſi diuortio Epiſcopus, inuitus licet aſſumitur, romamque à ſummo Pontifice aduocatus ſolenni admodum pompa conſecratur, fitque totius prouinciæ Remenſis Legatus.

Landuinus in inſtituenda Cartuſienſi familia Brunonis ſocius, Clericus Remenſis & Profeſſor Pariſienſis, vt creditur, qui poſt Brunonem Cartuſiæ Prior fuit,

Digitized by Google

vt narrat Guigo Cartuſianæ familiæ quintus in ordine Priorum. De eo ſic legitur in Codice S.Remigii Remenſis *Landuinus natione Tuſcus ex vrbe Luca litteris & ipſe diuinis & humanis eruditus annis decem*

Qui cum ad M. Brunonem pergeret, incidit in manus Guidberti Schiſmatici, quod multum horrebat. Aduerſus cuius minas & promiſſiones, dolos & violentias Diuinâ iuuante gratiâ modis omnibus perſeuerauit inflexus. Quem in ſuo defunctum errore lachrymabiliter planxit, adeo vt à circunſtantibus argueretur quod eum fleret, à cuius peruerſitate Eccleſiam ſuam Chriſti bonitas liberaſſet. Poſt eius obitus ſeptimum diem etiam ipſe defunctus eſt poſituſque in Monaſterio S. Andreæ ad pedem montis Sitaptis, cui vicinum eſt Caſtrum, vbi captus in cuſtodia tenebatur.

Lanfrancus natione Longobardus ex ciuitate Papienſi patre Humbaldo, matre Coza veniens in Galliam, Doctorum virorum animos excitauit exemplo ſuo & fama ſui nominis ad ſtrenuè ſtudendum: quippe non minus in Theologia & diuinis litteris quàm in Philoſophia & Dialectica atque eloquentia ſuo tempore omnium doctiſſimus & ſubtiliſſimus habitus eſt. florebat Lutetiæ ante an. 1040. vbi aliquandiu moratus, cum Berengario decertauit tunc inter ſubtiliſſimos habito: deinde relictis Pariſienſibus Scholis in Normaniam ſe contulit, Monachum induit, Becci Abbas fuit, poſtremo Cantuarienſis Archiepiſcopus De eo hæc Flaccus Illyricus lib. 12. Catalogi Teſt. cap. 15. *Papia oriundus*, inquit Theologiam docuit *ex Schola Pariſienſi* ad Beccenſe Monaſterium profectus eruditionis fama multos ad ſe allexit, inter quos fuit Anſelmus: ex Cadomenſi Abbate tandem Archiepiſcopus Cantuatiæ factus eſt. Obiit an. 1090.

De eodem Lanfranco ſic ſcribit Henricus de Knygthon Canonicus Leiceſtrenſis lib. 2. de Euentibus Angliæ. *Secularis ille Magiſter Lanfrancus* in mundo famoſus receſſit à patria, vt infra patet, vt eſſet incognitus. Cum ſemel ſuper Secanam fluuium iret ſpatiatum, à ſociis ſuis aliquantum iuit remotiùs, vt Trinitatem perſonarum & veritatem eſſentiæ ad plenum intelligere meditaretur, vidit quendam puerum cum cocliari haurientem aquam de Secana, & fundere in quendam puteolum: quæuiſit Lanfrancus quid ageret, puer reſpondit quod totam foſſam immitteret in foſſunculam. Dixit Magiſter, hoc nunquam puerile valebis conſumere. Reſpondit puer, ſic nec tu illud quod verſatur in corde tuo cogitando. Et ſtatim ad hæc puer euanuit. Lanfrancus verò nolens amplius perſcrutari Maieſtatem ne opprimeretur, ſtatim Beccenſe Monaſterium intrauit in Normania ſub Abbate Herleyvino. Et ſimulans ſe quaſi pauca aut nulla ſcire, pro fatuo quaſi & ſimplici habebatur. Hæc de Lanfranco Henricus, quæ alii veriùs de Magno Alano Inſulenſi commemorant: vt dicemus infra. Pergit verò idem narrare, quo pacto Berengarius errores ſuos ſeminarit.

Eodem tempore Quidam famoſus & improuidus, Berengarius nomine, qui antea tenebat opiniones contra Eccleſiaſticam doctrinam, & per Lanfrancum ſæpius retunſus, eo tempore de Lanfranco nec audiens nec videns credidit eum de medio ſublatum. Et ſic ſecurus per Galliam ſuam hæreſim ſeminauit, ſcilicet quod verum Corpus Chriſti non fuit ſuper altari, & fere Nicolaum Papam corrupit: veruntamen, conſilio quorundam celebrauit Concilium vniuerſale, vt omnes Prælati, omnes etiam Abbates cum viris litteratis conuenirẽt, vt in aliquo poſſent Berẽgario reſiſtere, & eius error vniuerſaliter reprobaretur.

Habuerat fortaſſis in Patria ſi non Lutetiæ Alexandrum 2. Pontificem Max. inter Diſcipulos: vnde cum Romam profectus eſt, vt litem apud eum finiret quæ ſibi cum Thoma Eboracenſi Archiepiſcopo intercedebat, Alexander vt Magiſtro aſſurrexit, eumque oſculo ſuſcepit his verbis. *Aſſurgo tibi tanquam magiſtro, & deoſculor tanquam pædagogum & non tanquam Archipræſulem.* At Lanfrancus. *Et ego te patrem humiliatum, ſicut Ananias Paulum, Sixtus Laurentium merito veneror & honoro.* Ita legitur in vitis 23. Abbatum S. Albani. Malmeſburienſis verò ſic rem narrat, *Erat ille tunc temporis in Doctrina & mundi ſapientia famoſiſſimus, & quem venerabiliter ſuſceperit Alexander Apoſtolicus. Honoris maximum fuit indicium; cum Romam venienti ſequeſtrato illo Romani ſupercilii faſtu dignanter aſſurgeret, profeſſus hanc venerationem non ſe illius Archiepiſcopatui, ſed Magiſterio litterarum deferre.*

Idem Author fusè de eo loquitur lib. 1. de Geſtis Anglorum Pontif. *Is gente*, inquit, *Longobardus non adeo abiectâ & obſcurâ progenie oriundus erat, ſed literaturâ*

perinſignis liberales Artes quæ iam dudum ſorduerant, à Latio in Gallias vocans acumine ſuo expoliuit: teneriorem ætatem in ſecularibus deterens, in ſcripturis Diuinis animo & æuo maturuit. Quibus edoctus mundi fumos & ampullata Gentilium eloquia parui pendens, Monachatus deſiderium imbibit: multiſque diu locis circunſpectis ex omni Abbatiarum copia Beccum apud Normaniam potiſſimum elegit, paupertate loci & Monachorum religione captus (ſi quidem eò forte adueniens Harlevvinum nomine ad coquendos panes ſuccinctum & manus fimo oblitum conſpicatus eſſet) factus ergo ibi Monachus homo qui neſciret agreſti opere victum quærere, *Publicas Scholas* de Dialectica profeſſus eſt, vt egeſtatem Monaſterii *Scholarium liberalitate* temperaret. Exiuit fama eius remotiſſimas Latinitatis plagas, *eratque Beccum magnum & famoſum litterarum Gymnaſium.* Gloria laudis conflauit apud improbos viros inuidiam, Capellanis qui infra eius ſcientiam ſe viderent, animum Comitis Vvillelmi in ipſum turbantibus, quod vnum eorum palam de inſcitia litterarum irriſiſſet. Quapropter Lanfrancus edictum accipiens vt Normaniam ſuâ importunitate vacuaret, Curiam venit, moxq; indulgentiam Comitis meruit, quod cum ille ſtatim viuacitate ſenſus intellexiſſet, quantæ prudentiæ Lanfrancus eſſet, ex dignitate frontiſpicii & facetia reſponſi interiora coniectans, nec multo poſt apud Cadomum Abbatem fecit. quin & Archiepiſcopum, nim. an. 1070.

Præcipua eius aduerſus Berengarium colluctatio fuit de ſacramento altaris, cuius in hanc rem opera extant in Bibliotheca Patrum: cætera eius opera & pietatis officia complectitur Mathæus Pariſienſis ad an. 1089. *Eodem anno* obiit Lanfrancus Cantuarienſis Archiepiſcopus, qui inter cætera quæ fecit pietatis opera, maiorem Eccleſiam Chriſti Cantuarienſis renouauit, officinas Monachorum fabricauit, dignitates Eccleſiæ quæ anteceſſorum ſuorum incuria interciderant, reſtaurauit, terras multas quæ ablatæ fuerant, reuocauit: 25. maneria eidem Monaſterio reſtituit, Xenodochia vel Xenotrophia duo extra ciuitatem conſtruxit, quibus de ſuo ſufficientes annuatim reditus aſſignauit, Eccleſiam Roffenſem reſtaurauit, & in ea Monachum Becci Hernoſtum Epiſcopũ ordinauit, &c. Angliã Rege abſente cuſtodiuit, lectioni aſſiduè vacauit, libros veteris ac noui Teſtamenti ſcriptorum vitio corruptos corrigere ſtuduit, cuius emendationis luce tam Anglorum Eccleſia quam Gallorum ſe gaudet illuſtrari. Lanfranco ſucceſſit in Archiepiſc. Anſelmus Abbas Beccenſis & conſecratus eſt an. 1093. Anſelmo ſucceſſit Radulphus Roffenſis Epiſcopus apud Sagium in Normania olim Monachus, Cænomanenſis vero patria, de quo ſic Malmeſburienſis l. 1. de geſtis Pontif. Angl. *Si ſcientias* litterarum rimeris, totas exhauſit Athenas: ſi eloquentiam exigas, melleo quodam lapſu ex eius ore fluit oratio: cui accedit Genialis ſoli ideſt Cœnomanici accuratus & quaſi depexus ſermo, &c. Extat Lanfranci Epitaphium apud Philippum Abbatem Bonæ ſpei.

Vixiſti Venerande Pater ſapienter & æquè.
Vixiſti niueus, mors quoque vita tibi eſt.
Inter diuitias pauper Lanfrance fuiſti,
Diuitiis manans pauperum amator eras.
Per te florentes artes valuere Latinæ
Gratia de nobis ecce triumphat ouans.
Tu Latios ortu Galloſque docendo leuaſti,
Te ſibi primatem Cando Britannus habet.
In terra degens cæleſtia mente petebas,
Exemptus terra ſidera liber adis.
Sol geminos denis obſederat orbe diebus
Prompſit Luna dies, nocte ſolutus abis.

Lotharius I. Italiæ Rex poſtea Imperator Ludouici Pij filius bonis artibus primum imbutus virorum quoque doctorum Mecenas & defenſor fuit: ſed Patri ingratum ſe præbuit, quem captum in carcerem miſit, Imperialibuſque indumentis expoliauit & nigra veſte induit. Qua de re fusè duximus in Hiſtoria.

Lotharius Caroli Calui filius in Palatinis quoque ſcholis informatus, à Patre S. Germani Antiſſiodotenſis Abbas conſtitutus cœnobium illud priuilegiis adornari & amplificari curauit: vt legitur in actis conucotus Piſtenſis ad an. 864. vbi inter cætera ſic habetur. *Adierant nos legati Monachorum S. Germani Antiſſiodorenſis Monaſtery, quibus praeeſt memorati Regis filius venerabilis Abbas Hlotharius.* Eius iuſſu Erricus eiuſdem Abbatiæ Monachus S. Germani vitam verſibus conſcripſit: quod opus poſtea Caluo dedicauit. Epiſtolam autem dedicatoriam in qua de Muſis Pariſienſibus clarè loqoitur, in Hiſtoria retulimus.

Leotherius Seoonenſis Archiepiſcop. Gerberti Diſcipulus Seuino ſeu Siguino ſucceſſit atque à Silueſtro Magiſtro ſuo tunc Papa conſecratus eſt & totius Galliæ primum accepit an. 1000. Qua de re ſic legitur in fragmēto Chronici F. Hugonis Floriacenſis. *An. D.* 1000. *indict 13. Kal. Nouemb. tranſit ad Chriſtum venerabilis* Seguinus Mettopolitanus Epiſcopus. Poſt tranſitum vero eius ſtetit Eccleſia Senonica ſine benedictione ſacerdotali vno anno. Acclamat aurem omnis populus ſibi ordinari Dominum Leothericum nobiliſſimis ortum natalibus, tunc Archiaconum omni bonitate coöſpicuum: ſed teſiſtebant quam plurimi Clerici cupientes Epiſcopalem conſcendere gradum, præcipuè vero Fromundus Comes filius Rainaldi vetuli oatus ex Epiſcopo. Dei autem nutu congregati ſuffraganei Epiſcopi Senonicæ Eccleſiæ cum voluntate & authoritate Apoſtolica, ſublato omni timore humano ſolemniter ordinauerunt Domnum Leothericum in ſede Pontificali vt præeſſet Eccleſiæ Senonenſi. Idem an. 1015. Vrbem Senonenſem Roberto Regi tradidit, cui adhuc præerat an. 1029. vt legitur in Textu de traoſlatione Reliquiarum S. Euſpicij. Ad hunc præſulem extant complures Fulberti Epiſtolæ, præſertim vero 23 gratias illi agit, quod ab ipſo vnctus fuiſſet in Epiſcopum Catnotenſem. *Multum amoris* atque fidelitatis tibi, patet, me debere cenſeo per cuius manum à Deo benedictionem & ſacram vnctiooem accepi. Ep. 30. ſe apud eum excuſat, quod Odolricum Aurelianenſem Epiſcopum à Clero & populo ſuæ ciuitatis electum ſacrauiſſet Preſbyrerum.

Ludouicus Pius Caroli M. filius Academicis noſtris iure accenſeri debet; nam non modò ipſe in Schola Palatina & Regiâ litteris informatus eſt, ſed & Imperator creatus tam Diuinis quàm humaois litteris vehemeoter animum applicuit. Teſtis Eginhardus Carolum magnopere curaſſe, vt filii ſui in artibus præſertim liberalibus apprimè erudirentur. Teſtis quoque Teganus, eum *dum viueret, feliciter & vtiliter inſtruxiſſe eos liberalibus Diſciplinis & mundanis legibus*, in Aquitania verò quod Regnum illi obtigerat, dici non poteſt, quàm multa præſtiterit ad honorem Dei & Eccleſiæ, quamque piè & religioſè circa diuinum cultum & Eccleſiæ exaltationem ſe geſſerit, ita ut à pleriſque vocaretur *Sacerdos.* Antequam enim illius Regionis curam ſuſciperet, Clerus magis equitationi & bellicæ rei, quàm Diuino cultui operam dabat, vt legitur in libro de vita & actibus Ludouici in 2. tom. hiſt. Gall. *At Regis ſtudio vndecunque adductis Magiſtris tam legendi, quàm cantandi ſtudium, nec non Diuinarum & mundanarum intelligentia litterarum citius quàm credi poterat coaluit.* Ibidem enumerantur varia Monaſteria quæ aut condidit, aut coodita ioſtaurauit. Neminem fere promouebat ad dignitates & Beneficia Eccleſiaſtica, quem non ſciret eſſe doctrinâ conſpicuum: itaque multos etiam pauperes è ſordibus & fæcibus extraxit, quos videbat nēpe ingenio & ſcientiarum ornamentis excellere: quod quamquam non placet Thegano propterea quod aliqui ita promoti in Principem ſuum coniurauerant, magni tamen animi fuit Mecenatem eſſe plurimorum e puluere & cœno volentium emergere, exemplo patris Caroli qui pluris fecit mediocris fortunæ Scholaſticos qui ſub Clemente litteris operam dederant, quàm nobiles adoleſcentes, qui tempus in nugis contriuerant. Clementiam illius vel ex hoc vno agnoſcimus, quod exauctoratus, & ab iis quos euexerat, malè & iniurioſè tractatus pepercerit omnibus. Eius porro omnes virtutes breui tabella depingit Ionas Aurelianenſis in præfatione lib. 1. de cultu Imag. ad Carolum Caluum. *Dilecto Carolo inclyto Regi Ionas minimus famulorum Chriſti famulus geminam optat ſalutem. Quantus Dominus noſter Genitor veſter Deo dilectiſſimus Ludouicus Cæſar religioſiſſimus in fidei ſinceritate, totius bonitatis virtute, proborum morum claritudine, ſapientia ac ſanctitatis dote, Diuinique amoris ac timoris feruore extite-*

rit, & in Eccleſiaſticis Domino adminiculante ad honorem & cultum Diuinum pertinentibus augmentandis & gubernandis emicuerit, quantumque Imperium paternum, quia ſic Deus voluit, iure æquiſsimo ſortitus, rectiſsimo Iuſtitiæ libramine tenuerit rexeritque & contra hoſtium impetus militariter munierit, & Eccleſiam Chriſti pretioſo ſanguine redemptam ſuoque regimini diuinitus commiſſam, morem patris ſui videlicet pij & omonymi viri Caroli nobiliſsimi Auguſti imitans, imò ſupergrediens diſciplinis liberalium artium educauerit, & vtriuſque Teſtamenti ſancti paginis atque eximiorum Patrum dictis ad propellenda Hæreticorum dogmata venenata & inſtruxerit, & inſtrui fecerit, cunctis Catholicæ & Apoſtolicæ fidei filijs perſpicuum eſſe non ambigitur: quoniam reuera id quod dicitur, in promptu eſſe cernitur. Mirabilis eſt autem eius obitus, quem legere eſt in dicto lib. de vita & actibus illius pag. 318. in 2. tom. Hiſtor. Gall. obijt autem an. 840. 12. Kal. Iulias ætatis 64. præfuit Aquitaniæ per annos 37. aut circiter. Metis iacet in Baſilica S. Arnulfi vbi & mater eius ſepulta eſt, habetque hoc Epitaphium.

Imperij culmen, Francorum nobile culmen,
Erutus à ſæclo conditur hoc tumulo,
Aildegard ſoboles Karoli Magni pia proles
In pacis metas colligit huc pietas.
Rumelicum villam, quidquid ve refertur ad illam,
Arnulfo ſancto contulit, huicque loco.
Stirps à quo procerum Regumque vel Imperatorum
Quorum muneribus ſiſtitur iſte locus.

Luitbertus vir doctiſſimus Archiepiſcopus Moguntinenſis, Ioannis Scoti diſcipulus ad an. 863. Carolo Pipini 1. Aquitaniæ Regis filio viro vndequaque docto, ſcientia Diuinæ & humanæ legis optimè pollenti vt legitur in veteri, M.S. ſucceſſit in præſulatu. Multis ſynodis interfuit. Obiit an. 889. de eo hi verſus leguntur in Annalib. Fuldens.

Largus erat multum patiens humiliſque benignus
Omnibus exemplum in bonitate manens.
Hiſter qua fluitat, currit Hrenuſque bicornis,
Litteralis doctis doctior ipſe fuit.

Lupus Ferrarienſis ex honeſtis parentibus natus eſt in Senonenſi agro ab incunabulis deditus litteris, in Grãmaticis audiuiſſe dicitur Clementem Lutetiæ, quò videtur fuiſſe miſſus ab Aldrico primum Ferrarienſi Abbate, deinde Archiepiſcopo Senonenſi, idque videtur innuere Ep. 1. ad Eginhardum: quanquam nomen Magiſtri ſui ſupprimit. Mihi ſatis apparet, *inquit*, propter ſeipſam appetenda
" ſapientia. Cui indagandæ à S. Metropolitano Epiſcopo Aldrico delegatus Docto-
" rem Grammaticæ ſortitus ſum, præceptaque ab eo artis accepi: quoniam à Gram-
" matica ad Rhetoricam & deinceps ordine ad cæteras liberales diſciplinas tranſire
" hoc tempore fabula tantum eſt. Cum deinde authorum voluminibus ſpatiari ali-
" quantulũ cœpiſſem & dictatus noſtra ætate confecti diſplicerent, propterea quod
" ab illa Tulliana cæterorumque grauitate, quam inſignes quoque Chriſtianæ Reli-
" gionis viri æmulati ſunt, aberrarent, venit in manus meas opus veſtrum quo me-
" morati Imperatoris clariſſima geſta clariſſimè litteris allegaſtis. Lutetiæ quoque docuiſſe videtur, vt patebit infra ex Ep. 119. ad Aeneam Pariſienſem.

In Germaniam ab eodem Aldrico miſſus eſt ad Rabani auditorium Fuldenſe, vt Theologiam ab eo acciperet, vnde ſcripſit ad Eginhardum tunc quoque in Germania degentẽ: cuius inuiſendi magno deſiderio teneri ſe ſignificabat propter eminentem eius doctrinam. *Quod poſſe contingere*, inquit, *hoc magis in ſpem adducor, quo ex Gallia hac in Trans-Rhenanam concedens regionem vobis vicinior factus ſum. Nam à præfato Epiſcopo ad Venerabilem Rabanum directus ſum, vbi ab eo ingreſſum caperem Diuinarum ſcripturarum. Ergo cum ad vos iturum tunc eius Nuncium comperiſſem, primo quaſdam verborum obſcuritates à vobis vbi elucidarentur, mittendas propoſui. Deinde præſtare viſum eſt vt etiam hanc Epiſtolam dirigere debuiſſem, quæ ſi à vobis*

vobis dignanter accepta fuerit, exoptabili me affectum munere gratulabor. Tum ergo, cum hanc epiſtolam ſcribebar, Lupus Theologiæ operam dabar Fuldæ apud Rabanum Abbatem, ac proinde ante an. 842. quo dicitur à Monachis depoſitus poſt 20. regiminis annos. Inde teuetſus reperit Aldricum nutritorem ſuum obiiſſe, quæ res illi grauem moleſtiam faceſſit, vt ſcribit ad Immonem Præſulem Nouiomagenſem amicum ſuum, cui rationem reddit librorum quos in Germania legerat, aut ſcripſetat. *Cæterum*, inquit, *propitio Domino Deo Noſtro* ſoſpes regreſſus ſum, præterque Domini ac Nutritoris mei Aldrici, quantum ad me attinet, plenum infortunii obitum & quorundam aliorum amicorum, non eſt quod mihi extrinſecus accidiſſe admodum triſte crediderim. Cur autem vobis ſignificari petieritis, quos libros in Germania vel ſcripſerim vel legerim, demiratus ſum, nec ſatis cauſam comptehendere potui, niſi forte mei experimentum argento capere voluiſtis propoſitis duabus rebus; quarum altera ſi ceſsiſſet, videri poterat oſten tationis, altera imprudentiæ puerilis. Itaque ſimpliciter vobis aperio principem operam me illic deſtinaſſe lectioni, & ob obliuionis remedium & etuditionis augmentum libros pauculos parauiſſe, nec Germanicæ linguæ captum amore, vt ineptiſsimè Quidam iactauerunt, ſarcinam ſubiiſſe tanti tamque diuturni laboris. Cum autẽ Aldricus an. citcitet 840. b. 10. Octob. obierit, facile eſt intelligere quandonam ſub Rabano Lupus litteris operam daret.

Reuerſus igitur inde cum doctrinâ & moribus præſtaret, à Iuditha Imperatrice in Aulam accetcitus eſt, & poſtmodum Abbatiæ Ferrarienſi à Carolo Caluo præfectus circa an. 842. quo Wenilo Abbas ad Archiepiſcoparum Senonenſem promotus eſt. Ea autem de re ſtatim Magiſtrum ſuum Rabanum cettiotem fecit, gratiaſque egit ob acceptam ab illo litterarum Theologicarum peritiam. Epiſtola eſt ordine 40. *Reuerendiſſimo Patri eximioque Præceptori Rabano Lupus plurimam Salutem. Non potui hactenus vobis gratias agere, tamen quantum affectum habuerim*, occultorum Cognitor ſemper inſpexit: deinceps autem ſi Deus vitam veſtram produxerit, optatamque pacem reformauerit, non erit impoſſibile quod animo geram, factis oſtendere. Namque conſenſu fratrum noſtrotum 10. Kal. Decemb. Cœnobium Ferratienſe mihi commiſſum eſt, Dominuſque noſter Carolus mirâ me dignatione fouens gratiâ ſuâ donauit. Veſtra igitur beneuolentia me vnaque congtegationem mihi crediram ſacris orationibus quæſo commendare dignetur, vt ſicut ſtudia mea plurimum eruditione adiuuiſtis, ſic officii difficultatem aſſiduis precibus tempetetis. Cæterum audiui ſarcinam adminiſtrationis veſtræ vos depoſuiſſe & rebus Diuinis ſolummodo nunc eſſe intentos: Hatoni veſtro, & noſtro curam ſudoris plenam reliquiſſe. Abiecit autem Abbatiam Rabanus an. 842. vt communiter fertur: nam 20. annos præfuit Fuldæ, præeſſe autem incepit an. 822. Quinimo aliqui eius regimen ad annum vſq; 846. extendunt: factus autem eſt an. 847. Archiepiſcopus Moguntiæ. Extant plures eiuſdem Lupi ad multos viros Doctos Epiſtolæ, ad Eginardum & Rabanum, quos præceptores ſuos appellat, ad Hincmarum Remenſem, Immonem Nouiomagenſem, Æneam Pariſienſem, Ionam Autelianenſem, Hilduinum & alios.

Porro ex eiuſdem Epiſtolis ad Ludouicum Abbatem S. Dionyſii & ad Carolum patet eum valde pertæſum fuiſſe regimen Abbatiale, propterea quod multa grauamina paſſus fuerat, damna & ablationes bonorum, ac proinde in animo illi fuiſſe litterarum profeſſionem repetere intelligimus ex Ep. 119. ad Æneam Pariſienſem Epiſcopum, (is autem factus eſt an. 853. Epiſcopus)

Cariſſimo ſuo Æneæ Lupus æternam Salutem. Doctrinæ ſtudioſiſſimo Regi Noſtro quemadmodum vobis poſt alia intentionem meam aperire, quod Liberalium Diſciplinarum laborem recolendo & alios inſtituendo fauente totius boni Authore Deo vellem repetere, ſi otium ipſe habiturus præmij communionem ſua indulgentia conceſſiſſet. Quod votum meum, ſereno vultu ſermonibuſque blandis amplexus, vt ad effectum valerem perducere, ſe curaturum promiſit. Id vobis continuò ſignificandum credidi, ne oblatâ occaſione neſciretis ad tanta rei adniſum quibus eſſet inuitandus alloquiis. Quando verò obierit Lupus, nondum comperi. Certum eſt tamen vitam protelaſſe vltra an. 861. quia ad Folcricum Epiſcopum Tricaſſinum ſcribit Ep. 125. ille autem Prudentio non ſucceſſit ante an. prædictum, aut etiam ante an. 864. vt aliqui ſcribunt.

M

Maiolus nobiliſſimis parentibus in Prouincia natus Valentiolæ, primò Matinenſis Archidiaconns, deinde Monachus & Abbas Cluniacenſis, nomen dedit ſub Aymardo Abbate, & poſt annum ſextum ſuæ conuerſionis illi ſubſtituitur an. 954. ideo autem à nobis hic commemorarur, non quod forte in Academia Pariſienſi ſtuduerit aut docuerit, ſed quia ab omnibus viris doctis ſumma in veneratione fuit, multoſque ad Religionem humilitatis & pietatis exemplis conuertit. Erat autem ſpiritualibus litteris nobiliter imbutus teſte poſt Vincentium Antunino, inceſſu grauis, voce ſublimis, ore facundus, vultu Angelicus, in omni actu vel motu corporis honeſtus: fide firmus, ſpe certus, genuina charitate refertus, ſapientia clarus, fortitudine robuſtus, manſuetis affabilis, ſuperbis terribilis, parcus eum debuit, diffuſus cum decuit. Ita autem placere ſtuduit hominibus, vt Deo non diſpliceret. Magna apud Reges authoritate valuit, ſumma apud omnes Monaſtici ordinis viros poteſtate. Gerbertus eum vocat Ep. 95. *Lucidiſſimam ſtellam*, & ad eum extant quædam eius Epiſtolæ, quibus eum rogat vt qua authoritate & poteſtate valet, ea vtatur ad deturbandum & excommunicandum quendam Abbatem Floriacenſem, qui ſe fauore Principum ad eum honorem prouchi curarat. Epiſt. quidem 70. ſic habet. *Floriacenſis Cœnobii propter reuerentiam Patris Benedicti ſummum locum penes Monachos., vt aiunt, peruaſor occupauit. Si vos tacetis, quis loquetur? Hoc incorrecto quis improbus ſimilia non ſperabit? Nos quidem hoc Zelo diuini amoris dicimus, & vt noſtro examine ſi probus eſt, recipiatur, ſi improbus, omnium Abbatum ac Monaſtici Ordinis ſocietate ad pœnam ſuæ damnationis priuetur.* Ep. verò 95. ex perſona Remenſium ad Fratres Floriacenſes, citat partem Epiſtolæ Maioli ad Adalberonem Remenſem Archiepiſcopum. *Perſona quidem vobis iam olim infami conuerſatione erat famoſa, ſed huiuſmodi arbitratu præter ſpem habita.* Et poſt pauca. *Quantum ergo noſtra intereſt, vicinos & contribules adhortari ſtuduimus, ſi hoc nefas eliminare nequeunt, ſanctorum conſortio priuandum infamabunt, nec erit Chriſti fidelis, cui hæc ambitioſa audacia non fiet deteſtabilis. Facta laudare non poſſumus, quid futurum ſit neſcimus &c.* Plurimorum in Gallia Cœnobiorum reformator fuit, Maioris-Monaſterii, S. Benigni Diuionenſis, S. Mauri Foſſatenſis rogatu & precibus adductus Burchardi Comitis Miledunenſis, vt habetur in eius vita per Odonem Monachum Foſſatenſem ſcripta. Obiit apud Siluiniacum Monaſterium an. 994. 5. id. Maii.

Mancio regnantibus Carolo Caluo & Ludouico Balbo M. Mannonis in Palatinis ſcholis diſcipulus fuit cum Stephano Epiſcopo Tungrenſi & Ratbodo Vltraiectenſi: vt ex veteri manuſcripto Codice refert Surius in vita S. Ratbodi ad 29. Nouemb. *Erant autem ei*, inquit, nempe Ratbodo, *condiſcipuli Stephanus & Mancio ætate quidem ſuperiores, ſed non tamen ſtudio. Itaque inter illos extitit pia quadam æmulatio, conabaturque alter alterum excellere, non honoris ambitu, ſed humilitate & charitate, legendi & diſcendi diligentia: quorum virtus eo progreſſa eſt, vt non multò poſt vterque Epiſcopus creatus ſit. Stephanus quidem Tungrenſis Eccleſiæ, Mancio verò Cabilonenſis.* Succeſſit Adrado circa an. 920. hic tamen obiter monendum nō reperiri vulgo Mancionē inter Epiſc. Cabiloneoſes; nec à Petro de S. Iuliano inter eos connumerari: repoſitum verò à Sāmarthanis prædictâ Surii authoritate fultis. At in Catalogo Epiſcoporum Catalaunenſium legitur Mancio ſucceſſiſſe Rodoardo; narratque Flodoardus l. 4. c. 3. Hiſtor. Remenſ. Formoſum Papam ſuccenſuiſſe Fulconi Remenſi, quod Mancionem ordinaſſet Epiſcopum Catalaunenſem licet nonnullis criminibus irretitum, deiecto Berthario quodam Preſbytero, quem Clerus & plebs Catalaunenſis conſenſu Regis Odonis ad Epiſcopatum dicebatur elegiſſe. Verum Mancio Epiſcopatum retinuit: nam ex eodem Flodoardo an. 900. conſecrationi Heriuæi, qui Fulconi ſucceſſerat, interfuit cum Riculfo Sueſſionenſi, Dodilone Cameracenſi, Otgario Ambianenſi, Rodulfo Laudunenſi & Otfrido Siluanectenſi. Obiit autem iſte ante an. 909. ſucceſſoremque habuit Letoldum, qui prædicto an. 909. interfuit Synodo Troſleianæ Pagi Sueſſionici. Vter ergo Mancio fuit Mannonis diſcipulus? Catalaunenſi tempora magis fauent. Crediderim igitur Surium erraſſe in appellatione Gallica Vrbis *de Challons* quam forte legit in Manuſcripto Gallico, & Cabillonem pro Catalauno vertiſſe, cum vox Gallica vtriq; Ciuitati conueniat.

Digitized by Google

Manigaudus ſeu Manegaldus natione Teutonicus in humana & diuina Philoſophia excelluit: coætaneus Lanfranco, Guidoni Longobardo & Brunoni Remenſi. Sic enim vetus & Anonymus author in fragmento hiſtotiæ Francorum à Robetto ad mortem Philippi *Hoc tempore tam in Diuina quàm in Humana Philoſophia floruerunt Lanfrancus Cantuariorum Epiſcopus, Guido Longobardus, Manigaudus Teutonicus, Bruno Remenſis qui poſtea vitam duxit Eremiticam.* Diu Lutetiæ Philoſophiam & Theologiam docuit, ſed tandem circa an. 1090. ſeculum deſerens, Canonicorum Regularium Collegio apud Marbach. præpoſitus eſt: de quo ſic Munſterus l. 3. ſuæ Germaniæ: *diſtantia medii milliarii à Marbacho ſitum eſt Lutembacenſe Collegium, quod aliquando fuit Benedictinenſe Monaſterium fundatum à quodam Comite Lentyburgenſi, qui & Monaſterium Etgoienſe fundauit circa an. Chriſti 998. deinde an. 1090. fundatum eſt Monaſterium Marbacenſe à D. Burchardo de Gebiswiler & M. Manegoldo de Lutenbach.* Ad eundem ſcribit Iuo Carnotenſis epiſt. 40. ſub hoc titulo, Manegaldo Magiſtro. *Quoniam* poſt multos circuitus leuem Chriſti ſarcinam ſubiſſe & contempto mundi flore in domo Dei abiectè viuere elegiſti, ſciens quia melius eſt modicum iuſto ſuper diuitias peccatorum multas, Diuinæ bonitati quæ humilibus dat gratiam, grates exſoluimus: & vt de commiſſo tibi talento tanquam fidelis numularius Creditori tuo multiplicem referas vſuram, eandem diuinam bonitatem intenſius obſecramus. Sic enim Ordo rationis poſcebat, vt qui *verbo ad viam vitæ plurimos informaueras*, aliquos aliquando conformares & confirmares exemplo. Eiuſdem quoque viri, meminit Bertholdus Iuoni coæuus in Chronico ad an. 1095. vbi dicit M. Manigaudum de Lutembach in Alſatia mirabiliter reaccendiſſe religionem Catholicam iamdudum in illis partibus extinctam: & ad an. 1098. ait ab Imperatore Henrico coniectum fuiſſe in carcerem, quia Vrbano Papæ contra ſe fauebat. Sic enim ille. *Manegoldus venerabilis Præpoſitus Canonicorum apud Marbach degentium ab Henrico Rege diu in captione detentus eſt, quod Vrbano faueret nec ſchiſmaticis obediret.* Denique ad an. 1100. ait fuiſſe occiſum à quodam Monacho ſuo. Inter alios diſcipulos habuit Lutetiæ Gerardum Lauſdunenſem: vt in voce *Gerardus* docuimus.

Manno, aliis *Nanno* Gymnaſii Palatini quondam Præfectus & Rector, Philoſophiæ Profeſſor celeberrimus floruit ſub Carolo Caluo & Ludouico Balbo eius filio: habuitque inter alios Diſcipulos Ratbodum, Mancionem & Stephanum: qui tres ob eminentem doctrinam fuerunt Epiſcopatibus donati. De eo diximus in Hiſtoria.

Marbodus patria Andegauenſis in primâ ætate Andegaui litteris ſufficienter imbutus, deinde ad maiora ſtudia Lutetiam profectus, vbi & profeſſus eſt Rhethoricam. In patriam reuerſus Andegaui Canonicus factus, deinde Scholaſticus Scholas exercuit. Tum Archidiaconus, ex Archidiacono Redonenſis Epiſcopus factus an. 1096. poſtremo dimiſſo epiſcopatu Monachalem habitum induit apud S. Albinum Andegauenſem, vbi interiit 11. Septemb. an. 1123. quantus verò vir ille fuerit, intelligimus ex Cartulario S. Albani. *Vniuerſis S. Eccleſiæ filiis* humilis Congregatio B. Albini Andegauenſis Epiſcopi. Apoſtolica nos informat authoritas, vt pro inuicem omnes alter alterius onera portemus, & ſic adimpleamus legem Chriſti. denunciamus vobis obitum D. Marbodi Venerabilis Epiſcopi ſemper cum laude memorandi, *linguâ facundi*, religione præcipui, morum honeſtate pręclari, *litterarum eruditione doctiſſimi*: cujus ſermo ſemper ſale conditus erat, & ex ore illius melle dulcior fluebat oratio. Et quamuis eodem tempore variis ſtudiis tota Gallia reſonaret, ipſe tamen *Oratorum Rex Gallicanæ eloquentiæ arcem obtinebat.* Tertia ſiquidem die id. 7. infirmatus carne, ſed ſpiritu fortior excedens à ſeculo, viuens in Chriſto ſuâ nos viduauit præſentiâ. & amoris iaculo vulneratos intolerabili dolore confecit. Qui poſt *longa liberalium ſtudiorum longè lateque vernantium exercitia* vir nominatiſſimus extitit, Magiſter efficaciſſimus claruit, electus à Reuerendo Papa Vrbano in Turonenſi Concilio ſanctiſſimo ſedis Apoſtolicæ Eccleſiæ annuente Deo ordinatus eſt Pontifex. Quam dignitatem.... licet inter barbaros & naturali quadam feritate armatos per annos 27. fideliter prudenterque gubernans ſuperborum colla Iuſtitiæ cenſurâ perdomuit, arguendo, obſecrando: tandem longæuo confectus ſenio plenus dierum in ſancta confeſſione, vt præmiſſum, in Domino re-

quieuit ingreſſurus viam vniuerſæ carnis mortemque ſentiens onere Pontificali depoſito Benedicti habitum humilitatemque ſuſcepit, Monachum profeſſus B. Albino ſe tradidit. Eiuſdem meminit Sigebertus Scriptor coæuus atque cum ſcripſiſſe metricè paſſionem B. Laurentij, & paſſionem Thebæorum. Eius Ep. extat ad R. Andegauum Epiſcopum in Tomo 3. Biblioth. Patrum. Eiuſdem meminit Hildebertus Cenoman. Ep. 80. & 200. Item Gaufridus Vindocin, l. 3. Ep. 2. Vlgerius Canonicus Andegauenſis & Scholaſticus, poſtea Epiſcopus ſic eius Epitaphium cecinit, vt eſt in vetuſtiſſimo Exemplari apud S. Albinum.

Si quis quantus erat Marbodus, noſcere quærat,
Poſtulat hoc quod Ego, Dicere poſſem Ego.
In toto mundo non inueniatur eundo
Vllus compar ei nominis atque rei.
Omnes facundos ſibi vidimus eſſe ſecundos
Nullus in ingenio par, nullus in eloquio
Ceſſit ei Cicero, ceſſit Maro iunctus Homero
Vt dicam breuiter, vicit eos pariter.
Per cunctas metas per quas ſua ſe tulit ætas,
Nulla ſibi placuit res niſi quæ decuit.
Curans vt fieret virtutem quod redoleret
Tranſtulit huc Studium, *tranſtulit ingenium.*
Illi ſic noto dedit huius ſed ſine voto
Chriſti Iudicium Pontificis ſolium.
Hic præſul factus nolens licet atque coactus
Effecit meliùs quæ bona cuncta prius.
Æquâ menſurâ menſurus ſingula Iura,
Lenis erat placidis & rigidus tumidis.
Iugiter orabat, ieiunabat, vigilabat
Quodque ſibi minuit pauperibus tribuit.
Hic tam laudari dignus quàm dignus amari
Sorte cadens hominum tranſiit ad Dominum.
Omnes perſonæ quæ ſunt in Religione
Ingemuere nimis planctibus & lachrymis.
Nobilitas fleuit, nec plebs à flendo quieuit:
Tum gemit & plorat cum bona commemorat.
In cunctis annis nona mors erat iſta Britannis
Quæ viuens tenuit, quos aluit, docuit.
Præcipuè Rhedoni proprii quæ morte patroni
Et velut ægra iacens factaque muta tacens.

De eodem Riuallo Archidiaconus Rhedonenſis.

Reddidit ingenium ſapientem, lingua diſertum,
Mens memorem, vigilem ſolicitudo Gregis.
Ætas longa ſenem, iucundum gratia moris,
Ordo Pontificem Religioque ſacrum.
Sobrietas parcum ſibi, Munificentia largum
Pauperibus, rectum regula iuſtitia.
Hic baſis Eccleſiæ pondus portabat, & idem
Manſuetudine bos, & feritate Leo.

Marbodo adſcribit Giraldus Cambrenſis Colores Rhetoricos & tam verborum quàm ſententiarum exornationes verſibus egregiis: Epigrammata ſententioſa lib. 1. In Cantica Cantic. l. 1. de Lapidibus & Gemmis l. 1. Tribuunt etiam illi lib. de vita S. Magnoboldi Epiſcopi Andeg. Gallicè. Obiit an. 1123. vt legitur in Chron. Andegau.

Marianus Scotus Chronographus hiſce temporibus claret ſcil. circa an. 1058. teſte Sigeberto, qui *e Scotia in Gallias veniens Colonia factus Monachus primò apud*

Fuldam, poſtea apud Moguntias recluſus eſt. Ita Sigebertus.

Maurilius patria Moguntinus, vt quibuſdam placet, aliis Remenſis, Leodii in Scholis inſtitutus, Halberſticenſis Scholaſticus, deinde ex Monacho Fiſcanenſi factus Archiepiſcop. Rothomagenſis: quo ſedente Guillelmus Normanorum Dux Angliã ſubegit. Viros Doctos familiares & conſiliarios habuit, & inter alios Fulbertum cognomento Sophiſtam, vt legitur apud Ordericum Vitalem ad an. 1056 vbi hæc habet. *Eodem anno Maurilius Epiſcopus & Fulbertus Sophiſta Conſiliarius eius & Hugo* Lexouienſis *Epiſcopus & Ansfridus Pratellenſis Abbas atque* Lanfrancus *Beccenſium præpoſitus & alii plures profundæ ſagacitatis viri Vticum conuenerunt.* Obiit 5. id. Aug. an. 1066. ſepultuſque eſt in Eccleſiæ Naui ante Crucifixum. Richardus Canonicus Herluini Abbatis filius hoc ei Epitaphium inſcripſit: vt legitur apud eundem Ordericum l. 4.

Humani Ciues lachrymam nolite negare
Veſtro Pontifici Maurilio Monacho.
Hunc Remis genuit, ſtudiorum Legia *nutrix*
Potauit trifido fonte Philoſophico.
Vobis hanc ædem cœptam perduxit ad vnguem
Lætitiâ magnâ fecit & Encenia
Cum tibi Laurenti *vigilat plebs ſobria Chriſti,*
Tranſit, & in Cælis laurea feſta colit.

Michael natione Italus Lanfranci & Anſelmi exempla imitatus in Franciam venit ad hauriendas è meliori fonte diſciplinas; quarum exercitatione & eruditione nobilitatus ad Abrincenſem Epiſcopatum promoueri meruit. De eo ſic Ordericus l. 3. *In loco eius*, Ioannis Epiſcopi Abrincenſis ad metropolim Rothomagenſem traſlati, *Michael Natione Italiens, eruditione litterarum imbutus, ſtudio religionis venerandus ad culmen Abrincatenſis Epiſcopatus electione legitimâ eſt promotus. Qui plusquam 20. annis laudabilis paſtor floruit, & Roberti Ducis tempore beatus ſenex obiit.* nempe cira an. 1100.

Milo Monachus S. Amandi Elnonenſis in Diœceſi Tornacenſi Ord. Ben. natione Gallus, vir teſte Trithemio vndecunque doctiſſimus, Orator, Poëta & Muſicus inſignis, nec minus honeſtate morum quàm ſcientia ſcripturarum venerandus. Hucbaldi Calui auunculus & Magiſter fuit, de quo nos ſupra. Scripſit tam Carmine quàm ſoluta oratione non pauca volumina. De quibus iſta præcipuè feruntur, ad Carolum Caluum Imp. De ſobrietate l. 1. Vitam S. Amandi verſibus l. 1. Epiſt. ad diuerſos l. 1.

Modoinus Epiſc. Auguſtodunenſis, vir metro excellens & proſa, Theodulfi Aurelian. amiciſſimus etiã in captiuitate, cui cecinit luctus ſuos in Epigrãmate quod legitur inter opera Theodulphi & nos in vita Theodulfi infra referemus. Epiſcopatũ Æduenſem regebat an. 835. cum ab Ebone Rhemẽſi cauſæ ſuæ Iudex acceptus eſt. Sic enim ille apud Flodoard. l. 2. c. 20. *Ego Ebo indignus Epiſc. recognoſcẽs fragilitatẽ meam & pondera peccatorum meorum, teſtes & confeſſores meos Arnulphum videlicet Archiepiſcopum & Baradum Epiſcopum, nec non & Modoinum Epiſcopum conſtitui mihi* Iu*dices delictorum meorum.* Ab iiſdem præceptoribus cum Ebone, Theodulpho & Ludouico Pio inſtitutus fuerat: hinc amor Ludouici in ipſum, Theodulfi cum eo neceſſitudo, vt patet ex his verſibus, qui leguntur lib. 4. c. 6.

Hoc Modoïne tibi Theodulfus dirigit exul
Summo Pontificum cernuus ore melos.
Ito Thalia celer, celeri tranſcurre volatu,
Nec mora, nec tibi ſit vlla in eundo quies,
Donec perueniat Modoini ad tecta Beati
Præſulis eximii Pontificiſque pii.
Obſecro frater amans noſtri memor eſſe memento,
Frater pars animi, portio magna mei.
Mens tua ſit ſemper noſtros miſerata labores,
Noſtra eſt nota tibi quod bene cauſa rei.

Ad hunc legitur Flori Lugdunenſis Epiſtola, de qua Sirmondus in Notis ad Theodulfum: extantque duæ aliæ eiuſdem Flori in codice Petauiano: vna prolixior pro Eccleſia Lugdonenſi inſcripta *Egregio Modoino viro*, altera breuior, in qua quia *Dunum* vetere Gallorum linguâ *Montem* ſignificabat, Modoïnum Auguſtimontis Epiſcopum appellat.

Salue ſancte Parens, Chriſti venerande Sacerdos
Auguſti montis paſtor in arce potens.
Quem ſacer illuſtrat meritis ſplendentibus ordo
Doctrina & ſtudium tollit ad Aſtra pia.

Videtur protraxiſſe vitam vſque ad an. 842. nam Altheus qui illi ſucceſſit, ſedem tenebat an. 843. vt patet ex quadam Charta Caroli Calui data Attiniaco in palatio an. 4. Regni ipſius 3. non. Iulii: quę ſic habet, *Vir venerabilis Altheus Auguſtodunenſis vrbis Pontifex obtulit obtutibus noſtris quandam authoritatem Domini & Genitoris noſtri Ludouici Sereniſſimi Auguſti, in quâ continebatur* Iudicium, *quod Modoinus quondam memoratæ ſedis Epiſcopus eidem Domino & Genitori noſtro quaſdam Authoritates Regum Francorum relegendas obtuliſſes.*

N

NAthanaël Diaconus, Alcuini Diſcipulus inter Palatinos Magiſtros ab eodem accenſetur poëm. 221.

Ecce Sacerdotes Chriſti ſua iura tenebunt.
Officiale decus ſeruant ſibi rite Miniſtri,
Nathaneique ſuo gaudent ſub Principe certo.

Nathaneos videtur vocare eiuſdem Nathanaelis Diaconi Clericos & Diſcipulos. Eidem & Oniæ & Candido dedicat commentaria ſua in Eccleſiaſten, ſicque in Ep. dedicatoria eos compellat, *Poſtquam de paterna pietatis nido in publicas ſecularium negociorum euolaſtis auras, mentis mea ſolicitudo veſtram omnibus pene horis occupationem comitata eſt, optans vos diuinâ donante gratiâ in charitate perfecta, ſanctarum titulis virtutum Deo placere, honeſtiſque viuere moribus coram hominibus, & quod didiciſtis ſub alis paternis eruditionis, nobilibus oſtendere moribus, &c.*

Clarè demonſtrant 4. libri de bello Ciuili quos Carolo Caluo dedicauit quàm peritus vir fuerit: in præfatione autem lib. 1. ſic habet. *Cum*, vt optime *mi Domine*
» noſti, iam pene annis duobus illatam à fratre veſtro perſecutionem vos veſtri-
» que haudquaquam meriti pateremini, antequam Cadhellonicam introiſſemus
» Ciuitatem, præcepiſtis vt res veſtris temporibus geſtas ſtyli officio memoriæ tra-
» derem. Opportuna quidem placidaque res, fateor fuerat præcepta, ſi otium tan-
» ti negotii vt dignè exſequeretur, fuiſſet conceſſum. Nunc autem ſi quid minus,
» vel incultius quàm oportuerit, pro rerum magnitudine huic operi inueneritis in-
» ſertum, tantò facilior venia à vobis veſtriſque mihi videtur debeti, quanto me noſtis eodem turbine quo & vos dum hoc opus peragerem, eſſe agitatum. Imperfectum autem opus reliquit & pertæſus belli calamitates Cœnobiticam quoque vitam amplexus eſt, fuitque Abbas S. Richarij Centulenſis in Pontiuo. In bello autem Normanico occiſus eſt.

Notgerus, ſeu Notkerus vel Notegarius Natione Teutonicus, Leodii diu bonas artes profeſſus eſt: deinde factus Leodienſis Epiſcopus an. 972. docere non deſtitit, vt in hiſtoria diximus: atque vt ſcholas Leodienſes celebriores redderet, ad eas Huboldum, qui Pariſiis in Monte San-Genoueſiano magna nominis celebritate docebat, reuocauit. Sedi ſuæ 36. annis præfuit, vrbem muro circumcinxit, Imperatoribus Othoni II. & III. addictiſſimus fuit: fuit quoque Gerberto Aquitano & Adalbetoni Remenſi Archiepiſcopo familiariſſimus. Extant plures Gerberti ad ipſum Epiſtolæ. In 34. ſic eum compellat. *Vigilaſne PP. famoſiſſima* quondam fidei pro caſtris Cæſaris an cæca premente fortuna & temporis ignorantia, Diuina & humana iura peſſundari ſiccine non cernis? Ecce palam

Digitized by Google

deſtituitur, cui ob paterna merita fidem deuouiſti, deuotam ſeruare debuiſti. Et Ep. 49. ſpectabile faciunt nomen veſtrum præſentia tempora, quibus paucorum laudatut probitas, multorum prædicatur improbitas. Et cum Gerbertus ad Archiepiſcopatum Remenſem expulſo Arnulfo ptouectus fuiſſet, iterumquede ipſo deiiciendo quæſtio verſaretur, ad eundem ſcripſit ſe pro poſſe elaborare, vt ex tota Francia vniuerſale cogatur Concilium, in quo cauſa diſceptetur. Epiſtolam verò ſic claudit. *Oro ergo & deprecor per eam, ſi qua eſt in vobis pietas, vt non plus meis hoſtibus quàm vobisde me credatis. Experimini an ſim, qui fuerim, ſcilicet vobis per omnia deuotus & obſequens, in commune fidus amicis, æqui & veri amantiſſimus, ſine dolo & ſuperbia, veſtra veſtrorumque vſus amicitia, qui non meo vitio perditam à veſtra virtute repoſco: eâ negatâ multum doliturus, itemque recepta multum gauiſurus.* Ex his colligitur irrepſiſſe in animum Notgeri exhoſtium Gerberti ſuggeſtione nõ nihil odii aut ſimultatis. Obiit autẽ Notgerus plenus dierum 4. id. April in Cœna Domini an. 1006. humatuſque eſt in æde D. Ioannis Euangeliſtæ in qua Eccleſia Canonicorum inſtituerat Collegium. Longè tamen aliter de eius morte ſcribit Trithemius, nimirum obiiſſe ſub Lothario, Ludouici filio, aitque eum Abbatem fuiſſe S. Galli. *Notgerus*, inquit, *Epiſcopus Leodienſis ex Abbate Monaſterii S. Galli, Ord. D. Patris Benedicti, natione Teutonicus, vir in Diuinis ſcripturis eruditiſſimus, & in ſecularium litterarum diſciplinis omnium ſui temporis doctiſſimus, Philoſophus, Poëta & Muſicus inſignis, & non minus ſanctitate quàm ſcientia venerabilis. Scripſit tam metro quàm proſa multa opuſcula: de quibus ad manus noſtras pauca peruenerunt. Legi enim tantum volumen quod Sequentiarium prænotauit, quod ſcripſerat, cum adhuc Monachus eſſet in Cænobio S. Galli ad Lutuardum Epiſcopum Vercellenſem & Archicapellanum Caroli Imperatoris Magni. Huius autem operis ſic incipit prologus ſiue præfatio. Summæ ſanctitatis merito. Sequentiarum autem operis ſic. Grates nunc omnes reddamus. De Muſica & Symphonia lib. 1. De Expoſitoribus S. ſcripturæ l. 1. Epiſtolarum ad diuerſos.* Addit idem Trithemius Nicolaum I. approbaſſe eius Sequẽtiarium, & ad Miſſas decantari præcepiſſe; propter ſcientiæ & vitæ claritatem primò Abbatem factum, deinde in ſenectute ſua Epiſcopum decimum conſecratum in ordine Leodienſis Eccleſiæ regimini præfuiſſe, ſub Lothario filio Ludouici an. 865. & ſub eo obiiſſe. Hæc Trithemius in lib. de ſcriptoribus Eccleſiaſticis: ſed errat bonus Abbas: confundit enim ſi Notgerum Abbatem San-Gaſſenſem qui obiit an. 981. cum Notgero Leodienſi, qui ex Gerberti Epiſtolis ſub annum milleſimum adhuc Epiſcopus fuiſſe manifeſtiſſimè conuincitur, obiit que tantùm an. 1006.

O

ODo Cluniacenſis ex nobili Francorum proſapia oriundus, Turonis primum tonſus eſt, ibique in Grammatica inſtitutus, deinde Lutetiam ad Remigium Antiſſiodorenſem, vt altioribus diſciplinis imbueretur, ſe contulit circa, an. 900. de eo ſic habet Ioannes Monachus Cluniacenſis eius Diſcipulus in ipſius vita. *Odo igitur vir Beatiſſimus ex Francorum proſapia extitit oriundus, ſed intra domum Willielmi robuſtiſſimi Ducis Aquitaniæ eſt alitus. Decimonono ætatis ſuæ anno apud B. Martinum Turonis eſt tonſus, ibique Grammatica laribus eſt inſtructus; deinde apud Pariſium Dialectica Muſicaque à Remigio Doctiſſimo viro eſt inſtitutus. 30. ætatis anno Burgundiam petiit, ibique per 15. annos ſub Bernone Abbate Monaſticam vitam duxit in Balmenſi Cænobio.* Et alio loco. *His diebus Pariſium adiit, ibique Dialecticam S. Auguſtini Deo dato filio ſuo miſſam perlegit, & Marcianum in liberalibus Artibus frequenter lectitauit.* legitur quoque fuiſſe Canonicus S. Martini Turonenſis, imò Præpoſitus: poſtremo Abbas fuit Cluniacenſis ab an. 926. vſque ad an. 941. aut 943. quo obiit. Hinc eius ætatem agnoſces ex Ioanne eius Diſcipulo, ſi enim, vt communiter ſcribitur an. 926. factus eſt Abbas, & per 15. annos ante eum Bernone verſatus eſt, ad eum verò venit iam Tricenarius, prope ſeptuagenarius obierit neceſſe eſt. Sicque an. 911. ad Bernonem ſe contulit iam 30. annos natus. Quod ſi regrediamur ad ante actam vitam, & ſi poſtquam tonſus eſt Turonis Lutetiam venit, cum tonſus ſit an. 19. ætatis neceſſe eſt, vt Remigius poſt mortem Fulconis quæ accidit an. 900. Pariſios redierit ad docendum, ibique tum inter

Digitized by Google

alios Diſcipulos Odonem habuerit. Trithemius ait eum fuiſſe inſignem Muſicum, Archicantorem Turonenſem, ſub Bernone Gigniacenſi Abbate Monachum induiſſe, & eum eſſet Homeliarum declamator præcipuus, multos ad Fratres compoſuiſſe ſermones. Hæc autem eius opera commemorat. Vitam S. Gerardi l. 1. Laudes S. Martini l. 1. Chronicam ſuccinctam l. 1. Hymnos & varios Cantus in honorem Sanctorum: rogantibus quoque fratribus libros B. Gregorii Papæ ſuper Iob vno Volumine comprehenſos abbreuiaſſe. Hoc tamen factum ab eo ſcribunt alii, eum adhuc Turonis habitaret. Vide quæ de eo diximus ante in Hiſtoria vbi de fundatione Cœnobij Cluniacenſis.

Odo Foſſatenſis Monachus ſcripſit vitam Burchardi Comitis Pariſienſis, ſuoque Cœnobio memoriam eius perpetuam eſſe voluit, antequam aliò proficiſceretur, vexatus vt videtur à Confratribus. Scribebat autem an. 1058. ſic enim habet. *Vſque hodie id. vſque ad præſentem annum qui eſt incarnati verbi 1058.* Fuit & ſub finem eiuſdem ſeculi *Odo* de Caſtellione Brunonis olim diſcipulus & Guidonis quoque Turonenſis, vt diximus in hiſtoria. Ex Cluniacenſi Monacho factus poſtea Oſtienſis Epiſcopus, deinde Cardinalis, vir doctiſſimus & doctorum virorum præſertim verò Poetarum amantiſſimus, hoc vno nomine Baldrico Abbati Burguliano notus; qui proinde optat illi Pontificatum maximum. Eum enim Pontificum decus vocat, conſilium Papæ, regulam Lutetiæ, Eccleſiæ robur & columnam non concutiendam, litteratum virum, vt didicerat à M. Guidone, per quem eius fama longè latéque ſparſa fuerat.

Mores iocundos Guido tibi dixit ineſſe
Et quod conueniat moribus alloquium.
Vtque mihi dixit, ditat te littera diues
Et vatum Muſas delicioſus amas.
Os oratorum modò viuis Tullius alter
Callidus in verbis viuis Ariſtoteles.
Tempora quæ modò ſunt, quæ ſunt ſine remige nauis
Rectorem ſtatui te voluere ſibi.
Qui te fecerunt Odo velut hoſtia Romæ
In modico Romæ te facient Dominum.
Hi iam cœperunt ordiri prouida fata
Hic intelligimus, iamque fauemus eis
Odoni factus hæres in Pontificatum
Mox in Papatum ſubſtituendus eris.
Hoc locus, hoc nomen, hoc ſignat copia linguæ
Hos vlti ſenſus præcinit integritas.

Vaticinatur illi Pontificatum, quem paulo poſt adeptus eſt, & Vrbani II. nomen aſſumpſit. De eo fusè ſatis in Hiſtoria.

Odolricus Abbas S. Martialis Lemouicenſis è Monaſterio Lutetiam fugit ad Magiſtros ſcholarum, tumque ibidem erat, cum Robertus in palatio Synodum Epiſcoporum & Magiſtrorum habuit, ad dirimendam de Apoſtolatu S. Martialis litem; cui ipſe præſens adfuit: vt ſcripſit ad an. 1030. Cur autem è Monaſterio fugerit, narrat Gaufredus Prior Voſienſis in Chronico c. 9. de Abbate Odolrico.

Odolricus iuuenis, inquit, *dum eſſet, leuitati operam dans, lectioni minus ſtudebat: vnde accidit vt Epiſtolam ad Maiorem Miſſam dum legeret, tam turpiter falleret, vt etiam conuentus erubeſceret. Qua propter Archichorus nimis cõmotus illico alapam in conſpectu populi ei dedit. Adoleſcens pudore coopertus, erat enim præcipua feſtiuitas eadem, citius aufugit. Qui Magiſtrorum ſcholas in tantum frequentauit, quoadvſque idoneus præcipuus factus in propriam rediret Eccleſiam, in qua tanta probitatis titulum acquiſiuit, vt decedente Hugone* (Abbate S. Mart. qui Concilio Pariſ. interfuit) *eſſenſu cunctorum Eccleſiæ filiorum in Abbatem proueheretur. Hic Cænobium per annos 15. nobiliter rexit.* Obiit an. 1030. teſte Gaufredo Priore Voſienſi.

Otho III. Imperator Othonis II. filius, licet non Academiæ noſtræ Alumnus, inter noſtros tamen commemorandus videtur, quod Gerberti noſtri diſcipulus fuerit & Roberti Regis apud eundem condiſcipulus. Hoc certè præſtanti viro

maximè

maximè illuſtre fuit, quod viros iſtos in ſuam diſciplinam datos ita extulerit, vt Otho ob eximias dotes dictus *ſit mirabilia mundi*; Robertus verò in Synodo Lemouicenſi *Doctiſſimus Regum* appellatus fuerit: quo nullum illuſtrius nomen conſequi poterat, inquit Maſſonius. Vterque Diſciplinarum liberalium amantiſſimus, litterarumque Mecenas ac parens fuit. Otho paternæ auitæque virtutis æmulus Chriſtiana pietate Rempub. iuuit & auxit, eruditos viros plurimũ amauit, ingenuis artibus condigna ſtipendia largiens. Robertus totum ſe pietati, litteris & litteratis addixit. Nec prætetire fas eſt, quã vterque ſe gratum erga præceptorem præſtiterit. Nã Robertus volente patre Hugone Archiepiſcop. Remenſem ei procurauit. Otho exulem excepit, Rauennatem Præſulem fecit, poſtremo Papã, vt ante docuimus. Apud Othonem certè plurimum potuit Gerbertus, & neſcio quo maiori animi affectu quàm Robertum coluit, vt viciſſim Otho Gerbertum: vnde plurimi æmuli eum è Palatio Cæſariano deturbare conati ſunt. Vnum eiuſmodi grauiter inſectatur Ep. 30. Additiriarum à Sirmundo, ſic ſcribens ad Othonem Cæſarem. *Scio me Diuinitatem in multis offendiſſe & offendere: ſed vos vel veſtros in quo offendiſſe redarguor neſcio, & vt mea ſeruitus ſic repente diſplicuerit. Vtinam à veſtra munificentia cum gloria tanta collata aut non licuiſſet ſuſcipere, aut ſuſcepta cum tanta confuſione perdere.* Quid hoc eſſe putem? Quod vtique, dediſtis, aut dare potuiſtis, aut non potuiſtis. Si non potuiſtis, cur poſſe ſimulaſtis? Si autem potuiſtis, quis ignotus & ſine nomine Imperator Imperatori noſtro notiſſimo & per orbem terrarum famoſiſſimo imperat? In quibus tenebris ille furcifer latitat? In lucem veniat & crucifigatur, vt noſtro Cæſari liberè imperare liceat. A multis creditum eſt me apud veſtram pietatem poſſe opitulari multis: nunc operæ pretium eſt habere patronos, quos olim defendendos ſuſcepi, maiorque fides hoſtibus meis habenda quàm amicis. Amici quippe ſalubria cuncta, proſpera cuncta docuerũt. Hoſtes nec præcepta, nec beneficia mihi profutura, dulcia principia amaros exitus habitura ſeu prophetico ſeu fanatico ſpiritu prædixerũt. Quæ quidẽ mihi plus quam velim triſtia, ſed Imperiali perſonæ minus conuenientia. Tribus vt ita dicam ſeculi ætatibus, vobis, patri, auo inter hoſtes & tela fidem puriſſimam exhibui, meam quantulamcunque perſonam Regibus furentibus, populis inſanientibus pro veſtra ſalute oppoſui. Per inuia & ſolitudines, per incurſus & occurſus prædonum, fame & ſiti, vi frigoris & æſtus excruciatus, infractus inter tot tempeſtates extiti: vt mortem potius præoptarem quàm filium Cæſaris tunc Captiuum imperantem non viderem. Vidi & gauiſus ſum. & vtinam liceat vſque in finem gaudere, & vobiſcum dies meos in pace finire.

Otfridus Monachus Wiſſemburgenſis Cœnobii, natione Teutonicus, vit teſte Trithemio, in Diuinis ſcripturis eruditiſſimus & in ſecularibus litteris egregiè doctus, Philoſophus, Rhetor & Poeta inſignis, ingenio excellens & diſertus eloquio. Rabani Mauri apud Fuldam fuit Diſcipulus, vbi tunc inſigne erat litterarum emporium. Scripſit multa opera exemplo Caroli, in quibus conatus eſt barbariem linguæ Teutonicæ ad regulas Grãmaticæ reducere. Quod & ex parte perfecit. Vnde inquit Trithem. *Et quæ patrio ſermone conſcripſit, non facilè noſtra ætate legi nec intelligi poſſunt, etiam ab homine quantumcunque Teutonicæ linguæ perito.* Enumerat autem hæc eius opera. Ad Lutbertum Moguntinenſis Eccleſiæ Archiepiſcopum, in Euangelium, opus grande & inſigne, quod prænotauit Gratiam Theotiſtæ, lib. 5. ad Ludouicum Regem l. 1. ad Salomonem Epiſcopum l. 1. ad Monachos S. Galli. In Pſalterium volumina 3. De Iudicio Extremo l. 1. De Gaudio Regni Cæleſtis l. 1. Carmina Diuerſi Generis l. 1. Epiſtol. ad Diuerſos l. 1.

Otulfus ſeu Oſulfus videturquoque vnus fuiſſe è Profeſſoribus Palatinis, ſic enim legitur in quodam Poëmate MS. Theodulphi 2. tom. ſcrip. hiſt. Fr. 647.

Stet leuita docens Fredigis ſociatus Otulfo
Gnarus vterque artis doctus-vterque bene
Nardus & Ercanbald ſi coniungantur Otulfo
Tres menſæ poterunt vnius eſſe Pedis,

Otulfus ille, ſeu Odulfus, vel Oſulfus ſubſcripſit cum Fridegiſo Abbate, Theo-

dulpho, Ieſſe &c. cuidam ordinationi ſeu conſtitutioni in teſtamento Caroli M. an. 814.

P

P*Aſchaſius Ratbertus*, quibus Magiſtris vſus fuerit, non memini me legere, credibile tamen eſt in ſchola Palatina pro more Nobilium virorum illius temporis fuiſſe inſtitutum, ingenii vir fuit perſpicaſſimi, magnæ eruditionis, Monachum induit apud Corbeiam in Diœceſi Ambian. ad Somonam ſub Adalardo quondam Comite Palatij, & poſtea Abbate Corbeienſi, vt in eius vita diximus. Vir in Diuinis ſcripturis valde eruditus, Græcè & Latinè doctus, ingenio acutus, ſermone compoſitus, teſte Trithemio. Scripſit metro & proſa non pauca opuſcula. Inter cætera De Sacramento Altaris l. 1. ad Placidum, quem videtur ſcripſiſſe inter an 815. quo exulare coactus eſt Adalardus Abbas, & an. 882. quo à Ludouico Pio in Aulam reuocatus eſt, & in omnes ſuas dignitates reſtitutus. Teſtatur enim in Ep. dedicatoria ad Placidum, tum Abbatem ſuum *exilium ferre pro fide*. Exilium autem paſſus eſt Adalardus ab an. 815. ad an. 822. Scripſit adhuc de eadem materia iam ſenex ad Frudegardum ſeu Fredewardum Equitem, expoſuitque hæc verba, *Cænantibus autem eis &c.* Scripſit quoque Vitam S. Adalardi Abbatis Corbeienſis. Paſſionem SS. Ruffini & Valerii Martyrum. In threnos ſeu lamentationem Hieremiæ lib. 5. In Pſalmum 44. l. 3. Commentariorum in Euangel. Mathæi l. 12. & alia plurima. Ex Monacho autem poſt Adalardum, Vvalam eius fratrem, Hedonem & Iſaacum electus eſt Abbas an. 844. Obiit an. 851. 26. April. die S. Richarii. Ad eum extant quædam Epiſtolæ Lupi Ferrarienſis.

Paulinus Grammatices quondam inſignis Profeſſor, deinde Aquileienſis Patriarcha factus an. circiter 776. à Carolo M. in Franciam adductus, illi mirificè gratioſus fuit, etiam ante Patriarchatum, vt patet ex quodam eius diplomate, quo eum nobili villâ Laberianâ donat an. 773. his verbis. *Igitur notum ſit omnium veſtrum magnitudini, qualiter cedimus & donamus à nobis viro valde venerabili Paulino artis Grammaticæ Magiſtro, hoc eſt res quondam & facultates Vvaldandii filii quondam Mimoni de Laberiano.* Interfuit Conciliis pluribus ſub Carolo M. Scripſit eius iuſſu aduerſus Felicem Vrgelitanum & Elipantum Toletanum l. 3. & Alcuino in ea hæreſi obterenda adiutor fuit. Obiit die 2. Ian. an. 802. ſanctitate & miraculis in vita & poſt mortem clarus. Sepultusque eſt in maiori vrbis Foroiulienſis Baſilica. Extant de Paulino nonnulla Alcuini Poëmata, in quibus eum ſic laudat.

O Lux Auſoniæ Patriæ decus, inclytus author,
Iuſtitiæ cultor, ſacræ pietatis amator,
Te mea mens ardet ſacris conſtricta catenis,
Diligit, exquirit, complectitur, attrahit, ambit,
Pectoris æternâ ſecumque recondit in arca,
Pars animæ melior, noſtræ pars inclyta vitæ,
Sis memor Albini ſacris altaribus adſtans,
Et dulces inter lachrymas ſuper ora fluentes
Dic, Miſerere Deus noſtro clementer Amico.

Ad eundem & carmina & Epiſtolas ſcripſit idem Alcuinus.

Paulus Vvernefridi patriâ Longobardus, Diaconus Aquileienſis, cum Deſiderio Longobardorum Rege cui erat à ſecretis, captus an. 774. & à Carolo M. in Franciam adductus, à quo magno in honore habitus ob ingenii excellentiam peritiamque litterarum; erat quippe in ſcripturis Diuinis eruditiſſimus, & in ſecularibus litteris nobiliter doctus. Sed cum coniurationis cuiuſdam reus factus fuiſſet, in vincula coniectus eſt: vnde tandem liberatus ad Caſſinenſe Cœnobium ſe conferens, ibi Monachus factus eſt. Scripſit autem multa opera quorum aliqua commemorat Pitſeus. Imprimis verò *H*iſtor. Vvinilorum, qui poſtea dicti ſunt Longobardi l. 6. Excerpta quædam de primis Metenſium Epiſcopis flagitante Angilramno Epiſcopo. Vitam S. Arnulphi Metenſis Ep. Vitam SS. Benedicti, Mauri & S. Scholaſticæ metricè, & alia multa.

Petrus Piſanus in Ticinenſibus ſcholis diu floruit, deinde à Catolo aduocatus, in Palatinis Pariſ. Grãmaticam docuit, eamque ab eo Carolus ipſe didicit, teſte Eginhardo. Et alib. In diſcenda *Grammatica Petrum Piſanum Diaconum ſenem audiuit, in cæteris Diſciplinis Albinum &c.* Itaque Petrus ille merito dici poteſt primus Scholæ Palatinæ & Regiæ Inſtitutor.

Petrus Damiani Epiſcopus Oſtienſis, etſi non ex Academicis noſtris, locum tamen inter eos habere dignus eſt, propterea quod ab Alexandro II miſſus in Gallias, multa ſtatuit quæ ad Diſciplinam Eccleſiaſticam & Religionis Sanctitatem pertinebant: quem quanti fecerit, ex hac eius Bulla patet ad Geruaſium Archiepiſcopum Remenſem, R. Senonenſem, B. Turonenſem, M. Biturienſem, T. Burdegalenſem. *Non ignorat*, inquit, *Sancta veſtra fraternitas, Dilectiſſimi,* quod ex authoritate Sedis Apoſtolicæ, cui nos indignos Diuina clementia præfecit, totius vniuerſalis Eccleſiæ regendus ac diſponendus nobis ſtatus incumbit. Quoniam igitur pluribus Eccleſiarum negotiis occupati ad vos ipſi venire non poſſumus, talem vobis virum deſtinare curauimus; quo nimirum poſt nos maior in Rom. Eccleſia auctoritas non habetur, Petrum videlicet Damianum Oſtienſem Epiſcopum, qui nimirum & noſter eſt oculus, & Apoſtolicæ ſedis immobile firmamentum. Huic itaque vicem noſtram pleno iure commiſimus: vt quidquid in illis partibus Deo auxiliante ſtatuerit, ita ratum teneatur & firmum, ac ſi ſpeciali noſtri examinis fuerit ſententiâ promulgatum. Quapropter venerabilem Sanctitatem veſtram fraternâ charitate monemus, & inſuper Apoſtolicâ vobis authoritate præcipimus, vt talem tantumque virum tanquam noſtram perſonam dignâ ſtudeatis deuotione ſuſcipere, eiuſque ſententiis atque Iudiciis propter B. Petri Apoſtolorum Principis reuerentiam humiliter obedire.

Petrus Pictauienſis Epiſcopus electus an. 1086. multas cum Cluniacenſibus Monachis lites & quaſi perpetuas habuit, eo quod optima quæque Sacerdotia ſibi vindicabant. Eo ſedente in Cathedra Pictauienſi Bernardus primus Tironenſis Abbas à Cluniacenſibus iiſdem in ius vocatus de S. Cypriani Pictauienſis Eccleſia, cui eiuſdem Petri nutu præſidebat, quam illi ſuæ ditioni ſubditam eſſe aſſerebant. Fuerunt illi Roberti de Arbriſſello amiciſſimi & condiſcipuli.

Plegmundus in inſtituenda Oxonienſi Academia operam ſedulam Regi Alu-redo præſtitit cum Grimbaldo & Ioanne Erigena, vt in hiſtoria retulimus. In Sacrarum ſcripturarum lectione & eruditione præſertim excellebat. Et vt ait Simeon Dunelmenſis, *Venerandus vir ſapientiæ fructibus renidebat, præditus bis biniscolumnis, iuſtitiæ videlicet, prudentiæ, temperantiæ fortitudinis.* Ab eodem Rege ad Archiepiſcopatum Cantuarienſem promotus eſt, quem rexit 34. annis, vt ſcribit Geruaſius.

Prudentius natione Hiſpanus, nomine Galindo ad Epiſcopatum Trecenſem promotus eſt an. circiter 840. interfuit Synodo Pariſienſi an. 847. Turonenſi IV. an. 849. Sueſſionenſi II. an. 853. Hincmaro Remenſi primum intimus fuit, & ab eo ſæpe conſultus in abſtruſis Sacræ ſcripturæ locis explicandis, tanquam perſpicax Diuinæ ſcripturæ interpres, inquiunt Sammarthani. Scripſit correctiones in librum *Ioannis Scoti* ad Guenilonem Archiepiſcopum Senonenſem, quas legere eſt apud Camuzatum: quo opere eruditè confutat libellum Origenianis & Pelagianis erroribus refertum, quem Ioannes concinnauerat. Extat eiuſdem Prudentii Sermo de vita & morte B. Virginis Mauræ in promptuario antiquitatum Trecenſium. Patet inſuper ex ſcriptis Flodoardi Hincmarum eius expetiiſſe conſilium & auxilium ad condemnationem & compreſſionem Gotheſcalci: ſic enim ille de Hincmaro l. 3. c. 21. *Queritur* (ſcribens ad Prudentiũ quare ſibi præſentiam ſuam ſubſtrahat, ſignificans ſe ab eo conſilium quærere velle de ſtatu & cõpreſſione Gotheſcalci, intimans quod de ipſo actum vel iudicatum fuerat in Synodo (an. 848.) quo eum recluſum tenebat iudicio; & quia multis modis eum conuerti tentauerit, & de moribus ac ſuperbia ipſius. Et ſi in Cœna Domini vel in Paſcha debeat illum admittere ad audiendum ſacrum Officium, vel accipiendam Communionem, & quid ſibi videatur de ſententia Ezechielis Prophetæ qua dicitur, *In quacunque die ceciderit Iuſtus, omnes Iuſtitiæ eius in obliuione tradentur*; & quacunque die peccator conuerſus fuerit, *omnes iniquitates eius tradentur obliuioni.* Sed & de conſuetudine Cœ-

na Domini celebranda. Item pro; Eccleſiis ſedis Remenſis, quas ille aliter tractabat, quàm Epiſcopali conueniret æquitati &c. At Prudentius multa confingi videns in Gotheſcalcum, quem ipſe initio impugnauerat, poſtea defendit, multaque collegit ad eius defenſionem Sacræ ſcripturæ loca & SS. Patrum dicta, ſeque Lugdunenſis Eccleſiæ Epiſcopo Remigio & Canonicis aliiſque trium prouinciarum Epiſcopis eum defendentibus adiunxit. Hac de re ſic habent Annales Francorum Bertiniani. *Galindo cognomento Prudentius Tricaſſinæ Ciuitatis Epiſcopus, natione Hiſpanus, apprime litteris eruditus, qui ante aliquot annos Gotheſcalco Prædeſtinatiano reſtiterat, poſt felle commotus contra quoſdam Epiſcopos ſecum Hæretico reſiſtentes, ipſius Hæreſis defenſor acerrimus. Indeque non modica inter ſe diuerſa & fidei aduerſa ſcriptitans moritur. Sicque licet diutino languore fatigaretur, vt viuendi, ita & ſcribendi finem fecit.* Obiit ſecundum eoſdem Annales an. 861: at in promptuario Sacrarum Antiquitatum Tricaſſinæ Diœceſis Collectore Nicolao Camuzato obiiſſe legitur circa an. 864. atque in numero Sanctorum habetur, eiuſque feſtum 6. April. cum 9. lectionibus celebratur. Ei ſucceſſit Folcricus ex alumno Eccleſiæ Remenſis, qui interfuit Concilio Sueſſionenſi III. an. 866. & Tricaſſino an. 867. Eius quoque opera vſus fuiſſe videtur Hincmarus contra Prædeſtinatianos: nam apud Flodoardum l. 3. c. 23. gratias ei agit pro Epiſtolis quibuſdam S. Auguſtini, ab eo ad ſe miſſis. Eiuſdem Fulcrici meminit Lupus Ferrarienſis Ep. 125. eique gratias agit ob ſubleuatam ab eo Cœnobii Ferrarienſis à Normanis expilati paupertatem.

R

R*Abanus* patria Moguntinus, cognomine Maurus, Gentilitia è ſtirpe Magnentius, vel potius à Patria Moguntinenſi ſeu Magentina ſic dictus, Nonennis dicitur nomen dediſſe familiæ Benedictinæ in Cœnobio Fuldenſi Buchoniæ Siluæ in Franconia. Vbi ad an. vſque 822 educatus eſt, quo factus eſt Abbas poſt mortem Egilis: & an. 847. Archiepiſcopus Moguntinus poſt mortem Otgarii. *Diſcipulus fuit Alcuini*: id certum: nam Flodoardus l. 3. c. 21. referens Epiſtolam Hincmari ad ipſum, ait Rabanum vltimum B. Alcuini Diſcipulorum ſupereſſe. *Quærens qualiter de Trinitatis fide ac prædeſtinatione diuerſorum Patrum ſint intelligendæ ſententiæ, in qua Epiſtola aſſerit hunc B. Rhabanum ſolum tunc temporis de Diſcipulatu B. Alcuini relictum.* At vbi Rabanus Alcuinum audiuerit, non adeo certum. Balæus diſertè aſſerit miſſum ad Pariſienſem ſcholam iam ab Anglis & Scotis conſtitutam. *Iuuenis*, inquit, *adhuc Benedictina ſecta Monachum induit, ac tam moribus quàm ſcientiis mirabiliter profecit, & omnium dicendi generum peritus* Pariſienſem Scholam *ab Anglis & Scotis inchoatam ſuâ doctrinâ celebriorem reddidit. Summus enim Theologus erat, Philoſophus, Aſtronomus, Rhetor ac Poeta ſubtiliſſimus, cui per ætatem, vt de illo ſcribitur, nec Italia ſimilem, nec Germania æqualem peperit.* Balæo ſuccenturiatur Mathias Flaccus Illyricus l. 9. *Fuldæ natus, vt ipſe teſtatur in Epicedio ſuo & in Ep. ad Leonem, Albini Auditor & Diſcipulus in omni Diſciplinarum genere excelluit.* in Pariſienſi Academia *aliquandiu profeſſorem egit & magno ornamento fuit Doctoribus Scholaſticis.* Idem dicit Hottingerus, ſeu potius eadem verba repetit ad 9. ſecul. ſect. 1. de Chriſtianiſmo. Idem quoque Arnoldus Wion l. 5. c. 71. & communiter alii ſcriptores.

Nonnulli aiunt eum litterarum & ſapientiæ amore ſuccenſum à Ratgario Abbate ſuo impetraſſe vt Alcuinum Romæ tum Miniſtrum & Cuſtodem Lateranenſis Eccleſiæ & publicum Bonarum Artium Doctorem audire poſſet: indeque ſexto poſt anno reuerſum, & deinceps Fuldæ docuiſſe. Alii non egreſſum Fuldâ contendunt, & ſicubi Alcuinum audiuit, audiuiſſe Fuldæ: quia ipſe in Epitaphio quod condidit viuens tamquam Archiepiſcopus Moguntinus, ait ſe in Vrbe Moguntina natum ſacriſq; ablutum aquis, in Fuldenſi verò Cœnobio ſacrum dogma Theologiæ didiciſſe. Non caret tamen res iſta difficultate, propterea quod alii aliter interpungunt. Leguntur in lib. Rabani de Cruce, quidam verſus, quibus teſtatur Alcuinus Rabanum ad ſe miſſum, taleſque ſunt.

Nempe Ego cum fueram cuſtos humiliſque Miniſter
Iſtius Eccleſiæ Dogmata ſacra legens.

Digitized by Google

Hunc puerum docui Diuini famine verbi,
Ethica monitis, & Sophiæ ſtudiis.
Ipſe quidem Francus genere eſt atque incola ſiluæ
Buchoniæ, huc miſſus diſcere verba Dei.
Abbas namque ſuus Fuldenſis Rector Ouilis
Illum huc direxit ad tua tecta Pater,
Quò mecum legeret metri Scholaſticus Artem
Scripturam & ſacram rite pararet ouans.

Verum hoc Epigramma, vt hoc obiter moneam, non poteſt tribui Alcuino: nam in ſequentibus verſibus ait Rabanum iam Tricenarium, ad Chriſti laudem compoſuiſſe librum de Cruce (quem Gregorio IV. ſeu potius Sergio ſucceſſori, quia Gregorius an. 843. morte præuentus fuerat, dedicaſſe ferunt.)

Aſt vbi ſex luſtra impleuit iam ſcribere tentans
Ad Chriſti laudem hunc edidit arte librum.

Quomodo autem iſta conuenire poſſunt cum Alcuini ætate, quem communis Scriptorum opinio fert obiiſſe an. 804? Nam ſi ante obitum Alcuini iam tricenarius erat Rabanus, ſaltem octogenarius obierit neceſſe eſt, quod nullibi legitur.

Certè cum conſtet ex Ep. Hincmari ad ipſummet Rabanum, Alcuini diſcipulum fuiſſe, non verò alibi quàm in Palatio Pariſienſi aut Turonis Scholas habuiſſe ſolennes Alcuinum reperiamus, aut Turonis aut Pariſiis eum audiuerit neceſſe eſt. Et fortaſſis mortuo Alcuino Rabanus etiam aliquandiu Lutetiæ Profeſſorem egit antequam Fuldam repeteret. Reuerſus verò & Monachus & Abbas docere non deſtitit, teſte Trithemio in Chron. Hirſaug. *Tenebat*, inquit, *ipſe Rabanus adhuc Monachus ſcholam Monachorum Publicam in Cænobio Fuldenſi, quam etiam Abbas continuauit: in qua monachos non ſolum in ſacris Scripturis, ſed etiam in ſecularibus litteris erudiuit. Nec ſolum Fuld. Cænobii Monachos ſed ex diuerſis locis aliis ad ſe tranſmiſſos multos in omni genere Doctrinæ Diſcipulos inſtituit.* Factumque eſt, vt idem refert ex Meginfredo, vt non ſolum Abbates Monachos ſuos, ſed & Nobiles Terræ, filios ſuos Rhabani docendos Magiſterio ſubdiderint.

In illo autem Cœnobio tum erant centum quinquaginta Monachi, è quorum numero doctiſſimi qui dicebantur, *Seniores* eligebantur 12. & cum quis ex iis ſiue ad aliud Cœnobium mittebatur, ſeu obibat, continuò ex Doctoribus & Sanctioribus alius in eius locum *Rectoris* & Seniorũ electione cõſtituebatur, teſte Trithemio. Illi autem in ſingulis Diuerſarũ Facultatum ſcholis ſinguli legebant. Et decimus tertius erat *Principalis Magiſter* omniumque Lectionum Deputator, qualis erat Rabanus ſuo tempore, vt legitur in Lycæo Benedictino c. 6. de Rabano: vbi quoque enumerantur præcipui eius Diſcipuli, qui Scholis & ipſi publicis præfuerunt. *Strabus*, qui poſt eum Fuldenſibus Scholis præpoſitus eſt, *Freculphus* poſtea Lexouienſis Epiſcopus, *Limbertus* primus Abbas Hirſaugienſis, *Hudolphus* primus apud Hirſaugienſes Scholarum Magiſter, *Ruthardus* 2. Hirſaug. Scholaſticus, *Bèrnardus* Abbas Hirsfeldenſis, *Ioannes* qui primus apud Germanos Cantum Eccleſiaſticum variâ, vt ait Trithemius, modulatione compoſuit, *Altfridus* poſt Corbeiæ in Saxonia Scholaſticus, demum Hildesheymenſis Epiſcopus. Ad eundem Rabanum iam Abbatem factum miſſus eſt ab Aldrico Senonenſi Archiepiſcopo Lupus Ferrarienſis, vt Theologiæ dogmata ab eo perdiſceret. Tam multa autem opera edidit, vt vix poſſit certus eorum contexi numerus. Anno 829. edidit Tractatus in libros Sapientiæ & in Eccleſiaſticum ad Otgarium Archiepiſcopum Moguntinum. An. 844. librum ſuum de Laudibus S. Crucis Sergio Papæ dedicauit: quâ de re ſic legitur in Annalib. Fuldenſ. ad hunc an. *H Rabanus quoque Sophiſta & ſui temporis Poëtarum nulli ſecundus, librum quem de Laude S. Crucis Chriſti figurarum varietate diſtinctum difficili & mirando poëmate compoſuit per Aſchribum & H Rüodbertum Monachos Monaſterii Fuldenſis Sergio Papæ S. Petro offerendum tranſmiſit.* Haymoni Epiſcopo Halberſtadenſi in Saxonia Alcuini etiam olim diſcipulo dedicauit libros 22. de Vniuerſo. Scripſit etiam de

vniuerſali natura, l. 1. de Inſtitutione Clericorum l. 3. quos dedicauit D. Haiſtulfo. De diuinis Officiis l. 1. De computo Dialog. l. 1. Ad Ludouicum Regem l. 1. Epiſtolarum ad diuerſos l. 1. Sermones & alia multa. Abbatiam rexit 20. vel vt ſcribit Trithemius 24. annos, quam improbitate Monachorum deſerere coactus eſt: ſic enim ille an. 1505. in Ep. ad Ioannem Gotfridum Paſtorem Eccleſiæ Vallis-virorum. Rabanus ille Maurus *Abbas Fuldenſis in Ordine Sextus, vir certè doctiſſimus, improbitate Monachorum ſuorum Abbatiam ipſam poſtquam annis rexiſſet quatuor & viginti, deſeruit & ad Ludouicum Imperatorem Pium confugiens declinauit, à quo tranſacto biennio poſt mortem Otgarij Archiepiſcopi Moguntini in locum eius ſuffectus eſt.* Lupus Ferrariẽſis Ep. 40. Depoſitionis iſtius & abdicationis moleſtiam lenit, quaſi voluntaria fuerit, ſic enim ille ad Rabanum. *Cæterum audiui ſarcinam adminiſtrationis veſtræ vos depoſuiſſe & rebus Diuinis ſolummodo nunc eſſe intentos; Hattoni verò noſtro curam ſudoris plenam reliquiſſe. Cuius rei ordinem, ſimulque alia quæcunque videbuntur, beatitudinis veſtræ litteris exſpectabo cognoſcere.* Ideo autem à Commonachis depoſitus putatur, aut in abdicationem conſentire coactus, quod eum viderent nimis addictum litterarum exercitio nec ſatis intentum bonorum temporalium adminiſtrationi: hancque cauſam affert Trithemius lib. de Script. Eccleſ. *Offenſus improbitate Monachorum ſuorum, qui eum dicebant nimium ſcripturis intentum temporalia negligere, agente id in eis Diabolo diſplicentiam contra eum acceperunt, ſcandalizati in eo quo maxime debuerant ædificari. Dans igitur locum iræ, nec cum ingratis omnibus diutius manere conſentiens, Monaſterium & habitatores eius deſeruit, & ad Ludouicum Imperatorem filium Caroli tranſmigrauit, cum quo & multis diebus permanſit. Monachi autem pœnitentia ducti Legationem ad eum mittentes rogabant vt rediret ad Monaſterium, ſed non impetrarunt.* Errat Trithemius, cum ait Rabanum confugiſſe ad Ludouicum Pium: nam ille obierat iam an. 840. confugit verò ad Ludouicum Germaniæ Regem Ludouici filium, à quo an. 847. ſuffectus eſt in Archiepiſcopatum Moguntinum Otgario præſuli defuncto. Annales Fuldenſes breuiter ſic hac de re ad an. 847. *Otgarius Moguntiacenſis Epiſcopus 2. Kal. Maij obit, in cuius locum H Rabanus ordinatus eſt 5. Kal. Iulij, qui in eodem anno iubente H Ludouico Rege apud Moguntiacum Synodum habuit circa Kal. Octob.* In illa Synodo Gotheſcalcus ad Remorum antiſtitem remiſſus, cuius Synodi meminit Hincmarus, extatque in eam rem in tomo 3. Concil. Synodalis Ep. à Rabano miſſa. Defunctus eſt autem die 4. Feb. an. 856. ex iiſdem Annalibus Fuldenſibus, *habens in Epiſcopatu annos 9. menſem & dies 4. Cui ſucceſſit Karlus magis ex voluntate Regis & Conſiliariorum eius, quàm ex conſenſu & electione Cleri & populi.* Tumulatus eſt in S. Albani fano Moguntiæ. Vide eius Epitaphium ad an. 856.

Radulfus cognomento Viridis frater Anſelmi Laudunenſis, vir in litterarum profeſſione clariſſimus, de quo dicetur in Catalogo virorum Illuſtrium 4. ſeculi.

Radulfus de Fuſteia ſeu de Fragreio vulgò de *Fragrei* ſocius Roberti de Arbriſſello, Monachus S. Iouini de Marna, iacet in Eccleſia S. Sulpicii quæ Monialium eſt in agro Redonenſi: ad quas nempe dirigendas ille miſſus fuerat. Obiit an. 1124. 17. Kal. Sept. vt legitur in Necrologio.

Raimundus de Lauaur Monachus Autiliacenſis, vir doctiſſimus, Gerberti Aquitani Magiſter; cui totum ille ſe debere dicebat, quod ſciebat. Sic enim Ep. 35. addititiarum à Sirmundo ad Geraldum Abbatem. *Adeſte ergo Reuerendi Patres, veſtroque alumno fuſis ad Deum precibus opem ferte. Diſcipuli victoria Magiſtri eſt gloria. In commune quidem omnibus vobis pro mei inſtitutione grates rependo, ſed ſpecialius Patri Raimundo, cui ſi quid ſcientiæ in me eſt, poſt Deum inter omnes mortales gratias rependo.* Idem Raimundus poſt mortem Geraldi in Abbatem electus eſt, ſtatimque ad eum Gerbertus congratulatorias dedit litteras. *Clariſſimo Patre Geraldo orbatus non totus ſupereſſe viſus ſum. Sed te deſideratiſſimo ſecundum vota mea in Patrẽ creato denuo totus in filium renaſcor.* Extant aliæ plures ad eum eiuſdẽ Epiſtolæ.

Rainaldus ſeu *Ragenaldus* Burchardi Comitis Pariſienſis filius, Hugonis & Roberti Regum Cancellarius an. 988. ſubſcripſit cuidam teſtamento. Deinde Pariſienſis Epiſcopus factus viros litteratos exemplo patris plurimum coluit & amauit.

Rainardus Hugo de Bar dictus, vir nobiliſſimæ proſapiæ ex Comitibus Tornodori & Barri ſuper ſequanam oriundus, ad Lingonenſem ſedem promotus eſt

circa an. 1065. vir fuit impensè litteratus, de quo ſic habet Hugo Flauiniacenſis. *Anno 1077. Lingonenſem Eccleſiã Rainardus regebat, vir apprimè Rhetoricis imbutus ſtudiis, clarus ingenio, ſermone facundus, ſcientiâ præditus, affabilis alloquio & prudens conſilio.* Profectus eſt Hieroſolymam vnde rediens Conſtantinopolim inuiſit, indeque brachium S. Mammetis quod in Capella Imperatoris ſeruabatur, Lingonas attulit. Cuius martyris vitam & acta Paſſionis proſâ ac verſibus heroicis ex Græcis commentariis latinè ſcripſit.

Rainaldus Abbas S. Cypriani Pictauienſis, vir quoque eloquentiſſimus, in Philoſophicis diſciplinis inſtructiſſimus, ditiſſimus & munificentiſſimus, Roberti Caſæ-Dei fundatoris olim Diſcipulus: de quo ſic legitur in vita B. Bernardi ſucceſſoris, deinde Tironenſis Abbatis. *Eſt ab hac ciuitate (Pictauina) non longe poſitum S. Cypriani Monaſterium, quod eo tempore regebat Abbas Rainaudus vir apprimè litteris eruditus, tantâ ſapientiâ præditus, vt in Conciliis publicis cauſarum perorator eſſet elegantiſſimus. Cuius rei gratia in Rom. etiam Curia bene notus & acceptus erat & in Aquitania famoſus habebatur.* Obiit an. 1100. cui Baldricus Burgulienſis ita cecinit.

In ſibi dilecto requieuit Philoſophia
Rainardo, quem vas fecerat eſſe ſuum.
Hinc igitur ſancti Cypriani floruit Abbas,
Eccleſiam ditans ordine, rebus, agris.
Pene loci quæcunque fuit poſſeſſio primùm,
Hanc duplicem peperit ſolicitudo Patris.
Tandem Rainaldi pars promptior aſtra petiuit,
Hic quæ terra fuit portio, terra fuit.

Extat ſimiliter apud eundem Baldricum Epitaphium Rainaldi Canonici olim S. Martini Turonenſis, deinde Archipræſulis Remenſis: quem virum mirificè quoque prædicat. Obiit Atrebati 19. Kal. Feb. an. 1096.

Ratbodus natione Teutonicus, Traiectenſis Epiſcopus 14. vir in Diuinis ſcripturis, teſte Trithemio, valde eruditus & ſecularium litterarum non ignarus, ingenio ſubtilis, eloquio clarus, vita & conuerſatione ſanctiſsimus, ad Scholas Palatinas regnante Carolo Caluo miſſus, ibique præceptorem habuit Mannonem ſeu Nanonem Philoſophum virum doctiſſimum. De eo ſic legitur apud Surium ad. 29. Nouemb. ex veteri MS. incerti authoris. *Prima ætatis tempus exegit apud Guntherum Colonienſem Archiepiſcopum auunculum ſuum litteris operam nauans: ſed cum illi Epiſcopo res aduerſæ accidiſſent, puer egregiæ indolis hortantibus ſuis, pleriſque etiam adiuuantibus, quippe quem Dei gratia quâ præditus erat, omnibus charum efficeret, primò ad Caroli Regis Francorum, inde ad Ludouici eius filij Aulam ſe contulit, non quod Palatinos ambiret honores, ſed quod intra Regis Palatium* Liberalium Diſciplinarum Studia *præclarè colerentur. Præerat autem Collegio illi Manno Philoſophus, cui ſanctus puer feruens diſcendi ſtudio adhærebat.* Trithemius verò de eodem verba faciens lib. de ſcriptor. Eccleſ. *Hunc*, inquit, *in omnibus litteris humanitatis Nanno Philoſophus doctiſſimus inſtruxerat: qui Aduocatus in Palatio Regis Caroli Groſſi fuit & poſtea Monaſterium ingreſſus, tandem Epiſcopus, vt diximus, conſecratus, Eccleſiam Traiectenſem in graui Danorum perſecutione decem & ſeptem annis ſtrenue gubernauit.* Opuſcula quæ edidit, hæc ſunt. Laudes S. Martini l. 1. Laudes S. Bonifacii Epiſcopi l. 1. De S. Amalberga Homeliæ & Sermones l. 1. De S. Vuillebrodo l. 1. Integrum quoque de S. Martini Tranſlatione Officium compoſuit. Obiit an. 917.

Ratherius Leodienſis in Cœnobio Lobienſi Manachum induit, ibique in exercitio ſcholarum inſigniter floruit cum Scamino & Theoduino, vt legitur in lib. de Geſtis Abbatum Lobienſium. Plurima eius opera enumerat Folcuinus lib. prædicto c. 20. imprimis *Agonoſticum*, ſeu *Præloquiorum*, quem librum ad relegendum ſiue probandum miſit eruditiſsimis viris quos nouerat, Sobboni & Widoni Archiepiſcopis, Godeſcaleo & Aurelio præſulibus, necnon Brunoni & Rotberto Galliarum Archiepiſcopis, nobiliſsimis & in Philoſophicis ſtudiis erudiriſsimis, poſtremo verò Frodoardo Remenſi. In ea Burgundiæ parte quæ Prouincia dicitur, filium ditiſsimi cuiuſdam Roeſtangum nomine ad imbuen-

Digitized by Google

dum litteris poſtulatus, edocuit, ad eumque librum de Arte Grammatica conſcripſit, quem Gentilitio loquendi more *Seruadorſum* vocauit, cuius nempe præceptis puerulus qui Scholis aſſueſceret, à flagris dorſum ſeruare poſſet. Poſtulatus quoque ab Othone Imperatore Brunonem eius fratrem, qui fuit deinde Colonienſis Archiepiſcopus, erudiuit, vt in hiſtoriâ retulimus. Leodienſi Epiſcopatu ab ipſo Imperatore *in emolumentum Magiſterii*, annitente quoque Brunone donatus eſt. Sed inde deiectus Veronenſem Epiſcopatum quem iam ante exercuerat, recepit, qua in ſede multa damna, mala, calamitates & anguſtias tam à Clericis quàm à Laïcis pertulit, de quibus ad Ioannem Pontificem ſcripſit, legiturque Epiſtola in 2. tomo Spicilegij Dacheriani. Extant eiuſdem ad alios Epiſtolæ, extant & alia opera. De Contemptu Canonum Partes 2. Qualitatis Coniectura ſeu inuectiua in quendam. Diſcordia inter ipſum & Clericos. Liber Apologeticus. Epiſtolarum libellus. Synodica ad Preſbyteros. Itinerarium Romam euntis. Sermones varij. In parte 1. Can. ſic ſcribit de nobilium pueris qui ad Scholas mittebantur. *Pone quemlibet Nobilium Scholis tradi, quod vtique hodie magis fieri ambitu videtur epiſcopandi quàm cupiditate Domino militandi, ecce pes vnus ſuperbiæ, Parentum, ſcilicet elata voluntas. Is cum adoleſcere cœperit, aut de ipſa nobilitate, aut de quovis intellectus nomine, aut fortaſsis pulchritudine corporis, aut quia ſit ei, vt de quadam refert Hieronymus, cygneo canore vox forſitan dulcior, incipit inſoleſcere. His igitur Dæmonicis ſuperbiæ pedibus conculcatus eneruatur, & propter iactantiam vt ille primus in aerem craſsiorem, ita iſte in laſciuiam proſternitur turpiorem. Hinc demum non tam bigamus quàm multogamus effectus ſine examinatione prouehitur ad ſacerdotium, quod occaſio ſequentium omnium vſque ad perditionem animarum eſt profectò malorum.* In omnibus fere eius operibus idem ſpiritus cernitur contra Seculares Clericos, qui ad dignitates Eccleſiaſticas promouebantur.

Rathery plurimi authores ſynchroni & ſuppares meminerunt. Eraclius Epiſcopus Leodienſis, vt legitur in eius vita, ſic eum compellat. *Quis eſt vobis aut ſapientiâ aut probitate aut optimarum artium ſtudio aut innocentiâ aut vllo laudis genere præſtantior? patientia ſi memoratur, ſi fas eſt dicere fide ſalua ne Deum offendam, tu es ipſa.* Luitprandus l. 3. c. 11. *Venerat quidam Ratherius nomine qui ob religionem ſeptemque Liberalium Artium peritiam Veronæ Epiſcopus conſtituitur.*

Rogerius Benedictinus Ratherio ſuppar in vita S. Brunonis Colonienſis Archiepiſcopi mirificè Brunonem prædicat, quod expulſum Ratherium è Cathedra Veronenſi Leodienſem feciſſet Epiſcopum, ex Epiſcopatu deinde Leodienſi deiectum in Veronenſem reſtitui curaſſet.

Ratramnus Corbeiæ Picardicæ Monachus ſub Carolo Caluo floruit, eiuſque iuſſu librum edidit de Euchariſtia ſeu de Corpore & Sanguine Domini l. 1. De Prædeſtinatione lib 1. quæ Quæſtiones tum agitabantur in Scholis & in Eccleſ. quē porro vir ū licet nonnulli Hæretici ſibi vindicent, nuſquam tamen per 700. annos in vllius hæreſeos ſuſpicionem venit: vt plurium emeritorum virorum teſtimoniis probat D. Lucas Dacherius in præf. ad lectorem 2. tomi Spicil. de eo diximus in hiſtoria. Scripſit quoque 4. libros contra Græcos, qui Eccleſiam Latinam in multis reprehendebant, eoſque libros edidit Dacherius in 2. tom. Spicilegij, in quibus quantâ peritiâ conſpicuus fuerit Ratramnus, intelligitur.

Regimbertus vir litteratiſſimus & amiciſſimus Lupi Ferrarienſis, cuius ad eum extat Epiſtola 6. qua monet ſe ad Imperatoris præſentiam deductum annitentibus amicis, atque à Regina benigniſſime exceptum, ſpemque eſſe adipiſcendas alicuius in Aula Dignitatis: quod ſi euenerit, ſubitò ſe eum aduocaturum ad communium ſtudiorum exercitationem. *Superiore anno annitentibus amicis in præſentiam Imperatoris deductus ſum, & ab eo atque Reginâ benignè omnino exceptus nunc hoc eſt 10 Kal. Octob. Indictione 1. ad Palatium, Regina, quæ plurimum valet, euocante promoueor, multique exiſtimant fore vt citò mihi Gradus Dignitatis aliquis conferatur. Quod ſi Diuina exuberante gratia euenerit, non dubites illico te arceſſendum, vt vna permiſſu Imperatoris degentes* communium ſtudiorum exercitatione *iucundiſſima perfruamur.*

Remigius Antiſſiodorenſis Errici diſcipulus fuit cum Huebaldo Caluo, qui deinde Lutetiæ & ipſi ſcholas habuerunt. Excelluit autem Remigius in Artium Liberaliū, præſertim verò Dialecticæ profeſſione, & licet miſerrimis temporibus

doceret

doceret, ſcilicet tunc cum Normani Lutetiam obſidebant & omnia vaſtabant, ad eum tamen confluebant vndequaque Diſcipuli, tanta eius erat fama nominis; vt vno Odonis Cluniacenſis exemplo probare licet: ſicut legitur in eius vita. *Odo vir beatiſſimus ex Francorum proſapia extitit oriundus, ſed intra domum Vvillielmi robuſtiſſimi Ducis Aquitaniæ eſt alitus. 19. ætatis ſuæ anno apud B. Martinum Turonis eſt tonſus, ibique Grammatica laribus eſt educatus. Deinde apud Pariſium Dialectica Muſicaque à Remigio doctiſſimo viro eſt inſtructus.* Et poſt alia. *Odo his diebus adiit Pariſium, ibique Dialecticam S. Auguſtini Deodato filio ſuo miſſam perlegit, & Marcianum in liberalibus artibus frequenter lectitauit: præceptorem quippe in his omnibus habuit Remigium.* Hinc intelligitur tum adhuc in Scholis publicis inualuiſſe morem docendæ Dialecticæ Auguſtineæ, non Ariſtotelicæ, vt notauit Ioannes Launoyius in ſuo de varia Ariſtotelis fortuna lib. c. 5. addens eam à doctiſſimo illo viro Remigio Lutetiæ traditam, eandem poſt Remigium ab Odone, & poſt Odonem ab aliis ſimiliter traditam, donec tandem aliquando Auguſtinus Ariſtoteli, Chriſtianus videlicet Gentili ceſſit. Eiuſdem Remigii Diſcipulus fuit inſignis Grammaticus M. Hildeboldus, qui in Monaſterio S. Michaelis ſuper Moſam Scholas aperuit, vbi inter alios Diſcipulos docuit Ioannem Gorziam Abbatem, vt in eius vita legitur per ſcriptorem coætaneum exarata. *Hildeboldus quidam Grammaticam profeſſus è Diſcipulis Domni Remigii doctiſſimi ea ætate Magiſtri Scholas habebat.* Hic autẽ Remigius noſter à Fulcone Archiepiſc. Remenſi euocatus Scholas Pariſienſ. tunc fere ob bellorum Normanicorũ rabiem deſertas ad tẽpus deſeruit, vt quietius Remis ſcholas aperiret, vt docuimus in Hiſtoria ad an. 890. Neq; verò tantum in artiũ profeſſione excelluit, ſed in Diuinis quoque ſcripturis verſatiſſimus & vita moribuſque inſignis fuit. Scripſit de celebratione Miſſæ Opuſculum in quo multa ex M. Floro deſumpſit. Item commentatus eſt in Mathæum & Pauli Epiſtolas, in Cantica Cantic. & in totum Pſalterium. Scripſit quoque de Feſtiuitatibus Sanctorum lib. 1. ad Epiſcopum Æduorum, Sermones etiam multos. Prætera Donatum & alios multos authores expoſuit. Itaque vt ait rectè Platina, *Formoſi Papæ tempora ne omnino infeliciſſima haberentur, effecit Remigii Antiſſiodorenſis virtus & Doctrina: hic enim multa commentatus eſt: & ſcripſit in Mathæum potiſſimum & Pauli Epiſtolas.* Caue autem hunc confundas cum Remigio Lugdunenſi Archiepiſcopo, qui Epiſtolę Synodali ad Wenilonem iuſſu Calui ab epiſcopis tranſmiſſæ ſubſcripſit an. 859. nam iſte ante an. 876. obiit, noſter verò Remigius ſcholas adhuc regebat Pariſiis an. 900. Neque hic Epiſcopus vnquam fuit, neque Monachus, vt opinatur Trithemius: quod non omiſiſſet Flodoardus, ſi Monachum fuiſſe comperiſſet, præſertim cum de Scholis Remenſibus à Fulcone per Remigium & Hucbaldum Caluum inſtitutis verba faciens l. 4. c. 9. ſub finem, Remigium Antiſſiodorenſem ſolummodo Magiſtrum vocet, Hucbaldum verò S. Amandi Monachum appellet: vt in Hiſtoria retulimus. Non negarim tamen fuiſſe illo ſeculo Remigium quendam Antiſſiodorenſem Monachum, cuius meminit Lupus Ferr. Ep. 116. quem vocat *Chariſſimum propinquum ſuum Remigium*: ſed Remigio noſtro tempora illius non conueniunt: nam obiit Lupus circa an. 860. Remigius verò noſter non niſi poſt an. 900. quandoquidem ex Hiſtoria vitæ Odonis Cluniacenſis neceſſe eſt, vt poſt obitum Fulconis qui an. 900. accidit, Pariſios redierit & ibi docuerit.

Remigius Treuerenſis Monachus Gerberti æqualis eique bonarum artium commercio coniunctiſsimus fuit: vt teſtatur ipſe Gerbertus plurimis ad eum datis litteris. in 134. ſic habet inter cætera. *Sphæram tibi nullam miſimus, nec ad præſens vllam habemus, nec eſt res parui laboris tam occupatis in Ciuilibus cauſis. Si ergo te cura tantarum detinet rerum, volumen Achilleidos Statij diligenter compoſitum nobis dirige, vt ſphæram quam gratis propter difficultatem ſui non poteritis habere, tuo munere valeas extorquere.* In eandem rem ſcribit Ep. 148. *Prægrauat affectus tuus,* amantiſſime Frater, *opus Achilleidos, quod bene quidem incepiſti, ſed defeciſti dum exemplar defecit. Itaque & nos beneficij non immemores difficillimi operis incepimus ſphæram, quæ & torno iam ſit expoſita & artificioſè equino corio obuoluta. Sed ſi nimiâ curâ fatigaris habendi ſimplici fuco interſtinctam, circa Martias Kalendas eam expecta: niſi forte cum Horizonte ac diuerſorum colorum pulchritudine inſignitam præſtoleris, annuũ perhorreſcas laborẽ.* Scripſit quoq; ad eundẽ Ep. 152. poſt mortẽ Adalberonis.

Riculfus cognomento Damæta Alcuini Diſcipulus Caroli M. Archicapellanus & magnæ apud ipſum authoritatis, ordinatus eſt Archiepiſcopus Moguntinenſis an. 785. 4. Non. Martias. Ex Hiſpaniâ in Gallias nouum Iuris Canonici corpus aduexit, quod eius opera & ſtudio Carolus publicari curauit. Eum vocat Leo III. *Sanctiſſimum*; Alcuinus Ep. 91. probatiſſimum amicum, & Ep. 93. Chariſſimum filium & fideliſſimum. *Tuæ congaudeo* dilectioni & præſtitæ fidei congratulor, quia *ſemper vbique te fidelem inueni & beneuolum erga me agnoui, ſicut filium in patrem.* & circa finem Ep. *Ego pene quaſi orbatus filiis remaneo domi. Damæta Saxoniam, Homerus Italiam, Candidus Britanniam receſſit. Obiit an.* 814. Inter poemata Theodulfi de eo ſic legitur.

Voce valens, ſenſuque vigil, ſermone politus
Adſit Riculfus nobilis arte, fide.
Qui etſi longinquâ fuerit regione moratus,
Non manibus vacuis tam tamen ipſe redit.

Rigbodus cognomento Macharius, Alcuini quoque Diſcipulus, Magiſtro ſuo vnicè charus, poſtea Treuerenſis Epiſcopus, ad quem extat Alcuini epiſtola 34. querentis, quod ad ſe nihil litterarum daret. *Quid mihi*, inquit, *diuitias ſi non habeo quem amo, ſi non conſidero, quem deſidero? tua potentia mihi eſt miſeria. Vbi eſt dulciſſimum inter nos colloquium? vbi ſacrarum litterarum ſtudium deſiderabile? vbi communio charitatis quam fraternus amor hinc inde exercuit? vbi ſaltim memoria nominis noſtri? Ecce totus præteriit annus, quo nec litterarum conſolatio oculis aduenit, nec ſalutationis officium auribus inſonuit. Quid peccauit pater, vt à filio obliuiſceretur? quid Magiſter vt Diſcipulus neglexerit eum? forte exaltatio ſeculi dedignata eſt nomen Magiſtri in illo: aut peregrinatio mea viluit in oculis ſuis, aut amor Maronis tulit memoriam mei. O ſi mihi nomen eſſet Virgilius! tunc ſemper ante oculos luderem tuos, & mea dicta tota pertractares intentione, & iuxta prouerbium illius eſſet apud te.*

Tunc felix nimium, quo non felicior vllus.

" *Quid faciam?* meam doleo infelicitatem, quia non ſum quem diligis. An
" tuam laudo ſapientiam, quia diligis illum qui non eſt? Flaccus receſſit, Virgi-
" lius acceſſit, & in locum Magiſtri nidificat Maro. Hoc dolens dictaui, vel pro-
" pter obliuionem mei, vel propter abſentiam tui.... vtinam euangelia quatuor
" non Æneides 12. pectus compleant tuum. Extant plures aliæ ad eundem Epi-
" ſtolæ. Eiuſdem meminit Poem. 201. & Poem. 258.

Hæc tibi Machari deuoui munera paſtor,
Cum Chriſto & ſanctis tu ſine fine vale.
Sis memor Albini....

Obiit an. 804. vt teſtantur. An. Fuld.

Robertus Francorum Rex, Hugonis Caperi filius relictis Scholis Pariſienſibus, vt aiunt Seruinus & Naudæus, Remos ſe contulit ad Gerbertum, cuius cum Othone Othonis Imperatoris filio diſcipulus fuit, vt retulimus in Hiſtoria. Ille bonas artes quaſi poſtliminio reuocauit Pariſios, earumque profeſſores ſingulari amore dignabatur. Aimoinus Monachus Floriacenſis in vita Abbonis. *Ad vltimum*, inquit, *ſua non ignorans multis diſplicere ſcripta, Regibus ſe ſe commendat, præcipuè Domino Roberto quem ſcientia litterarum, ac idcirco diligentem fore nouerat ſtudioſorum.* Eidem Roberto nonnulli noſtrates Hiſtorici tribuunt Rectoris & Procuratorum in Academia Pariſienſi inſtitutionem. Verum in Hiſtoria fuſe ſatis probatum eſt, eiuſmodi honorum & magiſtratuum originem altius eſſe repetendam. Adiecit forte Robertus aliquid ad ſplendorem & dignitatem, vt viros litteratos ſibi litteratus ipſe demereretur. Præter ea quæ de hoc Principe in Hiſtoria paſſim retulimus, Trithemius in lib. de ſcriptor. Eccleſ. ſic habet. *Rupertus Rex Franciæ nobilis, fortis, iuſtus, doctus & Religioſus inter Eccleſiaſticos ſcriptores merito locum recipit: quippe qui Cantus & Reſponſoria dulci & regulari mo-*

Digitized by Google

dulamine ad honorem Eccleſiæ Catholicæ compoſuit. In litteris Humanitatis, præſertim in Muſica doctiſſimus fuit: tantæ autem Religionis, vt horas Canonicas in Eccleſia decantaret cum Clericis, foris apud ſe legeret cum ſuis: tantæ pietatis & miſerationis extitit in pauperes, vt ſuis ſe aliquando veſtimentis ſpolians eorum nuditatem multis vicibus operiret. De eius manibus liber nunquam recedebat: adeo vt pro Tribunali ſedens inter Iudiciorum & cauſarum ſtrepitus in ſinu apertum haberet pſalterium, vnde & poſt mortem miraculis coruſcaſſe legitur. Eius eſt illa vulgata Sequentia quæ cantatur diebus Pentecoſtes. De S. Spititu, ſcilicet, *Veni ſancte Spiritus.* Reſponſorium de S. Petro, *Cornelius Centurio.* De natiuitate Domini, *Iudæa & Ieruſalem nolite timere.* Et illud Alleluya. *Eripe me de inimicis.* Er alia multa quæ neſcio. Reſponſorium *Cornelius Centurio*, Romæ ſummo Pontifice Miſſam celebtante, S. Petto in altati Offertorij tempore cum magna deuorione obtulit. Accurtentes autem Miniſtri altatis arbittati ſunt magni pondetis aurum obtuliſſe diuitem Regem, ſed ſcedulam teperientes ſetiptam & notatam admirabantur, ingenium & deuotionem Principis collaudantes. Hinc Papa decreuit in memoriam ſanctiſſimi Regis rogantibus Clericis, vt hoc Reſponſutium in honotem S. Petti deinceps cantaretur. Hactenus Ttithemius.

Robertus Arbriſellenſis ſic dictus à villula Arbriſellenſi minoris Britanniæ in agro Redonenſi, petagratis plutibus Prouinciis ad comparandas artes liberales demum Pariſios venit, ibique magna nominis celebritate docuit: vt in Hiſtoria retulimus. De eo ſic ſcribunt Sammarthani fratres in lib. de Abbatiis Gallic. breuiatium vitæ conſcribentes ex variis authoribus, præſettim veto ex Baldrico Dolenſi Epiſcopo. *Robertus Arbreſellenſis* ex minote Aremorica & vico ignobili vulgo Arbtiſellum nuncupato patentibus Damaliocho & Orguendi progenitus adoleſcens pattia abſceſſit Lutetiam profectus, vt in optimis Diſciplinis operam nauaret: in iis ergo ſummopere profecit: tum Redonis à Syluestro Antiſtite factus eſt Archipteſbyter eius Eccleſiæ &c. Sublato è viuis Syluestro æmulorum inuidiâ coactus cedere Andegauum ſe recipit: deinde aliquanto poſt aſſumpto ſodale Radulfo de Fuſteia Eremum petens colligit Canonicos Regulates, præficitur Monaſterio de Rota non procul à Credonio in Andibus dotante Raginaldo Toparcha: quod ab Vrbano II. confirmatur ani 1096. poſtremò inſtituit ſeu fundauit Monaſterium Puellarum apud Fontem Ebraldum, in quo voluit vitos Abbatiſſæ tanquam Dei Genitrici patere. De hac inſtitutione Baronius ad an. 1117. quo Robertus obiit. *Ferunt Ebraldum* quendam iuuenem genete nobilem, ſed motibus corruptis magna Sicatiorum manu ſtipatum adiacētes vias Regias latrociniis olim infeſtaſſe, ſiluaſque tunc temporis frequentes inſediſſe quarū hod eque reliquiæ manſerut non paruæ. Poſt hæc Theologum quendam Pariſienſem eximiæ Doctrinæ vitum Diuinique verbi concionatorem inſignem Robertum de Atbruſcellis nomine eò aduentaſſe ſanctiſque exhortationibus ſuis non modo iuuenem illum vt mores vitamque mutaret, impuliſſe: ſed multos præterea omnium generum homines ad deſpiciendam ſeculi vanitatem auſtetioriſque vitæ leges ſubeundas permouiſſe: ad quorum habitationem diſtincta iiſdem in ſeptis Monaſteria condidit ſua ſeorſim viris, virginibus ægrotis & mulieribus teliquis ædificando. Vniuetſæ porro congregationi Abbatiſſam præpoſuiſſe, quæ in omnes tum viros tum fœminas ius ſuum obtineret, ſtatuens vt viri Sancti Ioannis Euangeliſtæ, exemplo vitginibus ſeu mulietibus parerent: & hæ viciſſim B. Virginis exemplum ſequentes Religioſos tanquam filios amplecterentur. Statuta denique & conſtitutiones pro vtriſque ſeparatim perſcripſit.

Eiuſdem Roberti meminit Petrus Cluniacenſis l.3, Ep. 17. quem ait fuiſſe Inſtitutorem & Magiſtrum Matris ſuæ Raingardæ in vita ſpirituali, quæ vito defuncto profeſſa fuetat Regulam Monaſticam in Monaſterio Matciniacenſi. De eo ſic patiter Neubrigenſis l. 1. c. 15. *Robertus famoſiſſimum illud Monaſterium fæminarum* de Fonte Ebraldi conſtruxit & Diſciplinis infotmauit &c. Et Vvillielmus Malmeſburienſ. l. 4. de Reb Anglic. Huius Petti (Pictauienſis Epiſcopi) fuerunt contempotanei & in Religione ſocii Robertus de Atbtciſel & Betnardus de Abbatis-Villa Abbas Tironenſis Quotum primus omnium huius tempotis Sermocinatotum famoſiſſimus & profuſiſſimus, tantum non ſpumeâ ſed melleâ viguit

Digitized by Google

» eloquentia, vt hominibus certatim opes congerentibus illud egregium Sancti-
» monialium Monaſterium apud Fontem Ebraldi conſtrueret: in quo totâ ſeculi
» voluptate caſtratâ fœminarum Deo deuotarum quanta nuſquam multitudo in
» Dei feruet obſequio. Nam præter cæterarumillecebrarum abdicationem quan-
» tum illud eſt, quod in nullo loco loquuntur niſi in capitulo propoſitâ à Ma-
» giſtro perennis taciturnitatis Regulâ, quia ſemel laxatæ ſilentio fœminæ pronæ
» ſunt ad muſsitanda friuola. Alter nempe Bernardus famoſus paupertatis amator
» in ſaltuoſum & deſertum locum relicto ampliſsimarum diuitiarum cœnobio cum
» paucis conceſsit, ibique quia lucerna ſub modio latere non potuit, vndatim mul-
» tis confluentibus Monaſterium fecit magis inſigne Religione Monachorum &
» numero quàm fulgore pecuniarum & cumulo.

Hiſce duobus inſignibus viris addendus Vitalis fundator Abbatiæ Sauiniacæ in confinio Britanniæ, Cenomaniæ ac Normaniæ. Erant enim iſti 4. Condiſcipuli, Robertus, Bernardus, Radulfus de Fuſteia, & Vitalis, omneſque Abbatias fundarunt & inſtituerunt. Quanto autem animi robore & fortitudine ſe geſſerit Robertus in Concilio Pictau. contra inceſtas Philippi Regis Nuptias, Hiſtoria temporis teſtatur. Quam eius vitæ geſtorumque partem miror à Baldrico Dolenſi Præſule fuiſſe prætermiſſam. Nam certum eſt Philippo primùm fuiſſe ob id exoſum, deinde verò acceptiſſimum, poſtquã ſe eius operâ è vitiorũ voragine retractum agnouit, & Berthradam pellicem ad Religioſum ſtatum quem in Monaſterio Altæ-Bruetiæ profeſſa eſt, perductã. Eiuſdem præſertim facundiâ vſus eſt Vrbanus ad promouendam Expeditionem Hieroſolymitanam, cum in arte concionatoria ſupra cæteros Chriſti præcones emineret. Vnde vocat eum Baldricus *Singularem Seminiuerbium*, *Doctorem illuſtrem & eximium, verbis & operibus admirandum, virum extollendum & imitandum*, & alio loco, *iſte ſiquidem*, inquit. *Robertus Sol s Orientalis radius, Lucifer irreuerberatus, prædicator poteſtatiuus Occidentalem orbis plagam irradiauit & ignorantiæ tenebras ore poteſtatiuo defuſcauit.* Vnde idem ad Petronillam, Abbatiam Fontis-Ebraldi vocat, *Fontem vberem, fontem prædicationis, fontem religionis. Redolebat*, inquit, idem Baldricus,

Occidentalem Abbatiam.

" in eo quodammodo odor diuinæ facundiæ: nam rarus erat ſimilis eloquentiæ.
" Vnde factum eſt vt eo audito multi corda ſua percuterent, ſuiſque primis con-
" uerſationibus abrenunciarent, alii domum ſuam reuertebantur, prædicationibus
" eius meliorati: alii ſecum demorari cupiebant, eiuſque famulatui deſeruire &
" irremoti conſodales ei adhærere cogitabant.

Ipſe quoque D. Papa Vrbanus II. eius famâ commotus, iuſſo Andegaui in ſolenni Eccleſiæ dedicatione concionem habere ad populum Roberto, agnouit rei veritatem famæ reſpondere. Hincque ei imperauit & iniunxit prædicationis officium, fecitque ſecundum à ſe Dei *Seminiuerbum. Hinc ex tunc Summi Pontificis legationi curioſus cæpit inſiſtere & finitimorum Epiſcopatuum regiones perambulare*. Denique eo munere functus pluribus annis, poſt inſtituta Canonicorum quos Regulares vocant, Collegia, fundatum Monaſterium Fontebraldenſe, miraculis clarus obiit in Domino apud Vrſanum an. 1117. 5. Kal. Martias in agro Bituricenſi: cuius corpus Leodegarius Archiepiſcopus ad Fontebraldenſe Monaſterium comitantibus plurimis Prælatis, viris nobilibus & populo deuexit, ibique ſepeliuit die Martis poſt obitum duodecimo iuxta maius altare templi, vbi iacuit vſque ad an. 1622. quo Ludouica de Borbonio Abbatiſſa illi Mauſolæum nouo pegmate exornauit.

Rodulfus cognomento Clericus & Mala-corona, natione Normanus, Geroii filius, & Ernoldi Groſſi nepos, liberalium artium & Medicinæ peritiâ clariſſimus fuit, de quo ſic habet Ordericus ad an. 1050. *Clericus cognominatus eſt, quia peritia litterarum aliarumque artium apprimè imbutus eſt. Hic & Mala-Corona vocabatur, eo quod in iuuentute ſua militaribus exercitijs & leuitatibus detinebatur. Artis Medicinæ peritiſſimus fuit, multarumque rerum profunda ſecreta, vnde ſenes liberis & nepotibus ſuis adhuc præ admiratione loquuntur, cognouit.* Eamdem nominis reddit rationem Gemmericenſis l. 7. *Rodulfus*, inquit, cognomento Clericus, quia copioſè litteratus erat: & Mala-Corona, *quia militaribus exercitijs Clericatus grauitatem malè ſeruabat*. Quomodo verò & vbi artes liberales Medicinamque compararit, docet idem Ordericus ad an. 1059. *Eodem tempore Rodulfus cognomento Mala-Corona,*

Vticum venit, ibique cum Roberto Abbate ſuo videlicet nepote diutius habitauit. Hic nimirum, vt paulò ſuperius meminimus, ab infantia litteris affatim ſtuduit, & Galliæ Italiæque ſcrutando Scholas ſecretarum indaginem rerum inſigniter attigit. Nam in Grammatica & Dialectica, in Aſtronomia quoque nobiliter eruditus eſt & Muſica. Phyſicæ quoque ſcientiam tam copioſè habuit, vt in vrbe Salernitana, *vbi maximè Medicorum Schola ab antiquo tempore habentur*, neminem in Medicinali arte præter quandam ſapientem Matronam ſibi parem inueniret. At quamuis tantâ litterarum peritiâ polleret, non tamen otio ſed militiæ labori diu mancipatus eſt.

Romulfus Abbas Senonenſis Gerberti æqualis & in exercitio litterarum ei coniunctiſſimus; vir ſtrenuus & eloquens, qui cum Abbone Floriacenſi Arnulfi Remenſis cauſam acerrimè defendit, vt legitur in Hiſtoria depoſitionis. *Sed aderant acerrimi defenſores ſcientiâ & eloquentiâ inſignes, Ioannes Scholaſticus Autiſſiodorenſis, Romulfus Abbas Senonenſis, Abbo Rector Cœnobij Floriacenſis.* Extant aliquot Gerberti ad ipſum Epiſtolæ, ex quibus apparet virum fuiſſe liberalibus diſciplinis addictiſſimum. In 13. Addititiarium à Sirmundo ſic habet. *Officia dantis & accipientis muneribus veſtris executi eſtis. Nihil enim nobis antiquius in humanis rebus clariſſimorum hominum ſcientia, qua vtique multiplicibus librorum voluminibus explicatur. Agite ergo vt cœpiſtis, & fluenta M. Tullij ſitienti prabete. M. Tullius medijs ſe ingerat curis, quibus poſt vrbis noſtræ perditionem ſic implicamur, vt ante oculos hominum felices, noſtro iudicio habeamur infelices.*

Rorico filius Naturalis Regis Caroli Simplicis an. 949. ad Epiſcopatum Laudunenſem promouetur, tunc tantùm Diaconus & ab Artaldo Remenſi Archiepiſcopo conſecratur. Paralyſis languore correptus obiit an. 976. 13. Kalend. Ianuar. in vigilia S. Thomæ Apoſtoli poſt laudes matutinas. Virum fuiſſe doctiſſimum & eloquentiſſimum apparet ex Ep. Aſſonis Monachi ad Gerbergam Reginam de Antichriſto, in qua ſic habet. *Quamuis non indigeatis à me hoc audire, quæ apud vos habetis prudentiſſimum paſtorem D. Roriconem, clariſſimum ſpeculum totius ſapientia atque eloquentiæ hoc valde noſtra atate.*

Roſcelinus natione Aremoricus, Compendienſis Canonicus, profeſſione Dialecticus, Ioannis Nominalium Principis diſcipulus & ſectator acerrimus, qui ob nouitatem doctrinæ hæreſeos accuſatus eſt: & quemadmodum Berengarius in Euchariſtiæ, ſic iſte in Trinitatis myſterio errores varios ſeminaſſe viſus eſt Chriſtianæ fidei contrarios: quos quidē non indicat Iuo Carnot. Ep. 7. ad ipſum, at Anſelmus tum Beccenſis Abbas ſcribens ad Fulconem Beluacenſem Epiſcop. qualis ille fuerit ſignificat. Partem Epiſtolæ ex MS. retulimus in Chronologia, ex qua facile erit intelligere locum Ep. quam ſcripſit Anſelmus ad Vrbanum II. iam factus Cantuarienſis Archiepiſcopus. Refert enim eum in Becci Monaſterio eſſet Abbas, præſumptam fuiſſe à quodam Clerico hanc aſſertionem in Francia *ſi in Deo tres ſunt perſona, vna tantum res & non ſunt 3. res, ergo Patrem cum Spirit. S & cum Filio incarnatum fuiſſe.* Et paulo poſt addit illum in Concil. Sueſſionenſi corā venerabili Remenſi Arch. Rainaldo errorem ſuum abiuraſſe: audiſſe tamen poſtea præfatæ nouitatis authorem in ſua ſententia nihilominus perſeuerare, & dicere ſe non alia de cauſa abiuraſſe ſententiam, niſi quia populum timebat. Hæc cauſa fuit, cur Anſelmus ſuum de Incarnatione librum ediderit. Contra eundem Roſcelinum ſcripſit M. Theobaldus Stampenſis, Oxonienſis Doctor, propterea quod aſſerebat filios Sacerdotum eſſe à ſacris Ordinibus arcendos.

Rudolphus Rabani in Fuldenſi Schola Diſcipulus, vir doctiſsimus & omnium ſecularium artium notitiâ clariſſimus, cuius præclara fit mentio in Annalibus Fuldenſibus ad an. 865. his verbis. *Ruodolphus Fuldenſis Cœnobij Presbyter & Monachus, qui apud totius pene Germania partes Doctor egregius, & inſignis floruit Hiſtoriographus & Poeta, atque omnium artium nobiliſsimus author habebatur 8. Id. Mart. diem vltimum feliciter clauſit.*

Ruthaldus ſeu Rathaldus Monachus Fuldenſis, deinde Hirſaugienſis, Rabani & Strabi Diſcipulus, vir vndequaque doctiſſimus, qui prætulit ſtudia & quietem Epiſcopatui Halberſtadenſi, quem ei poſt mortem Haimonis offerebat Ludouicus. Scholam publicam exercuit, atque etiam ad eam ſeculares admiſit. Obiit an. 865. 8. kal. Nouemb.

S

SAn-Galenſis Monachus vulgo innominatus (creditur tamen eſſe Notkerus Balbulus Monachus S. Galli) ſcripſit duos libros de Geſtis Caroli M. ex relationibus Adalberti filii Sigulfi vetuli & Vverinberti Sacerdotis eiuſdem Adalberti filii : quorum priorem inſcribit *de Religioſitate & Eccleſiaſticâ Domni Caroli Cura*. Alterum ſic *De rebus Bellicis Caroli M.* Eos autem iuſſu Caroli Craſſi compoſuit eique dedicauit, qui Ludouici Germaniæ Regis filius, Pij Nepos & Magni Pronepos tunc Imperium regebat. Sic enim ille l. 1. c. 21. *Nimium pertimeſco ô* Domne Imperator Carole, *ne dum iuſsionem veſtram implere cupio, omnium profeſsionum & maxime ſummorum Sacerdotum offenſionem incurrem*. Item l. 2. c. 14. atauum ipſius vocat Carolum M. & auum Ludouicum Pium. Et c. 15. eiuſdem libri loquitur de Ludouico ipſius patre. Et c. 25. *Propoſueram quidem Imperator Auguſte*, inquit, *de ſolo proauo veſtro Carolo omnia vobis ſcientibus quæcunque fecit, breuem narratiunculam retexere : ſed cum ita ſe obtulerit occaſio, vt neceſſariò memoria fiat glorioſiſsimi patris veſtri Ludwici cognomento Illuſtris & Religioſiſsimi proataui veſtri* Pipini Iunioris, &c. Meminit etiam Hartmuti Abbatis S. Galli quem Stumfius l. 5. c. 5. ait reſignaſſe Abbatiam an. 882. aut 883. Itaque cum Carolus Craſſus obierit aut certè Imperio priuatus ſit an. 888. neceſſe eſt circa an. 887. hanc Hiſtoriam fuiſſe à San-Gallenſi ſcriptam : imperare enim tantùm cœpit an. 886. Aurhor autem iſte l. 2. c. 26. ſe valde ſenem hős libros ſcripſiſſe teſtatur. *His igitur*, inquit, *quæ ego balbus & edentulus, non vt debui, circuitu tardiore diutius explicare tentaui.*

Seguinus vel Seuinus Rainardi I. Comitis Senonenſium ex ſorore nepos, egregiis virtutibus non minus quàm claritate generis inſignis, omnium Canonicorum votis Antiſtes eligitur Senonenſis & Antiſsiodori 13. Iulii an. 978. inungitur. Pallium Archiepiſcopale & Primatum à Ioanne XV. accepit. Præſedit Synodo Remenſi aduerſus Arnulfum Remenſem iuſsu Hugonis Regis, nec vnquam adduci potuit, vt in eius diſpoſitionem conſentiret. Ideo autem præſedit, quanquam aliàs ſuſpectus Hugoni, quia cum vitæ meritum & ſcientia commendabant: ſic enim legitur in hiſtoria Depoſitionis. *Habita ratione totius ſumma Synodi, dignitas prælaturæ ac poteſtas quaſi iudiciaria ſtetit penes Archiepiſcopum Seguinum, quem & ætas & vitæ meritum ac ſcientia commendabant.* Obiit autem an. 999. ſepultusque eſt in Capitulo S. Petri Viui Archiepiſcoporum olim tumulo: eique tale Epitaphium exaratum eſt.

Hic humilis tumulus merito cunctis venerandus
Seuini membra continet egregia.
Angelicam cuius felix animam Paradiſus,
Paſtorum ſancto poſſidet in numero.
Qui mitis ſanctæ pro Religionis honore
Hac in ſede ſedens multa tulit patiens.
Iamque ſenex factus migrauit in Aſtra locandus,
Cui parcat petimus, Cunctipotens Dominus.

Seulfus Remigii Antiſsiodorenſis in Scholis Remenſibus olim Diſcipulus, ex Archidiacono Remenſi factus eiuſdem Eccleſiæ Archiepiſcopus poſt mortem Heriuæi an. 921. de quo ſic Flodoardus lib. 4. Hiſto. Remenſis c. 18. *Succeſsit Seulfus, qui tunc vrbis huius miniſterio fungebatur Archidiaconatus, virtam Eccleſiaſticis quàm ſecularibus diſciplinis ſufficienter inſtructus, quique apud Remigium Antiſsiodorenſem Magiſtrum in liberalibus ſtudium dederat artibus.* Occubuit autem veneno potatus, vt creditur, morte immaturâ 7. Aug. 925. Heriberti Veromanduorum Comitis dolo, qui filium ſuum Hugonem puerum quinquennem ſubſtitui volebat.

Sigulfus Maior & Sigulfus Minor, vterque Alcuini Diſcipulus. Quid de maiore dicendum ſit, non habeo; niſi quod audiuit Alcuinum, pater fuit Adhelberti ſeu Adalberti Militis qui Hunico Saxonicoque & Sclauico Caroli M.

bello interfuit, paterque ipſe fuit Werimberti Sacerdotis a quo Monachus Sangallenſis Hiſtoriam didicit *Monachorum Scotorum*, vt ait in præfat. lib. 2. Sigulfus verò Iunior Diſcipulus quoque fuit Alcuini; Eccleſiæque ſe à pueritia tradidit. Scholam habuit, & inter alios diſcipulos Aldricum edocuit, qui primò Ferrarienſis Abbas, deinde Archiepiſcopus Senonenſis fuit. Senex verò ad Ferrarienſis Cœnobii Monachos ſe contulit, vbi & Abbas fuit: & paulo poſt depoſitâ hac curâ & prouinciâ vltro ſe Aldrico Diſcipulo ſubiecit, qui omnium cõſenſu in Abbatem electus eſt: qua de re ſic Lupus Ferrarienſis Aldrici alumnus Ep. 29. ad Wenilonem Archiepiſc. Senonenſem, *Vt de coniugijs taceam*, inquit, *quæ ob Dei amorem ſeparata ſunt, quorum magna nobis ſuppetit copia, certè Ferrarienſis Monaſterij, cui indignus deſeruio quondam nobis Abbas & Presbyter Sigulfus, qui vſque ad ſenium Canonico habitu laudabiliter vixerat, ſponte ſe poteſtate exuit, & noſtram hoc eſt Monachicam Religionem aſſumpſit, atque donec diem obiret ſuo paſſus eſt ſubiici diſcipulo quem ipſius voluntate ac fratrum conſenſu Imperator* Ludouicus *memorato loco Abbatem præferebat.* Ex his verbis manifeſti erroris conuincuntur Sammarthani fratres, qui Singulfum inter Abbates Ferrarienſes ſextum collocant ante annum 750. immediatum verò prædeceſſorem Aldrici Alcuinum ponunt ad an. 813. nullâ factâ Sigulfi mentione, quem certum eſt fuiſſe præceptorem Aldrici, ipſumq; deinde Abbatem. Non nego tamen quin Alcuinus Abbatiam illam rexerit: quinimo eo Abbate Aldricus Monachalis Diſciplinæ ſuſcepit inſignia, vt ſcribit author Anonymus in eius vita.

Porro eodem Sigulfo dictante Anonymus quidam eius Diſcipulus ſcripſit vitam Alcuini, quæ eiuſdem operibus præfixa eſt: ſic enim ait in Prologo. *Superna Chriſti rorante dexterâ* ac iuuante gratiâ, Reuerendiſſime Pater æquè ac amantiſſime, iubes vt tibi de admirandæ vitæ initio fineque Patris Alcuini quæ eius noſſe potui narrante fideliſſimo Sigulfo diſcipulo, ſermone licet inculto & paruo, tamen veritate referro ſcribam ædificationi nonnullorum profutura. Et in fine eiuſdem Prologi. *Scribam igitur fideliter* quæ ab eius fideliſſimo tantùm didici Diſcipulo, Sigulfo ſcilicet *Inſtitutore meo*, dilectiſſimum quem tu quoque habuiſti patrem, qui præ cunctis mortalibus poſt S. Edberti diſceſſum ſolus ipſius meruit noſſe ſecreta eximia.

Ipſe Alcuinus Sigulfo Preſbytero dedicat Commentaria ſeu Interrogationes & Reſponſiones ſuas in librum Geneſeos, eumque vocat *fratrem & fidelem ſocium*, forte quia eum & Pariſiis & Turonis Auditorem habuerat, *quia*, inquit, indiuiduus & fidelis mihi Chariſſime Frater *ſocius tanto tempore fuiſti, & quia te ſacra lectionis ſtudioſiſſimum eſſe noui, &c.*

Idem Sigulfus adfuit Magiſtro morienti, eiuſque meritis acerbiſſimo capitis dolore ſanatus eſt, vt in Alcuini vita ſcribit prædictus Anonymus. *Pater Sigulfus*, inquit, corpus Patris eum quibusdam *aqua honorificè lauans poſuit ſuper feretrum: habebat nempe & ipſe tunc magnum dolorem capitis, ſed fide animo ſanus citam reperit ſanitatem capitis. Oculos namque ſuper Magiſtri lectulum eleuans cernit pecten, quo ipſe ſuum ſolebat pectinare caput. Iſtum ergo manibus ſumens ait.* Credo Domine Ieſu, quia ſi iſto Magiſtri mei pectine meum pectinauero caput, meritis illius ſtatim ſanabitur. *Vbi igitur prima vice pecten duxit per caput, quantum de eo tetigit, totum ſanum habuit, ſicque totum pectinando gyrans omnem dolorem amiſit.*

Smaragdus, dictus Ardu Smaragdus, Abbas ſecundum aliquos S. Michaelis in periculo maris; ſecundum alios S. Michaelis in Saxonia; Item ſecundum nonnullos, S. Michaelis Virdunenſis ad Moſam: poſtremo Cœnobii Aniani ſecundum alios. Alii diſtinguunt. hoc ſeculo duos Smaragdos, vnum Abbatem S. Michaelis ad Moſam; alterum Monaſterii Aniani Diœceſis Monſpeſſulanæ preſbyterum. D. Lucas Dacherius tres diſtinguit Smaragdos. I. qui tempore Caroli M. vixit interfuitque Synodo cuidam Romanæ ſub Leone III. in ſecretario Baſilicæ Vaticanæ cum Ieſſe Ambianenſi Epiſcopo & Adalardo Corbeienſi Abbate à Carolo miſſis: Idemque dedicauit iam valde ſenex Ludouico Pio Caroli filio opus aureum quod inſcribitur. *Via Regia*, iſque fuit Abbas S. Michaelis vulgo *S. Miel*. 2. qui Presbyter & Monachus Anianus in ſeptimania dœceſis Magalonenſis, qui floruit quoque ſub Ludouico Pio. 3. Smaragdus Luneburgenſis Monaſterii in Saxonia Abbas circa an. 972. Secundi quidem qui Preſbyter & Monachus

fuit Anianæ, legitur hoc mortuale elogium. *Non. Martii in Monaſterio Aniano tranſitus B. Ardonis Presbyteri atque Monachi qui alio nomine Smaragdus vocatus eſt, preclari in ſanctitate & doctrina viri.* Iſte autem claruit ſub Ludouico Pio & Carolo Caluo, obiitque an. 843. Huic tribuunt multa opera & ſcripta publica. Commentaria in Regulam S. Benedicti. Vitam B. Benedicti Anianæ multorumq; aliorum monaſteriorum Abbatis. Diadema Monachorum de vitiis fugiendis & virtutibus tenendis. Commentaria in Euangel. & Epiſt. In Pſalterium. Expoſitionem in Donatum &c. Commentationi autem ſuæ in Regulam S. Benedicti hos verſus præmiſit, vnde agnoſcetur quis fuerit viri ſtylus.

Quisquis ad æternum mauult conſcendere Cœlum,
Debet ad aſtrigerum mente ſubire polum.
Religione pia vitæ perquirere callem,
Scandere quo valeat aurea Regna celer.
Eſt Monachis Sancti Benedicti regula Patris
Perfectis plana, ſuauis & ampla via.
Aſpera ſed pueris, nec non tironibus arcta,
Quos aluit gremio lactea vita diu.
Hæc eſt ſancta via, prælucida ſemita Cœli
Carpere quam cupiunt, caſtra beata Dei.
Admonet hæc Monachos ſublimis Regula cunctos
Vt rebus careant, Regna ſuperna petant.
Propria dimittant, habeant vt propria cuncta
Proſpera, quæ ſociis Cœlica Regna manent.
Patribus à noſtris in ſacro carmine legis
Regia rectogradis dicitur iſta via.
Hæc eſt vita bonis, nec non & norma ſalutis
Arcus & arma piis, frigida tela malis.
Hanc nullus nolens, cupiens implebit & omnis
Eſtque grauis grauibus ſuauis & apta bonis.
Florigeri Monachis oſtendit hæc Paradiſi
Regula Luciſluum deſiderare locum.
Hæc bene materno natos caſtigat amore,
Arguit erudiens & ſine felle mouens.
Hæc patienter eos tenero cum verbere nutrit,
Candida poſt obitum præmia multa dabit.
Pandit iter rectis, Cœleſtia pandit amicis,
Currere ne pigeat, ſed patienter eant.
Examinat vitas, mores componit & ornat,
Librat & æquiparat & moderando minat.
Adnihilat prauum, iuſtum conflaſcit vt aurum
Limat & examinat & poliendo librat.
Eſt ouibus virga gracilis, moderatio iuſta,
Lima piè capiens, regna beata parans.
Arguit, obſecrat, increpat, atque libenter emendat,
Quos ſibi germano fœdere conſociat
Nouit ad æternum Monachos perducere Regnum;
Et ſociare choro dulciter Angelico.
Quamuis hæc ſocios Coeli deducat ad alta,
Eſt tamen anguſtus callis & arcta via.
Arcta pios celſi deducit ad atria Regni,
Ampla malos putri mergit in ima nigri.
Nemo viam timeat Monachorum intrare per arctam,
Ducit ad aſtrigerum, Caſtra beata, polum.
Ille poli poterit leniter conſcendere celſa,
Quem nocuo nulla pondere culpa grauat.
Aliger Ætherens grauido cum corpore nullus,
Verberat æthereas ſæpe volando vias.

Nullus

Nullus enim Monachus peccati pondere preſſus,
Stelligeri poterit Regna ſubire Poli.
Omnis enim Monachus lachrymis commiſſa lauare
Debet, & vlterius nulla lauanda pati.
Temperat interea Monachi diſcretio mentem,
Vt via per medium Regia ducat eum.
Vt caueat dextram ſolers, timeatque ſiniſtram,
Hortantur ſacra munia legis eum.
Triſtia non timeat, timeat ſed proſpera mundi,
Scandere tunc poterit Regna beata Poli.
Quiſquis amas rutilos ſanctorum carpere fructus,
Actibus in cunctis conſocietur eis.
Moribus ornatus & caſto corpore comptus
Viuat, & à Domino ſemper amatus erit.
Sit tacitus, humilis, mitiſſimus atque benignus.
Sit patiens, ſobrius, prouidus atque pius.
Indolis & docilis, ſapiens ac mente puſillus,
Conceptus, placidus & bene cautus eat.
Excitet interea cordis compunctio fontem,
Qui ſordes animæ inluuiemque lauet.
Chriſmate perfuſo lachrymarum fuſio fonti
Æquiparat, maculas tergit vt ille nigras.
Tergit & ablutos Paradiſi rite colonos
Efficit, vt ciues iam ſine fine petat.
Qui iugiter laudes poſſint perſoluere gratas,
Viuere cum Domino ſemper & eſſe ſuo.

Smaragdi Abbatis S. Michaëlis vulgò *S. Miel* meminit Frotharius Epiſcopus Tullenſis Temporibus Ludouici Ep. 1. ad Hilduinum. *Domno Imperatori innoteſcimus ego & Smaragdus Abba, qualiter Iſmundus Abba & Monachi eius quadam ſimultate à ſe inuicem diſcordent.* Et Ep 3 ad Imperatorem *Ad aures miſericordiæ veſtræ reducimus* piiſſime Imperator, ego Frotharius Epiſcopus & Smaragdus Abbas, *quod tempore Fortunati Mediolanenſis Monaſterii Abbatis per iuſſionem veſtram Smaragdus ipſius Monaſterii Monachis portionem de Abbatia dedit, vt regulariter viuerent* Obiit eodem Ludouico Imperante, extatque hoc eius Epitaphium in veteribus monumentis repertum.

Cum Pius Imperii Ludouicus iura teneret,
Smaragdus viguit iſtius Abba loci.
Qui locus humanis quod erat minus vſibus aptus,
Hanc procul hinc ſedem tranſtulit ille ſuam.
Cum tamen ad Regnum meruit cæleſte vocari,
Reddidit antiquo membra fouenda loco.
Scorpio iam Phœbi duodenâ parte premebat,
Sidera Theologo cum patuere viro.

Huic ſucceſſorem adſcribunt Sammarthani Hilduinum an. 823. & Hilduino Hadegaudum an. 841. Quod ſi ita eſt, Smaragdus ille obierit neceſſe eſt circa an. 823. Porro Smaragdus vulgò recenſetur inter primos Magiſtros Pariſienſes, vt in Theodulfi vita dicetur.

T

THeobaldus Srampenſis poſtquam Lutetiæ aliquandiu docuit, in Angliam tranſiit & Oxoniæ ſcholas habuit Theologiæ. Acerrimi fuiſſe videtur ingenii vir, vt patet ex aliquot eius Epiſtolis nuper editis à D. Luca Dacherio in 4. Tomo Spicileg. quarum prima eſt ad Epiſcopum Lincolnienſem de Quibuſdam in Diuina pagina titubantibus; cuius hoc eſt initium, *Si quis prædicat & prædicando temerè*

na Domini celebranda. Item pro Eccleſiis ſedis Remenſis, quas ille aliter tractabat, quàm Epiſcopali conueniret æquitati &c. At Prudentius multa confingi videns in Gotheſcalcum, quem ipſe initio impugnauerat, poſtea defendit, multaque collegit ad eius defenſionem Sacræ ſcripturæ loca & SS. Patrum dicta, ſeque Lugdunenſis Eccleſiæ Epiſcopo Remigio & Canonicis aliiſque trium prouinciarum Epiſcopis eum defendentibus adiunxit. Hac de re ſic habent Annales Francorum Bertiniani. *Galindo cognomento Prudentius Tricaſſinæ Ciuitatis Epiſcopus, natione Hiſpanus, apprime litteris eruditus, qui ante aliquot annos Gotheſcalco Prædeſtinatiano reſtiterat, poſt felle commotus contra quoſdam Epiſcopos ſecum Hæretico reſiſtentes, ipſius Hæreſis defenſor acerrimus. Indeque non modica inter ſe diuerſa & fidei aduerſa ſcriptitans moritur. Sicque licet diutino languore fatigaretur, vt viuendi, ita & ſcribendi finem fecit.* Obiit ſecundum eoſdem Annales an. 861: at in promptuario Sacrarum Antiquitatum Tricaſſinæ Diœceſis Collectore Nicolao Camuzato obiiſſe legitur circa an. 864. atque in numero Sanctorum habetur, eiuſque feſtum 6. April. cum 9. lectionibus celebratur. Ei ſucceſſit Folcricus ex alumno Eccleſiæ Remenſis, qui interfuit Concilio Sueſſionenſi III. an. 866. & Tricaſſino an. 867. Eius quoque opera vſus fuiſſe videtur Hincmarus contra Prædeſtinatianos: nam apud Flodoardum l. 3. c. 23. gratias ei agit pro Epiſtolis quibuſdam S. Auguſtini, ab eo ad ſe miſſis. Eiuſdem Fulcrici meminit Lupus Ferrarienſis Ep. 125. eique gratias agit ob ſubleuatam ab eo Cœnobii Ferrarienſis à Normanis expilati paupertatem.

R

RAbanus patria Moguntinus, cognomine Maurus, Gentilitia è ſtirpe Magnentius, vel potius à Patria Moguntinenſi ſeu Magentina ſic dictus, Nouennis dicitur nomen dediſſe familiæ Benedictinæ in Cœnobio Fuldenſi Buchoniæ Siluæ in Franconia. Vbi ad an. vſque 822 educatus eſt, quo factus eſt Abbas poſt mortem Egilis: & an. 847. Archiepiſcopus Moguntinus poſt mortem Otgarii. *Diſcipulus fuit Alcuini*: id certum: nam Flodoardus l. 3. c. 21. referens Epiſtolam Hincmari ad ipſum, ait Rabanum vltimum B. Alcuini Diſcipulorum ſupereſſe. *Quærens qualiter de Trinitatis fide ac prædeſtinatione diuerſorum Patrum ſint intelligendæ ſententiæ, in qua Epiſtola aſſerit hunc B. Rhabanum ſolum tunc temporis de Diſcipulatu B. Alcuini relictum.* At vbi Rabanus Alcuinum audiuerit, non adeo certum. Balæus diſertè aſſerit miſſum ad Pariſienſem ſcholam iam ab Anglis & Scotis conſtitutam. *Iuuenis*, inquit, *adhuc Benedictina ſecta Monachum induit, ac tam moribus quàm ſcientiis mirabiliter profecit, & omnium dicendi generum peritus* Pariſienſem Scholam *ab Anglis & Scotis inchoatam ſuâ doctrinâ celebriorem reddidit. Summus enim Theologus erat, Philoſophus, Aſtronomus, Rhetor ac Poeta ſubtiliſſimus, cui per ætatem, vt de illo ſcribitur, nec Italia ſimilem, nec Germania æqualem peperit.* Balæo ſuccenturiatur Mathias Flaccus Illyricus l. 9. *Fuldæ natus, vt ipſe teſtatur in Epicedio ſuo & in Ep. ad Leonem, Albini Auditor & Diſcipulus in omni Diſciplinarum genere excelluit.* in Pariſienſi Academia *aliquandiu profeſſorem egit & magno ornamento fuit Doctoribus Scholaſticis.* Idem dicit Hottingerus, ſeu potius eadem verba repetit ad 9. ſecul. ſect. 1. de Chriſtianiſmo. Idem quoque Arnoldus Vvion l. 5. c. 71. & communiter alii ſcriptores.

Nonnulli aiunt eum litterarum & ſapientiæ amore ſuccenſum à Ratgario Abbate ſuo impetraſſe vt Alcuinum Romæ tum Miniſtrum & Cuſtodem Lateranenſis Eccleſiæ & publicum Bonarum Artium Doctorem audire poſſet: indeque ſexto poſt anno reuerſum, & deinceps Fuldæ docuiſſe. Alii non egreſſum Fuldâ contendunt, & ſicubi Alcuinum audiuit, audiuiſſe Fuldæ: quia ipſe in Epitaphio quod condidit viuens tamquam Archiepiſcopus Moguntinus, ait ſe in Vrbe Moguntina natum ſacriſq; ablutum aquis, in Fuldenſi verò Cœnobio ſacrum dogma Theologiæ didiciſſe. Non caret tamen res iſta difficultat, propterea quod alii aliter interpungunt. Leguntur in lib. Rabani de Cruce, quidam verſus, quibus teſtatur Alcuinus Rabanum ad ſe miſſum, talesque ſunt.

Nempe Ego cum fueram cuſtos humiliſque Miniſter
Iſtius Eccleſiæ Dogmatu ſacra legens.

Hunc puerum docui Diuini famine verbi,
Ethicæ monitis, & Sophiæ ſtudiis.
Ipſe quidem Francus genere eſt atque incola ſiluæ
Buchoniæ, huc miſſus diſcere verba Dei.
Abbas namque ſuus Fuldenſis Rector Ouilis
Illum huc direxit ad tua tecta Pater,
Quò mecum legeret metri Scholaſticus Artem
Scripturam & ſacram rite pararet ouans.

Verum hoc Epigramma, vt hoc obiter moneam, non poteſt tribui Alcuino: nam in ſequentibus verſibus ait Rabanum iam Tricenarium, ad Chriſti laudem compoſuiſſe librum de Cruce (quem Gregorio IV. ſeu potius Sergio ſucceſſori, quia Gregorius an. 843. morte præuentus fuerat, dedicaſſe ferunt.)

Aſt vbi ſex luſtra impleuit iam ſcribere tentans
Ad Chriſti laudem hunc edidit arte librum.

Quomodo autem iſta conuenire poſſunt cum Alcuini ætate, quem communis Scriptorum opinio fert obiiſſe an. 804? Nam ſi ante obitum Alcuini iam tricenarius erat Rabanus, ſaltem octogenarius obierit neceſſe eſt, quod nullibi legitur.

Certè cum conſtet ex Ep. Hincmari ad ipſummet Rabanum, Alcuini diſcipulum fuiſſe, non verò alibi quàm in Palatio Pariſienſi aut Turonis Scholas habuiſſe ſolennes Alcuinum reperiamus, aut Turonis aut Pariſiis eum audiuerit neceſſe eſt. Et fortaſſis mortuo Alcuino Rabanus etiam aliquandiu Lutetiæ Profeſſorem egit antequam Fuldam repeteret. Reuerſus verò & Monachus & Abbas docere non deſtitit, teſte Trithemio in Chron. Hirſaug. *Tenebat*, inquit, *ipſe Rabanus adhuc Monachus ſcholam Monachorum Publicam in Cœnobio Fuldenſi, quam etiam Abbas continuauit: in qua monachos non ſolum in ſacris Scripturis, ſed etiam in ſecularibus litteris erudiuit. Nec ſolum Fuld. Cœnobii Monachos ſed ex diuerſis locis aliis ad ſe transmiſſos multos in omni genere Doctrinæ Diſcipulos inſtituit*. Factumque eſt, vt idem refert ex Meginfredo, vt non ſolum Abbates Monachos ſuos, ſed & Nobiles terræ, filios ſuos Rhabani docendos Magiſterio ſubdiderint.

In illo autem Cœnobio tum erant centum quinquaginta Monachi, è quorum numero doctiſſimi qui dicebantur, *Seniores* eligebantur 12. & cum quis ex iis ſiue ad aliud Cœnobium mittebatur, ſeu obibat, continuò ex Doctoribus & Sanctioribus alius in eius locum *Rectoris* & Seniorũ electione cõſtituebatur, teſte Trithemio. Illi autem in ſingulis Diuerſarũ Facultatum ſcholis ſinguli legebant. Et decimus tertius erat *Principalis Magiſter* omniumque Lectionum Deputator, qualis erat Rabanus ſuo tempore, vt legitur in Lycæo Benedictino c. 6. de Rabano: vbi quoque enumerantur præcipui eius Diſcipuli, qui Scholis & ipſi publicis præfuerunt. *Strabus*, qui poſt eum Fuldenſibus Scholis præpoſitus eſt, *Freculphus* poſtea Lexouienſis Epiſcopus, *Lintbertus* primus Abbas Hirſaugienſis, *Hudolphus* primus apud Hirſaugienſes Scholarum Magiſter, *Ruthardus* 2. Hirſaug. Scholaſticus, *Bernardus* Abbas Hirsfeldenſis, *Ioannes* qui primus apud Germanos Cantum Eccleſiaſticum variâ, vt ait Trithemius, modulatione compoſuit, *Altfridus* poſt Corbeiæ in Saxonia Scholaſticus, demum Hildesheymenſis Epiſcopus. Ad eundem Rabanum iam Abbatem factum miſſus eſt ab Aldrico Senonenſi Archiepiſcopo Lupus Ferrarienſis, vt Theologiæ dogmata ab eo perdiſceret. Tam multa autem opera edidit, vt vix poſſit certus eorum contexi numerus. Anno 829. edidit Tractatus in libros Sapientiæ & in Eccleſiaſticum ad Orgarium Archiepiſcopum Moguntinum. An. 844. librum ſuum de Laudibus S. Crucis Sergio Papæ dedicauit: quâ de re ſic legitur in Annalib. Fuldenſ. ad hunc an. *H Rabanus quoque Sophiſta & ſui temporis Poëtarum nulli ſecundus, librum quem de Laude S. Crucis Chriſti figurarum varietate diſtinctum difficili & mirando poëmate compoſuit per Aſchribum & H Rŭodbertum Monachos Monaſterii Fuldenſis Sergio Papæ S. Petro offerendum tranſmiſit*. Haymoni Epiſcopo Halberſtadenſi in Saxonia Alcuini etiam olim diſcipulo dedicauit libros 22. de Vniuerſo. Scripſit etiam de

vniuerſali natura, l. 1. de Inſtitutione Cletieorum l. 3. quos dedicauit D. Haiſtulfo. De diuinis Officiis l. 1. De computo Dialog. l. 1. Ad Ludouicum Regem l. 1. Epiſtolarum ad diuerſos l. 1. Sermones & alia multa. Abbatiam rexit 20. vel vt ſeribit Trithemius 24. annos, quam improbitate Monachorum deſerere coactus eſt: ſic enim ille an. 1505. in Ep. ad Ioannem Gotfridum Paſtorem Eccleſiæ Vallis-virorum. Rabanus ille Maurus *Abbas Fuldenſis in Ordine Sextus, vir certè doctiſſimus, improbitate Monachorum ſuorum Abbatiam ipſam poſtquam annis rexiſſet quatuor & viginti, deſeruit & ad Ludouicum Imperatorem Pium confugiens declinauit, à quo tranſacto biennio poſt mortem Otgarij Archiepiſcopi Moguntini in locum eius ſuffectus eſt.* Lupus Ferratiẽſis Ep. 40. Depoſitionis iſtius & abdicationis moleſtiam lenit, quaſi voluntaria fuerit, ſic enim ille ad Rabanum. *Cæterum audiui ſarcinam adminiſtrationis veſtræ vos depoſuiſſe & rebus Diuinis ſolummodo nunc eſſe intentos; Hattoni verò noſtro curam ſudoris plenam reliquiſſe. Cuius rei ordinem, ſimulque alia quæcunque videbuntur, beatitudinis veſtræ litteris exſpectabo cognoſcere.* Ideo autem à Commonachis depoſitus putatur, aut in abdicationem conſentire coactus, quod eum viderent nimis addictum litterarum exercitio nec ſatis intentum bonorum temporalium adminiſtrationi: hancque cauſam affert Trithemius lib. de Script. Eccleſ. *Offenſus improbitate Monachorum ſuorum, qui eum dicebant nimium ſcripturis intentum temporalia negligere, agente id in eis Diabolo diſplicentiam contra eum acceperunt, ſcandalizati in eo quo maxime debuerant ædificari. Dans igitur locum iræ, nec cum ingratis omibus diutius manere conſentiens, Monaſterium & habitatores eius deſeruit, & ad* Ludouicum *Imperatorem filium Caroli tranſmigrauit, cum quo & multis diebus permanſit. Monachi autem pœnitentia ducti Legationem ad eum mittentes rogabant vt rediret ad Monaſterium, ſed non impetrarunt.* Errat Trithemius, cum ait Rabanum confugiſſe ad Ludouicum Pium: nam ille obierat iam an. 840. confugit verò ad Ludouicum Germaniæ Regem Ludouici filium, à quo an. 847. ſuffectus eſt in Archiepiſcopatum Moguntinum Otgario præſuli defuncto. Annales Fuldenſes breuiter ſic hac de re ad an. 847. *Otgarius Moguntiacenſis Epiſcopus 2. Kal. Maij obit, in cuius locum H Rabanus ordinatus eſt 5. Kal. Iulij, qui in eodem anno iubente H* Ludouico *Rege apud Moguntiacum Synodum habuit circa Kal. Octob.* In illa Synodo Gotheſcalcus ad Remorum antiſtitem remiſſus, cuius Synodi meminit Hincmarus, extatque in eam rem in tomo 3. Concil. Synodalis Ep. à Rabano miſſa. Defunctus eſt autem die 4. Feb. an. 856. ex iiſdem Annalibus Fuldenſibus, *habens in Epiſcopatu annos 9. menſem & dies 4. Cui ſucceſſit Karlus magis ex voluntate Regis & Conſiliariorum eius, quàm ex conſenſu & electione Cleri & populi.* Tumulatus eſt in S. Albani fano Moguntiæ. Vide eius Epitaphium ad an. 856.

Radulfus cognomento Viridis frater Anſelmi Laudunenſis, vir in litterarum profeſſione clariſſimus, de quo dicetur in Catalogo virorum Illuſtrium 4. ſeculi.

Radulfus de Fuſteia ſeu de Fragreio vulgò de *Fragrei* ſocius Roberti de Arbriſſello, Monachus S. Iouini de Marna, iacet in Eccleſia S. Sulpicii quæ Monialium eſt in agro Redonenſi: ad quas nempe dirigendas ille miſſus fuerat. Obiit an. 1124. 17. Kal. Sept. vt legitur in Necrologio.

Raimundus de Lauaur Monachus Auriliacenſis, vir doctiſſimus, Gerberti Aquitani Magiſter; cui totum ille ſe debere dicebat, quod ſciebat. Sic enim Ep. 35. additiciarum à Sirmundo ad Geraldum Abbatem. *Adeſte ergo Reuerendi Patres, veſtroque alumno fuſis ad Deum precibus opem ferte. Diſcipuli victoria Magiſtri eſt gloria. In commune quidem omnibus vobis pro mei inſtitutione grates rependo, ſed ſpecialius Patri Raimundo, cui ſi quid ſcientiæ in me eſt, poſt Deum inter omnes mortales gratias rependo.* Idem Raimundus poſt mortem Geraldi in Abbatem electus eſt, ſtatimque ad eum Gerbertus congratulatorias dedit litteras. *Clariſſimo Patre Geraldo orbatus non totus ſupereſſe viſus ſum. Sed te deſiderantiſſimo ſecundum vota mea in Patrẽ creato denuo totus in filium renaſcor.* Extant aliæ plures ad eum eiuſdẽ Epiſtolæ.

Rainaldus ſeu *Ragenaldus* Burchardi Comitis Pariſienſis filius, Hugonis & Roberti Regum Cancellarius an. 988. ſubſcripſit cuidam teſtamento. Deinde Pariſienſis Epiſcopus factus viros litteratos exemplo patris plurimum coluit & amauit.

Rainardus Hugo de Bar dictus, vir nobiliſſimæ proſapiæ ex Comitibus Tornodori & Barri ſuper ſequanam oriundus, ad Lingonenſem ſedem promotus eſt

Digitized by Google

circa an. 1065. vir fuit impensè litteratus, de quo ſic habet Hugo Flauiniacenſis. *Anno* 1077. *LingonenſemEccleſiā Rainardus regebat, vir apprimè Rhetoricis imbutus ſtudiis, clarus ingenio, ſermone facundus, ſcientiâ praditus, affabilis alloquio & prudens conſilio.* Profectus eſt Hieroſolymam vnde rediens Conſtantinopolim inuiſit, indeque brachium S. Mammetis quod in Capella Imperatoris ſeruabatur, Lingonas attulit. Cuius martyris vitam & acta Paſſionis proſâ ac verſibus heroicis ex Græcis commentariis latinè ſcripſit.

Rainaldus Abbas S. Cypriani Pictanienſis, vir quoque eloquentiſſimus, in Philoſophicis diſciplinis inſtructiſſimus, ditiſſimus & munificentiſſimus, Roberti Caſæ-Dei fundatoris olim Diſcipulus: de quo ſic legitur in vita B. Bernardi ſucceſſoris, deinde Tironenſis abbatis. *Eſt ab hac ciuitate (Pictauina) non longe poſitum S. Cypriani Monaſterium, quod eo tempore regebat Abbas Rainaudus vir apprimè litteris eruditus, tantâ ſapientiâ praditus, vt in Conciliis publicis cauſarum perorator eſſet elegantiſſimus. Cuius rei gratia in Rom. etiam Curia bene notus & acceptus erat & in Aquitania famoſus habebatur.* Obiit an. 1100. cui Baldricus Burgulienſis ita cecinit.

In ſibi dilecto requieuit Philoſophia
Rainardo, quem vas fecerat eſſe ſuum.
Hinc igitur ſancti Cypriani floruit Abbas,
Eccleſiam ditans ordine, rebus, agris.
Pene loci quacunque fuit poſſeſſio primùm,
Hanc duplicem peperit ſolicitudo Patris.
Tandem Rainaldi pars promptior aſtra petiuit,
Hic qua terra fuit portio, terra fuit.

Extat ſimiliter apud eundem Baldricum Epitaphium Rainaldi Canonici olim S. Martini Turonenſis, deinde Archipræſulis Remenſis: quem virum mirificè quoque prædicat. Obiit Atrebati 19. Kal. Feb. an. 1096.

Ratbodus natione Teutonicus, Traiectenſis Epiſcopus 24. vir in Diuinis ſcripturis, teſte Trithemio, valde eruditus & ſecularium litterarum non ignarus, ingenio ſubtilis, eloquio clarus, vita & conuerſatione ſanctiſsimus, ad Scholas Palatinas regnante Carolo Caluo miſſus, ibique præceptorem habuit Mannonem ſeu Nanonem Philoſophum virum doctiſſimum. De eo ſic legitur apud Surium ad. 29. Nouemb. ex veteri MS. incerti authoris. *Prima atatis tempus exegit apud Guntherum Colonienſem Archiepiſcopum auunculum ſuum litteris operam nauans: ſed cum illi Epiſcopo res aduerſa accidiſſent, puer egregia indolis hortantibus ſuis, pleriſque etiam adiuuantibus, quippe quem Dei gratia quâ praditus erat, omnibus charum efficeret, primò ad Caroli Regis Francorum, inde ad Ludouici eius filij Aulam ſe contulit, non quod Palatinos ambiret honores, ſed quod intra Regis Palatium* Liberalium Diſciplinarum Studia *praclarè colerentur. Praerat autem Collegio illi Manno Philoſophus, cui ſanctus puer feruens diſcendi ſtudio adharebat.* Trithemius verò de eodem verba faciens lib. de ſcriptor. Eccleſ. *Hunc*, inquit, *in omnibus litteris humanitatis Nanno Philoſophus doctiſſimus inſtruxerat: qui Aduocatus in Palatio Regis Caroli Groſſi fuit & poſtea Monaſterium ingreſſus, tandem Epiſcopus, vt diximus, conſecratus, Eccleſiam Traiectenſem in graui Danorum perſecutione decem & ſeptem annis ſtrenue gubernauit.* Opuſcula quæ edidit, hæc ſunt. Laudes S. Martini l. 1. Laudes S. Bonifacii Epiſcopi l. 1. De S. Amalberga Homeliæ & Sermones l. 1. De S. Vuillebrodo l. 1. Integrum quoque de S. Martini Tranſlatione Officium compoſuit. Obiit an. 917.

Ratherius Leodienſis in Cœnobio Lobienſi Manachum induit, ibique in exercitio ſcholarum inſigniter floruit cum Scamino & Theoduino, vt legitur in lib. de Geſtis Abbatum Lobienſium. Plurima eius opera enumerat Folcuinus lib. prædicto c. 20. imprimis *Agonoſticum*, ſeu *Praloquiorum*, quem librum ad relegendum ſiue probandum miſit eruditiſsimis viris quos nouerat, Sobboni & Widoni Archiepiſcopis, Godeſcalco & Aurelio præſulibus, nec non Brunoni & Rotberto Galliarum archiepiſcopis, nobiliſsimis & in Philoſophicis ſtudiis eruditiſsimis, poſtremo verò Frodoardo Remenſi. In ea Burgundiæ parte quæ Prouincia dicitur, filium ditiſsimi cuiuſdam Roeſtangum nomine ad imbuen-

Digitized by Google

dum litteris poſtulatus, edocuit, ad eumque librum de Arte Grammatica conſcripſit, quem Gentilitio loquendi more *Seruadorſum* vocauit, cuius nempe præceptis puerulus qui Scholis aſſueſceret, à flagris dorſum ſeruare poſſet. Poſtulatus quoque ab Othone Imperatore Brunonem eius fratrem, qui fuit deinde Colonienſis Archiepiſcopus, erudiuit, vt in hiſtoriâ retulimus. Leodienſi Epiſcopatu ab ipſo Imperatore *in emolumentum Magiſterii*, annitente quoque Brunone donatus eſt. Sed inde deiectus Veronenſem Epiſcopatum quem iam ante exercuerat, recepit, qua in ſede multa damna, mala, calamitates & anguſtias tam à Clericis quàm à Laïcis pertulit, de quibus ad Ioannem Pontificem ſcripſit, legiturque Epiſtola in 2. tomo Spicilegij Dacheriani. Extant eiuſdem ad alios Epiſtolæ, extant & alia opera. De Contemptu Canonum Partes 2. Qualitatis Coniectura ſeu inuectiua in quendam. Diſcordia inter ipſum & Clericos. Liber Apologeticus. Epiſtolarum libellus. Synodica ad Presbyteros. Itinerarium Romam euntis. Sermones varij. In parte 1. Can. ſic ſcribit de nobilium pueris qui ad Scholas mittebantur. *Pone quemlibet Nobilium Scholis tradi, quod vtique hodie magis fieri ambitu videtur epiſcopandi quàm cupiditate Domino militaudi, ecce pes vnus ſuperbiæ, Parentum, ſcilicet elata voluntas. Is cum adoleſcere cœperit, aut de ipſa nobilitate, aut de quouis intellectus nomine, aut fortaſsis pulchritudine corporis, aut quia ſit ei, vt de quadam refert Hieronymus, cygneo canore vox forſitan dulcior, incipit inſoleſcere. His igitur Dæmonicis ſuperbiæ pedibus conculcatus eneruatur, & propter iactantiam vt ille primus in æternis craſsiorem, ita iſte in laſciuiam proſternitur turpiorem. Hinc demum non tam bigamus quàm multogamus effectus ſine examinatione prouehitur ad ſacerdotium, quod occaſio ſequentium omnium vſque ad perditionem animarum eſt profectò malorum.* In omnibus fere eius operibus idem ſpiritus cernitur contra Seculares Clericos, qui ad dignitates Eccleſiaſticas promouebantur.

Rathery plurimi authores ſynchroni & ſuppares meminerunt. Eraclius Epiſcopus Leodienſis, vt legitur in eius vita, ſic eum compellat. *Quis eſt vobis aut ſapientiâ aut probitate aut optimarum artium ſtudio aut innocentiâ aut vllo laudis genere præſtantior? patientia ſi memoratur, ſi fas eſt dicere fide ſalua ne Deum offendam, tu es ipſa.* Luitprandus l. 3. c. 11. *Venerat quidam Ratherius nomine qui ob religionem ſeptemque Liberalium Artium peritiam Veronæ Epiſcopus conſtituitur.*

Rogerius Benedictinus Ratherio ſuppar in vita S. Brunonis Colonienſis Archiepiſcopi mirificè Brunonem prædicat, quod expulſum Ratherium è Cathedra Veronenſi Leodienſem feciſſet Epiſcopum, ex Epiſcopatu deinde Leodienſi deiectum in Veronenſem reſtitui curaſſet.

Ratramnus Corbeiæ Picardicæ Monachus ſub Carolo Caluo floruit, eiuſque iuſſu librum edidit de Euchariſtia ſeu de Corpore & Sanguine Domini l. 1. De Prædeſtinatione lib 1. quæ Quæſtiones tum agitabantur in Scholis & in Eccleſ. quē porro vir ū licet nonnulli Hæretici ſibi vindicent, nuſquam tamen per 700. annos in vllius hæreſeos ſuſpicionem venit: vt plurium emeritorum virorum teſtimoniis probat D. Lucas Dacherius in præf. ad lectorem 2. tomi Spicil. de eo diximus in hiſtoria. Scripſit quoque 4. libros contra Græcos, qui Eccleſiam Latinam in multis reprehendebant, eoſque libros edidit Dacherius in 2. tom. Spicilegij, in quibus quantâ peritiâ conſpicuus fuerit Ratramnus, intelligitur.

Regimbertus vir litteratiſſimus & amiciſſimus Lupi Ferrarienſis, cuius ad eum extat Epiſtola 6. qua monet ſe ad Imperatoris præſentiam deductum annitentibus amicis, atque à Regina benigniſſime exceptum, ſpemque eſſe adipiſcendas alicuius in Aula Dignitatis: quod ſi euenerit, ſubitò ſe eum aduocaturum ad communium ſtudiorum exercitationem. *Superiore anno annitentibus amicis in præſentiam Imperatoris deductus ſum, & ab eo atque Reginâ benignè omnino exceptus nunc hoc eſt 10 Kal. Octob. Indictione 1. ad Palatium, Regina, quæ plurimum valet, euocante promoueor, multique exiſtimant fore vt citò mihi Gradus Dignitatis aliquis conferatur. Quod ſi Diuina exuberante gratia euenerit, non dubites illico te arceſſendum, vt vna permiſſu Imperatoris degentes* communium ſtudiorum exercitatione *iucundiſsima perfruamur.*

Remigius Antiſſiodorenſis Errici diſcipulus fuit cum Hucbaldo Caluo, qui deinde Lutetiæ & ipſi ſcholas habuerunt. Excelluit autem Remigius in Artium Liberaliū, præſertim verò Dialecticæ profeſſione, & licet miſerrimis temporibus

doceret

doceret, ſcilicet tunc eum Normani Lutetiam obſidebant & omnia vaſtabant, ad eum tamen confluebant vndequaque Diſcipuli, tanta eius erat fama nominis; vt vno Odonis Cluniacenſis exemplo probare licet: ſicut legitur in eius vita. *Odo vir beatiſſimus ex Francorum proſapia extitit oriundus, ſed intra domum Vvillielmi robuſtiſſimi Ducis Aquitaniæ eſt alitus. 19. ætatis ſuæ anno apud B. Martinum Turonis eſt tonſus, ibique Grammatica laribus eſt educatus. Deinde apud Pariſium Dialectica Muſicaque à Remigio doctiſſimo viro eſt inſtructus.* Et poſt alia. *Odo his diebus adiit Pariſium, ibique Dialecticam S. Auguſtini Deodato filio ſuo miſſam perlegit, & Marcianum in liberalibus artibus frequenter lectitauit: præceptorem quippe in his omnibus habuit Remigium.* Hinc intelligitur tum adhuc in Scholis publicis inualuiſſe morem docendæ Dialecticæ Auguſtineæ; non Ariſtotelicæ, vt notauit Ioannes Launoyius in ſuo de varia Ariſtotelis fortuna lib. c. 5. addens eam à doctiſſimo illo viro Remigio Lutetiæ traditam, eandem poſt Remigium ab Odone, & poſt Odonem ab aliis ſimiliter traditam, donec tandem aliquando Auguſtinus Ariſtoteli, Chriſtianus videlicet Gentili ceſſit. Eiuſdem Remigii Diſcipulus fuit inſignis Grammaticus M. Hildeboldus, qui in Monaſterio S. Michaelis ſuper Moſam Scholas aperuit, vbi inter alios Diſcipulos docuit Ioannem Gotziam Abbatem, vt in eius vita legitur per ſcriptorem coætaneum exarata. *Hildeboldus quidam Grammaticam profeſſus è Diſcipulis Domni Remigii doctiſſimi ea ætate Magiſtri Scholas habebat.* Hic autē Remigius noſter à Foleone Archiepiſc. Remenſi euocatus Scholas Pariſienſ. tunc fere ob bellorum Normanicorū rabiem deſertas ad tēpus deſeruit, vt quietius Remis ſcholas aperiret, vt docuimus in Hiſtoria ad an. 890. Neq; verò tantum in artiū profeſſione excelluit, ſed in Diuinis quoque ſcripturis verſatiſſimus & vita moribuſque inſignis fuit. Scripſit de celebratione Miſſæ Opuſculum in quo multa ex M. Floro deſumpſit. Item commentatus eſt in Mathæum & Pauli Epiſtolas, in Cantica Cantic. & in totum Pſalterium. Scripſit quoque de Feſtiuitatibus Sanctorum lib. 1. ad Epiſcopum Æduorum, Sermones etiam multos. Præterea Donatum & alios multos authores expoſuit. Itaque vt ait rectè Platina, *Formoſi Papæ tempora ne omnino infeliciſſima haberentur, effecit Remigii Antiſſiodorenſis virtus & Doctrina: hic enim multa commentatus eſt: & ſcripſit in Mathæum potiſſimum & Pauli Epiſtolas.* Caue autem hunc confundas cum Remigio Lugdunenſi Archiepiſcopo, qui Epiſtolę Synodali ad Wenilonem iuſſu Calui ab Epiſcopis tranſmiſſæ ſubſcripſit an. 859. nam iſte ante an. 876. obiit, noſter verò Remigius ſcholas adhuc regebat Pariſiis an. 900. Neque hic Epiſcopus vnquam fuit, neque Monachus, vt opinatur Trithemius: quod non omiſiſſet Flodoardus, ſi Monachum fuiſſe comperiſſet, præſertim cum de Scholis Remenſibus à Fulcone per Remigium & Hucbaldum Caluum inſtitutis verba faciens l. 4. c. 9. ſub finem, Remigium Antiſſiodorenſem ſolummodo Magiſtrum vocet, Hucbaldum verò S. Amandi Monachum appellet: vt in Hiſtoria retulimus. Non negarim tamen fuiſſe illo ſeculo Remigium quendam Antiſſiodorenſem Monachum, cuius meminit Lupus Fert. Ep. 116. quem vocat *Chariſſimum propinquum ſuum Remigium*: ſed Remigio noſtro tempora illius non conueniunt: nam obiit Lupus circa an. 860. Remigius verò noſter non niſi poſt an. 900. quandoquidem ex Hiſtoria vitæ Odonis Cluniacenſis neceſſe eſt, vt poſt obitum Fulconis qui an. 900. accidit, Pariſios redierit & ibi docuerit.

Remigius Treuerenſis Monachus Gerberti æqualis eique bonarum artium commercio coniunctiſsimus fuit: vt teſtatur ipſe Gerbertus plurimis ad eum datis litteris. in 134. ſic habet inter cætera. *Sphæram tibi nullam miſimus, nec ad præſens vllam habemus, nec eſt res parui laboris tam occupatis in Ciuilibus cauſis. ſi ergo te cura tantarum detinet rerum, volumen Achilleidos Statÿ diligenter compoſitum nobis dirige, vt ſphæram quam gratis propter difficultatem ſui non poteritis habere, tuo munere valeas extorquere.* In eandem rem ſcribit Ep. 148. *Prægrauat affectus tuus*, amantiſſime Frater, *opus Achilleidos, quod bene quidem incepiſti, ſed defeciſti dum exemplar defecit. Itaque & nos beneficÿ non immemores difficillimi operis incepimus ſphæram, quæ & torno iam ſit expoſita & artificioſè equino corio obuoluta. Sed ſi nimiâ curâ fatigaris habendi ſimplici fuco interſtinctam, circa Martias Kalendas eam expecta: niſi forte cum HoriZonte ac diuerſorum colorum pulchritudine inſignitam præſtoleris, annuū perhorreſcas laborē.* Scripſit quoq; ad eundē Ep. 152. poſt mortē Adalberonis.

Google

Riculfus cognomento Damæta Alcuini Diſcipulus Caroli M. Archicapellanus & magnæ apud ipſum authoritatis, ordinatus eſt Archiepiſcopus Moguntinenſis an. 785. 4. Non. Martias. Ex Hiſpaniâ in Gallias nouum Iuris Canonici corpus aduexit, quod eius opera & ſtudio Carolus publicari curauit. Eum vocat Leo III. *Sanctiſſimum*, Alcuinus Ep. 91. probatiſſimum amicum, & Ep. 93. Chariſſimum filium & fideliſſimum. *Tuæ congaudeo* dilectioni & præſtitæ fidei congratulor, quia *ſemper vbique te fidelem inueni & beneuolum erga me agnoui, ſicut filium in patrem.* & circa finem Ep. *Ego pene quaſi orbatus filijs remaneo domi. Damæta Saxoniam, Homerus Italiam, Candidus Britanniam receſſit. Obijt an.* 814. Inter poemata Theodulfi de eo ſic legitur.

Voce valens, ſenſuque vigil, ſermone politus
Adſit Riculfus nobilis arte, fide.
Qui etſi longinquâ fuerit regione moratus,
Non manibus vacuis tam tamen ipſe redit.

Rigbodus cognomento Macharius, Alcuini quoque Diſcipulus, Magiſtro ſuo vnicè charus, poſtea Treuerenſis Epiſcopus, ad quem extat Alcuini Epiſtola 34. querentis, quod ad ſe nihil litterarum daret. *Quid mihi*, inquit, *diuitias ſi non habeo quem amo, ſi non conſidero, quem deſidero? tua potentia mihi eſt miſeria. Vbi eſt dulciſſimum inter nos colloquium? vbi ſacrarum litterarum ſtudium deſiderabile? vbi communio charitatis quam fraternus amor hinc inde exercuit? vbi ſaltim memoria nominis noſtri? Ecce totus præterit annus, quo nec litterarum conſolatio oculis aduenit, nec ſalutationis officium auribus inſonuit. Quid peccauit pater, vt à filio obliuiſceretur? quid Magiſter vt Diſcipulus neglexerit eum? forte exaltatio ſeculi dedignata eſt nomen Magiſtri in illo: aut peregrinatio mea viluit in oculis ſuis, aut amor Maranis tulit memoriam mei. O ſi mihi nomen eſſet Virgilius! tunc ſemper ante oculos luderem tuos, & mea dicta tota pertractares intentione, & iuxta prouerbium illius eſſet apud te.*

Tunc felix nimium, quo non felicior vllus.

" *Quid faciam?* meam doleo infelicitatem, quia non ſum quem diligis. An
" tuam laudo ſapientiam, quia diligis illum qui non eſt? Flaccus receſſit, Virgi-
" lius acceſſit, & in locum Magiſtri nidificat Maro. Hoc dolens dictaui, vel pro-
" pter obliuionem mei, vel propter abſentiam tui.... vtinam Euangelia quatuor
" non Æneides 12. pectus compleant tuum. Extant plures aliæ ad eundem Epi-
" ſtolæ. Eiuſdem meminit Poem. 201. & Poem. 258.

Hæc tibi Machari deuoni munera paſtor,
Cum Chriſto & ſanctis in ſine ſine vale.
Sis memor Albini....

Obiit an. 804. vt teſtantur. An. Fuld.

Robertus Francorum Rex, Hugonis Capeti filius relictis Scholis Pariſienſibus, vt aiunt Seruinus & Naudæus, Remos ſe contulit ad Gerbertum, cuius cum Othone Othonis Imperatoris filio diſcipulus fuit, vt retulimus in Hiſtoria. Ille bonas artes quaſi poſtliminio reuocauit Pariſios, earumque profeſſores ſingulari amore dignabatur. Aimoinus Monachus Floriacenſis in vita Abbonis. *Ad vltimum*, inquit, *ſua non ignorans multis diſplicere ſcripta, Regibus ſe ſe commendat, præcipuè Domino Roberto quem ſcientia litterarum, ac idcirco diligentem fore nouerat ſtudioſorum.* Eidem Roberto nonnulli noſtrates Hiſtorici tribuunt Rectoris & Procuratorum in Academia Pariſienſi inſtitutionem. Verum in Hiſtoria fuſe ſatis probatum eſt, eiuſmodi honorum & magiſtratuum originem altius eſſe repetendam. Adiecit forte Robertus aliquid ad ſplendorem & dignitatem, vt viros litteratos ſibi litteratus ipſe demereretur. Præterea quæ de hoc Principe in Hiſtoria paſſim retulimus, Trithemius in lib. de ſcriptor. Eccleſ. ſic habet. *Rupertus Rex Franciæ nobilis, fortis, iuſtus, doctus & Religioſus inter Eccleſiaſticos ſcriptores merito locum recipit: quippe qui Cantus & Reſponſoria dulci & regulari mo-*

dulamine ad honorem Eccleſiæ Catholicæ compoſuit. In litteris Humanitatis, præſertim in Muſica doctiſſimus fuit: tantæ autem Religionis, vt horas Canonicas in Eccleſia decantaret cum Clericis, foris apud ſe legeret cum ſuis: tanta pietatis & miſerationis extitit in pauperes, vt ſuis ſe aliquando veſtimentis ſpolians eorum nuditatem multis vicibus operiret. De eius manibus liber nunquam recedebat: adeo vt pro Tribunali ſedens inter Iudiciorum & cauſarum ſtrepitus in ſinu apertum haberet pſalterium, vnde & poſt mortem miraculis coruſcaſſe legitur. Eius eſt illa vulgata Sequentia quæ cantatur diebus Pentecoſtes. De S. Spiritu, ſcilicet, *Veni ſancte Spiritus.* Reſponſorium de S. Petro, *Cornelius Centurio.* De natiuitate Domini, *Iudæa & Ieruſalem nolite timere.* Et illud Alleluya. *Eripe me de inimicis.* Et alia multa quæ neſcio. Reſponſorium *Cornelius Centurio*, Romæ ſummo Pontifice Miſſam celebrante, S. Petro in altari Offerrorij tempore cum magna deuotione obrulit. Accurrentes autem Miniſtri altaris arbitrari ſunt magni ponderis aurum obruliſſe diuitem Regem, ſed ſcedulam reperientes ſcriptam & notatam admirabantur, ingenium & deuotionem Principis collaudantes. Hinc Papa decreuit in memoriam ſanctiſſimi Regis rogantibus Clericis, vt hoc Reſponſorium in honorem S. Petri deinceps cantaretur. Hactenus Trithemius.

Robertus Arbriſellenſis ſic dictus à villula Arbriſellenſi minoris Britanniæ in agro Redonenſi, peragratis pluribus Prouinciis ad comparandas artes liberales demum Pariſios venit, ibique magna nominis celebritate docuit: vt in Hiſtoria retulimus. De eo ſic ſcribunt Sammarthani fratres in lib. de Abbatiis Gallic. breuiarium vitæ conſcribentes ex variis authoribus, præſertim vero ex Baldrico Dolenſi Epiſcopo. *Robertus Arbreſellenſis* ex minore Aremorica & vico ignobili vulgo Arbriſellum nuncupato parentibus Damaliocho & Orguendi progenitus adoleſcens patria abſceſſit Lutetiam profectus, vt in optimis Diſciplinis operam nauaret: in iis ergo ſummopere profecit: tum Redonis à Syluestro Antiſtite factus eſt Archipreſbyter eius Eccleſiæ &c. Sublato è viuis Syluestro æmulorum inuidiâ coactus cedere Andegauum ſe recipit: deinde aliquanto poſt aſſumpto ſodale Radulfo de Fuſteia Eremum petens colligit Canonicos Regulares, præficitur Monaſterio de Rota non procul à Credonio in Andibus dotante Raginaldo Toparcha: quod ab Vrbano II. confirmatur ani 1096. poſtremò inſtituit ſeu fundauit Monaſterium Puellarum apud Fontem Ebraldum, in quo voluit viros Abbatiſſæ tanquam Dei Genitrici parere. De hac inſtitutione Baronius ad an. 1:17. quo Robertus obiit. *Ferunt Ebraldum* quendam iuuenem genere nobilem, ſed moribus corruptis magna Sicariorum manu ſtipatum adiacētes vias Regias latrociniis olim infeſtaſſe, ſiluaſque tunc temporis frequentes inſediſſe quarū hodieque reliquiæ manſerunt non paruæ. Poſt hæc Theologum quendam Pariſienſem eximiæ Doctrinæ virum Diuinique verbi concionatorem inſignem Robertum de Arbruſcellis nomine eò aduenraſſe ſanctiſque exhortationibus ſuis non modo iuuenem illum vt mores vitamque mutaret, impuliſſe: ſed multos præterea omnium generum homines ad deſpiciendam ſeculi vanitatem auſterioriſque vitæ leges ſubeundas permouiſſe: ad quorum habitationem diſtincta iiſdem in ſeptis Monaſteria condidit ſua ſeorſim viris, virginibus ægrotis & mulieribus reliquis ædificando. Vniuerſæ porro congregationi Abbatiſſam præpoſuiſſe, quæ in omnes tum viros tum fœminas ius ſuum obtineret, ſtatuens vt viri Sancti Ioannis Euangeliſtæ, exemplo virginibus ſeu mulieribus parerent: & hæ vieiſſim B. Virginis exemplum ſequentes Religioſos tanquam filios amplecterentur. Statuta denique & conſtitutiones pro vtriſque ſeparatim perſcripſit.

Eiuſdem Roberti meminit Petrus Cluniacenſis l. 3, Ep. 17. quem ait fuiſſe Inſtitutorem & Magiſtrum Matris ſuæ Raingardæ in vita ſpirituali, quæ viro defuncto profeſſa fuerat Regulam Monaſticam in Monaſterio Marciniacenſi. De eo ſic pariter Neubrigenſis l. 1. c. 15. *Robertus famoſiſſimum illud Monaſterium feminarum* de Fonte Ebraldi conſtruxit & Diſciplinis informauit &c. Et Vvillielmus Malmeſburienſ. l. 4. de Reb. Anglic. Huius Petri (Pictauienſis Epiſcopi) fuerunt contemporanei & in Religione ſocii Robertus de Arbreiſel & Bernardus de Abbatis-Villa Abbas Tironenſis Quorum primus omnium huius temporis Sermocinatorum famoſiſſimus & profuſiſſimus, tantum non ſpumeâ ſed melleâ viguit

» eloquentia, vt hominibus certatim opes congerentibus illud egregium Sancti-
» monialium Monaſterium apud Fontem Ebraldi conſtrueret: in quo totâ ſeculi
» voluptate caſtratâ fœminarum Deo deuotarum quanta nuſquam multitudo in
» Dei feruet obſequio. Nam præter cæterarumillecebrarum abdicationem quan-
» tum illud eſt, quod in nullo loco loquuntur niſi in capitulo propoſitâ à Ma-
» giſtro perennis taciturnitatis Regulâ, quia ſemel laxatæ ſilentio fœminæ pronæ
» ſunt ad muſsitanda friuola. Alter nempe Bernardus famoſus paupertatis amator
» in ſaltuoſum & deſertum locum relicto ampliſsimarum diuitiarum cœnobio cum
» paucis conceſsit, ibique quia lucerna ſub modio latere non potuit, vndatim mul-
» tis confluentibus Monaſterium fecit magis inſigne Religione Monachorum &
» numero quàm fulgore pecuniarum & cumulo.

Hiſce duobus inſignibus viris addendus Vitalis fundator Abbatiæ Sauiniacæ in confinio Britanniæ, Cenomaniæ ac Normaniæ. Erant enim iſti 4. Condiſcipuli, Robertus, Bernardus, Radulfus de Fuſteia, & Vitalis, omneſque Abbatias fundarunt & inſtituerunt. Quanto autem animi robore & fortitudine ſe geſſerit Robertus in Concilio Pictau. contra inceſtas Philippi Regis Nuptias, Hiſtoria temporis teſtatur. Quam eius vitæ geſtorumque partem miror à Baldrico Dolenſi Præſule fuiſſe prætermiſſam. Nam certum eſt Philippo primùm fuiſſe ob id exoſum, deinde verò acceptiſſimum, poſtquã ſe eius operâ è vitiorũ voragine retractum agnouit, & Berthradam pellicem ad Religioſum ſtatum quem in Monaſterio Altæ-Bruериæ profeſſa eſt, perductã. Eiuſdem præſertim facundiâ vſus eſt Vrbanus ad promouendam Expeditionem Hieroſolymitanam, cum in arte concionatoria ſupra cæteros Chriſti præcones emineret. Vnde vocat eum Baldricus *Singularem Seminiuerbium*, *Doctorem illuſtrem & eximium, verbis & operibus admirandum*, *virum extollendum & imitandum*, & alio loco, *iſte ſiquidem*, inquit. *Robertus Sol s Orientalis radius*, *Lucifer irreuerberatus*, *prædicator poteſtatiuus Occidentalem orbis plagam irradiauit & ignorantiæ tenebras ore poteſtatiuo defuſcauit*. Vnde idem ad Petronillam, Abbatiam Fontis-Ebraldi vocat, *Fontem* (Occidentalem Abbatiam.)
vberem, *fontem prædicationis*, *fontem religionis*. *Redolebat*, inquit, idem Baldricus,
" in eo quodammodo odor diuinæ facundiæ: nam rarus erat ſimilis eloquentiæ.
" Vnde factum eſt vt eo audito multi corda ſua percuterent, ſuiſque primis con-
" uerſationibus abrenunciarent, alii domum ſuam reuertebantur, prædicationibus
" eius meliorati: alii ſecum demorari cupiebant, eiuſque famulatui deſeruire &
" in remoti conſodales ei adhærere cogitabant.

Ipſe quoque D. Papa Vrbanus II. eius famâ commotus, iuſſo Andegaui in ſolenni Eccleſiæ dedicatione concionem habere ad populum Roberto, agnouit rei veritatem famæ reſpondere. Hincque ei imperauit & iniunxit prædicationis officium, fecitque ſecundum à ſe Dei *Seminiuerbum*. *Hinc ex tunc Summi Pontificis legationi curioſus cœpit inſiſtere & finitimorum Epiſcopatuum regiones perambulare*. Denique eo munere functus pluribus annis, poſt inſtituta Canonicorum quos Regulares vocant, Collegia, fundatum Monaſterium Fontebraldenſe, miraculis clarus obiit in Domino apud Vrſanum an. 1117. 5. Kal. Martias in agro Bituricenſi: cuius corpus Leodegarius Archiepiſcopus ad Fontebraldenſe Monaſterium comitantibus plurimis Prælatis, viris nobilibus & populo deuexit, ibique ſepeliuit die Martis poſt obitum duodecimo iuxta maius altare templi, vbi iacuit vſque ad an. 1622. quo Ludouica de Borbonio Abbatiſſa illi Mauſolæum nouo pegmate exornauit.

Rodulfus cognomento Clericus & Mala-corona, natione Normanus, Geroii filius & Ernoldi Groſſi nepos, liberalium artium & Medicinæ peritiâ clariſſimus fuit, de quo ſic habet Ordericus ad an. 1050. *Clericus cognominatus eſt, quia peritia litterarum aliarumque artium apprimè imbutus eſt. Hic & Mala-Corona vocabatur, eo quod in iuuentute ſua militaribus exercitijs & leuitatibus detinebatur. Artis Medicinæ peritiſſimus fuit, multarumque rerum profunda ſecreta, vnde ſenes liberis & nepotibus ſuis adhuc præ admiratione loquuntur, cognouit.* Eamdem nominis reddit rationem Gemmeticenſis l. 7. *Rodulfus*, inquit, cognomento Clericus, quia copioſè litteratus erat: & Mala-Corona, *quia militaribus exercitijs Clericatus grauitatem malè ſeruabat*. Quomodo verò & vbi artes liberales Medicinamque compararit, docet idem Ordericus ad an. 1059. *Eodem tempore Rodulfus cognomento Mala-Corona*,

Vticum venit, ibique cum Roberto Abbate ſuo videlicet nepote diutius habitauit. Hic nimirum, vt paulò ſuperius meminimus, ab infantia litteris affatim ſtuduit, & Galliæ Italiæque ſcrutando Scholas ſecretarum indaginem rerum inſigniter attigit. Nam in Grammarica & Dialectica, in Aſtronomia quoque nobiliter eruditus eſt & Muſica. Phyſicæ quoque ſcientiam tam copioſè habuit, vt in vrbe Salernitana, *vbi maximè Medicorum Scholæ ab antiquo tempore habentur,* neminem in Medicinali arte præter quandam ſapientem Matronam ſibi parem inueniret. At quamuis tantâ litterarum peritiâ polleret, non tamen otio ſed militiæ labori diu mancipatus eſt.

Romulfus Abbas Senonenſis Gerberti æqualis & in exercitio litterarum ei coniunctiſſimus; vir ſtrenuus & eloquens, qui cum Abbone Floriacenſi Arnulfi Remenſis cauſam acerrimè defendit, vt legitur in Hiſtoria depoſitionis. *Sed aderant acerrimi defenſores ſcientiâ & eloquentiâ inſignes, Ioannes Scholaſticus Antiſſiodorenſis, Romulfus Abbas Senonenſis, Abbo Rector Cœnobij Floriacenſis.* Extant aliquot Gerberti ad ipſum Epiſtolæ, ex quibus apparet virum fuiſſe liberalibus diſciplinis addictiſſimum. In 13. Additiarium à Sirmundo ſic habet. *Officia dantis & accipientis muneribus veſtris executi eſtis. Nihil enim nobis antiquius in humanis rebus clariſſimorum hominum ſcientia, quæ vtique multiplicibus librorum voluminibus explicatur. Agite ergo vt cœpiſtis, & fluenta M. Tullij ſitienti præbete. M. Tullius medijs ſe ingerat curis, quibus poſt vrbis noſtræ perditionem ſic implicamur, vt ante oculos hominum felices, noſtro iudicio habeamur infelices.*

Rorico filius Naturalis Regis Caroli Simplicis an. 949. ad Epiſcopatum Laudunenſem promouetur, tunc tantùm Diaconus & ab Artaldo Remenſi Archiepiſcopo conſecratur. Paralyſis languore correptus obiit an. 976. 13. Kalend. Ianuar. in vigilia S. Thomæ Apoſtoli poſt laudes matutinas. Virum fuiſſe doctiſſimum & eloquentiſſimum apparet ex Ep. Aſſonis Monachi ad Gerbergam Reginam de Antichriſto, in qua ſic habet. *Quamuis non indigeatis à me hoc audire, quæ apud vos habetis prudentiſſimum paſtorem D. Roriconem, clariſſimum ſpeculum totius ſapientiæ atque eloquentiæ hac valde noſtra ætate.*

Roſcelinus natione Armoricus, Compendienſis Canonicus, profeſsione Dialecticus, Ioannis Nominalium Principis diſcipulus & ſectator acerrimus, qui ob nouitatem doctrinæ hæreſeos accuſatus eſt: & quemadmodum Berengarius in Euchariſtiæ, ſic iſte in Trinitatis myſterio errores varios ſeminaſſe viſus eſt Chriſtianæ fidei contrarios: quos quidē non indicat Iuo Carnot. Ep. 7. ad ipſum, at Anſelmus tum Beccenſis Abbas ſcribens ad Fulconem Beluacenſem Epiſcop. qualis ille fuerit ſignificat. Partem Epiſtolæ ex MS. retulimus in Chronologia, ex qua facile erit intelligere locum Ep. quam ſcripſit Anſelmus ad Vrbanum II. iam factus Cantuarienſis Archiepiſcopus. Refert enim cum in Becci Monaſterio eſſet Abbas, præſumptam fuiſſe à quodam Clerico hanc aſſertionem in Francia *ſi in Deo tres ſunt perſonæ, vna tantum res & non ſunt 3. res, ergo Patrem cum Spirit. S & cum Filio incarnatum fuiſſe.* Et paulo poſt addit illum in Concil. Sueſſionenſi corā venerabili Remenſi Arch. Rainaldo errorem ſuum abiuraſſe: audiſſe tamen poſtea præfatæ nouitatis authorem in ſua ſententia nihilominus perſeuerare, & dicere ſe non alia de cauſa abiuraſſe ſententiam, niſi quia populum timebat. Hæc cauſa fuit, cur Anſelmus ſuum de Incarnatione librum ediderit. Contra eundem Roſcelinum ſcripſit M. Theobaldus Stampenſis, Oxonienſis Doctor, propterea quod aſſerebat filios Sacerdotum eſſe à ſacris Ordinibus arcendos.

Rudolphus Rabani in Fuldenſi Schola Diſcipulus, vir doctiſsimus & omnium ſecularium artium notitiâ clariſſimus, cuius præclara fit mentio in Annalibus Fuldenſibus ad an. 865. his verbis. *Ruodolphus Fuldenſis Cœnobij Presbyter & Monachus, qui apud totius pene Germaniæ partes Doctor egregius, & inſignis floruit Hiſtoriographus & Poeta, atque omnium artium nobiliſsimus author habebatur 8. Id. Mart. diem vltimum feliciter clauſit.*

Ruthaldus ſeu Rathaldus Monachus Fuldenſis, deinde Hirſaugienſis, Rabani & Strabi Diſcipulus, vir vndequaque doctiſſimus, qui prætulit ſtudia & quietem Epiſcopatui Halberſtadenſi, quem ei poſt mortem Haimonis offerebat Ludouicus. Scholam publicam exercuit, atque etiam ad eam ſeculares admiſit. Obiit an. 865. 8. Kal. Nouemb.

S

San-Galenſis Monachus vulgo innominatus (creditur tamen eſſe Notkerus Balbulus Monachus S. Galli)ſcripſit duos libros de Geſtis Caroli M. ex telationibus Adalberti filii Sigulfi veculi & Vverinberti Sacerdotis eiuſdem Adalberti filii : quorum priorem inſcribit *de Religioſitate & Eccleſiaſticâ Domni Caroli Cura*. Alterum ſic *De rebus Bellicis Caroli M*. Eos autem iuſſu Caroli Craſſi compoſuit eique dedicauit, qui Ludouici Germaniæ Regis filius, Pij Nepos & Magni Pronepos tunc Imperium regebat. Sic enim ille l. 1. c. 21. *Nimium pertimeſco ô* Domne Imperator Carole, *ne dum iuſſionem veſtram implere cupio, omnium profeſſionum & maxime ſummorum Sacerdotum offenſionem incurrem*. Item l. 2. c. 14. atauum ipſius vocat Carolum M. & auum Ludouicum Pium. Et c. 15. eiuſdem libri loquitur de Ludouico ipſius patre. Et c. 25. *Propoſueram quidem Imperator Auguſte*, inquit, *de ſolo proauo veſtro Carolo omnia vobis ſcientibus quæcunque fecit, breuem narratiunculam retexere : ſed cum ita ſe obtulerit occaſio, vt neceſſariò memoria fiat glorioſiſſimi patris veſtri Ludwici cognomento Illuſtris & Religioſiſſimi proatavi veſtri* Pipini Iunioris, &c. Meminit etiam Hartmuti Abbatis S. Galli quem Stumfius l. 5. c. 5. ait reſignaſſe Abbatiam an. 882. aut 883. Itaque cum Carolus Craſſus obierit aut certè Imperio priuatus ſit an. 888. neceſſe eſt circa an. 887. hanc Hiſtoriam fuiſſe à San-Gallenſi ſcriptam : imperare enim tantùm cœpit an. 886. Author autem iſte l. 2. c. 26. ſe valde ſenem hos libros ſcripſiſſe teſtatur. *His igitur*, inquit, *quæ ego balbus & edentulus, non vt debui, circuitu tardiore diutius explicare tentaui*.

Seguinus vel Seuinus Rainardi I. Comitis Senonenſium ex ſorore nepos, egregiis virtutibus non minus quàm claritate generis inſignis, omnium Canonicorum votis Antiſtes eligitur Senonenſis & Autiſsiodori 13. Iulii an. 978. inungitur. Pallium Archiepiſcopale & Primatum à Ioanne XV. accepit. Præſedit Synodo Remenſi aduerſus Arnulfum Remenſem iuſſu Hugonis Regis, nec vnquam adduci potuit, vt in eius diſpoſitionem conſentiret. Ideo autem præſedit, quanquam aliàs ſuſpectus Hugoni, quia eum vitæ meritum & ſcientia commendabant: ſic enim legitur in hiſtoria Depoſitionis. *Habita ratione totius ſummæ Synodi, dignitas prælaturæ ac poteſtas quaſi iudiciaria ſtetit penes Archiepiſcopum Seguinum, quem & ætas & vitæ meritum ac ſcientia commendabant*. Obiit autem an. 999. ſepultusque eſt in Capitulo S. Petri Viui Archiepiſcoporum olim tumulo : eique tale Epitaphium exaratum eſt.

Hic humilis tumulus merito cunctis venerandus
Seuini membra continet egregia.
Angelicam cuius felix animam Paradiſus,
Paſtorum ſancto poſſidet in numero.
Qui mitis ſanctæ pro Religionis honore
Hac in ſede ſedens multa tulit patiens.
Iamque ſenex factus migrauit in Aſtra locandus,
Cui parcat petimus, Cunctipotens Dominus.

Seulfus Remigii Antiſſiodorenſis in Scholis Remenſibus olim Diſcipulus, ex Archidiacono Remenſi factus eiuſdem Eccleſiæ Archiepiſcopus poſt mortem Heriuæi an. 921. de quo ſic Flodoardus lib. 4. Hiſto. Remenſis c. 18. *Succeſſit Seulfus, qui tunc vrbis huius miniſterio fungebatur Archidiaconatus, vir tam Eccleſiaſticis quàm ſecularibus diſciplinis ſufficienter inſtructus, quique apud Remigium Antiſſiodorenſem Magiſtrum in liberalibus ſtudium dederat artibus*. Occubuit autem veneno potatus, vt creditur, morte immaturâ 7. Aug. 925. Heriberti Veromanduorum Comitis dolo, qui filium ſuum Hugonem puerum quinquennem ſubſtitui volebat.

Sigulfus Maior & Sigulfus Minor, vterque Alcuini Diſcipulus. Quid de maiore dicendum ſit, non habeo; niſi quod audiuit Alcuinum, pater fuit Adhelberti ſeu Adalberti Militis qui Hunico Saxonicoque & Sclauico Caroli M.

bello interfuit, paterque ipſe fuit Werimberti Sacerdotis a quo Monachus Sangallenſis Hiſtoriam didicit *Monachorum Scotorum*, vt ait in præfat. lib. 2. Sigulfus verò Iunior Diſcipulus quoque fuit Alcuini; Eccleſiæque ſe à pueritia tradidit. Scholam habuit, & inter alios diſcipulos Aldricum edocuit, qui primò Ferrarienſis Abbas, deinde Archiepiſcopus Senonenſis fuit. Senex verò ad Ferrarienſis Cœnobii Monachos ſe contulit, vbi & Abbas fuit: & paulo poſt depoſitâ hac curâ & prouinciâ vltro ſe Aldrico Diſcipulo ſubiecit, qui omnium cõſenſu in Abbatem electus eſt: qua de re ſic Lupus Ferrarienſis Aldrici alumnus Ep. 29. ad Wenilonem Archiepiſc. Senonenſem, *Vt de coniugys taceam*, inquit, *quæ ob Dei amorem ſeparata ſunt, quorum magna nobis ſuppetit copia, certè Ferrarienſis Monaſterij, cui indignus deſeruio quondam nobis Abbas & Presbyter Sigulfus, qui vſque ad ſenium Canonico habitu laudabiliter vixerat, ſponte ſe poteſtate exuit, & noſtram hoc eſt Monachicam Religionem aſſumpſit, atque donec diem obiret ſuo paſſus eſt ſubiici diſcipulo quem ipſius voluntate ac fratrum conſenſu Imperator* Ludouicus *memorato loco Abbatem præferebat.* Ex his verbis manifeſti erroris conuincuntur Sammarthani fratres, qui Singulfum inter Abbates Ferrarienſes ſextum collocant ante annum 750. immediatum verò prædeceſſorem Aldrici Alcuinum ponunt ad an. 813. nullâ factâ Sigulfi mentione, quem certum eſt fuiſſe præceptorem Aldrici, ipſumq; deinde Abbatem. Non nego tamen quin Alcuinus Abbatiam illam rexerit: quinimo eo Abbate Aldricus Monachalis Diſciplinæ ſuſcepit inſignia, vt ſcribit author Anonymus in eius vita.

Porro eodem Sigulfo dictante Anonymus quidam eius Diſcipulus ſcripſit vitam Alcuini, quæ eiuſdem operibus præfixa eſt: ſic enim ait in Prologo. *Superna Chriſti rorante dexterâ* ac iuuante gratiâ, Reuerendiſſime Pater æquè ac amantiſſime, iubes vt tibi de admirandæ vitæ initio fineque Patris Alcuini quæ eius noſſe potui narrante fideliſſimo Sigulfo diſcipulo, ſermone licet inculto & paruo, tamen veritate referto ſcribam ædificationi nonnullorum profutura. Et in fine eiuſdem Prologi. *Scribam igitur fideliter* quæ ab eius fideliſſimo tantùm didici Diſcipulo, Sigulfo ſcilicet *Inſtitutore meo*, dilectiſſimum quem tu quoque habuiſti patrem, qui præ cunctis mortalibus poſt S. Edberti diſceſſum ſolus ipſius meruit noſſe ſecreta eximia.

Ipſe Alcuinus Sigulfo Preſbytero dedicat Commentaria ſeu Interrogationes & Reſponſiones ſuas in librum Geneſeos, eumque vocat *fratrem* & *fidelem ſocium*, forte quia eum & Pariſiis & Turonis Auditorem habuerat, *quia*, inquit, indiuiduus & fidelis mihi Chariſſime Frater *ſocius tanto tempore fuiſti, & quia te ſacræ lectionis ſtudioſiſſimum eſſe noui, &c.*

Idem Sigulfus adfuit Magiſtro morienti, eiuſque meritis acerbiſſimo capitis dolore ſanatus eſt, vt in Alcuini vita ſcribit prædictus Anonymus. *Pater Sigulfus*, inquit, corpus Patris cum quibusdam *aqua honorificè lauans poſuit ſuper feretrum: habebat nempe & ipſe tunc magnum dolorem capitis, ſed fide animo ſanus citam reperit ſanitatem capitis. Oculos namque ſuper Magiſtri lectulum eleuans cernit pecten, quo ipſe ſuum ſolebat pectinare caput. Iſtum ergo manibus ſumens ait.* Credo Domine Ieſu, quia ſi iſto Magiſtri mei pectine meum pectinauero caput, meritis illius ſtatim ſanabitur. *Vbi igitur prima vice pecten duxit per caput, quantum de eo tetigit, totum ſanum habuit, ſicque totum pectinando gyrans omnem dolorem amiſit.*

Smaragdus, dictus Ardo Smaragdus, Abbas ſecundum aliquos S. Michaelis in periculo maris; ſecundum alios S. Michaelis in Saxonia; Item ſecundum nonnullos, S. Michaelis Virdunenſis ad Moſam: poſtremo Cœnobii Aniani ſecundum alios. Alii diſtinguunt hoc ſeculo duos Smaragdos, vnum Abbatem S. Michaelis ad Moſam; alterum Monaſterii Aniani Diœceſis Monſpeſſulanæ preſbyterum. D. Lucas Dacherius tres diſtinguit Smaragdos. I. qui tempore Caroli M. vixit interfuitque Synodo cuidam Romanæ ſub Leone III. in ſecretario Baſilicæ Vaticanæ cum Ieſſe Ambianenſi Epiſcopo & Adalardo Corbeienſi Abbate à Carolo miſſis: Idemque dedicauit iam valde ſenex Ludouico Pio Caroli filio opus aureum quod inſcribitur. *Via Regia*, iſque fuit Abbas S. Michaelis vulgo *S. Miel*. 2. qui Presbyter & Monachus Anianus in ſeptimania dœceſis Magalonenſis, qui floruit quoque ſub Ludouico Pio. 3. Smaragdus Luneburgenſis Monaſterii in Saxonia Abbas circa an. 972. Secundi quidem qui Preſbyter & Monachus

Nullus enim Monachus peccoti pondere preſſus,
Stelligeri poterit Regna ſubire Poli.
Omnis euim Monochus lochrymis commiſſa lauare
Debet, & vlterius nulla lauanda pati.
Temperat interea Monachi diſcretio mentem,
Vt via per medium Regia ducat eum.
Vt caueat dextram ſolers, timeotque ſiniſtram,
Hortentur ſacræ munia legis eum.
Triſtia non timeat, timeat ſed proſpera mundi,
Scondere tunc poterit Regna beata Poli.
Quiſquis amat rutilos ſanctorum corpere fructus,
Actibus in cunctis conſocietur eis.
Moribus ornatus & caſto corpore compsus
Viuat, & à Domino ſemper amatus erit.
Sit tacitus, humilis, mitiſſimus atque benignus.
Sit patiens, ſobrius, prouidus atque pius.
Indolis & docilis, ſapiens ac mente puſillus,
Conceptus, plocidus & bene cautus eat.
Excitet interea cordis compunctio fontem,
Qui ſordes animæ illuuiemque lauet.
Chriſmate perfuſo lachrymarum fuſio fonti
Æquiparat, maculas tergit vt ille nigras.
Tergit & ablutos Paradiſi rite colonos
Efficit, vt eiues iam ſine ſine petat.
Qui ingiter laudes poſſint perſoluere grotas,
Viuere cum Domino ſemper & eſſe ſuo.

Smaragdi Abbatis S. Michaëlis vulgò *S. Miel* meminit Frothatius Epiſcopus Tullenſis Temporibus Ludouici Ep. 1. ad Hilduinum. *Domno Imperatori innoteſcimus ego & Smaragdus Abbo, qualiter Iſmundus Abba & Monachi eius quadam ſimultate à ſe inuicem diſcordent.* Et Ep 3 ad Imperatorem *Ad aures miſericordia veſtra reducimus* piiſſime Imperator, ego Frotharius Epiſcopus & Smaragdus Abbas, *quod tempore Fortunoti Mediolanenſis Monaſterii Abbatis per iuſſionem veſtram Smaragdus ipſius Monaſterii Monachis portionem de Abbotio dedit, vt regulariter viuerent* Obiit eodem Ludouico Imperante, extatque hoc eius Epitaphium in veteribus monumentis repertum.

Cum Pius Imperii Ludouicus iura teneret,
Smaragdus viguit iſtius Abba loci.
Qui locus humanis quod erat minus vſibus aptus,
Hanc procul hinc ſedem tranſtulit ille ſuam.
Cum tamen ad Regnum meruit cæleſte vocari,
Reddidit antiquo membra fouendo loco.
Scorpio iam Phœbi duodenâ parte premebot,
Sidera Theologo cum patuere viro.

Huic ſucceſſorem adſcribunt Sammarthani Hilduinum an. 823. & Hilduino Hadegaudum an. 841. Quod ſi ita eſt, Smaragdus ille obierit neceſſe eſt circa an. 823. Porro Smaragdus vulgò recenſetur inter primos Magiſtros Pariſienſes, vt in Theodulfi vita dicetur.

T

THeobaldus Stampenſis poſtquam Lutetiæ aliquandiu docuit, in Angliam tranſiit & Oxoniæ ſcholas habuit Theologiæ. Acerrimi fuiſſe videtur ingenii vir, vt patet ex aliquot eius Epiſtolis nuper editis à D. Luca Dacherio in 4. Tomo Spicileg. quarum prima eſt ad Epiſcopum Lincolnienſem de Quibuſdam in Diuina pagina titubantibus; cuius hoc eſt initium, *Si quis prædicat & prædicando temerè*

deſiniat aliquem non poſſe ſaluari quacunque hora manus ſuas pœnitentiæ dederit, fallitur. Et in fine: *Si quis verò hanc Epiſtolam improbare voluerit & hos præfatos Doctores Catholicos recipere noluerit, lapide percutiatur, percuſſus comminuatur, comminutus in puluerem redigatur.* 2. eſt ad Pharitinm Habendonenſem Abbatem: in qua contendit puetos ſine ſacramento baptiſmi vitā æternam nullarenus aſſequi poſſe. 3. ad Margaritam Reginam, qua ſe ſuaque obſequia illi offert, ſe vero ita ſubſcribit *Theobaldus Stampenſis Doctor Cadumenſis*. 4. ad Philippum amicum, quâ eum ſolatur ob iniurias quibus laceſſebatur. 5. ad Roſcelinum Compendienſem Clericum, quam retulimus. Pitſeus ait eum fuiſſe Cardinalem, purpuramque Cardinalitiam Romæ induiſſe & ſeculo 13. vixiſſe; ſed fallitur. De eius Cardinalatu dubitat Ciaconius ſub Nicolao IV. *Theobaldus Stampenſis Anglus* (imo Gallus) *de cuius Cardinalatu addubito, quidquid dicat author* (Pitſeus) *Catalogi Scriptorum Angliæ.*

Theodulfus ſeu *Teudulfus*, natione Italus, & ex Gallia Ciſalpina à Carolo M. in Franciam vt aliqui credunt, adductus, primumque Floriacenſis Abbas, deinde Aurelianenſis factus Epiſcopus, iam ante an. 794. quo nomen eius recenſetur inter Epiſcopos, qui Concilio Franco-Furdienſi contra Felicem interfuerunt. Qualis autem vir fuerit, quantæque doctrinæ, vel ex vna Alcuini Ep. ad Carolum patet, qui cum ab eo Felicis Vrgelitani librum confutandum accepiſſet, exemplaria eiuſdem libelli obſecrat tradi Richbodo & Theudulfo Epiſcopis *Doctoribus & Magiſtris*. An. 811. Teſtamento Caroli ſubſcribit. Item Decretis ſynodi San-Dionyſiacæ an. 813 Anno 816. cum aliis Epiſcopis excipit Remis, aliqui dicunt Aureliæ, Stephanum Papam. Anno 817. coniurationis cuiuſdam contra Ludouicum Imperatorem particeps & popularis eſſe compertus eſt. Bernardus enim Ludouici nepos Rex Italiæ prauorum quorundam Conſiliariorum ſuggeſtione dementatus tyrannidem moliri aggreſſus erat, & ſtabiliſſet, niſi Imperator naſcentes motus celeriter compreſſiſſet. Coniurationis Princeps erat Egiddeo inter omnes amicos Regis primus, inquit Eginhardus, Reginhardus Cubicularius, Reginharius Meginharii Comitis filius: præterea Anshelmus Mediolanenſis, wolfoldus Cremonenſis & Theodulfus Aurelianenſis Epiſcopi. Hæc ille diſtinctis verbis. Idemque affirmat Theganus. Coniuratione ergo detecta capriſque popularibus, Bernardus oculis priuatur & triduo poſt moritur: non tamen id factū iuſſu Imperatoris. Multi capitali iudicio damnati. *Epiſcopos ſynodali Decreto depoſitos*, inquit Eginhardus, *Monaſteriis mancipari iuſſit*. Theodulfus Andegaui in carcerem coniectus an. 818. poſt aliquot verò annos cum Imperator illac tranſiret, moramque in vrbe aliquandiu feciſſet, Theodulfus è feneſtris carceris vt eum vidit cum aliis in ſolemni ſupplicatione Dici Palmarum procedentem, hymnum quendam à ſe compoſitum tanta ſuauitate cantare cœpit, vt Imperatoris animum flexerit. Statim enim præcepit eum ſolui, & ad Epiſcopatum redire. In huius verò rei memoriam iuſſit vt deinceps in Proceſſione Ramis Palmarum hymnus Theodulfi decantaretur, qui eſt huiuſmodi.

GLORIA LAVS ET HONOR TIBI SIT REX CHRISTE REDEMPTOR
Cui puerile decus prompſit Oſanna pium.

Scribunt tamen nonnulli Theodulfum poſtquam ſolutus eſt, priuato veneno interiiſſe. Alii cum ad ſuam rediret Eccleſiam an. circiter 821. obiiſſe: quæ eſt ſententia Sirmondi. Alii ſcriptores non conſentiunt. Vincentius Beluacenſis ad an. 841. ait adhuc floruiſſe. Author Chronici Vizeliacenſis an. 804. obiiſſe: alii an. 829 ſed Sirmondi præualent coniecturæ. Eius captiuitatem multi ex amicis defleuerunt, inter cæteros maximè Modoinus Epiſcopus Auguſtodunenſis l. 4. car. 9. quod legitur inter Poëmata Theodulfi.

Sæpe queror caſum deflendo inſontis amici.
Ore fluunt lachrymæ, amnis ab ore meo.
Sæpe tuam ingeminans luxi flens ipſe ruinam,
Proh dolor! amiſſo Præſul honore peris!
Exilium innocuus pateris pertriſte ſacerdos

Inclytus, expertus Præſul enorme malum.
Nonnullis prodeſſe ſolet prudentia multa,
Læſus ab ingenio es pater ecce tuo.
Præcipuè tua magna tibi ſapientia ſoli
Obſuit, & quod habes triſte parauit onus.

Cæterum vir fuit in Diuinis ſcripturis verſatiſſimus, & in ſecularibus litteris à iuuentute inſtructus claruit: carmine & proſa excelluit, cuius hodie extant quædam opuſcula vtroque ſtylo conſcripta. Edidit Capitula ad Presbyteros ſuæ Diœceſeos. De Ordine Baptiſmi ad Magnum ſeu Magnonem Senon. Archiepiſcop. De Spiritu S. ad Carolum M. Carminum ad Diuerſos lib. 6. *De 7. Artibus liberalibus in quadam Pictura depictis, &c.* Docuit quoq; publicè Pariſiis in ſcholis Palatinis, ſed non eo ordine quo ponit Ademarus Engoliſmenſis ſic ſcribens. *Beda docuit Simplicium & Simplicius Rabanum, qui à transmarinis oris ab Imperatore Carolo vocatus in Pontificem in Francia promouetur, qui Alcuinum docuit; Alcuinus Smaragdum, Smaragdus Theodulfum Aurelianenſem Epiſcopum, Theodulfus Heliam Scotigenam Engoliſmenſem Epiſcopum, &c.* Nam Alcuini quidem potuit eſſe Diſcipulus & Smaragdi Abbatis Magiſter, non verò Heliæ Scotigenæ, cum iam an. 794. eſſet Epiſcopus, Helias verò Scotigena non ante an. 860. fuerit Epiſcopus factus Engoliſmenſis. Crediderim itaque Alcuini fuiſſe diſcipulum Theodulfum, Smaragdum Theodulfi, Smaragdi verò Heliam.

Theophilactus Alcuini amicus, Academiæ Romanæ Magiſter egregius; ad quem extat Alcuini Poema. 215.

Theophilacte Pater, Sophiæ tu Doctor honeſtus,
Laudibus egregiis clarus in orbe procul.
Vrbs caput orbis habet te Maxima Roma Magiſtrum,
Verba ſalutis habes ſemper in ore tuo.
Omnibus es mitis ſanctâ pietate Magiſtrâ,
Quæ ſolet egregium cor habitare tuum.
In qua meque precor gremium caritatis amicum
Sim licet ignotus, ſuſcipe ſancte Tibi.
Nam ſcriptura canit vero paradigmata ſancta
Carmine, quæ laudes concelebrat Sophiæ.
Si vt Muſtum nobis tecum veteraſcat amicus,
Si hodie dulce bibis, dulcis amicus eris.
Dixerat & Paulus Doctor clariſſimus Orbis,
Cuncta probate prius, quæque tenete bona.
Obſecro te ſupplex animo me ſpernere noli,
Sed ſolita fratrem me pietate proba.
Suadeo quippe tibi Doctor clariſſime Mundi,
Vt Doctrina ſacro currat ab ore tuo.
Chartula ſcribatur vitæ, mittatur vbique
Prætitulata pio nomine Apoſtolico.
Sic tua laus creſcet, merces ſic magna manebit
Paſtori ſummo ſedis Apoſtolicæ.
Cuius amore pio commenda me rogo, frater.
Commendet Chriſto vt me pater ore ſuo.

Thomas Baiocenſis in Gallia teſte Stobæo eruditus, Noſtris merito accenſeri debet, de quo ad an. 1071. Capellanus fuit Willielmi I. Ducis Normanorũ & Angliæ Regis, primuſque Normanigenarum ab eo in Eboracenſi ſede conſtitutus, vt Lanfrancus in Cantuarienſi, ambo doctrinâ clari. Inter eos vero orta eſt grauis de Profeſſione contentio, quam Lanfrancus primus omnium à Thoma exegit. Vixit in Pontificatu 30. circiter annis & obiit anno 1096. legiturque hoc eius Epitaphium apud Thomam Stobæum.

Orba iacet viduata bono paſtore, patrono
Vrbs Eboraca dolet vix habitura parem:
Qualia vix vni, perſona, ſcientia, vita,
Contigerat Thomæ nobilis, alta, bona.
Canicies, hilaris facies, ſtatura venuſta,
Angelici vultus, ſplendor & inſtar erat.
Hic numero atque modo doctrina ſeu probitatis
Clericus omnis erat, vel magis omnis homo.
Hac domus & Clerus ſub tanto Præſule felix,
Pæne quod eſt & habet, muneris omne ſui eſt.
Octauis ergo Martini tranſiit ille,
Cui pietate Dei ſim comes in requie.

V

V*Vala*, vel vt aliqui ſcribunt, *Vuala*, genere Francus, Patre Adrado, Matre Witalai, vir ſcientiarum ornamentis nobilis & ſingulari in litteratos amore conſpicuus, frater Anſegiſi Senonenſium Antiſtitis, ipſe verò Antiſſiodorenſis Epiſcopus ſubſcripſit Electioni Caroli Calui in Imperatorem an. 876. cum fratre Anſegiſo Apoſtolicæ ſedis Vicario Generali, Hincmaro Remenſi, Aureliano Lugdunenſi, Giſleberto Carnotenſi, Ingelwino Pariſienſi Epiſcopis & alijs plurimis. De eo autem ſic habet Monachus Antiſſiodorenſis in Chronico. *In Antiſſiodorenſi Eccleſia Chriſtiano ſucceſſit Wala prædicti Archiepiſcopi Anſegiſi frater, vir ſcientia clarus & moribus adornatus. Huius ſtudium fuit Magiſtros litterarum charitatiuè amplecti, eorumque alloquiis & conſiliis vti, ſuoque conuiuio participari. Eccleſiæ theſaurum, ac ſi ſacrilegium, vitabat contingere.* Hæc verba videtur deſumpſiſſe ab anonymo Authore, qui ſcripſit vitas Epiſcoporum Antiſſiodorenſium vſque ad ſequens ſeculum quo florebat, vt retulimus in vita Heribaldi. Sic autem ſcribit de Wala. *Hic primo ſuæ ordinationis tempore* ad lectionem ſapientium mundi ſe contulit, *de hinc onus vaſallorum quos ſecum adduxerat* ex comitatu *Carlomanni decenter atque prudenter, quia grauabant Eccleſiam, à ſe remouit. Huius ſiquidem Patris de quo loquimur, ſtudium fuit Magiſtros litterarum charitatiuè amplecti eorumque alloquiis & conſiliis vti ſuoque conuiuio participari. Quo circa duo Luminaria collegi noſtri Rainogala & Alagus collaborante Herico Theoſopho* (nimirum Errico Antiſſiodorenſi de quo ſupra) *ſimul & Monacho geſta Præſulū iſtius ſedis cōpendiosè atq; commaticè elucubratis paginis indiderunt.* Fuit & Wala ſeu Walo Abbas Corbeienſis poſt fratrem Adelardum ſub Ludouico Pio, qui obiit an. 836. in Italia. Et is forte eſt, qui Romam miſſus Antiphonarium abſtulerat: ſic enim reſpondet Gregorius Papa Amalario cum Romæ eſſet an. 831. *Antiphonarium non habeo quem poſſim mittere filio meo D. Imperatori, quoniam hos quos habuimus Vvala quando functus eſt huc legatione aliqua, abduxit eos hinc ſecum in Franciam.*

W*alafridus* Strabo ſic ab oculorum vitio cognominatus, Natione, vt aiunt, Scotus, Monachus Fuldenſis, Rabani in Fulda Auditor & Tattonis in Anglia, clarus ſuæ ætatis Hiſtoriographus, vir doctus & ante alios litterarum ſcientia illuſtris. In ſcripturis tam diuinis quàm humanis nobiliter doctus, ingenio & eloquio clarus, Commentatorque ſacrorum eloquiorum laudatiſſimus, Author gloſſæ Ordinariæ, Poëta etiam eximius, qui ad Grimoaldum ſeu Grimbaldum S. Galli Abbatem an. 841. electum *Hortulum Puerorum* miſit. Thegani Chorepiſcopi Treuirenſis Hiſtoriam de geſtis Ludouici Pij Capitulis diſtinxit, & hanc illi præfationem præpoſuit: vnde patet, quantum proſâ quoque excelleret, quamque nitidè loqueretur. *Hoc opuſculum*, inquit, *in morem annalium Thegan Natione Francus Treuirenſis Eccleſiæ Chorepiſcopus breuiter quidem & verè potius quàm lepidè compoſuit. In cuius quibuſdam ſententijs quod effuſior & ardentior in loquendo videatur, vt vir nobilis & acris animi, quod de indignitate vilium perſonarum dolor ſuggeſſit, tacere non potuit. Præterea nimius amor Iuſtitiæ & Executoris eius Chriſtianiſſimi Imperatoris, Zeli naturalis exaggerauit dolorem. Vnde quantū ſit opus eius pro bona voluntate, non faſtidiendum pro quantulacunque ruſticitate, nouimus & nos virum multa lectione inſtructum, ſed præ-*

dicationis & connectionis ſtudiis occupatum. Huic opuſculo Ego Strabo quaſdam Inciſiones & capitula inſerui, quia ſanctæ memoriæ Ludowici Imperatoris geſta & laudes ſæpius audire cupio vel proferre. Cæterum Walafridus Rector fuit ſcholarum in Hirſfeldienſi: nam vt ait Trithemius in Chron. Hirſaug. ad an. 840. *quoties idoneum ad hanc ſubeundam prouinciam in ſuo Cænobio Monachorum Abbas minimè haberet, de alio Monaſterio petere aptum non erat verecundum. Sic namque doctiſſimus ille Monachus Gemblacenſis Sigebertus multo tempore in Cænobio S. Vincentij Metenſi Monachorum præceptor, quanquam de alio Monaſterio fuit. Ita Strabus Monachus Fuldenſis in Hirſfeldia, Notgerus S. Galli in Stabulenſi* Adhuc adoleſcens iuſſu Tattonis quem in Augia præceptorem habebat in gratiam Thegani luſit epigramma, quod in vita ipſius retulimus. Fit Abbas Augiæ maioris an. 842. & obiit an. 849. vel vt alij ſcribunt, an. 859.

Vvaldramnus Alcuini Diſcipulus ſub extrema ipſius vitæ tempora, de quo nihil habeo quod amplius dicam, niſi quod viuebat adhuc tempore, quo author ille Anonymus ſcribebat vitam Alcuini, vt ipſemet ait.

Vvandalbertus teſte Trithemio Diaconus Monaſterii Prumienſis in Diœceſi Treuirenſi Monachus, natione Teutonicus, vir in diuinis Scripturis doctus & in ſecularibus litteris valde peritus, Rhetor & Poeta inſignis, ſermone clarus & nitidus. Martyrologium ſcripſit metrico ſtylo anno ætatis 35. quod nuper prodiit in lucem operâ D. Lucæ Dachetij in tomo 5. Spicil. In præfatione verò ait ſe libris vſum M. Flori Subdiaconi Lugdunenſis, *qui vt noſtro tempore*, inquit, *reuera ſingulari ſtudio & aſſiduitate in Diuinæ ſcripturæ ſcientia pollere, ita librorum authenticorum non modicâ copiâ cognoſcitur abundare.* Claruit ſub Lothario Imperatore an. 850. cui librum ſuum dedicauit: quàm verò felici venâ carmina componeret, ex iſtis agnoſcet Lector.

Carmine qui vacuas captaui ſæpius auras,
Rumores vulgi quærendo ſtultus inanes,
Aggrediar tandem veram de carmine laudem
Quærere & æternum mihi conciliare fauorem,
Spectandos breuiter ſignans actuſque viroſque
Atque dies fixo reditu voluendo per orbem,
Ordine quæ luſtrent ſcribens ſolemnia quemque,
Hic mihi nonnunquam Sanctorum nomina, leges
Carminis excedens, ſed non mutilanda vocandi
Eſt cenſura, bonis veniam pietate merebor.

Vvazo Scholaſticus Leodienſis, & ex Scholaſtico ſeu Magiſtro Scholarum & Capellano Conradi Auguſti, Præpoſito & Archidiacono Epiſcopus, de quo ſic Albericus ad an. 1041. *Vvazo ex Clerico S. Lamberti vir ſpiritu ſapientiæ & feruore religionis inſignitus ordinatur Leodienſis Epiſcopus.* Obiit an. 1047. ſepultuſque eſt ante maius altare S. Lamberti cum hoc Epitaphio.

Ante ruet mundus quàm ſurgat Vvazo ſecundus.

Vverimbertus filius Alberti Monachus San-Gallenſis obiit regnante Carolo Craſſo: ab eo Monachus ille innominatus, quem tamen ſuſpicantur eſſe Notgerum Balbulum, qui duos libros de Caroli M. geſtis compoſuit, ait ſe primum conſcripſiſſe, & eo dictante excepiſſe, qui eſt de Eccleſiaſtica D. Caroli Curâ: quia verò obiit antequam opus abſoluiſſet, alterum ſe ex narratione Adalberti ſecularis hominis, eiuſdemque Vverimberti Patris de rebus Bellicis conſcripſiſſe. De vtroque ſic in præfatione lib. 2. *In præfatione*, inquit, *huius* opuſculi tres tantum Authores me ſecuturum ſpopondi: ſed quia præcipuus eorum Vverimbertus 7. die de hac luce receſſit, & debemus hodie id. 3. Kal. Iunii commemorationem illius orbi filii Diſcipulique agere, hoc fiat terminus libelli iſtius (nempe primi) qui ex ſacerdotis eiuſdem ore De Religioſitate & Eccleſiaſtica Domini Caroli cura proceſſit: ſequens verò (id. 2.) De Bellicis rebus acerrimi Karoli ex narratione Adalberti Patris eiuſdem Vverimberti cudatur; qui cum Domino ſuo

ceptor Karoli, *Claudius*, *Iſuardus*, *Io. Mailroſius Bedæ Auditores*, *viri doctiſſimi primi ornant ſcholam Pariſienſem*. Trithemius ait elatuiſſe an. 770. ſed errat, aut certè longè adhuc poſt clanuit: quippe extat ad eum Alcuini Ep. 79 eumque Pium vocat Patrem Congregationis S. Saluatoris. Cœnobium iſtud dicitur *S. Saluatoris Vice-Comitis* in Diœceſi Conſtantienſi Normaniæ (Ord. Bened.) At Hadrianus Valeſius, Launoyus & alij noſtræ ætatis Critici contendunt Vſuardum non Carolo M. ſed Carolo Caluo Imperante ſcripſiſſe: propterea quod in præfatione ſe non ſolum Hieronymi & Bedæ, ſed etiam Flori veſtigia ſecutum ait: Florus autem Magiſter Eccleſiæ Lugdunenſis Subdiaconus poſt an. 850. vixit. Addunt & aliam rationem, quia meminit Hiſtoriæ Eulogij Martyris Cordubæ in Hiſpania paſſi die 11. Martis an. Chriſti 859. poſt multos alios annis 851. 853. & 857 interfectos tempore perſecutionis Arabicæ. Extat quoque Lupi Ferarrienſis Ep. 80. ad Vſuardum Abbatem. Sed id Criticis examinandum relinquamus.

FINIS

INDEX

RERVM ET VERBORVM

Quæ in hoc Volumine continentur.

A

ABBATES Commendatarii Decanos ſubſtituebant 195. contra Abbates Commendatarios. 193
Abbatiæ Commendatariæ 90.
Abbo Monachus San-Germano-Pratenſis author librorum de bello Pariſiaco 207. & in Catal.
Abbo Antiſſiodorenſis Monachus, deinde Epiſcopus, vir doctus, in Catal.
Abbo Floriacenſis ſtudet Pariſiis 313. Floriaci docet 335 ſeditionis author contra Epiſcopos. 340
Abbo Sueſſionenſis Epiſcopus Rodulfum Regem conſecrat & Archiepiſcoparum Remenſem regit. 545
Academiæ vnde dictæ 66 vbi poſitæ olim? ibidem, quot Collegia continebant. 66 67. Academiarum Rectores. 68 69
Adalbero Remenſis Archiepiſcopus viros doctos promouet, Scholas Remenſes inſtaurat, in Catal. moritur 323
Adalbero Virdunenſis, in Catal.
Adalbero Lauduneñſis Epiſcopus, vir doctus & eloquens, in Catal.
Adalbertus filius Sigolfi, Diſcipulus Alcuini in Catal.
Adalgardus Lupi Ferrarienſis amicus, in Catal.
Adalardus, item in Catal.
Adelbodus, vide Catal.
Adelmannus Leodiēſis Fulberti Carnotenſis Diſcipulus 356 ſcribit ad Berengarium. 411. confutat eius errores de Baptiſmo & Euchariſtia 411 in Catal.
Ademarus Cabanenſis, in Catal.
Adiutores Gymnaſiarcharum. 70
Adriani I Papæ merita 131 & ſeq. Epitaphium à Carolo M. compoſitum. 137
Adrianus II. ſine conſenſu Imperatoris Pontifex factus. 188. vir doctus ibid.
Ædui fratres populi R 31. Æduenſis Academia 25. eiuſdem celebritas, antiquitas ibid. depopulatio 26 inſtauratio. 27
Æmilius Magnus Arborius Profeſſor Narbonenſis 40
Æneas Epiſcopus Pariſienſis 175. Corpus S. Mauri transfert 188. Præbendam concedit Foſſatenſibus in Eccleſia Pariſienſi ibid. & in Catal.
Agius Aurelianenſis Epiſcopus, vide in Catal.
Aquilanenſ vnde? 23
Amoinus Monachus San-Germano-Pratenſis, in Catal.
Aimoinus Floriacenſis, vide in Catal.
Author hiſtoriæ Francicæ. 240
S Albani ſchola celebris. 433. 434
Albericus, in Catal.
Alcimus Alethius Rhetor Burdigalenſis 48.
Alcuinus Magiſter Caroli M. in Artibus Liberalibus 92 adiutor in inſtituenda Vniuerſitate Pariſienſi 101. Felicem Vrgelitanum hæreticum confutat. 134. 135. malè dicitur fuiſſe Monachus. 129. obit 143. vide in Catal.
Aldricus Ferrarienſis Abbas, deinde Archiepiſcopus Senonenſis, Alcuini diſcipulus vide in Catal.
Aldricus Cenomanenſis, in Catal.
Alexandrinæ Academiæ Gymnaſia duo 68. celebritas 69. locus in ipſa Regia ibid, Gymnaſiarchæ. 70
Alexandri de Villa-Dei Grammatica in ſcholis legi ſolita 517 de eo iudicium Trithemii 518. quando legi deſiit. ibid.
Alexander I. Papa. 438
Alexius Comnenus Imperator Conſtantinopolitanus inſtaurator Academiæ. 478
Alfredus Magnus Anglorum Rex Oxonienſis

...us. Academiæ fundator aut inſtaurator. 211. Magiſtros Pariſienſes ad eam componendam euocat ibid. vide in Catal.
Alcuinus Senonenſis. Vide in Catal.
Amalarius Fortunatus Archiepiſcopus Treuirenſis. Alcuini diſcipulus in Catal.
Amalarius Metenſis Eccleſiæ Diaconus, Cantus Eccleſiaſtici reparator, in Catal
Amalarius Philoſophus ab Eccleſia Lugdunenſi ſcriptis laceratur. 282
Ambacti qui dicebantur. 14
Anaſtaſius Profeſſor Pictauienſis 56
Anaſtaſius Monachus profeſſionem edit fidei de Euch. 463
Anaſtaſius Bibliothecarius. 192
Andegauenſis ſcholæ celebritas. 522
Angelrannus Picardus. Vide in Catal. Fulberti Carnotenſis Diſcipulus 156.
Angilbertus Princeps conſanguineus Caroli M. Petri Piſani & Alcuini Diſcipulus 138. & in Catal.
Animarum immortalitas à Druidis aſſerta. 2.
Annus Scholaſticus qualis cenſetur. 158
Anſegiſus Archiepiſcopus Senonenſis, vide in Catal.
Anſelmus Beccenſis Abbas 451. falsò inſimulatur hæreſeos Roſcel næ. 455 contra Roſcelinum ſcribit Tractatum de Incarnatione 486 fit Cantuarienſis Archiepiſcopus ibid. exulat & Lugduni ſcribit de Conceptione B. Virginis 491. vide in Catal
Anſelmus Laudunenſis 482. & in Catal
Anſelmus Lucenſis vir doctus fit Papa Alexander II. 438 diſcipulus Lanfranci aſſurgit Magiſtro. 472. Compilator Canonum 470. obit. ibid.
Apocriſiarii officium 265. 268.
Apollo Beleni nomine à Gallis olim cultus 41.
Aprunculus inſignis Rhetor Narbonenſis. 28.
Aquæ calidæ & frigidæ ... 53
Aquæ calidæ conſecrandæ ritus. 532. 533
Aquæ coniuratio. 540
Aquitania vnde dicta. 46
Aquitaniæ Præfectus Conſulatui deſtinabatur 47.
Ara Narbonenſis. 34
Archiepiſcopus Remenſis olim Regni Cancellarius. 428
Areſaſtus Normanigena detegit hæreſim Aurelianenſem 361. in Cat.
Areopagitica hiſtoria. 8. contra hiſtoriam. 101.
Ariſtotelis Doctrina quando inualuit 519
Arnulphus Epiſ. Aurelianenſis vir eloquentiſſimus, in Catal.
Arnulphus Archiepiſcopus Remenſis 329 ſacramentum fidelitatis præſtat Regi Roberto 324. agitur de eius depoſitione ob proditionem 330. deponitur 331. reſtituitur in integrum. 341. 342
Arnulphus Cantor Carnotenſis Fulberti Diſcipulus contra Berengarium, 431
Arnulphus Beluacenſis S. Luciani Monachus de Quæſtionibus Euchariſticis 432. & in Catal.
Aratus Iuriſperitus Narbonenſis. 36
Artes liberales in Palatio Regio docentur. 201. & ſeq.
Aruerna ſchola. 57
Aſcelinus contra Berengarium. 430
Atacinus Profeſſor Narbonenſis. 36
Athenæ Gallicæ. 18
Athenæ nouæ in Francia vbi inſtitutæ. 122
Athenæum Lugdunenſe. 60
Athenæum Romanum 67. eius deſcriptio. 68.
Atrebatenſis Epiſcopatus reſtituitur. 495
Atticus Tiro Delphidius Profeſſor Burdigalenſis. 42
Attius Patera Profeſſor Burdigalenſis. 42
Aubertus Lemouicenſis Magiſter Pariſ. fundat Cœnobium Canonicorum Regularium in agro Lemouicenſi. 135
Auditorium Capitolinum. 67. 68
Auguſtini Dialectica in Scholis Pariſienſibus legi ſolita. 519
Auitus Viennenſis. 25
Aureliacenſis Cœnobii fundatio. 298
Aureliacenſis ſchola. 229
Aurelia à Normanis incenditur. 187
Aurelianenſis ſcholæ celebritas. 521
Auſonius Burdigalenſis Conſulatum obtinet à Gratiano Auguſto diſcipulo. 51
Authorum explanatio legitima qualis 516. qui authores olim prælegebantur. 519
Authores recentiores nonnunquam prælegebantur. ibid.

B

Bagaudæ & Bagaudarum factio. 26
Bagaudarum caſtellum 26. origo nominis ibid. & 30
De Baptiſmo paruulorum & pœnis morientium. 423. 424
Pharitius de hac Quæſtione 57 contra quem Theobaldus ibid.
Bardi Philoſophi veteres Gallorum. 2. 3.
Bardorum ſedes. 3
Barbaries in Francia vnde orta. 143
S. Bartholomæi Capella olim Regia 521
Beccenſis ſchola celebris. 49
Bedellorum inſtitutio in Academia Oxonienſi. 217
Belenus quis & vnde dictus. 18
Berengarii & Lanfranci diſputationum initia 405.
Berengarius à Diſcipulis deſeritur ibid. qui mores ipſius. 406. 506. malè accuſatur magiæ. 406. 407. cum Lanfranco de Theologicis concertat. 410. eius error de Baptiſmo. 412. in variis Conciliis damnatur 418 & ſeq. vide infra Conciliom. Redit ad vomitum. 418. confligit cum Guillelmo Beccenſi, 419

Hæreſim abiurat. 458. à Gregorio VII. ber igne excipitur ibid. de eius conuerſione dubitatur. 459
Burdigalæ vltimò hæreſim abiurat. 462. Moritur. 480 Epitaphio decoratur ab Hildeberto Cenom. 481
Berengariana hæreſis in ſynodo Placentina damnata. 496
Bernardus de Abbatis-villa Tironenſis Cœnobii fundator. 533
Bernardus Carnotenſis optimus Grammaticus. Quomodo Diſcipulos exercebat. 515. 516.
Bernardi Clareuallenſis ortus. 483
Bruno Epiſ. Andegauenſis Berengarii fautor, deinde deſertor. 438. 466 eius Epitaphium ibidem.
Brunonis de Roſciaco laudes. 363
Bruno Colonienſis Archiepiſcopus 311
Bruno Colonienſis Scholaſticus & Cancellarius Remenſis. 454
Diſcipulus Berengarii. 467. Carthuſienſes inſtituit ibid. Diſſertatio de cauſis Conuerſionis Brunonis ibidem. Academiæ Pariſienſis Rector 468 vbi ſtudia confecit. 469. Magiſter Vrbani II. 473
Burchardus Vvormacienſis Canonum Compilator 459 Olberti Diſcipulus ibid.
Burdigala vnde dicta 46
Burdigalenſis Academia ibid & ſeq.
Burſarii ſeu Alimentarii Pueri 77. eorum vetus inſtitutio. 79. 392

C

CAlceorum forma deformis. 532
Calendariæ ſtrenæ. 528
Cancellarius 82 83
Cancellarius Academiæ Oxonienſis quis. 226.
Cancellarius Pariſienſis. 268
Cancellarii duo in Vniuerſitate Pariſienſi. 272. 385. 389 San-Genouefiani antiquitas. 274. 390. vtriuſque Cancellarii munera 274. & ſeq.
Cancellarii Pariſienſis quale regimen. 277. quare licentiat anthoritate Apoſtolica 278
Cancellariatus Regni ad Archiepiſcopos Remenſes olim pertinebat. 428 eo exciderunt 483.
Canonici Pariſienſis mortui Anaſtaſis 470
Canonicorum Regularium Ordo reſtituitur per Iuonem. 474
Cantandi alternatim methodus Lugduni inſtituta 64.
Cantus reformatio. 93
Cantandi peritia in Galliam à Magiſtris Romanis allata. 93 132
Cantabrigienſis Academiæ inſtitutio vetus. 128. de eiuſdem inſtitutione diſſertatio 291. antiquitas fabuloſa ibid. inſtauratio ab Eduardo. 292
Canutus Daniæ Rex Mecenas litteratorum 466.
Capiſchola vnde dictus. 80. 257
Capitale & Capital. 261
Capitale Studii Pariſienſis ibid.
Cardinalium Ro. inſtitutio 400. Electores Papæ. 414
Carmides inſignis Medicus Maſſilienſis. 19
Carnotenſis Eccleſiæ incendium 370. inſtauratio ib.
Carnotenſis ſcholæ fama & celebritas. 356
Caroli Magni mores 91 Petrum Piſanum in Grammaticis, & Alcuinum in cæteris Artibus Magiſtros habet. 92
Cantandi peritiam in Gallia inſtituit 93. 132. inſtituit ſcholas duplicis generis, publicas & priuatas 94. diploma edit de Vniuerſitatis Pariſienſis erectione 96. quibus adiutoribus illam erigit 101. fit Imperator 140. Capitularia condit 141 Miſſam Romanam in Francia inſtituiſſe dicitur ibid. obit 145 & ſanctus habetur ibidem & 146. eius corpus honoratiore tumulo collocatur 352. 353. vide in Catal.
Caroli Calui amor erga litteras 189. 190 eiuſdem Elogia. 91. inauguratur Imperator 193.
Caroli Simplicis miſerrimus ſtatus. 301 incarceratur, in libertatem reſtituitur, & obit 304.
Carlomannus Calui filius bellum Patri infert 192.
Carthuſianorum origo & inſtitutio. 467
Caſſianus Maſſilienſis Presbyter. 22
Caſtor Rhetor Maſſilienſis. 20
Cauſidici veterum Gallorum 2
Celtæ olim litterarum rudes. 85
Cenſorius Atticus Agricius Profeſſor Burdigal. 51
Charondas Iuriſperitus Maſſilienſis. 19
De Chorepiſcopis eorumque ordinationibus. 164
Cibus Cœleſtis Hæreticorum Aurelianenſium. 365
Cicero ex parentibus Narbonenſibus oriundus. 35
Ciſtercienſis Ordinis origo. 502
Claromontenſis ſchola. 57
Claromontenſis ſynodus de reformatione diſciplinæ Eccleſiaſticæ. 495. ei interſunt Magiſtri ſcholarum ibid.
Claudius Clemens Magiſter Pariſienſis. 146.
Claudius Mamertus ſcholæ Lugdunenſis alumnus. 63
Claudius Marius Victor Maſſilienſis Rhetor 21.
Claudius Taurinenſis hæreticus contra cultum Imaginum. 233
Clementia Iſaura inſtitutrix Ludorum Floralium. 4
Illius Epitaphium 42. laudes 44.
Clericorum ſeu Canonicorum menſa olim communis. 156
Clerici Pariſienſes ſeu Scholares queruntur de Monachis San-Germano-Pratenſibus 247 eorum innumerabilis multitudo intereſt exequiis Roberti Regis. 345

Clerici nomen explicatur, & variæ ſignificationes proferuntur. 393. 394
Clerici liberi qui dicebantur. 68
Cluuienſes ſcholæ 29. 30. ibidemque diſſertatio de ſcholis Æduenſibus & Cluuienſibus.
Cluniacenſis Ordinis inſtitutio. 195
Cœnobiales ſcholæ 80. duplicis generis, interiores & exteriores ibid. quænam cæteris celebriores 80.
Collationes Scholaſticæ. 516
Collegiorum loca 67.
Collegia Oxonienſis Academiæ. 214
Collegia SS. Thomæ, Honorati & Nicolai de Lupara antiquiſſima. 394
Collegii Octodecimani Pariſiis vetus inſtitutio. 503.
Conceptionis B. Virginis immaculatæ laudes deſcribit Anſelmus Cantuar. 494
Concilium Andegauenſe contra Berengarium 433.
Concilium Brionenſe contra eundem 419. Burdigalenſe 462. Pariſienſe 421. Romanum 427. 451. 455. Turonenſe. 424. Vercellenſe. 422
Concilium Conſtantienſe in 4. Nationes diuiſum 256.
De Coniugio Presbyterorum. 426
Coniuratio contra Ludouicum Pium. 163.
Conſentius Magiſter Narbonenſis 47.
Conſeruatores Priuilegiorum Vniuerſitatis Pariſienſis 16 . & ſeq.
Conſtantius Remenſis Magiſter. 360
Conſtantius Rhetor Lugdunenſis. 63
Conſtantius Afer Salernitanam ſcholam in Medicina inſtaurat. 475
Conſtantij Imp. laudes ob inſtauratas ſcholas Æduenſes. 28
Conſtantinopolitana Academia inſtaurata per Bardam Imperatorem. 156. 186
Sub Conſtantino VII. refloret. 294
Conſtantinopolitana Eccleſia non poteſt dici Vniuerſalis & Catholica. 370
Conuictores, vide Scholares. 514
Cornificius Pſeudo-Philoſophus. 517
Cornificianorum praua methodus ibid. & ſeq
Crinas Medicus Maſſilienſis 19
Crucis Chriſti deſcriptio & merita. 148
Cynoſarges Gymnaſium Athenienſe. 67

D

Decani ſub Abbatibus Abbatias regebant 295.
Decimarum Quæſtio, cauſa ſeditionis & hæreſeos. 340
Declamatio Scholaſtica quid ſit. 516
Demoſthenes Medicus Maſſilienſis. 19
Denarius S. Petri quid ſit apud Anglos. 136 173. 446.
Delphidius Rhetor Burdigalenſis. 49
Deroldus Medicus fit Epiſcopus Ambianenſis. 304
Deſpauterius quando admiſſus. 518
Dii Gallorum veterum. 10. 11
Dialecticæ Profeſſio celebris Pariſiis. 409
Dionyſianæ Reliquiæ. 228. 294
Dionyſij hiſtoria de Cœleſti Hierarchia. de Græcia in Galliam allata. 156
Dionyſii hiſtoria vulgaris. 198. 199
Diſſertatio de veritate huius hiſtoriæ. 201. 416. 417.
Doctoris Pariſienſis anaſtaſis & verba. 469
Fabula illa refutata. 471. 472
Drogo, in Catal.
Druidæ. 2. 3
Vnde nomen 3. Origo Druidarum, locus & ſedes. numerus, forma, habitus 4. Officia. 5 Academiæ 5. Rector ib. eius authoritas & dignitas. Scholæ variæ. 6. Diſciplinæ. ibid. Eloquentia Mathematica, Medicina, Iuriſprudentia, Theologia, doctrina circa immortalitatem animarum. 7 Methodus & tempus docendi. ibid. & 9. Priuilegia & immunitates 7. 15. Verſus. 8 Lingua. 9. Religio 10. Dii. 10. Sacrificia. 12. 13 Legiſlatio & Iuriſdictio. 15.
Drynemetum, Conſilium Galatarum. 15
Dudo, Dungalus, Durandus Fiſcanenſis, in Catal.
Durandus Ep. Leodienſis quomodo electus. 371. vide in Catal

E

Ebbonis Remenſis Archiepiſcopi educatio, 165. coniuratio, ibid. depoſitio. 166. in Catal.
Ebulo Archiepiſcopus Remenſis. 272
Ecbertus, in Catal.
Eccleſia Pariſienſis B. Virgini dedicata. 88. eius deſcriptio. 151
Eccleſia Conſtantinopolitana. an dici poſſit Vniuerſalis & Catholica. 370
Eccleſia Carnotenſis incenſa, à Fulberto inſtauratur 370
Eccleſiæ miſerabilis facies in Schiſmate Guibertino. 474
Electorum Imperij inſtitutio. 338
Electio Papæ à Cardinalibus pendet. 425
Electio Epiſcopi an inuitis Suffragantibus fieri poſſit. 379
Embaldus, in Catal.
Emma Eduardi II. Mater iudicium ferri candentis experta. 339
Epiſcopales ſcholæ 84. & ſeq. Vide ſchola.
Epiſcopi Pariſienſis munus circa ſcholas. 268
Eius lis cum Abbate San-Dionyſiano. 336
Epiſcopus Laudunenſis expulſus nihilominus clerum ſuum regit. 326
Locus Scholæ in Epiſcopiis. 249
Epiſcopales ſcholæ celebriores. 525
Epiſcopus Pariſienſis Archicancellarius Regni. 483
Ercantadus, Erricus Antiſſiodorenſis, in Catal.
Eubages Gallorum veterum. 2
Eucherius Lugdunenſis. 62
Euchariſtia. 354. 356
Euchariſtici myſterij à Fulberto explanatio. 357.

Euchariſtiæ Quæſtiones. 432
Euchariſtiæ dandæ ritus mutatus. 432. Quomodo ſumebatur initio Eccleſiæ. 433. Euchar. quota pars in Calicem mittitur. 434. 435. Tripartita quid ſignificet. 435. an ex toto an ex parte ſumatur. 435. Quare corpus ſumitur ſeparatim à ſanguine. 435. 436
Euchariſtici myſterij explicatio à Guitmundo. 442 à Vvolphemo 457. ab Anaſtaſio Monacho Andegauenſi. 462
Euchariſtiæ ſumptio in iudiciis publicis vſurpata. 538
Excommunicatio apud Druidas. 15
Excommunicationis veteris ritus. 189. 190
Exequiis Regum intereſt Vniuerſitas 393.
Quem locum obtinet. 270
Exuperius Rhetor Narbonenſis. 36. 40

F

FAcultas Artium Rectoris Vniuerſitatis creatrix. 265
Fames in Francia lamentabilis. 403
Famuli Vniuerſitatis. 2.8
Fauor Principum erga litteratos. 235
Felix Vrgelitanus hæreticus errores fatetur. 134.
Romam deducitur. 135
Ferrum Gandens in Iudiciis publicis. 5 6
Ferri conſecratio. 538.
Feſtum Omnium Sanctorum Kalendis Nouembris inſtituitur. 159
Feſtum Aſſumptionis B. V. inſtituitur. 133
Fidei definitio & explicatio 413
Flandria Comitatus eſſe incipit. 185
Flodoardus Remenſis Electus Nouiomenſis. 316. 317. in Catal.
Florus, in Catal
Floralia Maſſilienſium. 17
Florales Ludi Toloſani. 41. vnde dicti. 42 eorum celebritas, iudices, commendatio. 43
Floriacenſis ſchola. 312
Sanctorum fortium locos. 12
Fortunatus Pictauii docet. 56
Franco Epiſcopus Pariſienſis litteratus. 363
Franco Gerberti diſcipulus, in Catal.
Franco Abbas Lobienſis in Palatio Regio inſtruitur. 191
Francorum ſtrages in agro Antiſſiodorenſi. 170.
Fsteculphus Monachus Fuldenſis. 174. & in Catal.
Frodo, in Catal.
Frontonum Gens Arnerna. 58
Frotharius, in Catal.
Fulbertus Scholas Carnuti habet. 355. eius Diſcipuli aliquot commemorantur, 356. fit Epiſcopus Carnotenſis. 356. Theſaurarius Eccleſiæ Pictauienſis 371. B. Virginis lacte lactatur 37 . Reginæ Conſtantiæ inuiſus 377. & 378. morituri verba ad Berengarium. 380
Fulco Remenſis Archiepiſcopus ſcholas Remis inſtruit. 210. interficitur. 258.
Interfectores Fulconis excommunicantur. 189. Vide in Catal.
Fulcherius, in Catal.

G

GAllia vnde dicta. 5
Gallim & Gallere. ibid.
Gallia frequentata ab Anglis ad hauriendas litteras. 127
Gallus, in Catal.
Gaucherius Melletenſis Scholaris Religioſam vitam profitetur. 535
Gaufridus Cantor Andegau. contra Berengarium. 440
Idem Epiſcopus factus contra eundem 466. ibidemque eius Epitaphium.
Gaufridus Epiſcopus Pariſ. litem habet cum Monachis San-Dionyſianis de ſacri Olei ſumptione. 440
Gaunaca, genus veſtis. 591
Gauzlenus & Gauzlinus, in Catal.
Gebuinus primus Primas Lugdunen. conſtitutus 454. eius viri dotes. 455
Genoueſiana Baſilica incenſa à Normanis. 177.
S Genouefæ theca ſolenniter delata 207.
Geraldus ſeu Girardus Magiſter Aurelianenſis, Poëta inſignis 377. & in Catal.
Gerardus Epiſcopus Engoliſmenſis. 452. è ſcholarum Magiſterio ad Epiſcopatum promotus. 525
Gerardus tumultus Toronenſis contra Berengarium ſedator. 434
Geraldus Abbas S Albini exigit profeſſionem fidei ab Anaſtaſio Monacho 462
Gerardus Laudunenſis, in Catal.
Gerbertus Aquitanus Pariſiis ſtudet 314. 319.
Gerberti Comprofeſſores & Diſcipuli 319. Archiepiſcopus Remenſis eligitur 319 Fidei profeſſionem edere cogitur 334 cum Othone III. Imperatore litterarum commercium exercet 335 Archiepiſcopatum abdicare cogitur 337. fit Papa Silueſter 341. Arnulphum in ſedem Remenſem reſtituit 342 obit 35 . à ſuſpicione Magiæ vindicatur ibidem.
Gerberti Rhethorica prælegi ſolita in ſcholis 519. & in Catal.
S. Germanus Antiſſiodorenſis quare teres & rotundus dictus. 208. obſidetur à Normanis, ibid.
Germanus Epiſcopus Pariſ. Scholam exercet 88.
Gilbertus Criſpinus, Gibuinus, Giſlebertus, in Catal.
Gnipho Maſſilienſis Grammaticus 20
Godefridus Bullionius Rex Hieroſolymitanus. 503. leges præſcribit Franciçâ lingoâ, ibidem
Godeſmannus, in Catal.
Goisbertus Medicus Cœnobiorum amplificator. 534
Eius mores & virtutes. 535

Goſfredus in Catal.
Gomerus Rex Gallorum. 1
Gomeritæ, ibidem.
Goth Guodam. 1
Gotheſcalcus Belga hæreſeos inſimulatur. 173. eius hiſtoria 179. pœnæ ibid. doctrina 181. & in Catal.
Græca lingua Maſſilienſium & Gallorum. 22. 23.
Gratiani Imp. laus ab amore litterarum 33.
Grammaticæ Profeſſio corrupta 516
Grammaticæ neceſſitas 532
Grandimontenſis Ordinis origo. 453
Gregorii VII. Papæ elogia 450. 465. in ſuſpicionem venit nonnullis hæreſeos Berengarianæ 464. Imperatorem excommunicatione ferit 460. 461. viciſſim ab Imperatore vexatur, obſideturque, à Roberto Apuliæ duce liberatus 473. moritur Salerni ibidem.
Grimbaldus Gallus ab Alfredo Rege euocatur in Angliam ad conſtituendam Academiam Oxonienſem; eiuſdem Academiæ regimini præficitur 211 ſtatuta condit ad inſtar Pariſienſis 225 & in Catal.
Gnalterius Guenilo ſeu Voenilo, in Catal.
Guiberti Antipapæ electio & mores 465. Peritia in litteris 365. ſedem Apoſtolicam innadit 474. et adhærent Teutonici, Lombardi & Lotharingi. 475
Guido Arctinus Author Solmificationis. 369.
Guido Longobardus Magiſter in Theologia, in Catal.
Guillelmus de Conchis, eiuſque methodus. 516.
Guillelmus Diuionenſis inſtaurator Litterarum in cœnobiis. 451
Guillelmus Aquitaniæ Dux litteratorum Mecenas, in Catal.
Guillelmus Apulienſis, Guimundus ſeu Guitmundus in Catal.
Gymnaſiarchæ veteres Pro-Scholos ſeu Pro-Magiſtros habebant. 70
Gymnaſiorum antiquorum regimen. 69. & ſeq.

H

Hæreſis Pelagiana in Anglia 127. comprimitur ab Epiſcopis Gallicanis.
Hæreſis Felicis Vrgeltani de Deo proprio & nuncupatiuo. 134. 232
Hæreſis Claudii Taurinenſis de cultu Imaginum. 233
Hæreſis de prædeſtinatione & præſcientia Diuina. 233
Hæreſis de Euchariſtia. 234. 354. 403. & ſeq.
Hæreſis Aurelianenſ. detegitur. 36
Hæretici Aurelianenſes viui cremantur 367 306.
Haimo, Halinardus, Haligarius, in Catal.
Haro quid ſignificet, & vnde vox deducta. 303.
Hecdicius Aruernus vir doctus. 58
Helgaldus, in Catal.
Helias Scotigena Magiſter Pariſienſis, deinde Epiſcopus Engoliſmenſis. 109
Heliſacharus, in Catal.
Henricus Roberti filius inuita Matre Conſtantia Rex deſignatur. 378 malè à Matre habetur 401. obiit effectu potionis medicæ impedito. 428
Henricus II. Imperator Simoniæ depulſor. 407. eius laudes. 361
Herbertus, Heriboldus, Herifridus, in Catal.
Herculanus Profeſſor Burdigalenſis. 52
Heribertus Hæreticus Aurelianenſis. 364
Herluuinus ſeu Helluuinus fundator Cœnobii Beccenſis Lanfrancum recipit; obit. 455
Heruæi Turonenſis laudes. 334
Heruæus Archiepiſcopus Remenſis 283. eius pietas erga Regem & mors 301
Heſus pro Marte à Gallis veteribus cultus. 11.
Hieroſolymitana expeditio decreta. 489. de eadem agitur in Concilio Claromontano. 469 deſcribitur 489. eiuſque authores commemorantur ibid. Hieroſolymitana peregrinatio per Hungariam, 354.
Hilarius Pictauienſis eloquentiæ Gallicanæ torrens 55
Hildebrandus Cardinalis Papa factus Gregorius VII. 450
Hildebertus Lauardenſis fit Epiſcopus Cenomanenſis. 501. admonetur ab Iuone Carnotenſi virtutes exercere quæ Epiſcopū deceant ibid. eius opera & carmina in ſcholis prælegi ſolita 501. 519.
Hilduinus Areopagiticæ hiſtoriæ author. 198. & in Catal.
Hincmarus Abbas San-Dionyſianus Archiminiſter Regni Areopagiticam hiſtoriam S. Dionyſii euulgat 198
Hincmarum Laudunenſem nepotem oculis priuat 204. multiſque miſeriis afficit 204. obiit 205. vide in Catal.
Hincmarus Epiſcopus Laudunenſis vir eloquens 203; & in Catal.
Hirſaugienſis ſcholæ celebritas. 511
Hominum immolandorum conſuetudo apud Gallos. 14
Honorarium Magiſtrorum ſeu Regentium. 573.
Patronorum olim nullum, poſtea permiſſum 515.
Hubertus Cenomanenſis inſignis Gramaticus in Catal.
Huboldus Leodienſis ſtudet Pariſiis, & Canonicis San-Genouefianis adhæret 314. 315. in Catal.
Hucbaldus, in Catal.
Hugo puer quinquennis Archiepiſcopus Remenſis 302. conſecratur 305. deponitur, reſtituitur. 305
Hugo de Bat vir doctus. 441
Hugo Capetus Rex inauguratur. 326. mori-

tur. 340. & in Catal.
Hugo Dienſis Archiepiſcopus Lugdunenſis. 466.
Hugo Flauiniacenſis author Chronici Virdunenſis fit Abbas Flauiniacenſis. 502.
Hugo Roberti Regis primogenitus adoleſcens omni virtutum genere decorus obiit 376. eius leſſus ibid.
Hugo Lingonenſis contra Berengarium. 410. 411.
Hugo Rainardus Epiſcopus Lingonenſis vir eloquens. 414
Humbertus Burgundus Siluæ-Candidæ primus Cardinalis creatus dictat fidei profeſſionem Berengario. 427
Humbertus Lemouicenſis Profeſſor Vniuerſitatis Pariſ. 535. & in Catal.

I

IAuæ Papiſſæ fabula. 170.181.183
Idithun Profeſſor Palatinus, in Catal.
Ieſſe, in Catal.
Ignis ſacri plaga. 309482.
Imaginum adoratio qualis. 156 & ſeq.
Immolatio hominum apud Gallos. 14
Immolandi ritus ibidem
Immortalitas animarum apud Druidas & Gallos. 7
Imperatricis Mariæ memorabilis damnatio. 334.340.
Immunitatis Priuilegium. 2.7
Indictum vulgò *Lendit.* 195
Indictalium Nundinarum inſtitutio. 196
Indicti locus 197. à quo benedici ſolet. 197
Indictale Mineruale. 198
Ingo Abbas San-Germano-Pratenſis, Gerberti Aquitani diſcipulus. 361 & in Catal.
Inſtructio indicii aquæ calidæ 539
Inueſtituræ Prælaturarum cauſa ſchiſmatis. 451.
Decretum contra inueſtituras Principum Laicorum ibid & 192 460.
Ioannes Antiſſiodurenſis ſcholaſticus Gerberti Diſcipulus fit Ep. Antiſſiod. 331
Ioannes Lugdunenſis. 64
Ioannes Nominalium author. 443
Ioannes Papa 20. vir magnus. 363
Ioannes Scotus ab eccleſia Lugdunenſi proſcinditur. 182. Magiſter à Carolo Caluo ſolebat appellari 183. Capitale ſeu Rector Vniuerſitatis Pariſienſis ibid. & 184 ſuſpectus de hæreſi, de prædeſtinatione, de Euchariſtia 84. & 507 eius facetiæ 183 docet in pluribus Franciæ oppidis & vrbibus, eique Humbaldus adhæret. 185. ad Oxonienſem Academiam ſe confert. 211. graphiis puerorum confoditur. 112 duplex Ioannes Scotus diſtinguendus 213. vide in Catal.
Irenæus Lugdunenſis Epiſcopus. 64
Iſaura virgo, vide Clementia Iſaura.
Iudex & Conſeruator Priuilegiorum Vniuerſitatis 265
Iudicium laminæ candentis. 140
Iudicia Druidarum & Iuriſdictio eorumdem. 13.
Iudicium Legale & per duellum.
Iudicia publica quomodo exercebantur. 53
Iuliani Imperat. laus à litteris. 48 eiuſdem vituperatio ab odio in Chriſtianos ibid
S. Iuliani Pauperis Eccleſia olim Abbatiola, Baſilicæ maximæ addicta. 40.
Iuramentum Vniuerſitatis. 287
Iuo Beluacenſis fit Ep. Carnotenſis. 484 de eius conſecratione Vrbanus II. ad Clerum Carnotenſem ibid Aduerſatur nouis nuptiis Philippi I cum Bertrhada. 488. Regis facinus diſſuadet ibid. Epiſcopos ad implendum in hac re officium ſuum hortatur 489. Bonis omnibus à Rege ſpoliatur ibid. minatur excommunicationem. 500.

L

LAmberti Theologi laudes & quæſita 42.
Lampridius Burdigalenſis Rhetor. 54
Lanfrancus Pariſios venit, ibique cum Berengario congreditur 405 Beccum ſe confert in Normanniam 408. 409 de Scholæ Lanfranci celebritate 409. de Berengario & Lanfranco 410. interest Lanfrancus Concilio Vercellenſi. 422. fit Archiepiſcopus Cantuarienſis 447. honorificè ab Alexandro II. recipitur 448. cuius fuerat Magiſter. 449. obit. 480. eius acta ibid.
Latinus Pacatus Drepanus 2
Legati Pontificii quomodo excipiuntur. 307
Legere quid ſit, lectio, prælectio. 389
Leo Profeſſor Burdigalenſis. 54
Leo Philoſophus Rector academiæ Conſtantinopolitanæ. 15
Leo IV. Papa vir maximus. 171.183.& ſeq.
Leonis IX Decretum de Electione Romanorum Pontificum per Cardinales. 414
Leo Simoniacos in Concilio Remenſi damnat ibid. & vxoratos presbyteros. 415. Remigialia inſtituit. ibid.
Leodienſis ſchola. 313
Leothericus Gerberti Diſcipulus Archiep. Senon. 331 eius dubitatio de Euchariſtia 354 eius obitu turbatur Eccleſia Senonenſis 412.
Leuthardus hæreticus. 340
Leuthardi hæreſis de decimarum perſolutione. 340
Liberalium artium commendatio. 531
Librorum approbatio per Vniuerſitatem Pariſienſem. 385
Librarii Vniuerſitatis Pariſiſ. 383
Licentia docendi à quo conceditur. 284
Liliorum Franciæ allegorica ſignificatio. 273. quando ad ternum numerum redacta 219 ibi de Teſſella Rectoria 3 liliis inſignita.
Lingua Druidarum in tradendis diſciplinis 9 ibidemque de lingua veterum Gallorum

Litterarum clades in Francia. 162. 161. 167. 168. earundem reſurrectio 449. 450. 451. Indignatio aduerſus litteratos. 463
Liuius, Limpidius, Leo Profeſſores Narbonenſes 37
Lobienſis ſcholæ celebritas. 31
Lotharius Imperator. 151. Monachum induit in Cœnobio Prumienſi. 176
Lotharius Francorum Rex vir bonus & omnibus amabilis. 325
Luci Deorum ſacri. in Lucis ſacra ſiebant. 12.
Luciolus Rhetor Burdigalenſis. 54
Ludouicus Pius Priuilegium Ro. Pontificibus indulget. 147
Eiuſdem afflicta fortuna 165. moritur. 167
Ludouicus Vltramarinus Caroli Simplicis filius ad Regnum reuocatur. 304
Ludi Florales, vide Floralia.
Lugduni deſcriptio. 59
Lugdunenſis ſchola. 59. 63
Lugdunenſe templum Auguſto dicatum. 59.
Ara Lugdunenſis. 60
Ludi ad aram ibid.
Ludi Muſici ibid. 61
Lugdunenſis vrbs incendio abſumpta. 61.
Lugdunenſis Primatus quando inſtitutus 454 455. Primatum illum Daimbertus Senonenſis agnoſcit primus. 496 4·7.
Lupus Ferrarienſis vult reſumere ſcholarum exercitium. 176
Lycæum Athenienſe. 67.

M

Magiſtri ſeu Regentes. 70
Magiſtrorum receptio ibid. examen, ſcriptio. ibid. Salarium. 71. 72 eorum ad honores & dignitates promotio 74.
Numerus ordinem & leges poſcit. 243
Magiſterii gradus quomodo olim conferebatur 284. & ſeq.
Qua ætate conferebatur. 386. Magiſtralium actuum celebritas ibid.
S. Maglorii corpus quomodo Pariſiis receptum ·20 ſ ſ.
Sam-Magloriani cœnobii fundatio. 321
Maileacenſe cænobium quando conſtructum 460
Manaſſes Archiep. Remenſis Simoniacus 454
Accuſatus à Canonicis, eos bonis ſpoliat & vexat 468 hæc cauſa conuerſionis Brunonis Carthuſiani. 468
Manigaudus Lutembachius Magiſter Pariſienſis, in Catal.
Marbacenſe collegium Canonicorum reſtituit. 43 incarceratur ob conſtantiam in tuendo Vrbano II. ibid.
Manus filius Theutaræ. 5
De S. Martialis Apoſtolatu 372 375. 401
Synodi Pictauienſis, Pariſienſis, Lemouicenſis ea de re 373. de ea re quinque ſynodi habitæ. 506
Marciani Dialectica 519
S. Martini Campenſis Eccleſia Secularis & Collegiata tranſit ad Monachos. 462
Maſſilia vnde dicta. 16. quomodo condita. 17.
Maſſilienſis Academia 16. 18. celebritas eiuſdem 18. 22. exercitia & artes 19 defloreſcit 24. cæteris vrbibus pædagogos & magiſtros ſuppeditabat. 22
Maſſilienſes Græcorum linguam, mores & habitum retinuerunt 19. qui mores 24. conſilium publicum Maſſilienſium. 24
Dea Minerua 24
Mathurinorum Domus in fundo Vniuerſitatis. 387
Maurilii Arch. Rothom. obitus. 442
Medici & Philoſophi imperiti. 514
Memoriæ, non ſcriptis artes tradebant veteres. 8
Menecrates Iuriſperitus Maſſilienſis. 19
Menianæ ſcholæ 18 vbi poſitæ. 29
Menſibus varia nomina impoſita à Carolo Mag. 144
Merces Regentium quanta 527. decurtata 5·9.
Exactio Mercedis, & lites de mercede ibidem.
Monachi etiam mercede docebant 516. vide ſupra Honorarium.
Mercurius à Gallis cultus. 10
Methodus docendi Pariſiis 511. praua & quid ex ea conſecutum ſit 513. 514. bona & probata ibid.
Minerua Maſſilienſium Dea. 24
Minerual, vide Salarium.
Mineruius inſignis Profeſſor Burdigalenſis. 47
Miſcelli ludi. 62
Miſſa Gallicana 141. quis illius ordo. 142
Miſſi & Miſſorum officium quale olim. 238.
Monachorum exercitia antiqua 146. eorum reformatio 147. faſtus & arrogantia 513. 514.
Mores corrupti. 350
Contra Monachos ſe immittentes Parochialibus curis. 497
Monachorum dignitas extollitur in Concilio Nemauſenſi. 498
Monachicæ veſtes cuius olim coloris. 505
Multi ex deſperatione profectus in ſtudiis ad Monachos ſe conferunt. 518
Muntanus Votienus Profeſſor Narbonenſis. 35
Iulius Montanus ibid.
Mores 3. ſeculi quales. 332. in habitu, corruptiſſimi initio ſeculi. 349
Muſæum Alexandrinum. 69
Muſardus quis dicebatur. 351
Muſici ludi inſtituti. 60. 61
Muſicum certamen Toloſæ inſtitutum. 42

N

Narbo vrbs vnde dicta. 34
Narbonis laus ibid.
Narbonenſis ara. 33. 34
Natioou Scholarium antiquitas. 75
4. Nationes in Academia Athenienſi. Item & in Romana. 139.
Nationes primæuæ Vniuerſitatis Pariſienſis. 250. 251. earum antiquitas 251. Qoando facta diuiſio quadrimembris. 2,7 298
Nationum Procuratores. 252. 257
Nationum diuiſio in Prouincias. 188
Negationum vis in diſputationibus ſcholaſticis. 513
Nemauſenſis Concilii Canones. 495
Neophyti Preſbyteri vxorati. 415. eorum hæreſis ibid
Nicetius Cantum alternum inſtituit Lugduni 64.
Nicolai Myrenſis tranſlatio in Apuliam. 480
Nicolai I. Papæ electio & mores. 177
Decreta contra Reges & Imperatores ibidem
Ignatium Patriarcham Conſtantinopol. deiicit, Photium colloca. in ſede. 184
Nominalium origo 4,3. ſecta & opinio explicata. 444
Normani Galliam vaſtant. 171. iterum Lutetiam. 177. 207
Aureliam capiunt. 187
Iterum Andegauum capiunt. 593. & tertiò. 201
Neuſtria illis datur ad habitandum. 205. 196.
Normanorum impia ſacinora 230. pietas in conſtruendis Monaſteriis 297. 514
Notgerus Epiſcopus Leodienſis vir doctus & pius. 319
Nuncii Vniuerſitatis Pariſienſis. 217
Magni Nuncii. 218
Magnorum numerus 219. ſodalitium. 240.
Parui 239. Paruorum numerus & officium ibidem.
Nundinales declamationes. 596
Nundinæ San-Dionyſiacæ, ibid.

O

OCreatum inſignia in Academia Oxonienſi. 227
Odilo Cluniacenſis reſpuit Archiepiſcopatum Lugdunenſem 81. à Ioanne Papa reprehenditur ibid qui vir. 413
Odo Rex ſeu prorex Francorum. 235
Odo Cloniacenſis Pariſiis ſtudet. 290
Odonis obitus 301. elogia, 305
Odonis Cardinalis Epiſcopi Oſtienſis laudes à Baldrico Burgolienſi conſcriptæ. 476.
Odo laudatur ab amore poëſeos ibid. eius in poetica peritia. 478. fit papa. 480
Brunonis olim diſcipulos ibid. Magiſtros ſibi Conſiliarios adſciſcit ibid
Odolricus Archiepiſcopus Remenſis. 318
Offæ Anglorum Regis & Caroli M. neceſſitudo. 112. & ſeq.
Offa fundator ſcholæ Anglorum in Academia Rom. 136
Olbertus Gemmeticenſis Pariſiis ſtudet. 345
Oppidanæ ſcholæ & Oppidani Magiſtri. 520.
Oratoris publici munus in Academia Oxonienſi. 226
Ordalium genus iudicii capitalis. 536
Ordo neceſſarius inter plures Magiſtros. 249.
Organorum vſus in Gallia. 157
Oſcus Rhetor Maſſilienſis. 20
Otho III. è ſchola Gerberti ad Imperium euocatus. 222
Othonis III. & Roberti Franciæ Regis amicitia & neceſſitudo mutua. 334
Vxorem Mariam igne damnat. 340
Othonis III. obitus 353
Otricus doctiſſimus Mathematicus. 319
Oxonienſis Academiæ inſtitutio. 211
Claſſes variæ. 23. 314. Rhetor. 215

P

PAlladia Ciuitas Toloſana. 39
Pallantis Euandri filii corpos inuentum. 4143
Palatium Regium Pariſienſe *Schola* dictum. 106
Palatii Comes quando ſublatus. 96
Vbi ſitum. 107
Pallium Regium quale. 392
de Papæ poteſtate in Reges. 177. 178. 460. 461.
Papæ electio Imperatoria quando incepit. 414 quando ſublata. 425
Quando Papæ cœperunt Academicos promouere. 380. 509
Paranymphorum celebritas. 391
Parauiſum *Paruis*. 82
Parium Franciæ inſtitutio. 391. diſſertatio de inſtitutione Parium 397 inſtituendorum cauſa 396 quot inſtituti ibid. & 399
Parium iudicia. 397
Pares ob feuda conſtituti. 398
Parium triplex poteſtas, ibid.
Parium quæ inſignia. 399
Quare Pares dicti, ibid.
Pares in Curiis quoque Ducum & Comitum 397.
Pariſienſis Ciuitatis amplitudo 99 laus 207
Parlamentum Regium quale olim 397. ex quibus conſtabat Conſiliariis ibid.
De partu B. Virginis Quæſtio celebris. 169
Paſchalis Abbas Corbeienſis de Euchariſtia 185.
Patera ſacerdos Apollinis Beleni. 11, 12
Patarini Presbyteri vxorati obſtinati. 425
Patrqootom ſeu Aduocatorum mores. 523

Index Rerum & Verborum.

Paulus Aquileienſis. 141
Ornamenta pellium. 391
Pontici muris pellis. 392
Pellitæ veſtes Vniuerſitatis vnde. 391
Pelliti Principes, pellitus populus, ibidem.
Quando Ponticorum murium pellibus vſi primum ſunt Reges. 392
Pergameni ius Rectorum. 197. 198
Petronius Maſſilienſis 20
Petrus Damiani magnæ vir eruditionis 449.
Petrus Theologus contra Roſcelinum ad Gaufridum Pariſ. Epiſcopum. 491
Petrus de Stellis Eremita. 534. 462
Phauorinus Arelatenſis. 20. 21
Philippus 1. Rex inauguratur & fidei formulam edit. 418 à Papa reprehenditur quod viros Eccleſiaſticos opprimat. 452. eiuſdem diuortium à Bertha legitima coniuge & nuptiæ cum Berthrada. 483
Petit diuortium & nuptias approbari. 487. multa de diuortio illo. 488
Phocas Grammatices Regulas primus conſtraxit. 517
Phocenſes Maſſiliæ conditores 16. litterarum profeſſionem inſtituunt, vide ſupra Maſſilia. Bellatores. 17
Photius Patriarcha Alexandrin. ab Eccleſia Rom. diſcedit ob proceſſionem Spiritus S. 187 deiicitur. 192
Pictauienſis ſchola. 55
Pigacia calceamenti genus quale. 532
Liber Pœnitentialis. 158
Præbendarum venalitas. 497
Quæſtio de Prædeſtinatione duplici. 179 qua de re habitæ ſunt ſynodi plures, ibid.
Præfecturæ Prætoriũ quomodo diuiſæ. 211
Prætoria ſingula multas complectebantur prouincias. 152
Pratum Clericorum. 214 exercitia Prati ibidem.
A quo conceſſum Vniuerſitati. 245. 246. querela Clericorum Pariſienſium in Prato ludentium aduerſus Monachos San Germano-Pratenſes 247. 3. 4. Rector quotannis adibat Pratum. 248. quando conuerſum in ædificia ibidem.
Presbyteri olim paſſim vxorati. 414
Contra Presbyteros vxoratos. 425
De Presbyterorum filiis, an poſſint ordinari 489.
Probatur poſſe. 490. 491. Eccleſia eos cum diſpenſatione admittit. 491
Primatus Galliarum. 204. 206
Primatus Angliæ, & de eo lis inter Archiep. Cantuarienſem & Eboracenſem. 448
Primatus Lugdunenſis quando inſtitutus. 454. Vnde & qua occaſione. 455
Priſciani vſus in Vniuerſitate Pariſienſi antiquus. 517
Priſciani duplex opus, ibid.
Priſcillianus & Priſcillianiſtæ. 49
Priuilegia Vniuerſitatem. 98. 235
Priuilegium duplex ibidem.
Priuilegiorum Vniuerſitatis Pariſ.
Conſeruatores. 144. 324
Procuratores ſcholarum & nationum 75 in Academia Oxonienſi 226. 232. Pariſiis ibidem.
Proæreſius ſophiſta. 48. 49
Profeſſorum numerus in ciuitatibus Galliæ. 33.
Prouinciæ quando factæ hereditariæ. 395
Proſcholi qui dicebantur. 76. eorum officium ibidem.
Purpura violacea quare Regum propria. 400.
Rectori Vniuerſitatis Pariſ. conceſſa, ibid. & 408.
Purpura Rectoria & Procuratoria. 262. 263

Q

QVæſtiones Philoſophiæ inutiles. 512. 513.
Quercus arbor ſacra Gallis veteribus. 12
Quercus ſimulacra Deorum ibid. vnum è lignis Crucis Chriſti. 14
Querneus viſcus. 15
Quindecim-Primi Maſſilienſis ſenatus 24

R

RAbanus Maurus 149. 150 eius obitus & epitaphium. 276
Rainardus Hugo Epiſcopus Lingonenſis vir eloquens 414
Ratbodi Traiectenſis genus, ſtudia, obitus 191. 300.
Ratherius vir doctus, mores eius & dignitates 311. eius opera ibid
Rectorum Academiarum antiquitas. 69
Rector Acad. Oxonienſis. 224. 125
Rector Vniuerſitatis Pariſ. 257
Rectoria purpura. 262
Rectorium ſigillum. 163
Rectoris nominatio perfecta à 4. Nationibus pendet abſque vlla confirmatione. 265. 268 278 è Nationibus aſſumitur quare. 264
Regem in Vniuerſitate repræſentat 268. eius in omnibus Actibus Scholaſticis præceſſio 383. & ſeq. locus in Pompis & in Baſilica B. Mariæ. 171. qui ordo in electione Rectoris. 385
Rectoriarum Supplicationum pompa. 388
Regentes vid. Magiſtri.
Regentium merces quanta 524 inæqualis 527 qualis apud veteres ibid.
Regimen Vniuerſitatis. 249
Ad Regimen tria requiruntur, numerus Magiſtrorum, ordo & adminiſtratio. 249
Regulæ Grammatices quomodo olim traditæ metro-ne an proſa. 517
Reliquiæ San-Dionyſianæ furto ſublatæ. 228
Remenſis Eccleſiæ priuilegium conſecrandorum Regum. 174
Remenſis ſcholæ inſtitutio. 210
De Remenſi Archiepiſcopatu contentio. 107.

Remenſe Xenodochium. 374
Remigialia inſtituta à Leone IX. 413
Reprobationis formula in electionibus vſurpari ſolita 316
Rex Francorum ſuccedit, non eligitur. 218
Rheginonis hiſtorici laudes. 293
Rheonoes genus veſtis. 391
Richardus Remenſis, ſcholæ Vvintonienſis inſtitutor. 360
Robertus Comes Pariſiorum Rex Franciæ factus. 301
Robertus Francorum Rex deſignatur. 327 lacte materno nutritus 341 multa opera latinè componit. 369. eius amor in litteratos 310. moritur. 382. & ibi eius laudes commemorantur.
Robertus Arbriſcellenſis è Britannia Pariſios ad ſcholas venit, ſtudet & docet 463. Canonicos Regulares inſtituit in Abbatia B. Mariæ de Rota agri Andegauenſis 464. videetiam p. 533. 534
Euocatur è ſcholis Pariſienſibus ab Epiſcopo Redonenſi. 483
Sacræ Crucis expeditionem concionando ſuadet. 449
Robertus Dux Normaniæ. 403
Roberti Diaboli mores. 457
Robertus Archiepiſcopus Rothomagenſis vxoratus. 304 exp llitur. 378
Robertus Moliſmenſis inſtitutor Ordinis Ciſtercienſis. 502
Robertus Pariſienſis Nominalium Antiſtes. 443.
Robur apud Gallos ſacra arbor. 12
Rodbertus Ludouico Pio & Iudithæ fideliſſimus. 167
Rodulphus Rex. 301
Rodulphus à Gregorio VII. Imperator creatus deiecto Henrico. 461
Rodulphus Fuldenſis 177
Rollonis ad Carnutenſem vrbem mora. 295
Coniugium cum Gilla. 295. pieras. 297
Romæ ſtatus & mores. 439
Romſcot tributum Anglicanum pro ſcholis Anglicanæ Nationis Romæ fundatis. 16
Rorico Epiſcopus Laudunenſis doctiſſimus 321.
Roſcelinus Compendienſis Nominalium coriphæus 443. errores ſpargit de Trinitate 485 de Presbyterorum filiis ibid. in ſynodo Sueſſionenſi damnatur. 485. exulat in Anglia 489. Exoſum ſe præſtat omnibus Magiſtris 91. eius doctrina paſſim carpitur 4 2 508. Iuonis Carnotenſis Epiſtola ad Roſcelinum de ſua conuerſione. 493. ſeriò pœnitentiam agit & religioſam vitam ducit in Aquitania, ibidem.
Rufus Rhetor Pictauienſis. 56

S

SAcrificia Druidarum. 12. 13
Salarium Magiſtrorum Regentium. 72
Salarium ſeu ſtipendium publicum ibid. & 125. 126. & ſeq.
Saluianus Maſſilienſis. 111
Samothes primus Rex Gallorum. 2
Samothei ſacerdotes & Philoſophi ibid.
Sarron Rex Gallorum Academiam inſtituit. 2
Sarronidæ Philoſophi ibid.
Saturnius Toloſanus ad aram Mineruæ ſacrificare detrectat. 40
Scholæ Cœnobiales 80. maiores & minores, interiores & exteriores ibid. reſtrictæ & limitatæ 91.
Scholæ Epiſcopales &c. duplicis generis 96. limitatæ ibid. Presbyterorum ſeu Theologiæ. 151. 152. 280
Scholæ publicæ ſeu Vniuerſitates. 66 159. 178 quid differant à priuatis 97. priuatæ ſcholæ. 150
Scholæ Prouinciales 120. Oppidanæ ibid.
Schola Pariſienſis ante Carolum M. 84. 85.
Schola Romana. 82
Schola Anglorum Romæ à quo inſtituta. 136.
Scholæ variæ. Aureliacenſis 311. Aurelianenſis. 365. Beccenſis. 121. Cantabrigienſis. 291 Carnotenſis. 356. Floriacenſis. 321. Fuldenſis. 311 Hirſaugienſis. 311. Leodienſis 315. Lobienſis. 311 Puiſienſis. 315. Remenſis. 310 3 0.
Sorana Iudæorum & Pambedithana. 316
San-Gallenſis. 15. 311
Salernitana Medicinæ profeſſione celebris. 478 479. Turonenſis. 290 407. vide pag. 510 & ſeq
Scholares externi, conuictores & alimentarii ſeu Burſarii. 77
Scholarium duplex genus. 74. 77. eorum deductio ad ſcholas. 75. 76. quandiu morabantur in ſcholis. 513. diſcedentes Magiſtris gratias agebant. 328. 529
Scholares obſides. 125. 126
Scholarium ad ſtudia proficiſcentium ſecuritas. 236
Scholarcha ſeu Præfectus ſcholæ. 80 81. 82. 83.
Scholarchæ ſeu Scholaſtici munus. 272
Scriptores & Scriptorum officium. 142. raritas Scriptorum ſeu Authorum in decimo Chriſti ſeculo. 287
Seculum 10. infelix quamobrem raritas & infrequentia 10. ſeculo. 228
Sedechias Caroli Calui Archiater venenum propinat. 202
Seguinus ſeu Seuinus Archiep. Senon. Eccleſiaſticæ libertatis aſſertor. 353
Sergii Papæ virtutes. 171
Serui Vniuerſitatis Parif. immunes, vt Magiſtri & ſcholares. 238
Seruilis ſortis homines regimini inepti. 167. 168.
Seulfus ad Remenſem Archiepiſcopatum eligitur. 301
Sigillum Rectorium. 263. Vniuerſitatis 278.
Sigilli cuſtos 278
Silueſter Papa olim Gerbertus Aquitanus, moritur, 341. eius Epitaphium ibidem.
Statius Toloſenſis Rhetor Gal. 20

Index Rerum & Verborum.

Stephanus Gallus Grandimontenſium inſtitutor. 538

Stipendium Vniuerſitatis duplex. 241. publicum & certum. 530

Synodus Eccleſiæ Gallicanæ turbata ab Abbone Floriacenſi. 340

T

Taranis. 22

Taurorum apud Gallos immolatio. 12

Tempeſtas in Monte-Martyrum prope Pariſios. 306

Templa Gallis nulla. 12

Templum Herculis Muſarum Romæ quale 28.

Templum Pariſienſe. vid. Eccleſia. Toloſanum. 40

Terentius Maurus author regularum metricarum. 517

Termarum deſcriptio. 62

Terentius varro Profeſſor Narbonenſis. 36.

Theobaldus Stampenſis contra Roſcelinum 486.

Theodericus Gemmeticenſis Abbas Vticenſis multos ad Religionem conuertit. 534

Theodoricus leges Ciuiles diſcit Toloſæ. 41

Theodulfus Epiſcopus de ſcholis Aurelianenſibus. 151. vide in Catal.

Theologiæ ſtudium in Palatinis ſcholis Pariſienſibus 283. in Epiſcopalibus ſcholis. 273 274.

Theologiæ ſcholaſticæ origo. 345. 348. tres illius ætates ibid.

Theon Rhetor. 59

Theutates à Gallis olim cultus 11. Theut & Thout quid ſit, ibid.

Tiberius Victor Mineruius Profeſſor Burdigalenſ. 47

Tirellus miles Vuillelmi II. Regis Anglorum interfector. 540. ab hoc crimine vindicatur, ibid.

Timuchi conſilium. 62. apud Maſſilienſes. 24.

Titianus Profeſſor Veſontinus. 59

Toloſa quæ ciuitas. 39. Toloſana arx & ara ibidem. aurum Toloſanum fatale 39. Toloſa aurata quare ſic dicta ibid.

Treuirenſis ſchola celebris. 59

Turonenſis ſcholæ celebritas. 512

V

Vates ſacerdotes veterum Gallorum. 2

Verſibus artes tradebant Druidæ. 8

Vetus mos tradendi verſibus Diſciplinas. 8

Veſontinæ ſcholæ celebritas. 59.

Victoris II. Papæ electio improbata multis. 475.

Viſcus Gallis ſacer. 13. quo ritu decerpebatur ibid.

Vitalis author Monaſtici Ordinis. 533. 534.

Vniuerſitatis Pariſienſis fundatio. 91

Vniuerſitates erigere ius Regium eſt. 98. Pariſienſis in Palatio Regio collocata. 104. filia Regum. 106. eius fundatio probatur authoritate Scriptorum primi Seculi 100. & ſeq. Item authoritate Scriptorum 2 Seculi. 108. Item authoritate Scriptorum 3. Seculi. 109. Item authoritate Scriptorum 5. ſeculi 111 Item authoritate Scriptorum. 6. ſeculi. 113. Item authoritate ſcriptorum 7. Seculi. 115 denique authoritate Scriptorum 8. ſeculi ibidem.

Vniuerſitatis nomen vnde 244. locos antiquos. 249. 104. regimen primæuum 249. Antiqua diuiſio in Nationes. 251. Ordo in exequiis Regum. 270. ſtatus in 1. ſeculo. eiuſdem. in 2. ſeculo. 344. eiuſdem in 3. ſeculo 510 celebritas ſub Carolo Caluo 190 191. initium celebritatis ad Carolum M. referendum. 512

An Vniuerſitas ſit corpus Eccleſiaſticum, an Laicum. 125

Vortenus Montanus; vide Montanus.

Vrbani II. mores & amor in litteratos. 509

Vvala Epiſcopus Antiſſiodorenſis vir ſcientia clarus 195

Vvaleramus Cantor Eccleſiæ Pariſienſis Monachum induit apud S. Martinum Campenſem, & ab Epiſcopo reuocatur ad officium Eccleſiaſticum. 487

Vvetzilo Archiep. Moguntinus alumnus Vniuerſitatis Pariſ. 475

Vvilgardus Italus Grammatices Profeſſor hæreticus. 352

Vvilhelmus Nothus Angliâ potitur 440. litteratos promouet, eximit à tributis. 480. eius tempore Normani in litteris excellunt 479. Clericos & ſcholares ab omni tributo liberos eſſe vult. ibid. obit. 480

Vvillielmus II. dictus Rufus occiditur à ſuo Milite. 504

Vide ibi eius Epitaphium, & 505

Vvillielmi Rufi Anglorum Regis mores peruerſi. 535

Volphemi Epiſtola contra Berengarium. 454. eiuſdem rationes contra argumenta Berengarianorum, ibid.

FINIS.